G7804
Uc4276

fol.

HISTORIARVM POLONIAE

ET

MAGNI DVCATVS LITHVANIAE SCRIPTORVM

QVOTQVOT AB INITIO REIPVBLICAE POLONAE AD NOSTRA VSQVE TEMPORA EXTANT OMNIVM

COLLECTIO MAGNA

ORDINE CHRONOLOGICO DIGESTA

OB EXEMPLARIVM RARITATEM ITERVM TYPIS EXSCRIPTORVM SVPPEDITANTE CELEBERRIMA

BIBLIOTHECA ZALVSCIANA

EDIDIT, ANNOTATIONES ADIECIT AC PRAEFATVS EST
LAVR. MIZLERVS DE KOLOF
POLONIAE HISTORIOGRAPHVS ET IN SERENISS. POLON. REGIS AVLA CONSILIARIVS, MEDICVS VARSAVIENSIS

CVM INDICE LOCVPLETISSIMO

TOMVS SECVNDVS

CONTINEN RESIDVOS SCRIPTORES TOPOGRAPHICOS

CVM SERENISSIMI REGIS POLONIARVM PRIVILEGIO

VARSAVIAE
SVMTIBVS TYPOGRAPHIAE MIZLERIANAE
ANNO MDCCLXVIIII.

Ex Bibliotheca Regia Berolinensi.

vtls 1063439

SERENISSIMO PRINCIPI
AC DOMINO
DOMINO
STANISLAO AVGVSTO
DEI GRATIA
REGI POLONIARVM
MAGNO DVCI LITHVANIAE, RVSSIAE, PRVSSIAE, MASOVIAE,
SAMOGITIAE, KYJOVIAE, VOLHYNIAE, PODOLIAE,
PODLACHIAE, LIVONIAE, SMOLENSCIAE, SEVERIAE
CZERNICHOVIAEQVE

DOMINO SVO LONGE INDVLGENTISSIMO

DEMISISSIME HVNC TOMVM SECVNDVM
D. D. D.

LAVRENTIVS MIZLERVS de KOLOF.

SERENISSIME REX,
DOMINE LONGE INDVLGENTISSIME,

Cum TIBI, Sereniſſime Rex, huius collectionis omnium hiſtoriarum Poloniae Scriptorum tomum ſecundum dicare atque in conſpectu TVO ponere auſus ſim, certe non aliam habui cauſam, quam vt TIBI Patriae Patri indulgentiſſimo, tanquam fidelis filius et incorruptus regni ciuis, laborum meorum redderem, vti debeo, rationem. TV enim, qui ad regni gubernacula virtute TVA ſedes, eaque prudentiſſime dirigis, iure optimo ab vnoquoque TVORVM ſubditorum exigere potes, vt calculum ponat, quam multum pro conditione ſua ad ampliandam rempublicam et ad felicitatem communem conferat. Per leges enim ſocietatis omnis ciuis obſtrictus eſt, vt tantum commodo publico ſeruiat, quantum vires ei ſuppetiant. Commodum autem publicum non aliis quam his comparatur modis, nempe per conſilia et labores virorum prudentiſſimorum cordatorumque, qui TVO ſub imperio omnia eo dirigant, vt vnicuique ſuum tribuatur, omnisque incola aequali fruatur ſecuritate: deinde per agriculturam, commercium, artem militarem, et maxime per artes, ſcientias literasque. Scientiae enim literaeque non ſolum ſua natura ad vitam beatam multum conferunt, ſed etiam modos alios ad comparandum publicum commodum inſigniter iuuant augentque. Nam ſcientiarum ope viri prudentes, rerumque ciuilium gnari, qui TE in adminiſtranda republica iuuant, educari tantum poſſunt. Per ſcientias artesque agricultura etiam et commercium mirum in modum promouentur, atque adeo ars militaris, ope cuius hoſtis patriae reprimitur, paxque firma ac ſecuritas ſtabilitur, per ſcientias artesque ad longe perfectiorem noſtris temporibus gradum fuit perducta. Cum igitur tanta ſit literarum ſcientiarumque in commodum publicum redundantia, non mirandum, TE verum Patriae

Patrem,

Patrem, qui non modo magnum ſcientiarum pretium optime noſcis, ſed ipſe etiam ab ineunte aetate iis quam maxime eruditus fuiſti, tam multum laboris ad eas apud ciues TVOS reſtituendas, amplificandas, augendasque ſuſcepiſſe. TVO ſub regimine iam aliam Polonia prae ſe ferre faciem videbatur, multa etiam in melius mutari coeperunt; quippe qui nil deſideras, quam vt populum TVVM, in quo natus es, reddas feliciorem, vt nempe vnicuique ſuum tribuatur, vt iuſtitia aequaliter diſtribuatur, vt omnis ciuis in ſecuritate aequali et rerum pro ſuſtentanda vita neceſſariarum abundantia viuat, vt intelligentia incolarum magis magisque illuminetur, vt virtutes bonique mores vigeant, vitia deprimantur, verbo, vt vera illa et aurea libertas reſtituatur, qua vero nunquam frui Polonia poterit, niſi omnes, qui ſanciunt, et obediant.

Sed quanta rerum viciſſitudo! illo ipſo tempore, quo tam laudabiliter pro ſalute communi reipublicae laboras, impeditus quaſi per machinationes et motus inteſtinos fuiſti, Regiis TVIS virtutibus vti: ſed ſperamus fore breui, vt Deus ter optimus, TE moderatore, atque inſtrumento, regnum, illiusque ciues ex miſeria eripiat, ciues iterum ad concordiam adducat, pacemque firmam et durabilem reſtituat.

Nil ſupereſt, quam vt TIBI, Sereniſſime Rex, ſanitatem incolumem et longum regimen apprecemur. Sic omnis certo certius deprehendet, TE fuiſſe, eſſe, et ſemper futurum verum Patriae patrem.

Ad extremum me meosque qualescunque labores, quos per viginti et ſex annos pro incremento ſcientiarum in Polonia ſuſcepi, Regiae TVAE Protectioni etiam atque etiam commendo, qui nil amplius deſidero, quam vt TIBI, Sereniſſime Rex, atque reipublicae, magis magisque, TE adiutore, poſſim eſſe proficuus, qui emoriar

SERENISSIME REX,

MAIESTATIS TVAE REGIAE

Servus obſequioſiſſimus fideliſſimusque ſubditus
Mizlerus de Kolof.

PRAEFATIO.

In lucem tandem prodit hiſtoriarum Poloniae Scriptorum tomus ſecundus, quem tardius praeter voluntatem meam, ante oculos tuos pono, quam quidem optaram. Inutile certe eſſet, omnia hic enarrare impedimenta, quae editionem illius per aliquot annos retardarunt, quia factum per id infectum fieri nequit. Potius in iſtam debeo nunc incumbere curam, et magnopere laborare, vt retardationem huius tomi longe citiori tomorum ſequentium editione corrigam, in iisque euulgandis haud interrupta ſerie amatorum hiſtoriae Polonae expectationi exactius reſpondeam, id quod quantum in me eſt, caſusque humani ferunt, ſincere ſpondeo. Sed pro iis forte adhuc in tempore apparet, qui tomum primum vel nondum legerunt atque euoluerunt, vel non poſſident, quorum quidem numerus, vt opinor, maior longe erit, quam illorum, qui tomi primi vſum habentes hunc ſecundum impatienter deſiderarunt.

Scriptores reſiduos topographicos in hoc tomo contentos ita Tibi, lector beneuole, exhibeo, quomodo ſcripti fuere, paucis adiectis annotationibus. Nefas enim duxi, verborum contextum ſcriptorum vel in minima re augere vel imminuere, quod ſine dubio multis in locis fieri potuiſſet, maxime quod genus ſcripturae attinet, ſi licitum fuiſſet. Dices forte: ſed in annotationibus hoc ſine moleſtia fieri potuit. Nolui autem nunc lectores retardare multis annotationibus, cum in animo habeam, abſoluto opere ſcriptores ad vnum omnes in ſingulari diſſertatione recenſere, atque indagare, quid verum, quid falſum, quid veriſimile, quid ſuſpectum in hiſtoria Polona ſit. Hi ſcriptores maxima ex parte, nempe Zeilerus et Connor ex Germanico idiomate, Beauplan ex Gallico in Latinum ſunt traducti; qui quidem curaui, vt translatio terſa et pura ſit, ſed non omnia meis potui perluſtrare oculis, aliorumque diligentia vti debui, cum tantum temporis variis diſtractus laboribus haud haberem. Quod ſi igitur humani quid nobis accidiſſe deprehendes, et mihi et adiutoribus meis ignoſcas velim. Vale et breui tomum tertium expecta. Scribebam Varſauiae pridie Idus Septembris A. S. M. DCC. LXVIIII.

CONSPECTVS
TOMI SECVNDI.

I. MARTINI ZEILERI noua Regni Poloniae et Magni Ducatus Lithuaniae Descriptio - - - - - Pag. 1

II. Descriptio Vkrainae per Dom. DE BEAVPLAN - - - - 49

III. Descriptio Regni Poloniae et Magni Ducatus Lithuaniae per D. B. CONNOR - - - - - - - 85

IV. AVGVSTINI L. B. de MAYERBERG et H. G. CALVVCCII Iter in Moschouiam - - - - - - - 361

V. MARTINI ZEILERI Posterior Descriptio Regni Poloniae et Magni Ducatus Lithuaniae, cui Prussicae, Liuoniae, Moldauicae, Moscouiticae, Tartaricae aliaeque res complures sunt insertae - - - - - - - 453

I
NOVA DESCRIPTIO

REGNI POLONIÆ & MAGNI DVCATVS LITHVANIÆ in qua non solum adiectæ Prouinciæ, sed etiam ciuitates principales ac loca, quæ quidem in notitiam venerunt, vna cum historiis rebusque gestis memoria dignis describuntur: ex antiquioribus recentioribusque Scriptoribus, nec non acquisitis relationibus collecta & in publicum edita

per

MARTINUM ZEILLERUM

A. MDCLXIII. Vlmæ per BALTHASARUM KVHNIUM typographum

Ex Germanico idiomate in Latinum translata.

ILLVSTRI ET GENEROSISSIMO VIRO
DOMINO IOANNI CHRISTOPHORO DE GRUEN
Gubernatori propugnaculi IOUX, Colendissimo suo Fautori.

ILLVSTRIS AC GENEROSISSIME DOMINE

REgnum Poloniæ non tantum per potentissimum Regem, pacisque amantissimum, VLADISLAUM IV, sed & per prudentissimos regni Senatores, nostris temporibus ideo etiam celebre, quia, non obstantibus variis in eo religionibus, his temporibus turbulentis, cum tota fere Europa bello sit pressa, placida vtitur pace, atque omne id, quod ei obesse possit, in tempore e medio tollit, ideo & in posterum dilectæ nostræ patriæ Germaniæ, forte Turcis illa ab regione oppositum propugnaculum permanet. Et quamuis hoc regnum longe lateque pateat, multis ex prouinciis consistens, ob prudentes tamen belli dispositiones ab hostili impetu facile defenditur, qui etiamsi fiat, breui tamen ei occurritur, quia teste THUANO, Rex ex solis nobilibus, qui regno suis sumtibus militare debeant, centum & quinquaginta millia virorum grauioris leuiorisque armaturæ colligere, &, si necesse sit, in campum educere potest, quibus neque alimenta desunt. Nam cum Dux HENRICUS Andegavensis, anno 1578. in comitiis Varsauiæ in regem Poloniæ eligeretur, ad centum millia equitum per quatuor circa ciuitatem milliaria, per plus quadraginta dies manebant, quibus neque pabulum pro equis, neque victus pro hominibus, respectu carnis, piscium aliorumque cibariorum, atque adeo vini, quod ibi non crescat, minime deficiebat. Vid. consultat. D. *LANSII, in orat. pro Polonia, p. m. 611. Regnum in multos diuisum est palatinatus, & sic dictos* castellanatus, *de quorum belli ducum, nec non præfectorum, vel* Capitaneorum, *vt aiunt,* & Burgrauiorum *officiis, pacis tempore, sic scribit M. SEBASTIANUS SCHROETERUS in historica totius terrarum orbis descriptione, Tom. I. lib. 1. cap. II. pag. 809 seq.* Palatini, seu Woiwodæ, Duces copiarum suæ quisque satrapiæ, in expeditionibus bellicis, & in pace conventuum, & iudiciorum nobilitatis præsides, & Iudæorum patroni ac iudices, existunt: Castellani, quasi legati sunt Palatinorum, ductoresque ac præsides nobilitatis, sub suo quisque palatino, & in suo quisque territorio, vbi nullam alioqui iurisdictionem, dominium, aut curationem, præter hanc bellicam legationem, habent. Capitanei vero præfecti sunt arcium, oppidorum, ac redituum regiorum, & custodes pacis, & tranquillitatis publicæ, in sua quisque præfectura, latrociniorum, furtorum, aliorumque scelerum vindices, & rerum iudicatarum executores. Ideoque iurisdictionem, vel coërcitionem amplissimam habent. Horum vices gerunt Vicecapitanei, Burggravii vulgodicti, & iudices castrenses, qui sexta quaque septimana, de certis causis criminalibus & ciuilibus, etiam aduersus nobiles, qui prædia nulla habent, ius dicunt.

Quia igitur de de aliis Christianorum regnis prouinciisque varia edidi itineraria, in animum induxi, illorum loco de reliquis breues conficere descriptiones, in primis

locorum in iis principalium, cuius rei ante quadraginta sex annos iam initium cum Hungariæ regno feci, quod nunc ei adiacens regnum Poloniæ sequitur.

Quod autem tibi, vir illustris, hanc descriptionem consecrem, in causa non solum est, quia magnus omnium historiarum, meorumque etiam qualiumcunque libellorum amator es, sed & gratus pro tuis mihi præstitis, iisque magnis beneficiis, animus, qui per tempus haud breue tecum iter facere, variisque in locis, vt Tubingæ, Argentorati & Vlmæ eodem victu vti honorem habuerim. Quiaque tibi, vir illustris, placuit, me ad propugnaculum Ioux *inuitare, cuius in descriptione locorum circuli Burgundici mentionem feci, quodque LUDOVICUS GOLLUSIUS in libro:* memoires historiques de la republ. Sequanoise &c. l. 2. c. 2. f. 79. *sic breuiter describit:* Ce chateau est sur la pointe d'un roc, semblant de loin une pyramide, coupé à l'entour, fort à une avenue bien tranchée, & r'emparée, & cela fait un pas en son fond fort assuré moienant bien petites forces, que l'on loge dedans la forteresse: *Ego vero valetudinis causa, & ob prouectam ætatem, iter instituere, nisi necessitate pressus, haud possum, ideo tibi viro illustri hunc libellum mitto, etiam atque etiam rogans, vt mei loco gratiose illud hospitio recipere, meque & in posterum fauore tuo dignum iudicare velis. Ad extremum DEUM oro, vt Te saluum incolumemque seruet. Vlmæ d. Vl. Martii anni 1647.*

ILLUSTRIS TUI NOMINIS

Obsequentissimus

MARTINUS ZEILLER.

ORDO PRINCIPUM REGUMQUE in POLONIA

LECHI tempus, tanquam populi Poloni auctoris, a quibusdam ad annum Christi 550. refertur, cuius posteri, per sæculum cum dimidio in Polonia regnasse dicuntur, quibus deficientibus duodecim palatini electi constituique fuere, quorum vero potestas haud diu durauit, quia anno Christi 700. Poloni iterum vnico se Principi, nempe CRACO, subdiderunt, qui ciuitatem Cracouiam condidisse fertur. Huic filius minor natu LECHUS successit, qui fratrem clam in venatione interfecit, & sine liberis mortuus est. Ideo Poloni sororem eius VENDAM in principem elegerunt, quæ matrimonium inire noluisse, seque in Vistulam præcipitasse dicitur, secundum scriptores Polonos. Post eius mortem iterum duodecim palatini electi, sed circa annum Christi 760. denuo princeps PRÆMISLVS vel LESCVS constitutus: qui sine liberis mortuus. Hanc ob causam fortuna, circa annum 84. alium Lescum miro quodam modo ad principatum euexit, cui anno 810 filius eius LESCVS III, & huic filius POPIELVS maior, anno 815, successit. Huius filius erat Popielus, qui anno 823. vna cum coniuge & duobus filiis LECHO & POPIELO a muribus deuoratus fuit. Post eum ciuis Crusvicienſis, nomine PIASTA, in principem fuit electus, de cuius posteris plura iam, quam de præcedentibus comperta sunt, quique sequenti ordine, quantum principes Poloniæ attinet, se inuicem sequuntur.

1. PIASTVS supra memoratus, mortuus anno 861.
2. ZIEMOVITVS, filius Piasti, fato functus anno 892.
3. LESCVS IV. huius filius a. 913.
4. ZIEMOVISTUS filius huius a. 964.
5. MESLAUS, MIESCO, MIECISLAUS, primus in Polonia princeps Christianus, qui vitam cum morte a. Christi 999. commutauit.
6. BOLESLAVS I. cognomine CHROBRI vel *Acer*, Miecislai filius, primus Poloniæ Rex anno 1001. factus, & anno 1025. fato concessus.
7. MIECISLAUS huius filius an. 1034.
8. CASIMIRVS I. huius filius, qui cum matre RIXA e regno electus & monachus factus, deinde iterum in regnum restitutus fuit. Decessit a. 1058.
9. BOLESLAVS. II. cognomine *Audax*, regis præcedentis Casimiri filius, qui a. 1079. episcopum STANISLAUM Cracouiensem occidit. Regno deinde exiuit, & frater eius
10. VLADISLAVS, cognomine HERMANNVS regnauit, qui vero non regem,

regem, sed principem & regni hæredem se dixit. Expirauit anno 1102. ei successit filius eius

11. BOLESLAVS III. dictus CRIVOUSTUS, siue DISTORTUS, qui quinquagesies prælium commisisse fertur. Morte extinctus a. 1139. Filius eius
12. VLADISLAUS II. qui anno 1146. expulsus, loco cuius frater eius
13. BOLESLAVS IV. vel CRISPVS imperium adeptus est, morte occubuit anno 1174.
14. MIECISLAVS Senex, duorum præcedentium principum frater, qui vero ab imperio amotus, et in locum ipsius frater natu minimus, Boleslai III. supra memorati filius, suffectus fuit, nempe
15. CASIMIRVS anno 1178, mortem oppetiit, cui anno 1194. successit filius
16. LESCVS ALBVS, pro quo, cum propter ætatem nondum ex suo arbitrio agere posset, supra dictus depositus patris frater MIECISLAVS Senex imperium gessit, qui iterum inimicitias subiit, quamuis tertio imperium adeptus, & tandem a. 1202 mortem obiit, cui successit
17. VLADISLAVS LASCONGVS, qui tamen nunc dicto LESCO ALBO a. 1206. cessit, tertium etiam ad principatum adspirans, & anno 1226. a SVENTOPELCO, Pomeraniæ duce, interfectus. Lesco successit filius eius
18. BOLESLAUS IV. cognomine PUDICUS, qui a. 1279. sine liberis vita functus, pro imperio designauit auunculum
19. LESCUM NIGRUM, Ducis Cuiauiæ, Lanciciæ & Siradiæ, Casimiri filium, qui animam a. 1289. deposuit. Illius loco primum BOLESLAUS Masoviæ dux, deinde HENRICUS Dux Vratislavienſis, & tandem VLADISLAVS LOCTICUS, dicti Lesci Nigri frater, imperium habere conati sunt, vsque dum Poloni anno 1295.
20. PRÆMISLUM, maioris Poloniæ ducis Præmisli filium, & Vladislai Sputatoris nepotem, in Regem elegerunt & coronarunt, postquam hoc regnum per 215 annos Regibus non fuit vsum. Hic vero breui deinde periit, in locum eius suffectus
21. VLADISLAUS LOCTICUS, cui regi tribus annis post imperium fuit abrogatum, & loco eius
22. Rex Bohemiæ WENCESLAVS, qui prædicti Regis PRÆMISLI filiam RIXAM, seu ELISABETHAM, matrimonio sibi iunxit, Poloniæ regno præfectus est, qui anno 1305 ex vita migrauit, quo facto memoratus VLADISLAVS LOCTICUS imperii summam iterum tenuit, qui animam amittens an. 1333. filium reliquit
23. CASIMIRUM II. dictum MAGNUM, quem sine prole decedentem sororis Elisabethæ filius
24. Rex Vngariæ LUDOVICUS sequutus fuit, ex vita discedens an. 1382. cuius filia natu minor HEDWIGIS Poloniæ regno potitus. Hæc postea IAGELLONI, magno Lithuaniæ duci nupsit, qui per hoc factus Christianus in baptismate
25. VLADISLAVS appellatus animam efflauit a 1434, regem Poloniæ relinquens filium natu maximum
26. VLADISLAVM II. qui Hungariæ etiam rex factus a. 1444. in prælio ad Varnam cum Turcis occubuit. Successit ei frater
27. CASIMIRUS III. qui a. 1492 vita priuatus reliquit filium
28. IOANNEM ALBERTUM, post cuius mortem a. 1506. frater eius regnauit
29. ALEXANDER, quo sua morte mortuo, anno 1606. frater eius & prædicti CASIMIRI III. filius imperium tenuit.
30. SIGISMUNDUS I, cui a. 1548. morbo consumto in regno successit
31. SIGISMVNDVS II. filius eius, SIGISMVNDVS AVGVSTVS dictus, quocum anno 1572. mascula stirps Iagellonica plane extincta fuit. Et quanquam nonnulli principes ex antiqua regia Piastea prosapia supererent, nempe Lignicenses & Brigenses duces, nec non duces Teschenenses &c. iterum tamen præteriti a Polonis extraneus rex electus fuit, nempe
32. HENRICVS Dux Andegauensis, Galliæ regis CAROLI IX. frater, qui a. 1574. regio diademate coronatus, eodem anno clam regno exiuit, fratris CA-

ROLI loco Galliæ rex factus, quo facto Polonorum pars imperatorem MAXIMILIANVM, altera vero pars

33. STEPHANVM BATHOREVM, Transylvaniæ Principem, regem Poloniæ elegit, qui, ducta in matrimonium Sigismundi II. regis sorore ANNA, sine prole a. 1586. naturæ debitum reddidit. Deinde Polonorum pars Archiducem Austriæ MAXIMILIANVM, alia vero eorum pars IOANNIS Sueciæ regis filium, ex modo dicti SIGISMVNDI AVGVSTI sorore natu maxima, CATHARINA natum elegit, nempe

34. SIGISMVNDVM III. a. 1587 regio diademate insignitum. Grauia cum Suecis, Moscouitis, Turcis & Tartaris bella gessit. Anno 1620. Turcarum imperator OSMAN, adolescens quidem, sed magni animi, insignem ab eo reportauit victoriam, quo in prælio ad viginti millia Polonorum ceciderunt, 50 millia autem Turcarum. Finito prælio Turcæ in Polonorum castra irruperunt, atque aliquot millia trucidarunt, quorum in numero magnus Cancellarius & summus exercitus dux ZOLKIEWSKI fuit. Tartari eo tempore diebus 25. & 26. Septembris impetum in Poloniam fecerunt, & præter varii generis prædas sexaginta rhedas, nobilibus feminis liberisque onustas in captiuitatem abduxerunt. Numerus captiuorum a Tartaris e Polonia abductorum, quadringenta millia hominum creditur, iis, qui in prælio ceciderunt, vel fame & mœrore perierunt, non computatis, vt dictum est in nouo METERANO part. 3. lib. 38. huius tenoris: *Anno 1621. Turca per dictum bellum Polonicum propugnaculum & arcem* Chocim, *ad fluuium* Niester *in finibus Moldaviæ situm recepit. Tartari eo tempore Polonis maximum damnum attulerunt, multa millia pagorum combusserunt, ducenta millia hominum, maxima ex parte mulieres atque infantes, in captiuitatem abduxerunt, viros vero trucidarunt, vel Turcis vendiderunt. Anno 1623 Tartari in Polonia vrbes* Radini, Suinica, Livo, & Iaroslaw *incendio deleuerunt.* Rex SIGISMVNDVS III. circa finem Aprilis an. 1632. morbo consumtus, reliquit filium ex priori coniuge ANNA, Archiducis Austriæ CAROLI filia, susceptum

35. VLADISLAVM IV, quo regnante in comitiis Varsaviæ an. 1647, decretum contra Arrianos & Anabaptistas latum, vigore cuius eorum doctrina damnatur omni ex parte, non amplius in regno Poloniæ toleranda, illorumque bona fisco adiudicanda. Hanc ob causam quidam inuenti, qui eiusmodi bona tanquam abiudicata sibi expetierunt, vt in 5. parte theatri Europæi fol. 1371. b. & porro fol. 1385. b. scribitur, Arrianos a confœderatione exclusos, factos non Christianos fuisse. Pagina vero 1386, in dictis comitiis, Nobilem *Schlichtingium*, qui Arrianus librum contra catholicos edidit, proscriptum capitis, honoris bonorumque condemnatum fuisse. Rex VLADISLAUS IV. ex priori coniuge, CECILIA RENATA Austriæ Archiduce, quæ an. 1644. mense Maio, mortua, suscepit filium, an. 1640. qui denatus a. 1647. 19. Augusti, ex posteriori vero vxore ANNA GONZAGA, Mantuæ & Neveri ducis filia, nulla prole gauisus fuit. Vitæ exitum habuit a. 1648. d. 20. Maji, Merecii in Lithuania, decem milliaribus Vilna dissiti. Eodem an. d. 17. Nouembris, frater eius, ex altera SIGISMVNDI III. coniuge CONSTANTIA, Austriæ Archiducis CAROLI filia natus, nempe

36. CASIMIRVS IV, rex electus fuit, qui fratri principi CAROLO FERDINANDO, Episcopo Vratislauiensi, ducatibus in Silesia, Oppoliensi & Ratiboriensi, cessit, VLADISLAO IV. Regi, ad certum tempus pro pignore traditis. Dissidentium in religione securitatem iuramento confirmauit, & in generali regni Poloniæ priuilegiorum confirmatione eos, vt alios, tueri promisit, cum prius post VLADISLAI Regis mortem, (quo tempore Cosaci & Tartari vehementer in Polonia grassabantur, qui a tempore irruptionis & rebellionis 1214000. homines, sub quo numero octo millia Iudæorum computabantur, abduxerunt, trucidaruntque) catholici cum dissidentibus paciscerentur, vt sic dicta inter eos confœderatio, in posterum sit ius perpetuum, vim legis regni habens, vigore cuius Euangelici libero exercitio religionis vtantur, suisque ecclesiis sine perturbatione fruantur, vt legere est in relatione Francofurtana autumnali illius anni p. 46. seq.

Rex CASIMIRVS anno 1609 natus & 1649. d. 17 Ian. Cracoviæ coronatus, nuptias autem cum defuncti Vladislai Regis vidua ANNA Regina, Varsaviæ in viridario celebrauit, 30. Maji anno eodem, quæ sequenti an. d. 21. Iunii filiam, & nuper etiam filium enixa est, qui vero breui tempore post mortui sunt. Rex Casimirus anno 1651 tempore æstatis insignem a Tartaris reportauit victoriam. NO-

NOVA DESCRIPTIO REGNI POLONIÆ
ET MAGNI DUCATUS LITHVANIÆ

IN Poloniæ regno variæ antiquitus gentes nationis Germanicæ, nempe Burii, Lygii, Arii, Manimi, Elysii, Naharvali, Peucini, aliique plures, domicilia sibi constituerunt, qui partim exinde in alias regiones demigrarunt, partim a Venedis, (Germanis, WENDEN) eorum accolis, fuerunt expulsi. Quo vero tempore isti Venedi, qui posthac in Germania *Sorabi, Obotriti, Lutitii*, vel *Luzitii, Rani, Vinuli, Vilzi, Vetalabi, Retarii, Licicavici, Heueli, Vuloini* appellati fuerunt, in Poloniam atque conterminas oras penetrarint, de eo nihil certe constat. Martinus CROMERVS & Salom. NEUGEBAVERVS, autumant, Polonos atque Bohemos circa an. 430, aut paulo postea, temporibus scilicet Attilæ, Hunnorum Regis, ex Russia & Sarmatia in hasce regiones venisse, quod quidem facilius efficere potuerunt, quam si primum, vti scriptores nonnulli referunt, in Sclauoniam & Dalmatiam, longius ab eis distantes, & a Romanis tutas regiones, & inde demum huc venissent. Nomen Poloniæ deriuatur aut a planitie regionis (idiomate illius gentis *Pole* dicta) aut a venatione, cui incolæ quam maxime dediti, aut a principe Polonorum LECHO vel LACHO, fratre CZECHI, Bohemorum Principis, ita vt *Polachi*, quasi posteritas Lachi, appellentur: vti & hodierno tempore Russi & Mosci Polonos Lachos, & Hungaros LENGEL vocitant, quasi LECHEL a supra dicto Lecho, teste Cromero. Apud exteros scriptores ista denominatio ante 800. annum haud facilis inuentu est. Hocce regnum, cum prouinciis adnexis, quod ad longitudinem, inde a Marchia Brandenburgica vsque ad Moscouiam, in linea directa, ducenta & quadraginta milliaria, & in latitudine a Russia vel parte Pokutiæ vsque ad Pernauiam in Liuonia, ducenta milliaria Polonica, comprehendit, quorum vnum quatuor Italica continet, quamuis Lithuanica, Russica & Polonica, paulo sint maiora. Liuonia in præsenti, vigore tractatuum, maxima ex parte in Suecorum est manibus, ita, vt latitudo quodam modo sit diminuta. Pokutia ea regni pars vocatur, quæ inter fluuium Tyram & montes Sarmaticos sita est, referente Cromero, lib. XXX. p. 662. DAVID FROELICHIVS, Vngarorum haud ignobilis Mathematicus, tradit. P. II. Viatorii lib. I. c. 11. p. 317. seq. quod Polonia a limitibus Silesiæ vsque ad Moscouiam, occidentem inter & orientem, ducenta viginti milliaria & totidem ab extrema parte Liuoniæ, vsque ad confinia Hungariæ comprehendat, non vero memorat, vtrum Germanica, an Vngarica, quæ maxima, sint milliaria. Hoc modo limites habet ab occidente Marchiam Brandeburgicam, Pomeraniam atque Silesiam: a septentrione mare Venedicum seu Sarmaticum, cuius littora ex aduerso Sueci incolunt: ab oriente Russiam, Moscouiam, deserta Tartarica & prouinciam Turcicam Bialogrod: a meridie Moldauiam, Valachiam, & Vngariam. Exinde apparet ingens huius regni ambitus, quippe quod a montibus Sarmaticis, & Transylaniavs, que ad principatum *Tyschen* in Silesia, & exinde ad Marchiam Brandeburgicam, Pomeraniam & mare Venedicum, ab altero vero latere circa Moscouiam super Borysthenem, ad mare nigrum vsque patet, abhinc vero iterum per Moldauiam, Podoliam & Valachiam ad Transyluaniam & Hungariam dilatatur, Scepusiæ tractum comprehendens. Complectitur autem sequentes prouincias 1) prouinciam maiorem Poloniam, inde dictam, quod LECHUS supradictus Polonorum princeps, primus illam inhabitasse & vrbem *Gnesen* condidisse fertur. Fines eius a septentrione Prussia & Masouia, ab oriente minor Polonia, a meridie Silesia, & Marchia Brandenburgica, ab occidente Pomerania & Cassubia. Warta fluuius mediam prouinciam interfluit. Palatinatus eius sunt quinque scilicet Posnanienſis, vbi *Posnania* & *Miedzirzec*, confines vrbes Silesiæ, Marchiæ Brandeburgicæ, &c. Calissiensis, vbi circa *Calissium* etiam vrbes *Gnesna, Pysdri, Konin, Slupcza, & Kolo.* Siradiensis vbi ciuitates *Siradia, Vielunia, Petricouia, Szadek, Rosprza & Spicimiria*, Lancicienſis vbi *Lanticia, Bura, Orlouia, Canarca, Berestnia, Piatek, &c.* Rauensis vbi præter *Rauam, Sochaczouia, Gostynum, Gabinum &c.* Huc referunt etiam *Cuiauiensem* tractum, inter maiorem Poloniam, Pomerelliam & Masouiam, vbi principalis vrbs est *Vladislauia*, a qua prouinciam quoque appellant: continet duos Palatinatus, *Brestensem & Inouladislauiensem*, ad priorem spectant *Radzieiow, Kruszwica*, & *Kowalow*, ad posteriorem *Inowlocz*,

Bidgoſzcz & *Dobrin* ex ſententia ABRAHAMI GOELNITII, in compendio Geographico lib. II. c. 7. diſſentiente tamen P. Bertio, vti ſuo loco videbimus.

II. Parua ſeu minor Polonia, verſus meridiem montana, præſertim erga Hungariam, quum cæteri Polonici regni tractus valde plani ſint. Viſtula eam interfluit. Contermina eſt maiori Poloniæ, Ruſſiæ, Hungariæ & Sileſiæ. Diſpeſcitur in tres palatinatus, Cracovienſem, vbi *Cracovia*, *Biecz*, *Woynicz*, *Sądec*, *Lelow*, *Xyas*, *Proſowice* (quo etiam referunt Sileſiam Polonicam, duo territoria continentem, Oſuiecimenſe & Zatorienſe, quæ olim Ducatus & ab vrbibus principalibus *Oſwiecim* vel Auſchwitz, & *Zator* nomina acceperunt.) *Seuerienſem Ducatum* quidam huc pertinere exiſtimant, qui vero non hic, ſed vltra Boryſthenem Moſcouiam verſus ſitus. Cæteri palatinatus, Sendomirienſis, vbi *Sendomiria*, *Chęciny* vel Chencinium, *Borzęcin*, *Wiślica*, *Pilzno*, *Opoczno*, *Radomia*, *Polaniec*, *Zauichoſtum*, *Zarnoua*, *Malagoſt*, & *Polowicz*, inter colles; & Lublinenſis vbi *Lublinum*, *Caſimir*, *Luzow*, *Parczow*, *Urzendow &c.*

III. Lithuania, confinis Maſouiæ, Podlachiæ, Poloniæ, Pruſſiæ, Samogitiæ, Liuoniæ, Moſcouiæ, Volhyniæ & Podoliæ. Vocatur Magnus Ducatus, more Ruſſorum, vbi iſte titulus primordia cepit, & poſtea apud Lithuanos inualuit. Suis primum ducibus ſubfuit, ex quibus IAGELLO, matrimonio cum HEDWIGE Regina Poloniæ contracto, Chriſto nomen dedit, & ſacro fonte ablutus VLADISLAVS fuit appellatus, de cuius proſapia Cromerus fol. 349. & 435. exponit. Ea tempeſtate alii principes in Lithuania vixerunt, inter quos VITOVVDVS a Iagellone in tenebris paganiſmi tunc temporis adhuc verſante ſub prætextu colloquii illectus, captus & ad mortem damnatus, aſtutia tamen vxoris & permutatione veſtimentorum, viuus ſeruatus eſt. Poſtea IAGELLO ipſi tanquam conſobrino Grodnam, territoria, Breſtenſe, Drohicenſe, Bielſcenſe, Mielnicenſe, Suraſſenſe, Camenecenſe & Volciſcenſe, ea conditione dedit, vt fidelis eius cliens foret fiduciarius. Quippe IAGELLO magnus Dux manſit, conſeruans Vilnam, Polocum, Creuam, Vitepſcum, Nouogrodecum Seuerienſe, Trocchos, Kernouiam, Slonimum, Pinſcum, Luncoliam, Miecislauiam, Orſam, &c. quæ loca omnia in Lithuania ſita. Rex demum factus, totam Lithuaniam, Samogitiam, & illam, cui dominabatur, partem Ruſſiæ cum regno Poloniæ vnum in corpus iure perpetuo redegit. Sequentibus temporibus, præſertim anno 1386 alii domini, Principesque, tum Ruſſi, tum Lithuani, obſtrinxerunt ſe fidelitatis vinculo Regi & eius coniugi, HEDWIGI, totique regno. Nihilominus dictus Vitouudus, qui Regis conſanguineus erat, fidem haud ſeruauit, ſed contra eum cum ordine equitum Teutonicorum conſpirauit, donec anno 1392. denuo inter eos pax confecta, & Vitouudus, magnus Dux Lithuaniæ, ſed tanquam regni Poloniæ cliens fiduciarius, ſeu vaſallus, a Rege conſtitutus fuerit, id quod Regis frater, CORIBVTHVS Dux Nouogrodenſium Seuerianorum, aliique ægre tulerunt, quippe Ruſſicæ religioni addicti. VITOVVDVS filiam BASILIO, magno Moſcorum duci, in vxorem dedit. CORIBVTHVS a Bohemis in bello Huſſitico dux electus, quo abſente, poſt Vitouudi mortem, qui vltra 80 annos vixit, Suidrigello, Coributhi & Iagellonis frater, Lithuaniam inuaſit, cui vero Sigiſmundus, Vitouudi frater reſtitit, qui vsque ad an. 1439. quo trucidatus fuit a ſuis, magnus Dux manſit. Lithuani ſubſtituerunt in eius locum Iagellonis, Regis ſupra dicti, qui anno 1434. deceſſit, filium iuniorem, Caſimirum, qui deinde poſt mortem fratris, Regis VLADISLAI III. anno 1444. inſecutam, Rex Poloniæ ſub nomine CASIMIRI III. electus fuit, & cum Sigiſmundi filio, Michaële, qui cum Suidrigellone anno 1452. obiit, bellum geſſit. Verum enim vero Lithuania cum Polonia coniuncta manſit, & quum poſtea eiusdem Caſimiri filius, ALEXANDER, magnus dux electus, poſt exceſſum fratris, Regis IOANNIS ALBERTI, an. 1501. regnum Poloniæ obtineret, arctius adhuc Lithuania regno iuncta fuit, ita vt ab eo tempore rex Poloniæ ſemper & magnus dux Lithuaniæ fuerit. CHYTRÆVS lib. XV. Saxon. fol. 393. ſq. ait: Lithuaniam in decem palatinatus aut prouincias principaliores diuiſam, qui ſunt *Trocenſis*, vbi ciuitates, *Grodno*, *Couna*, *Lida*, & *Vpita*, Minſcenſis, vbi Boriſouia, aliaque caſtra & ciuitates ad fluuium Bereſinam ſita, Nouogrodenſis, Breſtenſis, Volhynienſis, vbi vrbs epiſcopalis Luceoria, Wlodimiria, & Cremenecia, porro Kyiouienſis, Miecislauienſis, Vitebſcenſis & Polocenſis, quarum decem prouinciarum Palatinos & Caſtellanos

nos in vnum corpus cum Polonis regem SIGISMUNDUM AVGVSTVM in comitiis an. 1569. Lublini habitis, redegiſſe, iſtisque proceribus Lithuaniæ, epiſcopis, palatinis, & caſtellanis ſuum vnicuique locum in ſenatu Regni aſſignaſſe. Sed Chytræus in ſua deſcriptione & partem Ruſſiæ ſubintelligit. *Abrahamus Gœlnitius* in compendio geographico, anno 1643. impreſſo, de Lithuania in quatuor palatinatus diuiſa commemorat, ſcilicet, in Vilnenſem, qui tractibus tribus magnis conſtaret, Oſmianenſi, vbi Oſmiana, Braclauienſi, vbi Braclauia, non longe diſtans a Duna fluuio, & Vilkomirienſi, vbi Vilkomirz prope flumen Swianta: in Trocenſem, quatuor compiectentem territoria, a quatuor ciuitatibus Grodna, Kowna, Lida, & Vpita, denominata: in Minſcenſem, vbi Minſko, vnicum tantum territorium, ſcilicet Recicienſe, ambiens, vbi oppida Rzeczki, Rakow, Lohoiſco, Boriſſow, Keidanow, Swislocz, Bodroiſko & Odrazko: & denique Nouogrodenſem, in quo Nouogrodecum, & duo tractus, a ciuitatibus Slonim & Wolkowiyſko, Slonimenſis & Wolkowiſcenſis dicti, reperiuntur. Præterea etiam principatus & comitatus in hac regione dantur, quos inter ducatus Slucenſis, a ciuitate Slucenſi nuncupatus, alios antecellit. Duces Radiuilii, Duces de Olykow, Bierze & Nieświec, Comites de Szydlowiec & Mir &c. item comites Chodkieuicii, Comites de Sklow et Miſſ, quam maxime in iſtis oris et fama et potentia atque auctoritate florent. Tribus Radiuiliis Ducibus, Iohanni Georgio, Adalberto Vladislao, et Chriſtophoro Nicolao, filiis Nicolai Chriſtophori Radiuilii, palatini Vilnenſis, *Matthæus Raderus* Soc. Ieſu, anno 1614. ſuum *viridarium Sanctorum* dicauit.

IV. SAMOGITIA, Samagitia vel Polonis *Zmudzka Ziemia*, Pruſſiæ, Semigalliæ et Lithuaniæ confinis, vt tradit *Henneberger* in libro cui tit: *Preuſſiſche Landtafel*, p. 407. vbi prolixius hanc regionem deſcribit. Antiquis temporibus Æſthii, populus Germanicus, hanc prouinciam, cum parte Lithuaniæ, Maſouiæ ad Viſtulam inhabitarunt. Domus hic loci paruulæ, oblongiores et haud eleuatæ: non raro homines cum pecudibus vnum tectum ſubeunt. In medio apud focum luculentum paterfamilias conſidet. Ad arandum non ferro, ſed ligno vtuntur. Sunt, qui nulla ibi caſtra aut oppida extare perhibent; alii nullum memoratu dignum, præter *Roſienne* ad fluuium Dubiſſam. *Dauid Frœlichius* vnicam Cauniam pro ciuitate habet in hac prouincia. Cromerus lib. XVIII. rerum Polonicarum tradit, Vladislaum Regem anno 1413. *Medniki* epiſcopatum erexiſſe, cum duodecim parochis (totidem enim ſunt diœceſes in Samogitia) qui ſimul Canonicorum loco ſunt. Idem auctor in lib. XV. refert, duos pagos Samogitiæ, Medniki et Velzani, ab hoſtibus circa anno 1390. combuſtos fuiſſe.

V. MASOVIA (Germanis *Maſuren*) inter Pruſſiam, Lithuaniam, Ruſſiam, atque Poloniam ſita, duobus palatinatibus conſtat, quorum vnus Plocenſis ad Viſtulam, alter Cirnenſis, quo pertinent Varſauia, vbi comitia Regni haberi ſolent, et *Lomze*, *Pultuſk* ad fluuium Narew et *Kamieniecz* ad Bugum. Cromerus etiam præter vrbem primariam, Varſauiam, nominat oppida, *Cirſcum*, *Rauam*, *Liwum*, *Goſtinium*, *Sochaczouiam*, *Viſkitki*, *Czechanouiam*, *Nowogrodecum*, & *Ploſcum*, addens, hanc regionem per 400. annos, ad an. 1526. vsque, ſuis ducibus ſubfuiſſe, quo Ioanne et Stanislao fratribus, Maſouiæ ducibus, morte ereptis, tota regio ad Poloniam peruenit.

VI. VOLHYNIA, a Chytræo, vt ſupra dictum, ad Lithuaniam relata. Sita eſt hæc prouincia inter Lithuaniam, Podoliam et Ruſſiam; incolæ lingua Ruſſica vtuntur: principalis eorum ciuitas eſt *Wlodimiria*, poſtquam antiquis temporibus celeberrima Kiouia, ad Boryſthenem, primas tenuit, ab eodem Chytræo etiam ad Lithuaniam relata.

VII. PODOLIA, vbi fluuii *Dnieſter*, qui eſt Tyras Ptolomæi, et *Boh* vel *Bogus*, (quem multi Hypanim, nonnulli Axiacum appellant) ſe extendit verſus Turcicum imperium et pontum Euxinum, in vicinia habens Transyluaniam et Moldauiam. In eius extremis campi deſerti ſexaginta prope milliaria German. longe lateque patent, propter inuaſiones Tartarorum. Longiſſimus ibi dies decem et ſex horarum eſt. Principaliores ciuitates ſunt *Kamieniec*, *Barum*, a Bona, Regis Sigiſmundi vxore conditum, *Chmielnik*, *Braclaw*, *Smotricia*, *Scala*, *Czerwonigrodum*, *Winnica*, *Cudniow*, & *Oczakow*, quo propugnaculo Tartari potiuntur, teſte Gœlnitio. Apud Bertium *Myedziboſz* et *Breſania* adhuc leguntur.

VIII. Russia parua aut nigra, contermina versus meridiem montibus Sarmaticis, qui Carpathi, vulgo *Karpaki & Szczpiski* audiunt, versus orientem Volhyniæ, Podoliæ et Moldauiæ, versus septentrionem Lithuaniæ, versus occidentem denique Poloniæ. Supra dictus Gœlnitius refert, quod Roxolania, quæ eadem cum Russia nigra, aut minori Ruthenia, cis Borysthenem sita, partim ad regnum Poloniæ, partim ad magnum ducatum spectet, quod Russiam Polonicam ab oriente, partimque a septentrione Russiam Lithuanicam attingat, in eaque Volhyniam et ex parte Podoliam, a septentrione Transyluaniam, ab occidente Poloniam minorem, confines habeat, quod in quinque dispescatur tractus, *Halicienſem*, vbi ciuitas Halicia ad fluuium Dnieſter, *Leopolienſem*, vbi Leopolis (Reussisch Lœwenburg, Germanis) *Præmisliesnem, Bielscenſem, & Chelmenſem*, in quibus totidem ciuitates eiusdem nominis, quod Russia Lithuanica separetur versus septentrionem a palatinatibus, Polocensi et Belscensi, ab oriente a ducatibus, Smolenscensi, et Seuerienſi, populisque Cirkassiis, a meridie a Podolia, per fluuium Bugum, ab occidente a partia Polonia et Masouia, quod contineat palatinatus, Breſtenſem, cum oppido *Breſtia* ad dictum flumen Bugum, Volhyniam (de qua supra exposuimus:: cum ciuitatibus *Lucsoria* ad Ster flumen, *Wlodimiria* ad Bugum, et *Cremenecia*, palatinatum *Kiouienſem* cum vrbe, Miecislauienſem, in quo *Miecislauia, Dambrowna, Copycz, Sklow, Molnlouia, Bychouia, Reczycza & Striſin*, Vitepscenſem cum oppido *Vitepſco* ad Dunam, et Orsha ad Borysthenem. In nouo Atlante Ioh. Ianssonii, anno 1644. edito, ita legitur: „ Quodcunque inter mare Balthicum, Liuoniam, Sueciam, mare glaciale, fluuium Volgam, siue Rha, mare nigrum, Poloniam atque Lithuaniam „ situm est, vocatur Roxolania, siue Russia, cuius pars illa, quæ trans Borysthenem ad „mare Caspium extenditur, sub Moschorum dominio est, ea vero pars, quæ cis Bo„rysthenem sita, Regi Poloniæ subest, eaque re Russia regia appellatur, comprehen„dens territoria, Leopolienſe, Halicienſe, Belscenſe, Chelmenſe et Præmislienſe, „confinis minoris Poloniæ, Masouiæ, Lithuaniæ, et Podoliæ„ Martinus Cromerus scribit lib. 1. de origine et rebus gestis Polonorum, Russorum nomen in Sarmatia longe lateque patere, omnesque terras inter sinum Venedicum, Liuoniam, Sueciam, mare glaciale, Volgam fluuium, palum Mæotidem, mare Ponticum, montes Sarmaticos, Poloniam, Lithuaniam et Samogitiam sitas, in se continere: extare affirmat Chronicon Ruthenicum, quod vero retro computando ab anno 1554. annos 700. non excedat, quia Russi post acceptam demum religionem Christianam literis Bulgarorum, paulo antea inuentis, Græcasque literas imitantibus, vsi fuerint, quibus et nunc parum vtantur. Vbi hodie Russi habitant, ibi antiquis temporibus Roxolanos sedes suas fixisse, qui, regnante imperatore Romanorum, Ottone Syluio, in vicinam Mœsiam irruptionem fecissent, et verisimile esse, eos postea, fracta Romanorum potentia per Gothos, Hunnos, Vandalos, Alanos, Longobardos, Parthos, Persas ac Saracenos, non solum dictam Mœsiam, sed etiam Daciam, Pannoniam, Dardaniam, Liburniam, Illyricum, Dalmatiam, et Istriam sibi subiecisse, Thraciam vero, Macedoniam, et totam Græciam vexasse, linguam Græcam peritus corrupisse, et, rebus ita feliciter gestis, *Slauorum* nomen, quod gloriam significet, sibi dedisse, partem huius populi, apum examinum instar versus occidentem se vertisse, a quo forte eorum nomen Germanicum *Wenden*, ortum duceret, eamque partem Germaniæ, quæ a Vistula, ad Salam, Albim et Visurgim vsque, inter montes Carpathos, Danubium et mare Germanicum extendatur, subiugasse, quia istæ regiones propter continua cum Gothis, Vandalis, Alanis, Burgundionibus, et Longobardis bella, horumque migrationes, hominibus orbatæ et desertæ erant, deinde in diuersos principatus diuisas, alia quoque nomina, siue a ducibus, siue a situ locorum, siue denique a veteribus incolis, eorumque actionibus, vestimentis vel rebus memorabilibus, duxisse.

Russi principibus propriis subiecti fuerunt, quorum vnus, *Wlodimirus*, dum viueret inter duodecim filios hunc amplissimum Principatum diuisit, ita, vt natu maximo *Viceslao* Nouogrodecum, *Stanislao* Smolenscum, *Sudislao* Plescouiam, *Vaſſiuoldo* Vlodimiriam, *Posuiſdo* Volhiniam, & sic reliquis vnicuique suam partem tribuerit. Patre e viuis excesso, circa an. 1008. bellum intestinum inter fratres ortum, in quo *Stopolcus* siue Suentopolcus, Kiouiam expugnauit, & fratres duos, *Glebum* & *Bo-*

Borislaum, postea a Russis in Sanctorum numerum relatos, astutia e medio sustulit, quam ob rem a fratre IAROSLAO, qui supra dicto Visseslao in ducatu Nouogrodensi successerit, bello petitus, victus, & ex principatu Kiouiensi pulsus, vnde ad Regem Poloniæ Boleslaum aufugit, qui, Kiouia denuo expugnata, Iaroslaum Nouogrodecum se recipientem, fugauit. Circa annum 1074. de Principe Russorum, Izaslao legitur, quod eius filii, Stopolcus Polocii & Nouogrodeci, Vlodimirus Smolensci, & Iaropolcus Vissegradii sederint. Anno 1185. MESCISLAVS Russorum princeps Haliciæ a suis veneno sublatus, quem secutus ROMANVS dux Vlodimiriæ & Haliciæ, in pugna cum Polonis anno 1205. occubuit. Quo facto, COLOMANNVS filius Andreæ, Vngarorum Regis, discordia inter Russorum Principes exorta, principatu Halicienſi, Polonis consentientibus, potitus est, id quod Russi ægre ferentes, quoniam Colomannus exterus & religioni Græcæ haud addictus, Mescislaum, qui Halicium, principatum hereditarium reuocabat, allexerunt et postea contra Hungaros atque Polonos cum eo felicibus auspiciis pugnauerunt. Quæ deinde facta sint, refert Cromerus fol. 185 sq. Quamuis vero Hungari nihil amplius in Russia possiderent, eorum tamen Reges, Galatiæ seu Haliciæ, & Lodomeriæ Reges (quam Cromerus lib. VII. fol. 186. eandem cum Vlodimiria esse existimat) se appellitare consueuerunt. Romani, cuius modo mentionem iniecimus, filius DANIEL illo tempore potentia floruit, & titulum & insignia regia per *Opisſonem*, Legatum Pontificis Rom: in Polonia, ea conditione accepit, vt cum tota sua gente ad Romanæ Ecclesiæ doctrinam accedat, regionesque Christianas contra Turcarum irruptiones defendat, quibus promissis nequaquam stetit, e contrario Polonos, Tartaris & Lithuanis sibi associatis, bello aggressus est. Huic Russorum Regi Danieli successit filius *Leo*, non tamen in regia dignitate, qui circa annum 1280 regnauit. Deinde anno 1340. Polonorum Rex CASIMIRUS II. filius Vladislai Russiam meridionalem sibi subiecit, inque prouinciam Polonicam redegit, quod hoc modo factum: Deficiente ex dicto Daniele prosapia mascula, filius GEDIMINI ducis Lithuaniæ, LVBARTVS, quod filiam ducis Wlodimiriensis vxorem habebat, eam sibi Russiæ partem arrogauit, quæ Lithuaniam attingit, quam eo felicori successu, quia Principes Russiæ, & multi & discordes & egeni erant, debellare potuit. Reliqua Russia, vbi Halicium & Leopolis, ad Boleslaum Principem Masouiæ peruenit, quippe ex Roxolana muliere natum. Ilo vero a Russis veneno necato, Casimirus Magnus, qui Russiam iure postulabat, Leopolim, Premisliam, Sanocum, Halicium, Trembouliam Lubassouiam, Tustanum, aliaque propugnacula regionis illius ad Kremeneciam vsque cepit, quem locum vna cum territoriis Vlodimiriensi, Lucensi, Belsensi, Chelmensi, & Brestensi, per aliquod tempus ducibus Lithuaniæ, affinitate iunctis concessit, qui arces etiam & castra in Volhynia, & Podlachia possidebant. Hac ratione Russia Prouincia Polonica facta, cui Rex ex instituto quod in Polonia viget, palatinos, castellanos, præfectos, iudices, aliosque magistratus præfecit, &, vt Russia iisdem cum Polonia iuribus vtatur, constituit, ad quam a. 1349. erim territoria, Vlodimirienſe, Chelmenſe, Breſtenſe &c. adiecta fuere. Rex quoque principes Russorum, qui se sponte sua dederunt, in bonorum possessionibus seruauit, principalioribus tamen locis Polonos præponens, id quod Russis æque ac Lithuanis adeo displicuit, vt Polonos exinde pepulerint. Supra hæc Casimiro Regi Hungari quoque succensebant, quod partem Russiæ, quæ Podolia audit, in potestatem suam redegerit, qua de re cum Ludouico Rege transegit. Quum vero anno 1370. decederet, Poloni, Masouitæ atque Lithuani passim quædam loca ceperunt, quæ tamen eius successor LVDOVICVS Rex Hungariæ et Poloniæ, bello cum Russis anno 1376 habito, iterum recuperauit. Hoc emortuo, Lithuani plurima loca occuparunt, præsertim Volhyniam, quæ omnia redierunt ad regnum Poloniæ, matrimonio filiæ regiæ Hedwigis, cum magno duce Lithuaniæ, Iagellone inito, vti supra de Lithuania differens dixi. Ea tempestate Smolenscenses principe suo, Suentoslao vrbantur, a Lithuanis Polonisque interemto, cuius in locum filium, Georgium suffecerunt, qui postea in Hungaria exul obiit, quo facto Smolenscum magno Ducatui Lithuaniæ tunc adiectum fuit. Kiouiæ vero illo tempore adhuc dux nomine Andreas regnabat, cuius filiam *Zoucam*, rex Vladislaus 1472. in matrimonium duxit: huius filius, CASIMIRVS III. deinde a. 1471. suasu Lithuanorum Kiouiam in prouinciam redegit, licet vltimus eius Dux SIMON

OLELCOVITVS filium et filiam, quos adhuc paruulos regi moribundus commendauit, immo et fratrem Michaëlem reliquerit. Sequentibus vero temporibus, Mosci maximam partem Russiæ albæ Lithuanis et Polonis, præsertim Michaëlis Glinscii, principis Russi, qui olim in aula regis Alexandri magna auctoritate floruisset, cæterorumque Russorum et militum præsidiariorum perfidia, iterum eripuerunt. *Ioannes*, magnus dux Moschorum an. 1506 demortuus, Lithuanis ad 70. arces et castella ademit, teste Cromero lib. XXX. fol. 668. Filius quoque eius BASILIUS propugnaculum eximium, Smolenscum, adiuuante dicto Glinscio, sub suam potestatem redegit, qui postea ab ipsis Moscis præmium infidelitatis retulit.

IX. Podlachia, inter Masouiam et Lithuaniam, in Bielscensem et Drohicinensem tractum diuiditur. Principaliores huius prouinciæ ciuitates sunt *Bielsko*, *Augustow*, *Tykoczyn & Knyssin*; quibus Bertius addit *Bransko*, *Suras*, *Narew* fluuium et *Wasilkow*.

X. Prussia, de qua, vti et de Liuonia, separatim scripsimus, propter causas ibidem citatas. Prouinciis a nobis enarratis adiungunt Podlesiam, siue *Polesiam*, quæ est Lithuaniæ pars, Volhyniæ adiacens. Siluis abundat, lacubus quoque & paludibus, qui in quibusdam locis, stagnis haud dissimiles, vnde forsitan nomen ortum est. Piscium & mellis haud parua ibi quantitas: quippe incolæ pisces in aëre siccatos in deliciis habent. *Pinsk*, *Dawidow*, aliaque loca, memoratu digna; fluuius celebrior est *Pripetius*. Refertur huc a quibusdam *Scepusium* (*Zipser-Land*) Hungaricæ ditionis, de quo, quoniam non ad Poloniam omni ex parte spectat, & nisi sub titulo pignoris ad Poloniam pertinet, in descriptione regni Hungariæ exposuimus.

Quod naturam, situm & fertilitatem harum regionum attinet, iam quædam superius memoratuimus. Dantur in Polonia multæ ciuitates & oppida, sed pauci ora muris extructa, nihil nisi ligneas domunculas, exceptis arcibus & ecclesiis, habentia. Etiam templa quandoque lignea reperiuntur, præsertim apud Græco ritui addictos. Terra frumento omnis generis, præsertim hordeo, ferax. In Podolia agri semel seminati, ferunt per duos annos fruges, & aliquando centuplices. Alii tradunt, eam terram vna per annum vice consitam tres producere messes, boumque in graminibus pascentium vix cornua conspici, glebam autem ita duram, vt plures boues vni aratro applicari debeant. Regnum Poloniæ maxime in planitie situm, nisi quod versus Hungariam magis montanum. Paludibus, lacubus, & siluis, præsertim in Lithuania, abundat, quæ in quibusdam locis fertilitatem impediunt. Propter frigus nulla vinearum cultura; sed copia fructuum omnis generis, castanearum, cydoniorum, peponum, florum, herbarum, lupuli atque pascui: pecudum ingens vis, in primis boum, quorum pars magna in exteras regiones transfertur. Quemadmodum neque ligno, montibus, aqua, thermis, stagnis, ferina, vris, alcibusque caret, ita quoque auium, piscium, ceræ, mellis, picis, salis (excepta Liuonia) & quæ sunt reliqua, potius abundantia, quam indigentia est. Inuenitur quoque plumbum argento mixtum, cuprum, argentum viuum, ferrum, &c.

Dispiciamus modo paululum Poloniæ incolas. De Germanis, qui eam inhabitarunt, superius locuti sumus. Sunt, qui Lithuaniam a Gepidis & Alanis inhabitatam fuisse perhibeant. Aliqui opinantur, Litalanum siue Litwonem, Prussiæ Regis Widovuti filium, circa annum Chr: 573. in Lithuaniam, hucusque ab Alanis possessam, venisse, eique oræ similiter atque Liuoniæ nomen a se dedisse; addunt, Liuonos olim Lotiálos siue Lotwonos appellatos. Alii tradiderunt, Italos sub eorum duce PALAEMONE, siue propter tyrannidem Neronis, siue alicuius criminis causa exules factos, siue tempore Attilæ, profugos, per varios casus, per tot discrimina rerum in hasque oras venisse. Quæ quidem opinio Lithuanis quam maxime probatur, eandemque ex eo verisimiliorum reddere student, quod non pauca vocabula Latina et Italica, Lithuanorum idiomati congruentia reperiuntur. Ex eodem quoque fundamento prætendunt, a *Palæmone* illo, &, sequentibus temporibus a *Gastaldis*, *Vrsinis*, & aliis, ipsorum nobilitatem primordia capere, ipsum nomen Lithuaniæ ex voce Italiæ corruptum esse, quod Palæmon illi regioni indiderit. Circa an. 1296. Tartari illic penetrarunt, vel a VITOLDO, duce Lithuaniæ, deuicti, vel in bellis ciuilibus & intestinis fuga sibi consulentes, vel ab eodem contra Crucigeros

ros vocati, quippe quibus in media Lithuania vltra flumen Vacam agros assignauit, quique hodie adhuc illis in oris manent, vbi œconomiam exercent, aliosque quo lubet, vehunt, aut ducunt, ad militiam quoque haud inepti inuenti sunt. Superstitioni Mahometanæ adhuc adhærentes, suis legibus viuunt, cæterum vti reliqui Lithuani, Regi Poloniæ, tanquam M. Duci Lithuaniæ, subiecti. Maxima pars incolarum Regni Poloniæ sunt Slaui aut Venedi. Multi quoque reperiuntur Germani, v. c. Vilnæ, in Lithuania, præsertim qui artes sellarias & opificia exercent, etiam mercatores, a regibus ipsis in hasce oras illecti. Dantur quædam oppida & pagi fere a solis Germanis habitati, idiomate proprio, a Silesiaco & Pruthenico non multum diuerso, in primis montes versus & Hungariam, atque in Russia, vrentes. Martinus *Cromerus* Polonorum historicus, lib. XII. fol. 311. memoriæ tradidit, Poloniam per Germanos, quos Casimirus M. adduxisset, eorumque industriam & assiduitatem præmiis affecisset, & oppidis & pagis auctam & excultam fuisse. Scilicet Germani cultiores & circumspectiores in re domestica, Polonis elegantiores quoque respectu habitationum, propterea per Poloniam iter facientes sine negotio intelligunt, vbi Poloni & vbi Germani habitant. Idem auctor addit, muros earum ciuitatum, quæ a Germanis conditæ, in ruinas concidisse, ac, simulatque Poloni eas incolere & administrare cœperint, delapsos. Poloni Germanicam linguam addiscere amant. Reperiuntur quoque apud illos quædam familiæ equestres, a Germanis oriundæ. Cracoviæ Germani proprio iure gaudent. Passim & Itali videntur. Sunt quoque multi adhuc ex priscis Pruthenis, cumprimis Russi atque Armeni, mercaturam exercentes, in Russia & Podolia: per totum vero regnum innumera vis Iudæorum, lingua Germanica loquentium. Magnis priuilegiis fruuntur, quæ ipsis, antiquis temporibus, a BOLESLAO, duce Calissiensi, concessa, & per CASIMIRVM Regem, qui anno 1370. decessit, amplificata fuerunt; hic enim Iudæam, *Esther* nomine, concubinæ loco habuerat, ex ea duos quoque filios NEMIRAM & PELCAM, & aliquot filias, quas in Iudaica religione matris educare permisit, procreauerat, ipsa per suam intercessionem toti Iudæorum genti multa emolumenta procurauit. *Iodocus Ludov. Decius* lib. III. vetustæ Polon. fol. 114. magnum istum fauorem, quo Iudæi in hoc regno vtuntur, inter causas refert, propter quas continuo a Barbaris infestetur.

Si qua differentia est inter incolas Poloniæ, non minor quoque apparet morum & vitæ generis. Plebeii apud Lithuanos admodum sunt insipidi & inertes, adeo vt tum demum dominos suos maximopere diligant, si multum ab illis vapulent. Quidam eiusmodi sortis hominum, in primis qui Russicæ religioni addicti, per mortem a dura seruitute liberati, a consanguineis eleganter vestiuntur, pecuniaque quadam, tanquam viatico, donati, literis ad S. Petrum muniuntur, vt defunctus eo facilius in cœlos introeat. Commune hypocaustum & hominum & animalium vsui inseruit: puerpera, duro scamno incubans, tribus aut quatuor diebus post partum ad labores redit. Magni habetur, si quis Lithuanorum diues super scamno, pellibus vrsinis superstrato, iaceat, quoniam delicatiora lectuum genera dedecori sunt. Matrimonia haud difficulter diuelluntur; vxoribus licet concubinos suos, tanquam adiutores coniugales, habere, sed viris vitio vertitur *alienas permolere vxores*, vt Horatiano verbo vtar. Ebrii facti rixas excitant, homicidia committunt: cædes peregrini sedecim *thaleris* mulctatur. Monetæ genus in vsu est, quod centum grossos valet, & *Rubel* vocatur. Qui ad mortem condemnatur, plerumque se ipsum debet interficere & suspendere, quod si id recuset, a domino tamdiu vapulat, vsque dum mandatum ipse funestum impleat. Plura ad Lithuanorum mores pertinentia inuenies apud Alex. GUAGNIN de reb. Polonor. *Olaum Magn.* lib. III. c. 1. *Thom. Lansium* in Consult. de Princip. &c. *Braunium* in descriptione vrbis Vilnensis, *Salom. Neugebauerum* lib. I. Rerum Polon. & *Laur. Mullerum* in hostoriis Polon. Liuon. &c. Samogetæ, quamvis lux Euangelii iam 1386. ad illos penetrarit, non ab omni tamen labe superstitiosi Deorum cultus immunes esse dicuntur, quum adhuc serpentes quosdam domesticos, eorum lingua *Givoitos*, magni faciant. Generatim loquendo Poloni sunt bellicosi, ingeniosi, nobiles inter eos ciuilitati studentes, libertatem amantes, vnde & propugnaculorum non magnam curam habent, dicentes, quod eorum pectora optima sint regni propugnacula. Nobiles æque ac mercatores, præter vernaculam linguam, Germanicæ, Gallicæ etiam, qui Hungariam accolunt, Hungaricæ, maxime autem omnium Latinæ

incumbunt, licet hanc accentu insolito enuncient. Antequam Zamoscius, supremus Regni Cancellarius tempore regis STEPHANI, in sua ciuitate noua, ZAMOSCIO ab ipso dicta, vniuersitatem cum Professoribus in omnibus facultatibus, erexisset, vnica tantum apud illos fuit Cracouiensis. Posnaniæ quoque Academia est, de qua suo loco plura. De ecclesiasticis ita *Cromerus* lib. XXV. fol. 547. scribit: Ab anno 1403, Pontificia auctoritas, in Polonia debilitata est, & electioni libe-„ræ vis allata, ita vt ex eo tempore ea sublata, vmbra modo eius quædam penes „sacra collegia remaneat, non sine grandi non modo ecclesiasticæ auctoritatis, ve-„rum etiam religionis & reipublicæ iactura &c. quæ ibi prolixius exposita. Ecclesiastici, necessitate vrgente militare & castra sequi tenentur. Variæ religiones tolerantur, sola tamen Romano Catholica, cui Rex addictus esse debet, dominatur. Numerus nobilium ingens est, & ad minimum 20000. eorum familiæ numerantur. Si necessitas exigit, Rex 150 millia nobilium, tam leuis, quam grauis armaturæ, in castra ducit, qui iussu regio, ipsis per tres *literas reßium*, intra trium mensium spatium declarato, suis sumptibus militare tenentur.

Hanc ob causam nobiles egregiis quoque prærogatiuis gaudent, quorum decor non ex principis aut comitis titulo, neque ex diuitiis æstimatur. Si acciderit, quod nobilis in bello extra fines regni captus fuerit, aut aliquod detrimentum habuerit, Rex ad eius restitutionem aut deliberationem tenetur. *Boterus* commemorat, maximum Poloniæ oprimatem non habere vltra 25000. *coronarum* redituum annuorum. Idem refert Polonos, non, vti Galli, Regem, tanquam patruelem, sed tanquam fratrem intueri. Nobiles equestrem militiam constituunt, quæ tamen multifaria est: quia inter equites Cosaci quoque seruiunt, item, Husari, sclopetarii, Cemerissi, Heyduci; de quibus æque ac de peditibus (pro quorum sustentatione subditi contributiones soluere obstricti, exceptis tamen DD magistris et studiosis) legendus *Simon Starouolscius* in libello, quem *Equitem Polonum* inscripsit. Cosacorum, de quibus mentionem fecimus, quidam sunt, qui appellitantur vulgo Zaporouienses, Græcorum cultum sequentes; hi Turcis, quibuscum limites circa mare nigrum partiuntur, negotium continuo facessunt, gens contemtrix vitæ, vnde etiam illis Cosacorum nomen venit. Maxima pars Episcopi Kiouiensis Russi dominatum agnoscit, qui illos libertate sua frui permittit. Incolunt extra limites Regni Poloniæ insulas, quas Boristhenes, seu *Dnieper*, fluuius, format. Rege Polonorum ipsos conuocante, apparendi, & sine stipendio seruiendi obligari sunt: bello ad finem perducto, solet ipsis summam argenti distribuere, etiam primoribus munera conferre. Huius instituti initium ponitur sub regno SIGISMUNDI I. Reg. Polon. quo tempore eorum Dux *Ostaphæus Daskieuicius* erat, ex oppido Ourucko. Sub STEPHANO Rege, POTKOVA, eorum Dux, rebus fortiter gestis maxime inclaruit, qui denique, saluo conductui fidens, in Poloniam venit, vbi propter ingentia Turcis, durante pace, illata damna, capite plexus est. Poloni in vniuersum ad vindictam procliuiores. Agrestos homines pro mancipiis habent. Plebs, non vero omnis, laboriosa, quam ob rem furto, aliisque male sanis artibus student. Historiola ad hanc materiam spectans legitur apud *Caspar. Henneberger*, in libro, cui titulus *Preussische grosse Landtaffel p. 232.* huius tenoris: Circa an: 1583. Nobilis cuiusdam Poloni seruum, siue scribam, Regiomonti apud Martinum Polkeinen diuersatum fuisse, qui postea reuersus hospitis sui coniugem de pecunia, quam illi tradidisse præ se ferebat, in ius vocauit, quod tamen nequaquam verum erat. In vincula propterea coniectus, iudice eum conuincente, & minitante pœnam, dixit: Esse morem in Polonia, quod is, qui pecunia indigeat, & vnde eam acquirere nesciat, quendam accuset, & testibus falsis accusatum conuincere studeat, se tantum & tot pecunias mutuo dedisse, quo facto accusatus in vincula coniiciatur & certis diebus claua ferrea crura eius percurerentur vsque dum ex satietate dolorum debitum ipsi adfictum pro vero agnoscat, & ad voluntatem accusatoris de summa pecuniarum transigat. Eiusmodi artificiis se vti voluisse, sed deficientibus testibus, non quæsita assecutum esse. *Ioh. Dubrauius* Episcopus Olomucensis, in Chron. Bohem. memoriæ refert, quod suo tempore mos fuerit, vt is eum, quem furti conuicerit, etiam suspendere, aut ipsummet se a fure suspendi permittere debuerit, quod exemplo egregii cuiusdam ac diuitis viri Vratislauiæ probat, qui hospitem suum, Polonum, qui ipsi 500. florenos abstulerat, suspendere coactus fuerit, quamobrem, postea, a Rege Polon. CASIMIRO & eius filio, VLADISLAO, Rege Bohem. & Hungar. indemnitatis documentum retulit.

Dehinc

Dehinc teste *Laur. Müllero* in Historiis Polon. lit. C, STEPHANVS Rex regni leges correxit, quasdam veterum abrogauit, quasdam immutauit, alias denique plane nouas substituit, quo referas illud statutum per quod nobilis, pro cæde plebeii aut agrestis, quamuis opera data commissa, tantummodo aliquod florenos pro mulcta soluere obstrictus erat, quod statutum deinde abrogatum pœnaque in grauiorem mutata. Magnum opprobrium habetur, si quis mendacium dicat, aut mendacii seipsum incuset, & recanat. Quoad victum & vestitum, nihil leges eorum disponunt, qua de causa etiam luxus immoderatus apud illos regnat, cui & in exteris regionibus atque academiis indulgent. Ebrietati non parum dedita gens, in primis vilioris conditionis homines, qui vino sublimato (*Brandwein*) se ingurgitant. Vnde in vigiliis exercendis, & tuendis propugnaculis paulo inertiores inueniuntur. Si quis alterum bibendo saluter, aut propiner, tunc alteri vas, vnde bibit, ad caput proiicit, siue illud ex vitro, siue ex ligno, aut terra sit. Seruus per tres aut quatuor dies absens, laudatur minimeque punitur, si tantum, in domini sanitatem se bibisse, dicat. Quod Poloni fere omnes calui incedant, paruula tantum in summo capite capillorum portiuncula relicta, quidam in magno allii & ceparum vsu quærunt, ita vt ea ratione vaporibus viam faciant. Alii dicunt, hanc consuetudinem originem suam debere religiosis instituti S. Benedicti, introductam a CASIMIRO I. Rege Poloniæ, qui familia Regia extincta ex monasterio Cluniacensi in Gallia, ad Regium solium vocatus, & ex monacho Rex factus; qua de re vid. *Casp. Plautius in noua, noui Orbis nauigatione.* Sexus femineus admodum formosus ex parte ad libidinem paulo procliuior. Insignia Regni sunt aquila alba, rostro aperto, alis expansis, cui corona imposita, vid. infra Gnesna.

Senatores Regni sunt, duo Archiepiscopi Gnesnensis & Leopoliensis, a quo pariter atque a cætero clero, ad Gnesnensem, qui est perpetuus Sedis Apostolicæ legatus, & ab hoc ad supremum Pontificem prouocationes instituuntur, 2) quatuordecim Episcopi, vti Cracouiensis, Posnaniensis, Plocensis, Chelmensis in Volhynia, Premisliensis in Russia, Camenecensis in Podolia, Vladislauiensis, Vilnensis, Kiouiensis, Luceoriensis, Samogitiæ, Varmiensis, & Culmensis in Prussia 3) triginta & octo Palatini, computatis nonnullis Castellanis & Capitaneo (quoniam a quibusdam tantummodo XXXII. Palatini numerantur) 4) triginta & vnus Castellani maioris ordinis, quinquaginta & duo minoris ordinis, de quorum atque Palatinorum, Vice capitaneorumque officiis in præfatione quædam protulimus: 5.) & decem supremi regni Ministri, qui sunt, magnus regni Marescallus, M. D. Lith. supremus Marescallus, supremus regni Cancellarius (qui anno 1646. *Ossolinius* erat) supremus M. D. Lith. Cancellarius Vice-Cancellarius regni Vice Cancellarius M. D. Lith. supremus regni Thesaurarius, supremus M. D. Lith. Thesaurarius, & duo officiales aulici, Marescallus Aulicus Regni, & Marescallus aulic. M. D. Lithuaniæ. In quibus decem officiis Cancellarius grauissimum obtinet, & semper vnus Cancellariorum Ecclesiasticus esse debet. Hi 146. primores, ex quibus totus senatus constat, tamdiu quam viuunt, dignitatibus suis fruuntur. Eorum quidam, vti Archiepiscopi, Episcopi, Palatini, quidam maiorum Castellanorum, ad secretiora consilia vocantur, reliquis exclusis. Qui præsto sunt, cum illis Rex consilium habet, absentes vero senatores non conuocantur, nisi negotia grauiora interueniant. Maxime vero in comitiis, quæ vt plurimum Varsauiæ, in Masouia, habentur, apparere tenentur, vbi etiam Nuncii terrestres, ex omnibus prouinciis selecti conueniunt, de quorum potestate insigni, quæ 1468. primordia cepit, euolui merentur *Cromerus* lib. XXVII. rer. Polon. & *Müller.* Histor. Polon. lit. FF. Sunt quoque in senatu duo exercituum duces, quorum vnus supremus Dux, alter campestris, seu Vicarius. STANISLAVS KONIECPOLSCIVS, qui obiit anno 1646. Varsauiæ, per multos annos Polonorum Dux fuit exercituum. Porro sunt officiales prouinciarum, v. c. Subcamerarii, Capitanei Vexilliferi, Dapiferi, Subdapiferi, Pincernæ, Pocillatores, Incisores, Iudices, Thesaurarii, Venatores, Stabularii, &c. in omni prouincia & tractu, in aula autem Secretarii, Notarii, (vt plurimum indocti) Referendarii, satellites denique, &c. Reginæ deinde ministri & serui, quos Rex sustentat, vidua vero facta ex dotalitio sustentare eos debet. Silentio prærerimus magistratus in vrbibus, pagis, & villis, iudicia ecclesiastica & sæcularia, quo refertur Cracouiense. Priscis temporibus vsque ad CASIMIRVM M. prouocationes ex Polonia Halam & Magdebur-

gum in Germania missæ fuerunt, eas dictus CASIMIRVS II. a. 1356. penitus aboleuit, instituto iudicio prouinciali in arce Cracouiensi, iussitque vt in posterum omnes prouocationes ibi instituantur, in vltima vero instantia ad regium tribunal, aut ad Deputatos a ciuitatibus, vel ad commissarios ablegentur. Istud iudicium Cracouiense vocatur *Iuris supremi Magdeburgici iudicium*, a quo ad iudicium sex ciuitatum, Cracouiæ scilicet, Sandeciæ, Bochnæ, Veliciæ, Casimiriæ & Ilcussiæ, in parua Polonia sitarum, in causis, quæ a ciuitatibus pagisque in Regno ibi aguntur, prouocationes fiunt. Rerum præiudicatarum ibi magna auctoritas, item, iuramenti. Hoc Regnum aliquando Romano imperio subiectum & tributarium fuisse, volunt nostratium quidam, vti *Melch. Goldastus de Heimensfeld, lib. VI. de Bohemiæ Regno c. 10*, qui dicit: *Poloniæ Regnum Imperio feudatarium & clientelare*, quod vero Polonorum scriptores nullatenus admittunt. Illud vero asseuerant, quod hoc regnum electiuum sit, cui opinioni dictus *Goldastus* quoque aduersus, ita enim scribit *Regnum Poloniæ fuit successiuum, hæreditarium in Regiis familiis, Lechia, Piastea & Iagellonia, vsque ad SIGISMUNDUM AUGUSTUM Regem postremum ex stirpe Iagellonia*„ Quæ potestatem Regiam, arctis limitibus circumscriptam, pacta conuenta siue capitulationem, coronationem, reditus, & expensas, belli gerendi rationem, &c. attinent, vide apud Cromerum, Neugebauerum, Müllerum, aliosque, in Itinerario Germaniæ, eiusque continuatione, c. 24. citatos scriptores, vbi & series Regum. Quando Rex filium impuberem, in regno successurum olim reliquit, curatores siue Procuratores vsque ad 15. ætatis annum ipsi additi, quem cum attigerit, curatoribus remotis, ipse regimen adiit, auctore Cromero lib. XXI. fol. 464. Qui hodie gubernacula imperii tenet, Rex VLADISLAVS IV. natus anno 1595, coronatus d. 27. Ian. anno 1633. Cum priore coniuge *Cecilia Renata*, Archiduce Austriæ, quæ anno 1644 d. 24. Martii in viuis esse desiit, Rex an. 1640. versus finem Mart. suscepit CASIMIRVM SIGISMVNDVM Principem Poloniæ, & an. 1646 cum ANNA, Ducissa Neuerii secundo matrimonium contraxit.

Præmissa hac succincta descriptione Regni Poloniæ, sequuntur modo principales eius ciuitates, aliaque loca, memoratu digna, quæ quidem in notitiam venerunt, secundum ordinem literarum.

ANDREOVVM (*Andreow,*) oppidum ad ordinis Cistercienſium monasterium, quod ibi est, spectans; quod Ianicus alias *Ianislaus*, episcopus primum Vratislauiensis, postea Archiepiscopus Gnesnensis, vna cum fratre *Clemente*, ex equestri Gryphiorum familia progeniti, condidit, præterque oppidum, septem pagos adiunxit, referente *Cromero*, lib. VI. rer. Polon. fol. 142.

AUGVSTOW, oppidum Podlachiæ, inter duos lacus, a Rege SIGISMUNDO AUGUSTO exædificatum, vnde & appellatio.

BAR & MIEDZIBOSZ, in paludibus Podoliæ, cum arcibus, teste *Dav. Froelichio* in viatorio Part. II. lib. 1. p. 326. De oppidi *Bar* origine, ad lacum, ex quo riuulus oritur, situm, in descriptione prouinciæ Podoliæ retulimus.

BEDGOSKY, ad flumen *Bro*, a quibusdam Germanice *Bromberg* appellatur, Cuiauiæ oppidum; ab aliis, vti Hennebergero in maiori Prussiæ mappa, ad Pomerelliam refertur. In quibusdam tabulis geographicis tanquam duo loca ponunt, quorum vnum *Bidgostia* alterum *Bromberg*. Cromerus lib. XIII. refert, tractum Bydgostiensem antiquitus Vissegradensem audisse.

Belz, *Zidaczow*, *Rohatin*, *Lubaczow*, *Rubiefzow*, *Grabowiec*, *Thyssowice*, *Chelma* (vbi sedes episcopalis,) *Krasnostaw*, *Ratno*, *Sambor* & *Sanok*, laudatus noster Hungarus, Frœlichius vocat oppida, in Russia meridionali, minori, siue rubra, inter paludes sita, cum arcibus haud spernendis, munita. *Cromerus* lib. XIII. p. 330 tradit, anno 1376. Regem Hungariæ & Poloniæ LVDOVICVM, bello in Russia gesto, Chelmam, Grabouecam, Grodlum, Seuolosum & Belzam recuperasse. Alia quoque Chelma prope Cracouiam & Osuiecimium in minori Polonia reperitur.

BELZIC & Leſznic, scholæ Euangelicorum, teste *Frölichio* celebres reddunt.

BENSZIN, oppidum minoris Poloniæ, ad riuum Brendnicz & prope fines Sileſiæ, ex oppositio *Beuten*, situm in via Vratislauia Cracouiam.

BIECZ, ciuitas minoris Poloniæ, in confiniis Hungariæ, 15 milliaria distans a Cracouia, in amœnissima planitie sita, muro circumducta, quem fluuius *Rapa* ex cuius spuma sulphur conficitur, alluit. Habet proprium suum Castellanum. Terra

ra fructibus fertilis teste *Geo. Braunio* in P. VI. Theatri vrbium. Locus cæterum satis munitus. *Cromerus* asserit, nomen Biecz Hungaricæ potius, quam Polonicæ originis esse. Confer *Sandecium* infra.

BIRZE, in limitibus Liuoniæ, Semigalliam versus, vna cum Dubinski ad duces Radzivillios, pertinet. Pro principaliori Lithuaniæ propugnaculo habitum, cessit tamen conatibus *Gustaui Adolphi*, Regis Sueciæ, qui illud an. 1625. obsedit & expugnauit.

BLONIE, satis magna, sed tota quanta lignea ciuitas, quatuor milliaribus a Varsauia distans, vt *Adrianus Romanus* in theatro vrbium, p. 260 perhibet.

BOBOVA, *Grzibow*, *Zakliczyn*, *Voinica*, oppidula Poloniæ exigua, auctore laudato *Frölichio*.

BOCHNIA, Bochna, ciuitas, 5. milliaria a Cracouia distat, quæ an. 1252. quum salinæ ibi reperirentur, pagus erat. Sal, quod ibi sub terra maximopere profunda exscinditur, & tum hominum, tum equorum ope extrahitur, clarum & perlucidum maxima ex parte instar crystalli, est, & durum, tanquam saxum; adeo vt ex eo ingentes columnæ conformentur, quæ cauernas in iisque habitatiunculas, imo oppidum, quod superædificatum, adiacentesque viculos sustineant, quoniam hæ salinæ longissimo tractu se extendunt. Ex aqua, quæ ex scaturigine subterranea prouenit, sal album coquitur, vti *Cromerus* lib. IX. p. 223. refert. *Frölichius*, Bochna & Vieliczka „inquit, ob salinas celebria oppida, quorum fundamenta instar cuniculorum sunt per„fossa, ideo habitationi minus tuta „ P. *Bertius* in descript. Polon. p. 444. seq. satis diffuse de ambabus salinis, Bochniensibus, atque Vieliscensibus exponit. Anno 1447. hæc ciuitas combusta. Bochna tunc temporis in numero sex ciuitatum minoris Poloniæ fuit, quæ in supremo iudicio Cracouiæ sedem habuere, a quibus non amplius prouocari potuit.

BOLESLAVECIA arx territorii Vielunensis, vt quidam refert. Cæterum *Boleslauia* quædam prope Vielunum, in confiniis Sileſiæ ad flumen *Prosna*, oppidum nuncupatur.

BORISSOW, Lithuaniæ oppidum, cum arce, ex quercinis lignis fortissime constructa, paludibus circumdata contra Moscorum irruptiones milite præsidiario munita, vt *Frölichius* tradit.

BOZENTINVM, arx & oppidum, a *Bozenta* Episcopo Cracouiensi denominatum, vt vult *Cromerus* lib. XII.

BRABOW, oppidum, ad flumen *Prosnam* siue Prausnam, inter ciuitates Oels & Wartam, in Polonia maiori adhuc, sed in confiniis Sileſiæ, in via, qua iter Vratislauia Varsauiam, situm.

BRANSKO, oppidum Podlachiæ, quod flumen *Nur* alluit: ibi iudicia regia celebrantur, vt Froelichius refert.

BRASLOW, *Brzezana*, *Chmielniec*, *Vinnica* & *Dzwinogrod*, oppida lignea cum arcibus ligneis, in Podolia, auctore Frölichio: qui in Lithuania quoque ciuitatem ponit, cui Bratislauiæ nomen, de qua commemorat, quod arcem, in rupe, prope lacum, exstructam habeat. Apud Cromerum legitur, Braclauiam istam in Podolia, oppidum & arcem, an. 1432. a Theodoreto, siue *Fedrone Ostrogio*, valentissimo Russorum duce, qui a partibus Suidrigellonis, Lithuaniam inuadentis, stetit, flammis consumtam esse. Circa an. 1463 Cromerus de Braclaw, tanquam vrbe Lithuaniæ, mentionem facit.

BRESINA, *Korczin*, *Urzędow*, *Lukow*, *Parkow*, *Roscien*, *Sądec*, *Rosprza*, *Orlouia Piątek*, *Radziciow*, *Lewartow*, *Goſtin*, *Raczyąż*, *Srenſko* & *Raczanow*. loca paludosa sunt, teste laudato nostro Hungaro, Dav. Frölichio, part. II. Viatorii, lib. I. p. 323. maximam quoque ad partem arcibus & fluminibus prædita.

BRESTE, ciuitas Lithuaniæ, quam CASIMIRVS I. Rex Poloniæ anno 1182. cum tota vicinia sub suam potestatem redegit. Duodecim dies in obsidione ciuitatis consumsit, deinde arcem lateritiam apud illam erexit. Sita est ad limites Podlachiæ et Poloniæ, et alluitur fluuio Bugo, qui, et stagna circumiacentia, illam quodammodo munitam reddunt. Antiquitus, et eo quidem tempore, quo, vt diximus, Casimirus illa potitus, sub Russorum dominatione fuit, sub quam denuo redire debuit, quoniam Casimirus M. siue III. illam an. 1349. iterum expugnauit, quod Lithuani quoque ægre ferentes, locum huncce adgressi, deditione ceperunt.

Consortio denique *Iagellonis*, cum tota Lithuania, ad Poloniam peruenit. Quamuis enim ea tempestate dux *Vitoudus* illum tenebat, Iagello an. 1390. cum Camenecia, et Grodna, eum occupauit, quia Vitoudus Teutonicorum equitum partes sustinebat, nihilominus tamen ipsi iterum postea restituit. Post Vitoudi et ante Iagellonis excessum, qui an. 1434. sequutus, huius frater, SVITRIGELLO, inuasione in Lithuaniam facta, anno 1433. hanc Brestiam, sed frustra obsedit. An. 1505 comitia Lithuanica hic habita sunt.

Alius locus huius nominis, in Cuiauia datur. Hanc ciuitatem equites Prutheni an. 1332. per trium mensium spatium obsidione cinxerunt, et postremo per deditionem acceperunt, vetere ciuitate penitus deleta, in munitiori loco, stagnis et paludibus circumdatam nouam exædificarunt. Ad hanc Brestiam, siue Brzestiam Cuiauiensem, referunt *Radzieiouiam*, *Cruuicium*, et Cowaiam, siue *Coualouiam*. Legimus apud *Laur. Müllerum* in historiis Polonicis, quod Tartari, regnante in Polonia STEPHANO, grassantes ad *Russicum Brieste*, et ad 18. miliaria viterius venerint, et quod in eo loco dictus Rex, vt Turcis gratificetur, ducem Cosacorum (ita vt eius antecessorem, Potkouam) detruncare iusserit. Quod Brieste probabiliter Lithuanicum istud Breste esse videtur, quod a nonnullis Breste Russicum, item Briesti et ab Adriano Romano Brestia vocitatur, et quod magna sit ciuitas, ad confinia Lithuaniæ, versus Podlachiam, cum arce haud parua, sed lignea (in quo fallitur) duabus aquis circumdata, commemoratur. Iter facientes Cracouia, Sandomiria, et Lublino, Vilnam, huc venire necesse habent.

BVSCVM, Iodocus Ludouicus Decius SIGISMVNDO I. Regi a literis, lib. III. de vetustatibus Polonorum, fol. 113. memoriæ tradidit, an. 1516. Tartaros Russiam inuasisse, ingentem vbique perniciem et cladem intulisse, vltra 50000 hominum in seruitutem abduxisse et denique, praeter ipsorum morem, ciuitatem Buscum expugnare tentasse, specie facilitatis forte seducti, quod, propter aestiuum calorem, paludes, quae ciuitatem quodammodo muniunt, exsiccatae erant. Suburbiis vero flamma adposita, ciuitas contra illos conseruata fuit. Hoc Buscium dubio procul illud Buscum est, quod mappae geographicae non procul a Leopoli, Russiae metropoli, ad fluuium Bugum exhibent.

BIELSKO, Byelsko, caput Podlachiae, ad flumen *Bialam*, ligneas domus habet.

CALISSIVM (Kalisz) vrbs et caput Palatinatus, ad quem etiam Gnesna, Pysdry, Wartha, Naklo, Lauda, Konin, Slupcza, et Kolo referuntur, in maiori Polonia, non tam arte, quam situ et fluuio *Prosna*, qui in magna planicie se extendit, munita. Hic Miecislaus, cognomento senex, qui terna vice in Polonia regnauit, et an 1202. decessit, in templo S. Pauli, quod aedificauit, et Canonicorum collegio exornauit, inhumatus, quum postea vrbs et templum in alium locum transferretur, sepulcrum regis sub Ioue libero substitit. Anno 1270. dicitur hic loci vacca progenita esse, cum duobus capitibus caninis, et septem pedibus vaccinis; et quidem maius caput suo loco, minus vero apud caudam; cuius cadauer canes auesque abhorruerunt, vt narrat Cromerus lib. IX. fol 238. An. 1284. Dux Vratislauiensis HENRICVS arcem cepit, proditione Sendiuogii praefecti. Vrbs, paulo ante flammis, fortuito ortis, extincta. Quod arx capta fuerit, occasionem praebuit dux Praemislaus, qui, Polonia per longum temporis spatium regia dignitate orbata, anno 1295. Rex denuo declaratus fuit, quique coniugem suam Lucardiam, innocentem interficere iussit, ipse tamen, iam Rex factus, insidiis Marchionis Brandeburgici vitam quoque amisit. Idem Nosocomium in suburbio extruxit. An. 1306. Lithuani vrbem, cum oppido propinquo, Stanissin (in mappis male Estafilschin) combusserunt. An. 1331. Crucigeri duabus vicibus, frustra, nec sine suorum detrimento, hunc locum obsederunt. Dav. Frölichius p. II. Viatorii lib. I. p. 322. sq. discrimen facit inter Calissa, et Calisav, vtrumque in Polonia, et Calissaw Collegio Soc. Iesu clarum esse, adiungit.

CAMENVM, Kamin, oppidum et arx Archiepiscopi Gnesnensis, quae ipsi, cum oppido Queciscouo, post mortem LUDOVICI, Regis Hung. & Poloniæ, erepta, hoc deuastatione, illud deditione; partes nimirum ducis Masouiae tuebatur, contra relictam Regis filiam HEDWIGIN.

CAMENECIVM, (*Kamieniec*) hoc nomine veniunt diuersae Poloniae ciuitates.

Vna in Masouia, in via Varsauia Grodnam Vilnamque ducente, prope fluuium *Bugum*, altera ad flumen *Ilsnam*, in Podlachia, quo veniunt Cracouia Vilnam iter facientes, quippe post Brestiam: tertia denique in Podolia, sedes episcopalis; iudicia ibi quoque terrestria. *Ioh. Micrælius* lib. VI. de situ et incolis Pomeraniae ita scribit: qui *Caminum* in Pomerania a Camieniecio in Polonia non distinxerunt, quod postremum a domo lapidea (Kamienica) denominationem acceperit, etiamque sede episcopali clarum sit, sibi persuaserunt, Caminum Archiepiscopo Gnesnensi subesse, quod tamen de Camieniecio intelligendum. Quod attinet Camenecium, siue Clepidauam in Podolia, haec ciuitas in rupe sita, pro inexpugnabili habetur. Arcem habet, & quia iam Moldauiae finibus proxima, inde ad Leopolim 30. miliaria grandia numerantur. A Dacis adhuc fertur conditum, antequam Bastarnae populi Germani, sedes suas hic fixerant, qui, cum Gothis in militiam proficiscentes Slauis illas dereliquerunt, a quibus hodierni incolae proueniunt. Vid. Frölich. lib. III. P. I. Viator. p. 216 sq. Camieniec Podoliae, inquit ille, diuina fere „manu inter arduas clinosasque rupes condita, hinc inexpugnabilis censetur, ac „ saepius ab ea Tartari, Walachi & Turcae, cum ingenti strage & dedecore repulsi „sunt „ quae reperit lib. I. Part. II. p. 326. addens: arx illius etiam rupe petrosa „vndique cincta est. Conf. Romanus p. 265. *Cromerus* in serm. funeb. Sigismundo I. R. Polon. habito, dicit, hunc Regem arcem hanc, itemque arces, Leopoliensem, Sandomirienſem, Corcinensem, Vilnensem & Cracouiensem reparasse & munisse.

CASIMIRIA, (Kazimirz) oppidum minoris Poloniae, rupibus prope Vistulam insidens, vna ex illis ciuitatibus, quae iudicium supremum Cracouiense constituit, vnde prouocari nequiuit. Apud Cromerum aliud Cazimirum habetur, quod vna cum Szamotuli, vtrumque ad nobiles spectans, tempore interregni, obitum Ludouici, Regis Hungariae & Polon. insequuti, spoliatum fuit.

CAVNVM, (Kowno,) ciuitas Lithuaniae, quae a Germanis Lithuanisque promiscue habitatur; satis grandis. Ibi Vilia amnis, magno fluuio *Nemeno*, qui antiquitus Chronon audiebat, se immiscet. Circa an. 1391 aut 1392 Crucigeri Prutheni irrito ausu illam obsederunt. *Paul. Oderbornius*, scriptor rerum gestarum Ioh. Basilidis, magni Moscorum ducis, huius loci sacerdos fuit.

CECHANOVIA, oppidum Masouiae, an. 1337. a Lithuanis expilatum.

CHENCINY, oppidum, argentifodinis & lapide lazuli celebratum. Arx rupi innixa, teste Frölichio. Apud Cromerum eiusdem denominationis locus habetur, vbi Vladisl I. Rex Polon. anno 1331. comitia habuit.

CZYRKASSI, ciuitas Volhyniae, ad Borysthenem.

CLECICVM, *Costrinum*, Srodam & Pobediscos, oppida, milites Teutonici ordinis an. 1331. depopulati sunt & combusserunt, ne templis quidem & monasteriis parcentes.

CLESCVM, (Kleczk) ciuitas Lithuaniae, non procul ab origine Nemeni fluuii.

CLOBVSCVM, oppidum, a duce Ioanne de Ozwiec an. 1457. expilatum & exustum, vt Cromerus perhibet. Forsitan idem cum Clobuczko, in confiniis Silesiae inter Boleslauiam & Cracouiam, sito.

COLVMNIA oppidum minoris meridionalis, siue rubrae Russiae, propter sal, quod ibi coquitur, haud ignobile, quod Frölichius testatur.

CONIN, Konin, oppidum, cum toto suo territorio ab Ord. Teuton. equitibus an. 1331 deuastatum, qui tamen apud lacum Nezamyslo, et oppidum Glussin haud leue damnum accepit. Situm est ad Wartam, inter Pysdri & Kamin, in maiori Polonia, & quia a flumine circumdatur, non nisi super pontes, eo peruenitur. Nec arce caret.

CORCIN, Corcinium, noua ciuitas lignea, cum arce murata prope fluuium Vislocam, in paludibus, vti in p. VI. Theatri vrbium *Geo. Braunii* habetur. Mart. Cromerus, qui an. 1589 diem supremum obiit, lib. XX. fol. 451. tradit, Corcinium etiam nouam ciuitatem Poloniae appellari. Chartae geographicae hunc locum non prope Vislocam, sed prope Vistulam ponunt, inter Cracouiam & Sandomiriam, & citatus Braunius ad posteriorem Palatinatum quoque retulit.

COSTENVM, Kosten, oppidum Silesiae Polonicae, in districtu Frausta dien-

ſi, verſus magnam Glogouiam, olim ad Sileſiam pertinuit, an. 1332. Poloni oppido, per deditionem, & arce per vim potiti, & ab eo tempore iſte in ſtagnis & paludibus ſitus locus in eorum manibus eſt, inquit Cromerus, lib. XI. fol. 297. *Cureus* habet an. 1333.

CRACOVIA, Krakow, Cracau, vrbs capitalis non ſolum minoris Poloniæ, vbi ſita eſt ad fluuium Viſtulam, ſed totius Regni (Bertius ipſi ſubiicit oppida Biecz, Woynicz, Sandecz, Lelow, Kzyaz & Proſzouice:) diſtat a Poſnania circa 50. totidem a Leopoli, a Lublino 36, a Vratislauia totidem, a Varſauia 40. a Gedana 80. a Vilna 100. & a Sandomiria 22. milliar. Polonicis. Varii ſcriptores v. c. *Lundorp.* lib. XXVII. Contin. Sleidani p. 690, *Chytræus* Saxon. lib. XXVIII. fol. 791. *Braunius* Theatr. vrb. Tom. VI. & *Frölich.* lib. I. P. II. viatorii, p. 319. de illa expoſuerunt, ex quibus pauca deprompturi ſumus. Scilicet ſunt ex illis, quibus etiam *Cromerum* lib. II. rer. Polon. fol. 29. & *Goldaſtum* lib. III. de Regno Bohem. c. 12. adnumeres, qui aſſerunt, *Cracum* (ſiue Crachum) Bohemorum ducem, Cechi, Lechique, in vtroque principatu, Bohemiæ nimirum & Poloniæ, ſucceſſorem, hanc vrbem in ſiniſtra Viſtulæ ripa, loco quippe, vbi prius habitauerat, condidiſſe, & a ſuo nomine Cracouiam nuncupaſſe; & quum in colle *Vauel*, qui ea tempeſtate Viſtulam ab vrbe ſeparabat, arx acceſſerit, eum Gneſnam, ab eius anteceſſore Lecho conditam, reliquiſſe, & tunc hunc locum caput totius regionis conſtituiſſe. *Goldaſtus* quoque opinatur, hanc vrbem ex eo tempore Bohemis ſubiectum fuiſſe, vsque dum MESCO, dux Polonorum, dominium huius vrbis obreptitie acquiſierit, adiungens, quod ducatui Cracouienſi & Sandomirienſi, minoris Poloniæ nomen tunc temporis impoſitum fuerit. Hæc vrbs a paruis & ignobilibus initiis, fauore & adiumento Principum, Regumque ad tantum magnitudinis, dignitatis atque ſplendoris culmen accreuit, vt tam reſpectu murorum, turrium, ædificiorumque tam publicorum, quam priuatorum, quam etiam intuitu, opulentiæ & abundantiæ omnium rerum, non ſolum ad vitam neceſſariarum, ſed etiam ad voluptatem & luxum pertinentium, inſuper ratione vrbanitatis atque comitatis habitantium, quorum ingens numerus, cum celeberimis Germaniæ, Galliæ atque Italiæ vrbibus in diſcrimen veniat, inter reliquas vero Poloniæ (& vt Cromerus vult, totius ſeptentrionalis plagæ) vrbes facile principatum obtineat. Ipſius conditor, Cracus, ex oppoſito Cracouiæ & Viſtulæ, in monte *Laſſotin*, alias *Renkauka*, in tumba ad formam collis exaggerata, inhumatus quieſcit; quæ, hodie adhuc extat, non procul a S. Benedicti ædibus, vti *Cromerus* teſtatur. Alia eiusmodi tumba, ſiue collis, prope vrbem ſpectatur, in qua illius filiam, virginem valde celebrem, quæ VENDA nominabatur, repoſitam eſſe dicunt. Secundum Polonorum narrationes, hæc virgo, vt virginitatem illibatam ſeruaret, ex ponte in Viſtulam ſe præcipitem dedit, id quod tamen, cum multis aliis, fabulis adnumerat *Phil. Cluuerius*, lib. III. antiq. Germ. c. 44. Pro commento quoque habet *Cromerus*, quod *Wencesl. Hagek*, iſtum, de quo diximus modo, Cracum, filium faciat Lechi. Cromerus ponit exſtructionem huius vrbis in an. Chr. 700. *Petro Apiano* videtur eſſe Carrodunum Ptolomæi. *Rundiſſa*, flumen, (ita Daniel Cellarius in ſpeculo Geograph. in dicto Theatro illud appellat) ſiue *Rudaua* Cromeri, vrbem circumfluit, per eamque & in eam ducitur. Sita eſt ſub 42. gradu longitudinis, & ſub 50 cum dimidio gr. latitudinis, quum longiſſimi æſtiui dies 16 cum parte octaua horar. ſint. Aër valde purus & ſalubris eſt. Territorium non ſolum amœnum, ſed etiam frumento, fructibus, auro, argento, cupro, ferro, calamite, ſale, marmore, aliisque mineris fertile. Vnde ingens commercium ab indigenis perinde atque a Germanis, Italisque mercatoribus ibi frequentatur, ad quod negotium fluuius Viſtula maximopere illis inſeruit. Neque aqua viua, ex terra ſcaturiente, caret. Vrbs a quibusdam in tres deſcribitur partes, quod totidem prætoria & iurisdictiones habet: ab aliis in quinque. Prima eſt ipſa vrbs Cracouia ſub arce regia, ab vno latere verſus meridiem reſpiciens vrbem Caſimiriam, a qua interlabente Viſtula ſeparatur, ei tamen adhærens ponte ligneo, qui amnem ſternit & vtramque vrbem coniungit. Multis cœnobiis, templis, aliisque ædificiis ſacris exornata, medium locum occupat *S. Mariæ templum* primarium, plumbo tectum, & duabus turribus admodum altis ſuperbiens, quod Presbyterum vel Archiſacerdotem infulatum & clerum habet multo copioſum. Ei adiunctum

adiunctum eſt *S. Barbaræ oratorium*, ac porro *SS. Trinitatis* eccleſia, a qua non longe abeſt celebre illud *PP. Prædicatorum cœnobium*, cernitur quoque *Soc. Iesu templum*, an. 1597. in SS. Apoſtolorum *Petri & Pauli* honorem extructum; item, maius Minoritarum *S. Franciſci templum* cum conuentu, in quo *B. Salomæa*, Haliciæ Regina, Boleslai Pudici, Poloniæ Ducis, ſoror, quæ *templum* SS. *Andreæ* in eadem vrbe condidit, ſepulta iacet. Hoc ſedilibus inſigni artificio conſtructis memorabile eſt. Proximum eſt *templum Omnium Sanctorum*, cui *S. Iacobi* cum ſpatioſo xenodochio & altero *S. Spiritus* huic vicino, ac magnis reditibus diuite, ſuccedit. Reliqua templa ſunt *S. Marci*, iuxta *S. Stephani* cœnobium, *S. Annæ*, *S. Ægidii*, *S. Mariæ Magdalenæ* & plura alia. In medio foro ſacellum admodum vetuſtum conſpicitur, in quo ipſa vrbe veruſtiore, olim S. Adalbertus Polonos Chriſtianam religionem docuit, hodierno autem tempore conciones haberi ſolent. Porro vrbs hæc nouo quoque templo, nouoque foro decoratur, in quo medio curia litibus & iudiciis publicis inſeruit, altiſſima turri quadratis lapidibus eleganter extructa, ſe extollens, quæ etiam longe admodum ab vrbe remotis in oculos incurrit. Altera pars *Caſimiria*, ad meridiem conſtituta, Regi CASIMIRO M. conditori ſuo nomen debet. Nobilitatur *templis S. Corporis Chriſti*, Regularium Canonicorum Ord. Auguſtini, *S. Catharinæ*, *S. Stanislai* Martyris, in rupe ſito (quod ſingulis diebus Veneris a populo deuotionis cauſa frequentatur) & *S. Laurentii*. Cromerus lib. XII. fol. 306. miraculum quoddam extra vrbem Cracouiæ, apud pagum Bubalo vel Bauolo, contigiſſe narrat, quo dictum Regem CASIMIRUM permotum an. 1374. templum illud Corporis Chriſti ſumptuoſum ex lapidibus cœctis excitaſſe, magnumque poſtea circa illud ſpatium, muro circumdediſſe, ibidem deinde vrbem ſurgentem ab ipſo nomen ſibi adiciuiſſe, & eam alio quoque monaſterio Eremitarum Auguſtinienſium ab eodem ornatam fuiſſe. Fol. 318. refert ciuitates, quos præter hanc nouam ſuam vrbem, muris circumdederit, nimirum Veliciam, Scauinam, Ilcuſſum, Bendinum, Lelouiam, Sendomiriam, Visliciam, Sydlouiam, Radomiam, Opocznum, Vauelniciam, Lublinum, Caliſſiam, Pisdros, Stauiſſinum, Vielunum, Coninum, Petricouiam, Lenciciam, Ploſcum, Inoulodum, Leopolim, Sanocum, Croſnam, & Cichouum. Idem Rex in hac noua vrbe Caſimiria an. 1361. Academiam inſtituit, permiſſione a Papa Vrbano V. impetrata, quam Iagello ſiue Vladislaus II. cum vxore ſua Hedwige, quæ teſtamento ſuo eidem ſplendida legata contulit, & an. 1399. diem ſupremum obiit, circa an. 1401. tandem ad perfectionem deduxit. De ea Mart. Cromerus lib. XVI. fol. 370. ita ſcribit: „ Per hæc ferme tempora (an. 1401.) Academia Cracouienſis, ex teſtamento HEDVIGIS Reginæ & cumulatiore liberalitate Regis condita eſt, dnæ domus „ſiue collegia excitata, alterum Philoſophis, & Theologis in platea, quæ Iudæorum „tunc, nunc D. Annæ nomine nuncupatur; alterum Ictis & medicis, qua ex vrbe „ad arcem itur, accitique magiſtri & Doctores omnis generis e Pragenſi Academia, „cenſusque his in perpetuum attributi a Rege e Salinis & telonio, & adiuncta omnia „ſacerdotia apud D. Floriani, præter præpoſituram, vt vocant „ De ſtatu huius Academiæ an. 1617. ſequentia inueniuntur in P. VI. Theatri vrbium *Geo. Braunii* „ „Rector vniuerſitatis omnibus perſonis eidem inſertis imperat, ipſaque vniuerſitas „multis iiſque inſignibus immunitatibus gaudet. Octo Iurisconſulti Collegium ſu„um habent in platea, quæ ad arcem ducit. Theologi & Philoſophi duo Colle„gia poſſident, in quorum maiore, diuerſis domiciliis & inſigni Bibliotheca inſtructo, „ XIX, in minore XIII Profeſſores Philoſophiæ. Medici partim in priuatis, partim „in publicis ad Academiam pertinentibus ædibus habitant. Omnibus vero Profes„ſoribus honoraria ex Salinis & vectigalibus ſoluuntur. Dialectica, Matheſis, Phi„loſophia, & Theologia, apprime eloquentiæ ſtudium, ſumma cura excoluntur & „tractantur. Caſimiriæ verſus orientem adhæret Iudæorum ciuitas, iisdem inclu„ſa mœnibus, in qua, tanquam in peculiari loco, ſegregati Synagogam ſuam habent, „Palatini patrocinio tutis, iudex Chriſtianus ipſis præpoſitus. Inter arcem vel vr„bem Cracouiam ac pontem intercedit *Stradomia*, municipium, in inſula, quam efficiunt Viſtula & Rudaua, fluuii, hic vno, ille tribus eam alluens lateribus. Templa in eo ſunt S. Bernardi, S. Agnetis, cum monialium cœnobio, S. Hedwigis cum celebri xenodochio pro decrepitis aut calamitate aliqua ad paupertatem redactis ſenibus, & S. Sebaſtiani cum ſimili xenodochio. Verſus ſeptentrionem ante Cracouiam tertia ciuitas, aliis, ſuburbium *Clepardia*, nullis mœnibus cinctum, præſertim

S. Floriani templo insigne. De eo Cromerus lib. VI. fol. 169. tradit, quod Poloniæ Princeps Casimirus a summo pontifice Lucio III. S. Floriani martyris reliquias impetrauerit, easque recondiderit in Cracouiæ suburbio ad septentrionem sito, postea in vrbis formam redacto, ac iam Clepardia nominato, templum etiam eam ob rem magnifice ædificarit, in quo, insignibus pro sacerdotibus adiectis ornamentis, ac supellectile sacra admodum pretiosa donata, collegioque Canonicorum fundato, dictas reliquias adseruarit. Cætera Clepardiæ templa sunt S. Simonis, & Iudæ cum xenodochio, S. Philippi & Iacobi, S. Valentini, cui xenodochium quoque adiectum, S. Nicolai cum monasterio, ac tandem extra vrbem palatium episcopale. Qua Cracouia proprie dicta occasum spectat, prope portam sutorum, suburbio præcincta est, a coriariis nomen mutuante, & oculis subiiciente S. Mariæ in arena, Carmelitarum, & S. Petri, templa. Populosum superiori sæculo, & maxima ex parte Germanis, qui adhuc proprio suo magistratu ac iure municipali gaudent, refertum. Incendio maximæ suæ partis iacturam fecit, quum an. 1587. Cracouia ab Archiduce Austriæ, MAXIMILIANO in Polonorum Regem electo, obsidione cincta esset. Hodie amœni & pulcri horti hic reperiuntur. Extra Cracouiam & dictum coriariorum suburbium offert se villa regia, quæ *Lobzouia* nominari solet, amœnissimis hortis, spectabilibus ædificiis exornata, & muro septa, in qua Rex, quando Cracouiæ commoratur, frequens est, & cum Senatoribus consilia init. E regione S. Leonhardi templum cum monasterio, neque procul abest sacellum S. Emaus & S. Margarethæ templum. Arx Regia versus Vistulam & Stradomiam scopulo aut colli insidet, *Vauel*, dicto, præcipitio prærupto se ad flumen declinanti, & molli decliuitate ad vrbem descendenti; spatiosa, vrbi quam arci similior, splendida, muris, turribus & propugnaculis probe munita, præsertim S. *Stanislai* templo superbit. STANISLAUS olim hic episcopus, BOLESLAI II. Regis Pol. vitam probrosam sæpius perstringere solitus, tandemque Regem a sacri cœtus communione exclusit. Rex ira commotus, eum an. 1079. d. 8. Maii in S. Michëlis templo supra Vistulam, præcipiti, & arcem intuenti rupi imposito, interfecit, an. postea decimo in medio templi S. *Stanislaus* sepultus. Memoriæ traditum est MIESLAUM, Miesconem, aut MIECISLAUM, primum Poloniæ ducem Christianum, qui a. 999. vita functus est, pulcherrimum templum arci contiguum condidisse, & an. 966. dignitate Archiepiscopali exornasse, quæ tamen postea in episcopalem mutata fuit. Episcopatum autem BOLESLAUS V. cognomento Pudicus, an. 1279. multis beneficiis & immunitatibus donauit, omnesque personas ecclesiasticas ab omnibus vectigalibus aliisque eiusmodi tributis, ducibus Poloniæ soluendis, vt & iudicum & magistratuum publicorum, ipsorumque Ducum iurisdictione liberauit, & vt Episcopus in terris suis, quarum eo tempore multæ, & oppidum *Seuerum* in earum numero, iurisdictione ac iure ducali vtatur, expresse constituit. Ante illud tempus autem, *Fulco* vel *Pelca*, an. 1207. vita functus, pro se suisque successoribus ab INNOCENTIO III. P. M. proximum in consessu publico post Archiepiscopum Gnesnensem, locum iam obtinuit. Huic successit VINCENT: KADŁUBKO, qui primus Polonorum gesta literis mandauit. Sarcophagum dicti S. Stanislai ex argento puro confectum, sex angeli, etiam argentei, sustinent. Ex viginti tribus sacellis Iagellonicum, satis spatiosa magnitudine a Sigismundo I. excitatum, & a Sigismundo III. cupro deaurato tectum, visu dignissimum est. Altare argenteum & ornamenta sacra admodum pretiosa ostentat. In templo sacris plerumque operantur 80. circiter homines, quos inter 30. sunt Canonici, 6. Prælati & Episcopus lustralis, omnes ex nobilitate delecti. Turres eius, vt & arcis, plumbo, arx ipsa cupro tecta. Arcem Sigismundus I. Rex, redintegrauit, vt versus inscripti testantur, quorum vltimi sunt.

Illum, ne credas, dum momentanea condit
Atria, perpetuam postposuisse domum.

Duplicibus porticibus circumducta, conclauium, quibus fere omnibus sententiæ Latinæ aureis literis inscriptæ sunt, elegantia & pulcritudine mirum in modum se extollit. *Augustinus* L. B. in *Moersperg*, ordinis S. Ioannis eques, in Itinerario suo scripto habet, sub arce hac grande antrum esse, rupem longe penetrans, æstiuo tempore admodum frigidum, in cuius introitu vinum & cereuisia promatur

matur, draconem olim, eius incolam, vicinis accolis multo infestum ac nociuum fuisse, tandem a sutore resina, pice, & aliis eiusmodi materiis enecatum: cauernamque illam huc vsque antri Draconis nomen retinuisse, nec longe a Vistula abesse. Rex Sigismundus III. arcem noua porta, nouis ædificiis, nouaque turri, vrbem versus, insignem arci defensionem præbente, splendidiorem reddidit. In templo sæpius dicto Poloniæ Reges coronantur & sepeliuntur, inter quæ sepulcrum illud eminet, quod Regi STEPHANO BATHOREO extruendum curauit *Ioannes Zamoiscius*, supremus Poloniæ Cancellarius, an. 1604. viuis ereptus; de quo monumento legendi *Nathan. Chytraeus*, *Franc. Sweertius* in deliciis variorum itiner. p. 805. & sq. & p. 658. sq. *Lundorpius* lib. XXVI. p. 661. Contin. Sleidani &c. episcoporum quoque hic sunt aliqua monumenta. Cum Imperator OTTO III, vt rerum Polonicarum scriptores memoriæ prodiderunt, Poloniæ ducem, BOLESLAUM CHRABRY cognominatum, ad regiam dignitatem euexisset, vnum ex clauis, quibus noster Saluator cruci affixus fuit, & S. Mauritii lanceam eidem donauit, quæ adhuc in episcopali templo videnda exhibentur. In eadem arce, præter *S. Stanislai* templum, sunt & alia duo, *S. Michaëlis* nimirum & S. *Georgii*, vt & sacellum sub terra in S. *Vladislai* honorem erectum: Iudicium item prouocationum, seu curia prouincialis atque aulica, ad quas omnes prouocationes ex tota prouincia deferuntur, vti supra dictum. Vno verbo, Cracouia ingens, visuque dignissima vrbs, de qua in P. VI. Theatri vrbium sequentes versus leguntur:

Africa quid Tripolin iactas? quid Syria? nidos
Prædonum terras, qui mare diripiunt.
Sarmatici en Tripolin, positam melioribus orbis
Vistula qua Vauelum præterit, auspiciis.
Cur Tripolis? tripiex vult quid distinctio? nempe
Hic homines, hic Rex, hic habitantque Deæ.

Maximo autem hæc vrbs incremento ab eo tempore aucta fuit, quo dux BOLESLAVS PUDICUS an. 1279 mortuus, ius Saxonicum aut Magdeburgense, quod & Sredense & Germanicum vocatur, inque plurimis Poloniæ ciuitatibus, municipiis & pagis vsu receptum, testante *Cromero* lib. IX. fol. 246. introduxit, quoque eius successor, Dux LESCVS NIGER, Germanis solis, ob fidem quam ipsi contra CONRADVM Masouiæ Ducem præstiterint, an. 1285. vrbis rectionem concredidit, qua adhuc, Cromeri tempore an. 1554. fungebantur, vt ex eius lib. X. p. 255. liquet. Idem dux an. 1288. mercatoribus Cracouiensibus, qui anno hunc præcedente, Tartaris fortiter restiterint, vrbemque maxima fortitudine defenderint, a vectigalibus, aliisque oneribus publicis immunitatem largitus fuit.

Multæ in hac vrbe res memoratu dignæ contigerunt, quarum aliquas tantum pro cumulo adiiciemus. An. 1125. tota incendio conflagrauit. An. 1234. *Conradus* Masouiæ dux, illam frustra obsedit, ac primus in Polonia, teste Cromero lib. VIII. fol. 201. extitit, qui templa armis profanare fuerit ausus. An. 1241. a Tartaris obruta fuit, qui eam ab incolis magna ex parte desertam incenderunt. S. *Andreæ* templum cum duabus turribus a nonnullis pauperibns & debilibus hominibus, qui in illud fuga se receperant, & Tartaros multos propius accedentes, ex superiori parte templi interfecerant, conseruatum est: Tartari vero in Silesiam, Morauiam & Hungariam properantes, postea ex Scepusio Hungarico in Poloniam venientes, subitaneo impetu Cracouiam inuadunt, in qua, pluribus, quam antea, hominibus trucidatis, per Osuiecimensem ducatum in Hungariam, opimis spoliis onusti, reuertentes, totum triennium ibi commorati sunt. An. 1260. iterum hanc vrbem, in qua nemo erat, qui eam defenderet, occisis prius, quos offenderant, ægrotis & mendicis, incenderunt, excepta arce, quam incolæ fortiter defenderunt. Anno 1287. eam denuo aggressi, frustra obsederunt. An. 1291. in Bohemorum potestatem incidit. Nam Ducis, Lesci Nigri, qui Germanis tot immunitates concesserat, vrbemque an. 1285. validioribus munimentis auxerat, & an. 1289. e vita migrauerat, relicta vidua GRYPHINA, clandestino nuncio ad WENCESLAUM, Bohemiæ Regem, sororis suæ Kunigundæ filium misso, ipsi Cracouiæ & Sendomiriæ principatus, quos sibi a Lesco, marito suo donatos, fictis documentis asserebat, dono dedit, vt *Cromerus* tradit lib. X. fol. 259. sed Wenceslao an. 1395. viuis erepto, regno pulsus Rex VLADISLAVS LOCTICVS Cracouiam, recuperauit, & demum

mum an. 1320. cum coniuge ſua HEDWIGE in epiſcopali templo, tunc temporis inſtaurato & ad finem perducto, ab Archiepiſcopo Gneſnensi coronatus eſt. Ea tempeſtate ius Reges coronandi atque ornamenta inſignia que Regni Gneſna Cracouiam traslata ſunt, propterea, quod hæc vrbs cæteris in Polonia magnitudine & dignitate, aliisque commodis antecellit: & ibidem hucusque manſerunt. An. 1439 incendium duplex ſubito ortum, magnam vrbis partem conſumpſit. An. 1439. pars, quæ meridiem & occaſum ſpectat, haud paruam incendio iacturam paſſa. An. 1464. Iudæi expilati, parte eorum interfecta. Sequente anno pars vrbis haud exigua, cum S. Franciſci templo, & Stradomia tota, ſolo S. Bernhardi templo & monaſterio incolumi manente, conflagrauit. An. 1473. d. 26. Iulii eandem Stradomiam totam ignis peſſum dedit; ſequenti die ex monialium cœnobio S. Andreæ flamma erumpens, totam plateam ad arcem ducentem & vicinam Canonicorum vaſtauit, arx ipſa ægre ſeruata eſt. An. 1494. denuo incendium magnum obortum, quod primo partem vrbis portæ nouæ proximam inuaſit, inde per maiorem partem, verſus ſeptentrionem & occaſum ſe dilatans, ædes omnes, & turrium, murorumque tecta combuſſit. Poſt illud tempus, Iudæis, qui ad hoc tempus per vrbem diſperſi habitabant, et incendiis durantibus a militibus ſpoliati fuerant, certus in Caſimiriæ municipio ad Viſtulæ ripam locus, quem, vt ſupra dictum, adhuc hodie magno numero inhabitant, aſſignatus eſt. Eodem anno in platea, quæ S. Spiritus nomen gerit, mulier infantem mortuum enixa eſt, cuius tergo adhærebat ſerpens viuus, mortuum corpus rodens et exedens. An. 1498. pars vrbis ſeptentrionalis turribus, propugnaculis, vallo et foſſa firmior reddita, fluuius Rudaua in vrbem deductus eſt, ac pleraque ædificia, mœnibus propiora, vlterius remota ſunt. An. 1504. vrbem Caſimiriam, vltra pontem, vt ſuperius dictum, ſitam cum turribus et murorum pinnis flamma vaſtauit, vt et an. 1509. d. 22. Martii Stradomiam, in qua tamen S. Hedwigis, S. Agnetis et S. Bernardini templa ſeruata ſunt. An. 1580. d. 10. Octob. Lutheranos Auguſtanæ confeſſioni addictos, viros, feminas et infantes 1800. numero, in S. Ioannis platea, in domo publica *Landhaus* appellata, verbi diuini audiendi cauſa congregatos, aduerſarii obruerunt, multum ſanguinis innocentis fundentes, domum ipſam expilatam demolientes, ædes Lutheranorum ipſas inuaſere, ipſosque coëgere, vt libros ſuos traderent, homines interficientes, libros que comburentes, quam ob rem Pontificii lætitia pleni, *Te DEUM laudamus* cecinerunt, quæ refert *Ioh. Bangius* in Chron. Thuringiæ. p. 188. b ed. Mulhuſ. an. 1599. 4. Quum an. 1645. Nuncii terreſtres poſtularent, vt Cracouienſibus incolis conſcientiæ et religionis libertas permitteretur, Epiſcopus Poloniæ reſpondit, conſcientiæ libertatem nobilibus tantum, et regni miniſtris, non autem plebi promiſcue concedi poſſe; quæ reſponſio maximopere diſplicuit, vt dicitur in P. V. Theatri Europ. fol. 745. Quæ ſequenti tempore anno 48. in Polonia reſpectu religionis ſancita fuerint, ea in hodierni regis CASIMIRI hiſtoria ſupra memorantur. Ita quoque an. 1591 ingens tumultus contra Lutheranos excitatus eſt, de quo *Chytræus* lib. XXIX. Saxon. fol. 825, et *Seth. Caluiſius* oper Chronol. fol. 863. a. legendi, Pontificiis domum, vbi conciones fiunt, duabus vicibus vaſtantibus et demolientibus. An. 1606. eorum templum iterum demolitum d. 20. Aprilis, muri diruti, mortui effoſſi, et canibus ſuibusque proiecti, auctore *Helduadero*. An. 1646. d. 15. Iulii. *Annâ* Niuernenſis Duciſſa, in Reginam Poloniæ coronata eſt.

Tribus, ſecundum alios quatuor, a Cracouia milliaribus LANDISCORONA ſita, optimum omnium in Polonia propugnaculorum, vt *Schadæus* dicit in Sleidano continuato. An. 1607. ad Palatinum Cracouiæ ſpectauit. In P. VI. Theatri vrbium memoratur, *Nicol. Zebridouium* Palatinum et Generalem Cracouienſem (non procul ab hac arce Landiſcorona) locum, quatuor milliaribus a Cracouia diſtantem, ad ſimilitudinem Hieroſolymitani montis Caluariæ accommodaſſe, omniaque ad memoriam paſſionis Dominicæ compoſuiſſe, magnis quoque ſumptibus monaſterium Fratr. minorum S. Franciſci de obſeruantia, et egregium templum, cum aliquot ſacellis et xenodochio, erexiſſe: vnde hic locus propter indulgentias a Papa PAULO V. conceſſas a magna peregrinorum multitudine viſitatur.

CROBIA, olim grandis et populoſus pagus, ſub nomine *Sulcouæ* notus, hodie oppidulum ad Epiſcopum Poſnanienſem pertinens, in ſilua, Punitzium inter et Kobelinum, ſitum.

CROSNA, ciuitas territorii epiſcopalis vrbis Præmisliæ, quæ et Caſtellanum habet, muro cincta. Flumen *Iaſiolda* eam circumfluit; ſed *Visloca* eam mediam alluens, multa ipſi commoda procurat. Nomen accepit a machinis textoriis, quæ eorum lingua Croſna ſonant, nimirum hæc ciuitas pannificio maxime inclaruit et adhuc inclaret. Sita eſt in confinibus Hungariæ, in Ruſſia meridionali, in terra feraci et amœna. Principaliora ædificia ſunt monaſterium S. Franciſci, et prætorium. Non procul arx munitiſſima, Camieniec, ſcopulo altiori inſidet, vt Frölichius refert. Parum abfuit, quin an. 1474. hæc ciuitas proditione in Hungarorum poteſtatem venerit, ſed ſtrenue ſe defendens, ſe et Abbatis Tinecenſis arcem *Goleſſiam* ſeruauit.

CRVSVICIA, ciuitas cum arce, lacui *Gopło* accumbens, vnde mures prodierunt, qui Poloniæ Principem Popelum ſeu Popielum II. in eadem arce deuorarunt, antiquitus enim hic reſidentia Principum antequam alio translata, fuit. POPIELUS ſenior, Poloniæ quoque Princeps hanc vrbem in prouincia, quæ Cuiauia dicitur, in planitie, lacui dicto, hic inſulam aquis ſuis ambienti, et paludes efficienti, appoſuit. In more habuiſſe fertur, vt diris ſe deuouendo ſibi imprecatus eam pœnam fuerit, qua a muribus cum ſuis deuoraretur, quæ imprecatio in filio eius effectum ſortita eſt. Nam Popielus iunior ſubditorum amore indignus, ſuperbia et crudelitate principatum ſibi conſeruare, a ſuisque metui ſtuduit. Eandemque pœnam et vxor et liberi perpeſſi, quod tempore Cæſaris LUDOVICI PII contigit, vt *Cromerus* lib. II. fol 38. indicat, cui aſſentiunt et alii ſcriptores Polonici, vt *Guagninus*, *Neugebauerus* et *Herburtus*, qui hoc an. 813. accidiſſe adnotant, et duos filios, vna cum patre deuoratos, LECHUM et POPIELUM, nominant. Poſt eius mortem, ciuis quidam Cruſuicenſis, Coſſiſconis filius, qui PIASTUS vocabatur, vitamque agelli cultura et mellificio ſuſtentabat, in eius locum Princeps Poloniæ ſurrogatus eſt. Huic an. 861 fatis functo, poſteri longa ſerie vsque ad CASIMIRUM III. cognomento magnum in gubernando regno ſucceſſerunt. Dictus PIASTVS, a quo hodierni Duces Lignicenſes et Brigenſes in Sileſia prodierunt, habitationem Principum Poloniæ *Gneſnam*, in qua Lechus ſedem ſuam habuerat, transtulit. Poſt hanc vrbem Gneſnam Cruſuicia Polonicarum ciuitatum antiquiſſima habetur, vtpote quæ circa an. 1094. admodum populoſa adhuc fuit, ſed tunc temporis VLADISLAI Poloniæ Principis iuſſu, cuius filio notho *Sbigneo*, patri bellum inferenti, auxilium et opem tulerat, militum victorum deprædationi expoſita eſt, quæ calamitas eam miſerum in ſtatum coniecit, in quo *Cromeri* adhuc tempore verſabatur.

CVNOVIA, oppidulum, quod circa an. 1502. Tartari Tauricani cum *Reſſouia*, *Iaroslauia*, *Radimno*, *Belſco*, *Daunicia*, & vltra Viſtulam, *Opatouia* & *Lagouia*, quæ Cromerus lib. XXX. omnia appellat oppida, expilarunt & incenderunt, vsque ad *Pazanouiam* peruenientes.

CZERSKO, *Wiſſegrod*, *Zakroczym*, *Czechanów*, *Pułtuſk*, Roſau, Liwo & Wizna, oppidula ex ligno ſtructa, in Maſouia, ad flumina ſita, & arces habentia, vt eſt apud Frölich. lib. I. Part. II. Viator. p. 324.

CZĘSTOCHOVIA, oppidum templo B. Virg. celebre, colli proximo ciuitati impoſito, quo peregrinationes frequentiſſimæ fieri ſolent.

DEMBOVECIA, municipium, aut oppidulum in montanis Poloniæ, Hungariam ſpectantibus oris. Hunc tractum Hungari an. 1474, turbarunt, oppidulum *Smigrod* nocte occupantes, arcem deditione capientes, & poſtea ipſam foſſis ac propugnaculis denuo munientes. Compilata & exuſta tunc temporis municipia ſeu oppidula, *Iaslum*, *Broſtecum*, *Colazice*, *Friſtatum*, ſupra dicta *Dembouecia*, *Ducla & Pilſna*) tunc temporis diuitiis abundantia, cum 200. circiter pagis, & ingens incolarum captiuorum numerus in Hungariam abductus eſt. *Muſſina* ad Cracouienſem epiſcopum pertinens, ab defenſorum penuriam certis conditionibus ſe hoſtibus dedit.

DOBRZIN, Dobrinum, ad Viſtulam prope Vladislauiam, in maiori Polonia, in Maſouiæ ac Cuiauiæ limitibus, rupi inſidet. *Cromerus* modo arcem, modo oppidulum nominat, *Bertius* ciuitatem, qui & oppida Slonſk, Ripinum, ac Gorzno ad eam pertinere dicit. *Conradus* Maſouiæ Dux, eam cum tota ditione ad eam pertinente, quæ Culmensi regioni & Pomerelliæ adiacet, Teutonico ordini hæreditario

ditario iure possidendam concessit; licet eius possessio postea ad Polonos sit deuolura. An. 1286. die quodam solis, cum incolæ concioni sacræ interessent, Lithuanos & Prussos hanc ciuitatem inopinato impetu oppressisse, diripuisse, incendisse ac incolarum magnam copiam interemisse, Cromerus lib. X. narrat. Arcem huius loci an. 1328 Polonis eripuit Teutonicus ordo, qui postea, Vistula traiecta, Vladislauiam aggressus. Eandem an. 1409. iterum occupauit & incendit, oppidulaque Ripinum & Lipno, diripuit. An. 1431. dictus ordo Dobrinensem & Cuiauiensem tractus misere vastauit. In Dobrinensi tractu oppidum etiam *Scampe* situm est, teste *Cromero* lib. 25.

DROCHOBYCZ, oppidum Russiæ, salisfodinis clarum.

DUNAIOVIA, *Dunaiow*, oppidum Archiepiscopi Leopoliensis. An. 1474. prope 7000. Tartarorum, qui male etiam armis prouisi, hanc regionem inuadentes totum tractum apud Cameneciam, Haliciam, Glinianum, Dunaiouiam, Gologorios, & Zbarasiam, ad 100 milliaria in longitudine & 30. in latitudine homicidiis & iacendiis impleuerunt, & cum nemo esset, qui resisteret, omnia misere vastarunt, & ad 100000 captiuos abduxerunt, vt testatur *Cromerus* lib XXVIII. fol. 609. quamuis omnino fidem humanam superare videatur, quod tam exiguum agmen tot millia captiuorum abduxerit, nisi pluribus id vicibus factum esse constaret.

FRAVSTADIVM, vrbs Silesiæ Polonicæ, duobus milliaribus a maiori Glogouia distans, a Germanis excitata, a quibus & nunc incolitur, in toto circumiacente tractu accolas fere Germanos habens. Poloni *Vschouam* appellitant, olim ad Silesiam pertinuit, an. 1343. vero Rex Pol. CASIMIRVS II. contra pactum cum IOANNE, Bohemiæ Rege, eam occupauit: cui Silesiæ Principes, pacis seruandæ causa, eam Regi & regno Poloniæ concesserunt, ea tamen lege, vt privilegia & immunitates suas, cum iure cudendi moneram a Glogouiensibus Ducibus donato, seruaret. Plus quam trecentæ molæ ventorum flatibus agitari solitæ hic numerantur. *Valerius Herbergerus*, auctor concionum, typis exscriptarum, Euangelicus in hac vrbe concionator fuit. An. 1474 *Matthiæ Coruini*, Hungariæ Regis copiæ per Silesiam & Gurauiense territorium ingruentes, hunc locum fructra occupare tentarunt.

Anno 1644. d. 29. Iulii, exceptis templo Euangelico et decem circiter ædificiis, tota incendio conflagrauit. vid. *Relat. Francof. autumnal.* eiusdem anni.

GNESNA, vrbs maioris Poloniæ, stagna inter et colles in planitie sita, et muris cincta. Prima Poloniæ ciuitas habetur, quam Princeps LECHVS in illa regione condidit, ac etiam incoluit, id quod PIASTVS postea quoque fecit. Iam est sedes Archiepiscopi, qui Primas Poloniæ et Legatus natus sedis Apostolicæ est, ad quem ab omni sacerdotio, etiam ab ipsius Archiepiscopi Leopoliensis sententia pronunciata prouocare licet. *Ioach. Cureus* in Chron. Sil. P. I. p. 40. sq. memoriæ prodit, quod *Miecislaus*, Dux Christianus in Polonia primus, filium reliquerit, „Boleslaum I. Seuerum cognominatum, ab Imp. *Ottone* III. Poloniæ primum Re„gem creatum, fabulam vero esse dicit, ipsum Imperatorem peregrinationem (quæ „tunc temporis inusitatæ erant) Gnesnam suscepisse, vt sepulchrum S. Adalberti „Germanis hactenus incogniti, inuiseret, et magnifico apparatu a *Boleslao* exceptum „esse, in cuius tamen potestate non erat eiusmodi fastu vti, quem illa tempora „ignorabant. Hæc tamen a scriptoribus Polonicis referuntur. Magis veritati congru„ere, quod Germanici scriptores eodem tempore et paulo post viuentes, tradiderunt, „Poloniæ videlicet regnum tunc temporis Imperio Romano Germanico tributum et „concessisse et soluisse, quod tamen Polonorum scriptores plane inficias eunt. „ADALBERTVM, Episcopum antea Pragensem, narrat a barbaris et immanibus Prussis an. 997. trucidatum, corpusque eius a Boleslao ab eis redemtum & Gnesnæ sepulturæ mandatum esse. Diem ipsum, quo ADALBERTVS interfectus est, „23. scil. Aprilis, per totam Poloniam festum solennitate summa quotannis haberi, Gnesnæ cumprimis, vbi illo ipso die nundinæ celebrentur. Hactenus *Cureus*. CROMERVS Polonorum historicus, memorat, dictum Lechum, potita hac vasta regione, eam inter suos distribuisse, arces et castella in commodis locis construenda curauisse; ac sedem suam in loco quodam a Varta fluuio sex milliaribus versus Boream distante, et in planitie inter paludes et stagna constituto fixisse, vbi ex crassis et nulla dolabra edolatis lignis domicilium necessitati et commorationi magis, quam fastui et volu-

voluptati inseruiens, sibi erexerit, adiunctis plurium hominum ædibus, vt suos semper in promptu secum haberet. Ciuitati nomen Gnesnæ dedit, a voce *gniasdo*, quæ nidum significat, aut quia in posterum hæc arx eius sedes et quasi nidus futura sit, in loco, vbi aues, aërem liberum peruolitantes, nidum habent, aut quia aquilæ nidum ibi inuenerit, vnde et ortum creditur insigne regium, aquila nempe alba, expansis alis corpus erigens, quod adhuc in vsu est. Post susceptam a Polonis religionem Christianam, Gnesnæ erectum esse Episcopatum, cuius primo Archiepiscopo ROBERTO nomen fuerit; huic successisse ADALBERTVM, qui fratrem *Gaudentium*, aut *Radzinum*, huic muneri præfecerit, ipsum in Prussiam profectum, prope oppidum Fischhausem in litore an. 997. d. 23. April. ab ethnicis burbaris vita spoliatum esse, corporis exuuias postea primum Regem Poloniæ, BOLESLAVM, cognominatum CHRABRY, a Prussis emisse, et Gnesnæ sepeliendas curasse. An. 1338. Bohemiæ Ducem, *Prædislaum* Gnesnam, nondum satis munitam et defensoribus destitutam, occupasse; Bohemos suasu Pragensis Episcopi *Seueri*, templum ingressos omne aurum et argentum, omnem vestitum sacrum, quinque corpora Eremitarum, prope vrbem Casimiriam, dicti Regis Boleslai Chrabri tempore, a latronibus occisorum, a pio illo Rege huc delata, et D. *Alberti* loco, a templi ministris clam alicubi defossi, dicti *Gaudentii* corpus abstulisse, et secum Pragam detulisse, excepto Christini, vnius ex quinque illis eremitis, corpore, quod Dux Prædislaus Olomucensibus in Morauia concesserit; interim Bohemos ADALBERTI nactos esse reliquias, persuasos esse. Hactenus *Cromerus*. Contra *Martinus Boregk* in Chron. Bohem. p. 97. commemorat, quod Bohemi, quum *Bretislaus*, Bohemiæ dux, Vdalrici filius, an. 1037. vel 38. Gnesnam occupasset, Diuorum Adalberti, Gaudentii, Christini, et aliorum plurium ossa secum auexerint. *Schikfusius* in Curei chronicis auctis, lib. I. c. 7. scribit, Bohemos a. 1038. Poloniam inuasisse, et S. ADALBERTI corpus secum abduxisse, licet Poloni affirment, Bohemos Adalberti loco Gaudentium nactos esse, eamque ob rem adhuc sub iudice esse litem. Sunt, qui regnante Venceslao, Bohemiæ et Poloniæ Rege, an. 1305. vita functo, S. Adalberti corpus ex Polonia Pragam deductum esse affirmant, vti *Procopius Lupacius in suo Calendario historico ad 23. Febr.* corpus idem an. 1127. Gnesnæ repertum fuisse refert. Sed Poloni se adhuc S. Adalberti corpus in possessione sua habere, constanter asserunt. Narrando pergens *Cromerus* sequentia porro memorat: *Henricus* Gnesnensis Ar„chiepiscopus, an. 1219. demortuus, huius loci Archiepiscopis perpetuæ legationis „munus ab Apostolica sede impetrauit. BOLESLAVS PIVS Calisiensis Dux an. 1279. viuis exemptus, monialium S. Claræ monasterium in hac vrbe ædificauit. A. 1331. Teutonici ordinis milites hanc vrbem exspoliatam incenderunt, nec templis, „nec monasteriis, nec vllis sacris parcentes, sed S. Adalberti reliquias, a templi ministris absconditas, reperire non potuerunt. Post Ludouici, Hungariae et Poloniae Regis, obitum, Archiepiscopus Gnesnensis, Masouiae ducis partibus adhærens, *Hedwigi* Regis filiae et haeredi se opposuit. Hinc contigit, vt ipsius et sacerdotum reliquorum domicilia compilata fuerint. An. 1613. fere tota ciuitas incendio conflagrauit.

GOLAN, municipium maioris Poloniae. Via, quae Posnania Dantiscum ducit, duplex est; proxima per oppida Kleczko et Golan, traiectoque Notezio flumine, Wientzburgum, Cronam, Swerzam et Stargardiam tendit, altera per pagum Wobaditzki, porro Gnesnam etc. tendit, vti alio loco memoratum.

GRINKY, oppidulum aut municipium Lithuaniae, quo veniunt Varsauia Vilnam tendentes.

GRODECVM, Grodek, oppidum Russiae, in quo an. 1434. Rex Vladislaus II. antea Iagello, naturae debitum soluit.

GRODNA, Grodno, Principalis vrbs magni Ducatus Lithuaniæ ad flumen *Nemenum*, qui antiquitus *Chronon* audiebat, partim in monte, partim, quæ illius est natura regionis, in planitie sita. Paucæ eius sunt ædes contiguæ aliis, & lapidibus constructæ, sed ligneæ, haud eleganter ædificatæ. Ipsa vrbs nec mœnibus, nec propugnaculis, nec turribus cincta. Arx editiori loco imposita, Regi tutam præstat commorationem. Incolæ antequam Christo nomen dederunt, multum fuere idololatræ. Hodierno tempore, vt *Casp. Ens. in delicis Apodemicis per Germ. p. 302.* refert, tria hic extant ex lapidibus structa templa, quorum vnum Poloni, & reliqua duo Rus-

ſi, Græcam religionem profitentes, poſſident, quorum adhuc duo templa in ſuburbiis, vnum rotundum, & ligneum, alterum ex lateribus compactum, propria ſunt: cætera ex ligno cernuntur confecta. Campanæ non in ipſis templis, ſed ante introitum eorum in turri quadam ex ligneo ædificio ſurgente, pendent. Arx dicta, domus regia, curia, & ſtabula regia viſu digna hic ſunt ædificia, præter quæ pauca alia momenti alicuius occurrunt, licet hæc vrbs proximum poſt Vilnam in Lithuania obtineat locum. An. 1577. STEPHANVS Rex comitia Grodnæ celebrauit, quo aduenerunt legati magni ducis Moſcouiæ, comitatum 1200. hominum magnifico & ſuperbo veſtitu ornatorum, ac plurima dona precioſa adducentes. His in plano campo, iuxta vrbem aſſignatus eſt locus, in quo tentoria ſua poſuerunt, ex eo egredi non audentes, niſi in comitatu Poloni cuiusdam. Adfuerunt & Turcarum, Tartarorum ac Valachorum legati, ſumma vtentes magnificentia, in diuerſis locis ſub dio a Polonis excepti. An. 1586. idem Rex, hic commoratus, inter ſuos aulicos habuit *Scotum Parmenſem*, celeberrimum illum artificem, qui incendio, in loco vbi commorabatur, d. 27. Iunii prope arcem oborto, per tectum aſcendit, ardentesque flammas, ſine aqua & ſine vlla manuum admotione, reſtinxit; vt vir quidam præcipuæ notæ & teſtis oculatus in itinerario ſuo annotauit.

HALICIA (Halicz,) magni nominis ciuitas in Ruſſia, ad fluuium Dnieſtr, a Ptolomæo propter rapiditatem torrentis *Tyras* appellatum, & ad radices montium Sarmaticorum, quæ Ruſſiam ab Hungaria ſeparant, locata. Habet ſalinas. Priſcis temporibus ducibus ſuis ſubiecta fuit, quorum vno *Miecislao*, filio ſororis Poloniæ Principis Caſimiri II. a ſuis an. 1185. veneno ſublato, Hungari ciuitate doloſe potiti ſunt, arx tamen a Polonis recuperata, & Ruſſis a. 1188 reſtituta fuit. Poſtea tum Volodimiriæ, tum Haliciæ dux fuit, *Romanus*, qui in prælio contra Polonos an. 1205 occubuit. Poſt obitum eius *Colomannus*, Andreæ, Hungariæ Regis filius, & maritus Salomeæ, ſororis Leſci Albi, Poloniæ ducis, Polonorum conniuentia, dotem ducatum Halicienſem accepit, de quo inter Ruſſiæ principes contentio orta fuerat. Qua quidem re Ruſſi non æque contenti, tum peregrini imperium faſtidientes, tum Græcæ ſuæ religionis iacturam metuentes, *Miecislaum*, vrbem ſibi hæreditario iure vindicantem, in partes ſuas trahunt, Hungarosque ac Polonos inſigni victoria proſternunt. Colomannus in arce Halicienſi diu obſeſſus, ac tandem ſiti ac fame ad deditionem coactus, totum annum cum vxore Salomea in captiuitate detentus fuit, donec patris Andreæ precibus dimiſſus fuerit, ea tamen conditione, vt regis Andreæ filius natu maximus *Miecislai* filiam, *Mariam*, vxorem duceret, ac Meſcislaus Colomanno, poſt trium annorum decurſum, Haliciam reſtitueret. Qua licet impleta, dictus Colomanus a Daniele, Romani filio, paullo poſt exactus, iterum tamen, occaſione ferente, a patre in ducatu reſtitutus fuit, in quo, cum vix triennium pacifice vixiſſet, aut veneno, aut morbo extinctus Haliciam, belli occaſionem, reliquit Ruſſis. Ab illo tempore Reges Hungariæ Ruſſiam plane amiſerunt, nihilominus vſi titulo Regum Galaciæ, ſiue Haliciæ (vbi Colomanum coronatum eſſe volunt) & Ladomeriæ (forſitan Volodimiriam ita corrupte nominantes). Poſtea hic ducatus in Polonorum poteſtatem peruenit, vna cum Ruſſia nigra, quod ſupra in deſcriptione Ruſſiæ monuimus.

IAROSLAVIA, celebre, amœnum & grande emporium in iſta parua ſiue meridionali Ruſſia, vbi famoſæ nundinæ celebrari ſolent. Eiusmodi nundinarum tempore, an. 1625. ipſo S. Bartholomæi die, noctu incendium ex quatuor diuerſis locis erumpens, vrbem in cineres redegit, adeo, vt non amplius quatuor tabernis reliquum fuerit. Mercatores orientales in primis exinde damnum paſſi: perierunt quoque 300. homines. *Sanus* fluuius eum alluit.

IĘDRZEIOW, elegans oppidum, vbi & celebris Abbatia, auctore Frölichio. In mappis conſpicitur etiam *Iędrzeiow* in Maſouia, prope fines Podlachiæ.

ILCVSSVM, oppidum minoris Poloniæ, fodinis, plumbum argento mixtum ſuppeditantibus, clarum, in via, qua Praga, Glatzio, & Neiſſio, Cracouiam, a qua quinque milliar. abeſt, itur. Multæ conſpiciuntur etiam fodinae, ante quam a loco Beuthen eo perueniunt.

ISILZ, arx & oppidum Epiſcopi Cracouienſis, vti *Cromerus* lib. VIII. p. 206. teſtatur, quod Tartari an. 1241 in territorium Sendomirienſe irruentes, deuaſtarunt. Videtur eſſe *Ilza*, quam mappæ in iſto tractu monſtrant.

INOWTA-

INOVLADISLAVIA, arx Cuiauiæ, Cromer. lib. IX. fol 230. qui & lib. XI. refert, ciues an. 1332. Ordini Teutonico ſe dediſſe, qui eam muniuerit. Idem an. 1431, Cuiauiam, & terram Dobrinenſem longe lateque deuaſtauit, 24 oppida (inter quæ Inovladiſlauia, Vladiſlauia & Neſſov, Torunium imitans) & plus 1000. pagos ſpoliauit & incendit, arcemque Neſſow obſedit.

KIELCE, Cromerus lib. VI. p. 155. dicit, quod ante obitum *Boleslai Criſpi* an. 1173. *Gedeon Gryphius* epiſcopali Cracouiæ dignitate ornatus fuerit, qui oppidum Kielce, & in eo templum ex lapide condiderit, item Collegium Prælatorum & Canonicorum cum Vicariis inſtituerit.

KIOVIA. D. *Laurent. Müller*, Principis Curlandiæ conſiliarius, ita ſcribit in ſuis hiſtoriis Polonicis, lit. L. de hac celebri Ruſſiæ vrbe „ Magnificam olim & amplam fuiſſe Kiouiam, loquuntur murorum ruinae, fere octo milliarium circuitu „eam ambientes, vt & templum in ea ſplendidum, in quo fornices cernuntur grandes „& in quibusdam eorum cadauera plura incorrupta quidem, ſed contractiora, ac ſi roſta „eſſent, non tamen nigra, quæ colorem adhuc humanum oſtendant, & ita quemuis „ſpectatorem in admirationem rapiant. Martyres fuiſſe ſibi incolae perſuadent, ad quos „nec Tartaros damni inferendi cauſſa accedere potuiſſe praedicant, licet ſaepius „hoc tentauerint, cum ſemper ſine vllo humano auxilio, ſola diuina pœna & animad„uerſione ab eo loco depulſi fuerint. Cadauer virginis cuiusdam ſub arcuum di„ctorum ſeparato in loco iacere dicitur, quod linteo ſubtiliſſimo & perſpicuo indu„tum, longis fuluisque capillis exornatum, omnis corruptionis adeo expers „eſt, vt omnia membra adhuc videri & tangi poſſint. Sanctam Barbaram eſſe cre„dunt incolae, quod vtrum hiſtoriae eius conſentiat, lector iudicet. In eodem tem„plo videntur columnae totae ex aere fuſae, vt refert Auguſt. Confeſſioni addictus in „eadem vrbe Paſtor, ex nobili *Patziorum* proſapia in Lithuania oriundus; Kiio„uia Smolenſkum vsque inueniri ſubterraneos meatus, ſub ipſo fluuio *Boryſthene* ea „quam habet, latitudine, ex fuſa quadam materia conſtructos, qui argumento ſunt, „quanta Kiouiae priſtina magnificentia fuerit. Meatuum iſtorum conditores mercato„res Itali feruntur. Imo & Genuenſes nuper emporium ibidem vt conſtituere ſi„bi liceret, petiiſſe dicuntur. Haec dictus Doctor Müllerus de an. 1585. Hic flu„uius *Dziejna* Boryſtheni miſcetur. In Chronicis Sileſiacis *Schikfuſius* narrat, L. B. a *Herberſtein*, ex annalibus Moſcouiticis memoriae prodidiſſe, olim in Kiouia et paludis Maeotidis vicinia Ruſſos habitaſſe, Polonos i. e. campeſtres homines, nunc patos, ac patentes & planos campos incolentes, vnde & Polonos originem traxiſſe Schikfuſius arbitratur. Kiouia, priſcis temporibus metropolis totius Ruſſiae, hodie ſepe lignea cingitur. Monticulus in proximitate, ad quem aditus licet difficilis, ii tamen bonorum ſuorum fiſco adiudicatorum iacturam faciunt, qui eam transeuntes currum frangunt, vt Frölich. lib. I. Part. II. viator. p. 329. tradit. Idem auctor hac de vrbe, quam ad Ruſſiae regionem Volyniam refert, *eius priſca*, inquit, „*amplitudo ſese ad ſex milliaria extendebat, vti teſtantur ruinæ. Cauernæ ſubterraneæ* „*ad 80. milliaria Ruſſica ibi protendi dicuntur. In his plurima ſepulcra illuſtrium* „*virorum cum cadaueribus integris, oſtendantur peregrinis.* Martinus Cromerus, hanc vrbem Kiouiam a *Kio*, principe Ruſſo, qui cum aliis circa a. 861. imperauerit, conditam eſſe, et Ruſſici imperii ab illo tempore ſedem fuiſſe tradit; circa an. 1008. Ruſſiae Principem Volodimirum deceſſiſſe, antea vero vaſtum ſuum imperium inter 12. filios partitum eſſe, quibus domeſtico bello colliſis, vnum ex ipſis, Stopolcum, ſiue Suentopelcum confugiſſe ad Poloniae Regem, Boleslaum, qui hanc vrbem ingenti hominum multitudine diſtentam, fame ad deditionem coëgerit, & (theſauro fugitiui Principis *Iaroslai*, quem ſibi ſumpſit, excepto) incolumen Suentopolco reſtituiſſe, poſtea eundem Regem Boleslaum Chrabri, irritatum contumelia, qua a Ruſſis affectus fuerat, eandem vrbem militibus ſuis diripiendam conceſſiſſe. Anno. 1074. Rex Boleslaus II. Audax cognomento, Kiouiam commeatu deſtitutam occupauit, ac per totam hyemem ibi commoratus eſt, vt potentiam ſuam in Ruſſia eo magis firmaret, et affluentia ac voluptatibus huius ciuitatis quos nouerat, eo diutius ac commodius frueretur. Sed idem, quod Hannibali ac Carthaginenſibus Capuae, ipſi etiam hic euenit. Et enim in hac, voluptatibus & deliciis omnigenis affluente et Graecorum negotiationibus corrupta ciuitate, milites eneruati ac propria ſua laſciuia, & vitiis peſſundati ſunt, vt ipſi vtilius fuiſſet, in hoc loco victum quam victorem extitiſſe. Haec enim

victoria multarum calamitatum causa fuit, vt Cromerus. lib IV. fol. 88. docet. Cracouiensis episcopus, *Stanislaus*, an. 1079. ea de causa vitae suae iacturam fecit; Rex ipse regno profugus, nunquam in illud reuersus. Polonia vero vsque ad Praemislum per 215. annos Regibus caruit. Tandem an. 1415. Tartari populosam & ingentem hanc vrbem direptionibus vastatam deleuerunt, arcemque ipsam delere, summo, sed irrito conatu, tentarunt. Ab illo tempore nunquam pristini nitoris & antiquae magnificentiae compos fieri potuit, quamuis proprios suos principes habuerit, vsque ad *Simeonem Olelcouitium*, post cuius obitum, quamquam filius ac filia, imo & frater adhuc superstites essent, Poloniae Rex, Lithuanorum instinctu, regionem & vrbem Kiouiam in prouinciam redegit & penitus Poloniae regno subiecit: a quo tempore etiam Poloniae iuncta mansit. D. *Christianus Matthia* system. polit. lib. III. p. 372. sequentem cuiusdam Episcopi Kiouiens. ad S. Petrum epistolam legendam exhibet: *Marcaria, Dei Gratia Archiepiscop. Kiouiae & Haliciae & in tota Russia, nostro Domino & amico S. Petro, Ianitori Dei Omnipotentis. Praecipimus & indicamus tibi, quod hoc tempore mortuus sit minister Dei & princeps Teodor Selodormiszki, vt ipsum recte, & sine omni impedimento ac mora intromittas in regnum Dei. Nos ipsum absoluimus ab omnibus suis peccatis & ipsi benedictionem dedimus. Tu in his rebus tandem nihil transgrediaris & nihil aliud ipsi fiat, ideo dedimus ipsi has literas absolutionis.* Dat. in summo nostro coenobio Kiosa an. 1541. d. 30. Iunii

KNYSIN, oppidum inter paludes siluasque, in Podlachia situm, vti D. Frölichius scribit, & tradit, quod ibi vivarium regium sit. In Chron. Brunsuic. p. 543. legitur, quod an. 1572. d. 7. Iul. Rex Poloniae SIGISMVNDVS AVGVSTVS hic Knisinae in Lithuania naturae debitum soluerit. Num haec Knisina eadem sit cum ea, quam modo commemorauimus, hoc defectu melioris relationis, suo loco relictum sit.

KOREC & ZBARASZ, oppida Volhyniae, cum arcibus, quae ducatuum titulo vtuntur, vt Frölich. p. 329 refert. In mappa reperiuntur Korzet ducatus & Korzec fluuius.

KORSVNVM, oppidulum Lithuaniae, versus Moscouiam, ad fluuium Ros, quod Rex STEPHANVS an. 1581. exaedificari iussit.

KRZEMENIEC, *Krzemenecum*, in Volhynia, ciuitas lignea, inter Ostrow & Narew, in via Varsauia Vilnam tendenti, ad flumen Bugum sita. Arcem habet quoque ligneam, teste *Romano*, in Theatro vrbium.

LENCICIA, Lancicz, vna principaliorum ciuitatum maioris Poloniae, ad amnem Bsuram amoeno & plano situ locata, muro & fossis circumiectis defenditur. Arx scopulo imposita est. Ad hunc Palatinatum referunt Orlouiam, Pyątek, Bresiniam, Konarzew, Biechow, aliasque ciuitates, quas Bertius recenset. An. 1294. *Vithenes*, Dux Lithuaniae ciuitatem Lanciciam occupauit, diripuit & incendit, quem cum praeda redeuntem Casimirus, huius regionis dux, prope Sochacouiam, Bsurae flumini adiacens oppidum, praelio aggressus est, haud exigua clade affecit. Sed nimio feruore in aciem mediam plus iusto progressus & vita spoliatus, victoriam Lithuanis cessit. An. 1300. Bohemi hanc vrbem in potestatem suam redegerunt, vt Boregk in Chron. Bohem. narrat. An. 1331. Teutonici equites potiti sunt arce, quam incenderunt. An. 1462. post comitia celebrata ciuitas haec fere tota in cineres incendio redacta est. An. 1473. templum Cathedrale cum vicinis Archiepiscopi Gnesnensis & reliquorum sacerdotum aedibus, ignis flamma pessum iuit. Eandem tunc temporis calamitatem expertae sunt vrbeculae, Velicia, Goninum, Belsum, Chelma, & monasterium Mogil.

LELOVIA, ad amnem Bialam 20 milliaria a Crusuicia distans oppidum, ab electo Rege Vladislao Loctico, adhuc regnante Venceslao, Rege Poloniae & Bohemiae, qui an. 1305. obiit, vna cum arce recuperatum.

LESLA, ad fluuium Notecum, inter Gnesnam & Torunium in confiniis Prussiae, & vti in quodam itinerario legitur, octo milliaria a Gnesna: inter Smarmeusel 5. milliar. a Lesla, ambo vel oppida, vel municipia.

LEOPOLIS, Lemberg, Lewenberg, de hac vrbe in nouo Io. Ianssonii atlante haec leguntur: Leopolis in Australi Russia, non procul a finibus Podoliae, & circiter 50. milliar. a Cracouia sita, profunda fossa, moenibus, turribusque bene custo-

dita

dita. Sedes est Archiepiscopi Catholico-Romani, Russici & Armenici. Arces duas habet, vnam intra moenia, alteram extra illa, in monte edito, ad decimum inde milliare viatoribus tempestate sereniore, conspicuam. In proximo habet latomias, vbi marmor, gypsum & alabastrum eximium. Praetorium pulcherrimum in foro spatioso. Versus meridiem templum cathedrale B. Virginis, cui proximum collegium Canonicorum cum gymnasio, versus orientem templum S. Crucis cum coenobio, versus septentrionem monasterium cernitur S. Dominici, cui nullum in Polonia praeferendum aiunt. Iudaei in parte orientali vrbis commorantes in duabus synagogis suo more cultui diuino vacant. In eadem parte & nonnulli Russi habitantes pulcherrimum templum possident. Haec vrbs duas portas habet & totidem suburbia, satis grandia. An. 1340. Rex CASIMIRVS II. eam expugnauit. Hactenus dictus atlas. In P. VI. Theatri vrbium Brauniani, inter alia de hac Russiae vrbe capitali & emporio celebrato, dicitur, quod fossa duplici profunda circumdata, & variis munitionibus ab incursu hostium tuta praestetur. Ciues multum humani. Sedem suam hic habet secundus Archiepiscopus in Polonia, Russicus & Armenicus Episcopus. Post incendium, quod intra horae spatium fere totam ciuitatem deleuit, domus lapideae exstrui coeperunt. Opificum Germanorum, Polonorum & Italorum, magnus hic est numerus. In foro maxime spatioso mercimonia omnis generis ad vendendum exponuntur, ad latus eius orientem spectans videre est elegans palatium Archiepiscopi. Aduenant quotidie magno numero mercatores Germani, Hungari, Moldaui, Armeni, Turcae & Tartari. Curia, siue praetorium, pulcra & alta turri conspicua est. Templum Cathedrale est opus splendidum & magnificum. Prope templum S. Crucis, sub arce inferiori, magnum conspicitur coenobium Minoritarum S. Francisci. Templum Russorum habet turrem e lapide exsurgentem, septentrionem versus, Armeni grandi quoque & pulcro templo gaudent. Hodie in ciuium numerum vix alius nisi Catholicus admittitur. Etiam qui Graecorum, aut Armenorum, aut Iudaeorum sectae adhaerent, nec non Caluini assectis vehementer se opponunt. Turcici mercatores, plerique ex Graecia oriundi, quotannis 500. dolia & plus, vini Maluatici aduehunt. Tori vero Poloniae haec ciuitas sericos pannos, holosericum, pretiosos tapetes, aromata & alias eiusmodi pretiosas merces subministrare solet. Magnam vim mellis & optimos lucios miraे magnitudinis hic dari aiunt, quia in vicinia ciuitatis plurimae piscinae. Nec flumina aut riui desunt, in quibus carpionum, gobiorum, percarum, aliorumque piscium copia, capi solet. Vinum ex Hungaria & Moldauia allatum magni constat, ideo ciues medone siue mulso, quod optimi saporis hic conficitur, contenti sunt. Reperitur hic quoque taberna fusoria, in qua tormenta funduntur. Armamentarium grande & armorum copia instructum. Granarium publicum omnis generis frumento refertum. Typographia ibi quoque extat. In duobus suburbiis vltra 1500. aedes numerantur, & diuersarum religionum templa reperiuntur. Sita est ciuitas ad riuum *Poltew*, qui apud oppidum Busk Bugo miscetur. Horti in vrbe & extra eam amoeni, & vineae nonnullae, vix quotannis 100. dolia, non adeo boni vini reddentes. Armenos *Daniel*, Russorum Rex huc euocauit. Archiepiscopo subsunt Episcopus Praemislienſis, Chelmensis, Camenecensis. Rex STEPHANVS, qui an. 1586. e vita excessit, Senatum in vrbe constituit, ex XXXX. senatoribus, eique cum magistratu regio, de magni momenti rebus ciuitatem concernentibus, omnium ciuium nomine consultandi potestatem dedit, in eo viginti sunt ex mercatoribus, & totidem ex opificum numero. Haec ex dicto vrbium theatro, qui in reliqua vrbis descriptione cum iis conuenit, quae ex atlante relata fuerint. Alii narrant, Bastarnas hanc vrbem inhabitasse, quam eandem fuisse cum ea, quae a Ptolomaeo Carrodunum, & a Polonis Lwow appellatur. Carpiones & lucii hic saliti, plerumque *Pisces Leopolienses* appellantur. Hydromeli vero hic paratum optimum censetur. Polonorum demum historicus *Cromerus* memoriae retulit, Lescum nigrum, Russis, Tartaris & Lithuanis, qui Poloniam vastauerant, deuictis, Russiam inuasisse, eamque vsque ad hanc vrbem vastasse. Vixit tunc temporis, *Danielis*, Regis Russiae, filius LEO, a quo, hunc Polonorum imperum fugiente & in posteriorem Russiam se conferente, vrbem hanc extructam & denominatam putat *Cromerus*. Sed verosimilius est, eum dictam vrbem instaurasse, renouasse & firmiorem fecisse. Quum an. 1340. CASI-

MIRVS II. seu Magnus, eam occupasset & vtramque arcem ligneam, ne Russi illis confisi iterum rebellarent, igne deleuissent, hi se dedentes, nihil nisi religionis Græcanicæ libertatem sibi stipulati sunt. In vtraque arce magna vis auri, argenti, lapidum pretiosorum, vestium sumptuosarum, & magni pretii supellectilis reperta est, vt & Russiæ Ducis thesaurus, in quo duæ cruces aureæ pluribus lapidibus pretiosis ornatæ, & duæ coronæ, sella, & vestis erant, plurimo auro & lapidibus pretiosis multum distinctæ. Omnem hunc thesaurum *Casimirus* in Poloniam secum anexit, ex crucibus vero altera, cui frustum crucis Christi insertum fertur, nostris adhuc temporibus in cathedrali templo Cracouiæ extat. Rex idem istas arces de nouo ex lapidibus constructas, præsidio Polonico firmauit, quas Lithuani an. 1350. aggredi non audebant, circumiacentem tantum regionem ferro & igne vastantes, An. 1361. *Christinus* equestris ordinis, in regis præsentia ab Archiepiscopo Gnesnensi, primus Archiepiscopus Leopolienſis consecratus est, vti docet *Cromerus* lib. XII. & fol. 330. qui lib. XIII. sibi ipsi contradicit, cum an. 1376. Episcopi loco Archiepiscopum constitutum fuisse affirmet. Fieri autem potuit, vt an. 1361. primus Episcopus, & postea, cum plures Episcopi Romani passim in Russia constituerentur, vti *Præmisliæ*, *Vlodimiriæ*, *Camenecі* &c. Episcopi loco Archiepiscopus ordinatus fuerit.

LIDA, oppidum Lithuaniæ, vbi perinde atque Vilkomiriæ, & Wolkowiskæ (quæ Frölichius quoque oppidulis Lithuaniæ accenset) iudicia terrestria sunt, in quibus Nobiles causas suas limitum regundorum discutiunt. Cromerus dicit Lidam arcem, 12. milliaribus a *Vilna* distantem, alibi oppidum, quod vna cum Vilna & Trocio an. 1433. a Suitrigellone flammis deletum fuerit.

LIPOWIEC, oppidulum seu municipium, 5. milliar. a Cracouia, ad Vistulam, versus Silesiam, & in via Viennensi, situm.

LOWICIUM, *Lowicz*, ciuitas, cum arce, in Masouia ad fluuium Bsuram, & in paludibus sita, a IAROSLAO Archiepiscopo Gnesnensi, in loco amœno ex lapidibus quadratis erecta & bene munita, quamuis & situs ipse illam satis muniat. Sedes est Archiepiscopi Gnesnensis, qui simul PRIMAS Poloniæ est, cui præfertur baculus, etiam tympana, durante mensa, pulsantur, honor soli Regi competens. Eius serui non famuli vocitantur, vti reliquorum dominorum, & episcoporum, sed aulici, tanquam Regis. Abundat hæc ciuitas plateis largis, foris amplis, hortis pulcris, templis magnificis, vti est Cathedrale, concinne valde exstructum, cum tribus parochiis & duobus cœnobiis. Copia varii generis opificum hanc ciuitatem Norimbergæ vrbi fere assimilat; in primis propter varia instrumenta bellica, aliaque, quæ in abundantia, & optime ibi conficiuntur, inclaruit. Vbertas terræ nulli in Polonia cedit. Mirum est quod dicunt, in hoc territorio Louicienſi tantum aues niuales inueniri, quas Poloni vulgo *Sniegulas* appellant, non excedentes magnitudinem passeris, bonique saporis, cum niue anuentantes, cum eaque dispārentes, quod legitur in P. VI. theatri vrbium Brauniani. Curiæ & prætoria etiam visu haud digna.

LVBLINVM, illustre minoris Poloniæ emporium, versus orientalem plagam, 36. miliaribus a Cracouia, 24. a Varsauia, 14, a Sandomiria, & 70. a Vilna distat. Inter præcipuas Regni Poloniæ vrbes numeratur, quippe quæ situs amoenitate, ædificiis pulcris & munimentis nulli cedit, licet aliæ quoad magnitudinem atque dignitatem ipsi præferantur. Altis moenibus & profundis fossis septa, magnis circumdata piscinis, piscium plenis. Exornatur adhuc plurimum arce in colle prope piscinam cubante, & naturæ atque artis adiumento probe munita, ex qua trans pontem in vrbem itur. Inter vrbis templa spectabile est B. Virginis templum cum monialium coenobio, cui S. *Brigittæ de triumpho* nomen, cuius ordinis monasteria tantum tria in toto orbe Christiano reperiri aiunt, vnum in regno Sueciæ, alterum hic Lublini, & tertium Dantisci, vt P. VI. Theatri vrbium Braunii tradit. Distinguendum igitur esset inter hunc, & S. Brigittæ, seu Birgittæ, etiam S. Saluatoris appellatum ordinem, cuius coenobium vnum inuenitur Coloniæ in Sione, & duo alia in eodem Archiepiscopatu, de quibus *Ægid. Gelenius* de magnitudine Colon. lib. II. synt. 49. legendus, vbi auctor laudatus S. Brigittam viduam, quæ hunc ordinem fundarit, an. 1373, & filiam eius S. Cathsrinam, adhuc virginem an. 1381. diem

diem obiisse, narrat. Plura vero huius ordinis monasteria inueniuntur, vt ex Bauariæ topographia apparet. *Heluaderus* etiam *in Silua Chronologica Circuli Baltici* memorat, in Daniæ insula Laland, *Maricebi*, monialium S. Brigittæ cœnobium, extitisse, quod an. 1621. demum disturbatum fuisset, monialibus exauctoratis, reditibus vero in vsum Academiæ nobilium Soroënsis in Seelandia collatis. Templum *Conuersionis S. Pauli* cum monasterio suo, est PP. Bernardinorum, templum S. *Spiritus*, lapidibus exstructum, præpositum habet. Collegium Iesuitarum magnificum cum templo *S. Ioannis Baptistæ*, admodum antiquo, vtpote conditorem habente Lescum Nigrum, Poloniæ Principem, ab initio S. Michaëlis appellato; quod cum vetustate aliquo modo collapsum esset, vrbis magistratus instaurauit. Altissima turre gaudet. Haud longe abest S. *Stanislai* templum, iunctum monasterio Dominicanorum, in cuius vicinia, decliuiorem vrbis locum occupante, cernitur S. *Adalberti* templum cum xenodochio: quod sequitur Nicolai templum, vt & aliud admodum vetustum, in quo Russis Græcam suam religionem exercere licet; *Cierkiew*, eiusmodi templum vulgo dicitur. Curia turri pulcra se attollit in medio foro, in qua æstiuo tempore quinque menses, iudiciis, in causis minorem Poloniam concernentibus, consumuntur. Haud paruo quoque vrbi huic ornamento sunt in editiore loco magnifice exstructum *Marci Sobiescii*, Lublinensis Palatini, palatium, & haud procul inde xenodochium, spatiosa ædificia magno ambitu explicans; vt & priuatorum ciuium ædes plurimæ, sumptibus & impensis haud exiguis excitatæ, præsertim in superiori vrbis parte. Iudæi multi & frequentes in suburbiis, vt plurimum domicilia sua habentes, Synagogam possident, omnium Synagogarum in tota Polonia primariam. Terra circa vrbem omnis generis fructus largissimo prouentu subministrat, & eius quidem bonitatis, vt cum aliis iure meritoque certare possint. Ter nundinæ quotannis celebrantur, quarum quæque mensem integrum fere durant. Ad eas accurrunt ex remotissimis etiam terris mercatores, Germani, Græci, Armeni, Arabes, Moschi, Turcæ, Galli, Itali & Angli. Arcem præterlabitur fluuiolus *Bystrzna*, qui deinde in flumen *Wieprz* illabitur. Visu dignæ quoque sunt turris aquæ, & papyri seu chartæ confectio. An. 1205. huius vrbis arcem *Romanus*, Russiæ Princeps, iterum mensem frustra obsedit. Eam an. 1240. Tartari incendio vastarunt, quam instauratam postea *Daniel*, Russorum Rex, astutia militari in suam potestatem redegit, turrim rotundam validioribus operibus muniens et arci præsidium imponens, quam Russi 77. annos in potestate sua habuisse dicuntur: sub rege Poloniæ *Venceslao* demum a Polonis receptam. An. 1344. Tartari eam re infecta obsederunt. An. 1447. vrbes, Lublinum, Znena, Siradia, & Xianzum, prope Miechouiam, incendio conflagrarunt, vt Cromerus diuersis in locis commemorat. An. 1606. & septimo, incendia ipsam in maxima iterum pericula coniecerunt. A. 1664. studiosi Societ. Iesu decem & nouem Iudæorum Lublini domus expilarunt, octo eorum trucidarunt, & quinquaginta vulnerarunt. Ad quod factum puniendum Rex proceres nonnullos eo ablegauit. vid. Tom. 5. Theat. Europæi fol. 1102. a.

LVCEORIA (*Lucko*) ciuitas Volhyniæ, cum duabus arcibus, vbi sedes episcopalis, vt Frölich. p. 329. habet. Est *Luscum* Cromeri, quod Polonorum Rex BOLESLAVS circa an. 1074. fere dimidium per annum obsedit, tandemque certis pactionibus expugnauit. An. 1431. tempore belli, inter fratres Regem VLADISLAVM & Suitrigellonem, combusta, arce tamen conseruata. Ad Styrum fluuium sita est hæc ciuitas.

LOMZA, oppidum Masouiæ, quod an. 1538. tempore quadragesimali, conflagrauit, vti Henneberger. in Tab. Pruss. fol. 264. tradit.

MIECHOVIA, (Miechow) oppidum a Cracouia 5. mill. semotum, in quo, ex Gryphorum prosapia, Eques quidam, nomine IAXA, Canonicis sepulcri Christi templum & habitationem ædificauit. An. 1505. nocte 15. Augusti, totum cum cœnobio & eleganti templo, cuius tectum plumbo obductum erat, incendii flamma consumptum est, quam calamitatem pœnam diuinam fuisse scribit *Matth. a Miechow* vel Miechouia, artium & Med. Doct. ac Canon. Cracov. in Chronicis suis Polonicis a. 1521 Cracov. in lucem editis, lib. IV. c. 85. vlt.

MEREcz Lithuaniæ oppidulum, in via inter Grodnam & Vilnam, situm.

MESERITZIVM, oppidum maioris Poloniæ, in confinibus Lithuaniæ & Marchiæ Brandeburgicæ, prope abbatiam Paradisiensem, non procul a Warta fluuio. Cum Reges, *Matthias Coruinus* Hungariæ, *Casimirus* Poloniæ, & *Vladislaus* Bohemiæ, ad Vratislauiam in Silesia castra haberent, a Silesiis Matthiæ adhærentibus subita inuasione hoc oppidum oppressum fuit, auctore *Boregk* in Chron. Bohem. fol. 580. qui, an. 1474. hæc accidisse, scribit. *Mart. Cromerus* lib. IX. nominat quandam vrbem *Medireciam*, cuius arcem dux Calissiæ, *Bolesaus*, fossis & propugnaculis munire cœpit. Munitione hac nondum perfecta, an. 1269. *Otho*, Marchio Brandeburgensis vrbem militibus suis subito inuasit & incendit: arce vero potiri non potuit. Eodem anno iste Boleslaus territorium Lubussense in Marchionatu Brandeburgensi depopulatus est. Res circumstantes docent, hanc Medirecium eandem cum illo Meseritzio esse. Dav. Frölichius lib. 1. Parte poster. Viator p. 323. vrbem habet Poloniæ Miedzyrzecze, interlimosas aquas & paludes cum arce admodum munita, quæ non nisi fame capi possit. Hunc locum a Germanis aliquot annis frustra obsessum fuisse. Qui vero Germani illi fuerint, & quo tempore hoc contigerit, tacet.

Datur *Miedzyrzec* in Volhynia, ad flumen *Korce*, haud procul ab oppido *Korcet*: item, *Miedzyrzec* prope Strumen & Pless. in finibus Poloniæ, quod, licet mappæ ponant in Silesia, ad Ducatum Osuiecimensem pertinere videtur, quia huius loci, in Silesiæ ciuitatum recensione, nulla mentio iniicitur. Item, *Miedzyrzec*, prope Lukouiam in Podlachia, Masouiam versus, in siluis. P. *Bertius* in explicatione Tabulæ contract. p. 439. refert, in territorio maioris Poloniæ, *Miedzyrzecz*, ligneis domibus compositum, Silesiam & Pomeran. versus situm, sub quo, vt ex situ iudicandum, supradictum Meseritzium intelligit, quoniam mappæ geograph. in regione vrbis Posnaniæ, non Marchiam Brandeburgicam, sed Pomeraniam versus, illud ponunt.

MOSCH, oppidum maioris Poloniæ, in via Vratislauia Posnaniam tendente, quatuorque milliar. ab hac vrbe, in siluis.

NAREW, oppidum Podlachiæ, ad flumen *Narew* prope siluas, inter Krzemien, & Grinki, in via Varsauia Grodnam & Vilnam ducente.

NOCHOW, & *Paluki* oppida, in quorum campis ollæ natura factæ inueniuntur, vt Frölich l. c p. 323. refert.

NOVOGRODECVM, *Nouogrodum*, vrbs satis ampla in Lithuania, diuersa a magna Nouogrodia, versus solis occasum & Livoniam, longe a Kiovia distans, de qua in Livoniæ descriptione diximus. Hoc vero Novogrodecum sedes est Palatini. An. 1390. Lithuani & Teutonici Equites, Iagellonis inimici, eam vna cum Vilkomiria in cineres redegerunt. Sigismundi, magni ducis Lithuaniæ filius, *Michaël*, anno 1452. fato functus, Tartarorum auxilio Seuerienſe territorium, Moscouiæ finitimum, occupauit, vnde inter ipsum & CASIMIRVM III. Regem Poloniæ bellum exarsit. Sed magno Nouogrodeco capto a Moschis an. 1477. Principes Russici Seuerienses sponte ad Moschos, vnam cum ipsis religionem profitentes, defecerunt, vt Cromerus lib. 28. dicit. Idem Nouogrodecum in dicto Seuerienſi tractu memorat, perhibens, quod CORIBVTHVS Vladislai Regis Polon. frater, Nouogrodensium Seuerianorum dux fuerit. Nic. Sanson in tabulis geograph. primo in Lithuania Palatinatum Nouogrodensem, postea in parte Moscouiæ, quæ an. 1644. iuris adhuc Polonici erat, Ducatum Nouogrodensem ponit, quem *Nouogrodek Seuerski* vocat. In Masouia est *Nouigrod*.

ODZIELSKO, oppidulum Lithuaniæ, 5. milliar. a Grodna, in via, qua itur Varsauia Vilnam, Grinki inter & Grodnam.

OLESCVM, (*Olesko*,) prope Buscum & Volhyniæ fines, in Russia nigra. Morte Ludouici, Hungariæ & Polon. Regis, diuulgata, arces Russicas, Cremeneciam, Olescum, Grodum, Lopatinum & Sniatynum, cum suis ditionibus, Hungarorum præfectorum proditione, in Lithuanorum potestatem incidisse, & ab eo tempore Lithuanos Volhyniam sibi vindicare cœpisse, auctor est Cromerus lib. XIV. fol. 337.

OSTRESOW, oppidulum Poloniæ, vbique siluis circumdatum, teste Frölich. p. 322. In maiori Polonia prope Posnaniam mappæ monstrant locum siluis circumseptum *Stensow* dictum.

OSTROW, oppidulum Masouiæ, siue Podlachiæ, in via, qua itur Varsauia Grodnam aut Vilnam, & Kamieniec.

OSVIECIMIA, vrbs principalis ducatus eiusdem nominis, qui hodie ad minorem Poloniam refertur. Septem milliaribus a Cracouia distat, ad Vistulam, Silesiam versus, in via qua Viennam iter fit. In *Augustini* L. B. a *Moersperg*, Equitis S. Ioannis, itinerario sequentia dicuntur, „In hac vetusta vrbe, magna negotiatio est sa„lis lapidei, qui in monte non procul a Cracouia exscinditur, cuius frusta, vigin„ti & ad triginta centenarios ponderant. Vilis pretii sunt, plerumque 10. 11. aut „ 12. florenis vendi solent, & in plateis plerumque iacentes magni ad extruen„da ædificia lapides esse videntur. Paulo duriores sunt cineritii coloris, splendidi instar æris, & quum sit bonum sal, multum consumitur. Hic ducatus Osuiecimensis anno 1454. in Regis Poloniæ possessionem rediit, quamuis *Ioannes*, dux Osuiecimensis, postea non prius acquieuit, quam, pactis renouatis, plus pecuniæ acceperit. Quo facto, omne ius suum triennio post, Regi concessit, vt Cromerus lib. XXII. fol. 503. sq. scribit. P. Bertius affert, in Tab. Geogr. contractis p. 447. seq. hunc tractum, a Germanis *Auschwitz* appellari, vrbem Osuiecimiam e ligno constructam & in planitie sitam esse, arcem habere quoque ligneam limo oblitam, quam limpidum & piscosum flumen Solam, praterfluere dicit, ex montibus Morauiæ oriundum, & haud procul ab vrbe in Vistulam se exonerantem.

PACOSSUM, oppidulum & castrum ducis BOLESLAII PII, an. 1258. in bello intestino a CASIMIRO, duce Siradiæ, Lenciciæ & Cuiauiæ occupatum, referente Cromero lib. IX. fol. 230.

PARCZOVIA, oppidum nullius momenti, in planitie ad lacum, Lublinum inter & Brestam, in via, quam tenditur Cracouia Vilnam, sine dubio est Parsouia Cromeri, qui lib. XXI. tradit, aliquot nobilium conuentus ibi fuisse celebratos.

PETRICOVIA, Piotrkow, vrbs ex principalioribus maioris Poloniæ, in qua Regni Tribunal singulis annis celebratur hyberno, vt Lublini, æstiuo tempore, & quidem in suburbio, vbi regia aula & turris. Ob frequentes Episcoporum & nobilium in hac vrbe conuentus, frequentia etiam sunt ipsorum palatia & domicilia: Rex vero extra vrbem, sed in paludoso loco situm palatium, in nemore admodum amoeno, ex ligno constructum, *Bugay* dictum, habet: quod vero, si *Bertio* fides habenda, ob comitia, quæ non, vt antea, nunc hic habentur, collapsum est. An. 1640. ignem totam exussisse vrbem publicus nuncius attulit.

PIENIN, arx ab ipsa natura munita, non nisi vno, eoque angusto accessu, prædita. Non procul distat a celebri monasterio Sandecensi, vti iterum *Cromerus* lib. X. tradit.

PINCVM, Pinck, in maiori Polonia, vbi an. 1478. salinæ nouæ inuentæ fuerunt, referente Cromero lib. XXVIII.

PINCZOVIA, oppidum munitum, in maiori Polonia. Arx colli imposita, ad flumen *Nidam*, vt Frölich. p. 322. auctor est.

PLOCIVM, (*Plocko*) Plosum, ad Vistulam inter Vladislauiam ac Varsauiam sita ciuitas, in Masouia; licet nonnulli Geographi eam ad Cuiauiam, maioris Poloniæ partem, referant. Sedes Episcopi & Palatini, cui, enumerante Bertio, Bielsko, Raciąż, Sieprcz, Srensko, Mlawa, Plońsko & Radzanow subsunt. Cromerus lib. IV. fol. 71. narrat, quod interregni tempore post Miecislaum, patrem Casimiri, *Mastaus*, alias *Masos* appellatus, dicti Regis Miecislai pincerna, homo potens & animosus, Plocensis ditionis potitus fuerit, eamque de suo nomine Massiam, vel Masouiam, denominauerit. Idem lib. VII. Prussos, duce Conrado, Lechi Albi fratre hanc regionem regente, Plosum, Masouiæ caput, igne deleuisse tradit: templum autem præcipuum ibidem in arce, cum pretiosis ornamentis, antea, igne subito exorto, conflagrasse. Post Goslai mortem hic locus per biennium Episcopo caruit: antequam vrbs incendio consumta fuerit, dictus Dux CONRADVS, *Christinum*, palatinum, magnæ dignitatis virum, bonaque consilia suppeditantem, vita priuauit. Sequutæ sunt Prussorum inuasiones, quibus resistendis quum dux Conradus par non esset, equites Teutonicos an. 1227. in auxilium vocauit, vt supra in descript. Prussiæ dictum. Lithuani an. 1286. hanc ciuitatem occupatam exussérunt. An. 1325. Poloni eam combusserunt, quod Masouitæ Ordini Teutonico adhæsissent. Ab excessu Ducum

Masouiæ, cum regione etiam hæc ciuitas ad Regnum Poloniæ peruenit.

POLOCIVM, (*Polocko,*) vrbs Lithuaniæ magna, ad fluuium Dwinam vel Dunam, qui Ptolomæi *Rubon* est, vbi cum Polota flumine iungitur. Duas arces & Palatinum habet. Teste *Chytræo lib. 24 Saxon.* est Ducatus. *Paul. Oderbornius* in historiis de vita magni Ducis Moscouiæ, Ioh. Basilidis, lit. Oij. ita exponit de hac vrbe: „ Polocium, a Vilna 50. milliar. abest. Fluuiis, Dwina & Polotta, spatioso „circuitu ambitur. Muris, propugnaculis, vallis, & arce munita defenditur. Ali„quando libera, quandoque magistratui subiecta, ciuitas, semper sub Regum ture„la fuit, quibus, bellis ingruentibus, omnem fideliter tulit opem. Hactenus Oderborniis. An. 1563. d. 15. Febr. occupata vrbs a dicto *Io. Basilide* fuit, & Iudæi, qui baptismum admittere nolebant, in Dwinam coniecti et extincti fuere, vti et an. 1554. occupata *Astracano* vrbe. Tartaros, Christianismum recusantes subito trucidari et in flumen coniici iussit, auctore dicto Oderbornio. An. 1569. Rex STEPHANUS hanc ciuitatem obsedit, ac licet Moschi in obsidionibus præ cæteris gentibus fortes, & audaces, defensione forti Polonorum vires aliquamdiu sustinuerint, vltima tamen die Augusti eam recuperauit, postquam per annos XVI. in Russorum potestate fuisset. Porro tres adhuc arces in palatinatu Polocensi sui iuris fecit, *Turoly* nempe, *Sokoly* & *Sussam*. Sokoly quinque milliaribus Polocia versus Plescouiam distans, ac fluentis *Dryssæ* ac *Nyssæ*, accumbens, diutius cæteris vim Polonorum sustinuit. In secunda expeditione an. 1580. potitus est idem Rex duabus arcibus firmissimis, *Velisso* & *Vsuiato*, 26. Augusti arcem & oppidum *Velikoluko* aggrediens. Incolæ, sibi timentes, oppidum & in eo 30. templa incendio deleuerunt. Arx in edito loco, inter *Louaczum* flumen & aliquot lacus, non solum propugnaculis validis, sed etiam vallo crasso & lato, cespitibusque obducto, munita est, & qua parte fluento & lacubus haud ambiatur, ingenti fossa cingitur totum autem circuitum campestris planities complectitur. Rex tamen locum ignibus artificialibus debellauit & in cineres redegit.

Hinc arces *Neuelam*, inter Velikolucam & Polociam, ac *Zawolouiam*, aliaque loca plura, sibi subiecit, vt & Ostrouiam, haud procul a Plescouia ad *Serotam*, fluuium, sitam, ex lapidibus constructam, & vallis ac arce insigniter muniram ciuitatem. Tandem *Plescouiam* ipsam aggressus, eandem, obsidione soluta, iterum deseruit. Quippe pacem an. 1582. d. 15. Ian. cum *Ioh. Basilide* Moscorum Imperatore iniuerat, qua, *Polociam*, cum Velisia & Vsuiato, omnibusque terris, quæ iisdem adhærebant, retinuit, Moschis cæteras arces occupatas restituit. Plura de Polocia, ac insigni eiusdem mercatura, qui scire cupiat, legat *Casp. Ens Delic. Apodem. per German.* p. 307. sq. qui eam ample & prolixe simul cum serie Ducum, cæterarumque ad eam pertinentium ditionum, præsertim Moscouiticæ ciuitatis *Ostrouiæ*. p. 309. descripsit; quæ forsitan ex *Reinoldi de Heidenstein historia belli cum Mosco a Rege Stephano gesti, a Salomone Henningio*, in Chron. Liuon. citata, desumsit. De Plescouia, vrbe Moscouitica, in appendice ad Liuoniam egimus.

POSNANIA, *Posnan, Posen*, regia totius maioris Poloniæ metropolis, ad Vartam fluuium nauigabilem, & *Prosnam* fluentum, inter colles, circiter 50. mill. a Cracouia sita, duplici muro & profunda fossa munita. Domibus altis ex quadratis lapidibus constructis, arceque in edito colle gaudet, & trans Vartam inter dicta fluenta admodum spatiosa sunt suburbia, ingenti lacu aut palude cincta, & ideo nonnunquam cum proxime adiacentibus pagis fluuii Vartæ inundationibus adeo obnoxia, vt ædium tecta & fastigia, vix ex aqua eminentia, ægre conspici queant. Ab hoc incommodo nec ipsa ciuitas satis tuta est, vtpote quæ nonnunquam intra muros id experitur, adeo, vt forum & plateæ aquis tectæ nauicularum vsum requirant. Sed vltra tres dies hæc aquarum effusio non durat, eoque facilius toleranda. Insigne emporium est hæc vrbs, præsertim quoad merces, quæ ex Germania in Poloniam mittuntur. Quotannis tres mercatus hic celebrantur. Episcopi sedes est, qui multis priuilegiis gaudet, inter alia, iure monetam cudendi; possidet, quoque oppida *Crobiam*, antea *Sulcona* dictum, & Slupciam. In primario huius vrbis templo *S. Mariæ Magdalenæ*, eleganti ac alta turri conspicuo, sepulcrum visitur ducis *Miecislai*, qui primus in Poloniæ Regnum Christianam religionem iutroduxit, & hoc templum exstruxit. In ipsa vrbe quoque PP. Prædicatorum conspicitur monaste-

rium

rium, extra eam, versus ortum, in loco perquam amœno, templum cathedrale, seu Episcopale, turribus duabus conspicuum; ad cuius dextrum latus aula episcopalis, ad sinistrum *Collegium Lubrantianum*, ab episcopo huius loci *Lubrantio*, qui gymnasium publicum hic erexit, nominatum: nec non S. *Michaëlis* sacellum, & Canonicorum domicilia. Hucusque fere se exporrigit suburbium *Valisouia*, instar oppiduli. Versus occasum se conspiciendum offert *templum S. Corporis Christi* elegantissimum, cui *Carmelitæ* domicilia sua iunxerunt. Adest quoque ibi *FF. Minoritarum* de Obseruantia monasterium. In boreali ora cernere est. *Martini* templum parochiale, & in vrbe ipsa monialium S. Dominici ordinis monasterium; item S. *Stephani* templum; & Iesuitarum collegium ipsi adiunctum. Palatinus Posnanensis in eodem cum Cracouiensi honoris gradu collocatus est, ad cuius iurisdictionem tributiones postulatas soluere negantibus, milites ciuitatis portas occuparint, eamque spoliis ac incendiis vastarint. Lanciciam forsan hoc Landschutzium fuisse veritati satis consentaneum esse videtur. *Nic. Heluaderus in silua Chronolog. Circuli Balthici* perhibet, an. 1607. horrenda bella & multum sanguinis profusum fuisse, quum *Rokossiani* (ita enim nobiles istos appellat) se regi suo opposuissent.

POSTOW in Masouia, propter collegium Iesuitatum haud ignobile oppidum, vt *Frölich.* p. 324. habet.

PRÆDBORIA, (*Przedbor2,*) oppidulum maioris Poloniæ, in territorio Siradiensi, prope siluam situm.

PRÆMISLIA, (*Przemysl*) vrbs primaria & episcopalis Russiæ minoris, ad flumen *Sanum*. Amplum habet territorium: Episcopi Romani & Græcanici sedes. Solum admodum fertile: & beneficio Sani fluuii merces suas, præcipue vero frumentum & salem, quibic artificiose coquitur, magno ipsorum compendio, in Poloniam ac Prussiam transmittere solent. Iste fluuius ex montibus Sarmaticis (*Carpathis*) haud procul a Teissæ scaturigine, erumpit, & prope Sandomiriam Vistulæ aquas suas admiscet. Horti amœni extra vrbem non desunt, imo viuarium regium, feris varii generis animalibus repletum. In ipsa vrbe visuntur templum Parochiale, Franciscanorum & Dominicanorum cœnobia, ac curia sumtuose extructa. Priuatæ quoque ædes eleganter constructæ sunt. Regia arx supra vrbem editiori loco insidet, ac validis muris & turribus munita est. An. 1069. BOLESLAVS diuitem hanc & omnium rerum copia affluentem vrbem quarto die obsidio-

nis expugnauit ac militibus diripiendam concessit. Russi in arce aqua destituti, & peste afflicti, eam tandem dedere coacti sunt, vita sola, & iis, quæ exportare poterant, seruatis. An. 1498. STEPHANVS, Walachiæ Palatinus, eandem vrbem diripuit & igne vastauit. Hæc calamitas tunc temporis etiam finitimas vrbes: *Radiminum, Iaroslauiam, Prœuorscum*, cæteraequæ huius oræ oppida, & infinitos pagos, direptionibus & incendiis prostrauit, adeo, vt Walachi, Turcæ, & Tartari plus quam 100000. hominum, prædam incredibilem & maximam copiam pecorum ac pecudum secum abduxisse ferantur. An. 1623. Radiminum, Suinicam, Lovo, cæteraque oppida ac pagos, Præmisliæ vicinos, Tartari incendiis vastarunt, vt publico nuntio adlatum fuit.

PROSZEWICE, ad flumen Sozeniauam, vbi palatium regium, in quo Nobilium conuentus habentur.

PVLTOVIA, Pultusko, oppidum Episcopi Plocensis, quod circa annum 1325. Lithuani expoliarunt & exusserunt. An. 1364. & sequente, hoc oppidum iterum, cum arce incenderunt, quibus de historiis *Cromerus* consulendus. Ad flumen Narew situm non procul a *Nouemiasto*.

PYSDRI, oppidulum, ad Vartam, in maiori Polonia citra Posnaniam situm, An. 1331. equites Teutonici illud expugnarunt, incolas cum extrema crudelitate tractarunt, oppidum, templaque exspoliarunt, & postea exusserunt.

RADOMIVM, huius nominis duo loca reperiuntur, vnum, in minori Polonia, ad fluentum quoddam apud *Swolen*, non procul a Bochotnicze, Schidlowiec, & Cazimiria; alterum Wolkowiskam inter & Rudnicum, profecturis Lublino Vilnam occurrens. In horum oppidulorum vno SIGISMVNDVS I. Rex Poloniæ circa annum 1513. conuentum instituit; quod tamen dubio procul in priori Radomio factum est, quod muris vallisque defenditur, & ad Palatinatum Sendomirienſem numeratur.

RAIGRODT, ciuitas & arx Podlachiæ, teste *Hennebergero*, in maiori Prussiæ Tab. fol. 388. secundum mappas non procul abest ab Augustow, ad lacum quendam sita.

RACOVIA, (*Rakow*,) ciuitas haud ignobilis, vbi Photiniani scholas habuerunt, nuperius abolitas, vti D. Frölichius fol. 323. ad annum 1643. refert. Habuerunt quoque typographiam.

RAVA, oppidulum maioris Poloniæ, non procul a Rauamoliczno & Nouemiasto, quæ verò vltima, æque ac Inovlocia, Barsa & Warca, ad amnem Pilczam sita est. P. *Bertius* dicit, Rauam esse ciuitatem e ligno constructam, ad flumen eiusdem nominis, eique subesse oppida Sochaczoniam, Gostininum, & Gambinum, quod apud alios Cambin, in tabul. quoque Gabin audit.

RVDNICVM, oppidum Lithuaniæ, prope amnem *Merecz*, qui apud oppidum Merecz fluuio Nemeno miscetur.

SANDECIA, ad fluuium Donaiecium, aliud fluentum hic recipientem, quod quidam typus Geographicus *Cropuri*, alius *Proprut*, Braunii Theatr. vrbium P. VI. & Cromerus, *Bialam*. Frölichius tandem *Propradum* nominat. Hungariæ finibus & Carpathiis montibus in minori Polonia vicina vrbs, beneque munita. Territorium ad Episcopum Cracouiensem olim pertinebat, quod WENCESLAVS Rex Bohemiæ & Poloniæ permutatione facta, sui iuris fecit, & hanc ciuitatem de nouo exædificauit, relicta tamen potestate Episcopo, huic ciuitati parochum imponendi. Rege CASIMIRO III. regnante *Sbigneus* Cardinalis & Episcopus Cracouiensis, collegium sacerdotum cum prælatis in hac vrbe, quam *Cromerus* Nouam Sandeciam appellat, instituit. In vicinia arx *Lubowlo* conspicitur.

SENDOMIRIA. (Sandomirz,) minoris Poloniæ vrbs, licet non magna, sed ob Palatinatum illustris, qui statim Cracouiensem sequitur, & ad quem plurima, quæ in introitu enumerauimus, pertinent oppidula. Ex editiore colle Vistulam amœno prospectu inspectat, & viginti duo milliaria a Cracouia distat, muro cincta; arx versus meridiem, lapidibus exstructa præcipiti colli (alii dicunt, rupi) insidet, cuius ascensus & descensus difficilis. Naturæ situs & artis opus ipsam vrbem validam reddunt. Iuxta eam duo sunt templa, vnum S. *Iacobi*, alterum S. *Pauli*, vtrumque arboribus pluribus, nemoris instar, cinctum, quo frequenter suscipiuntur peregrinationes. Anno 1240. Tartari hanc vrbem occuparunt, & sequente anno eandem denuo inuaserunt. An. 1259. mense Decembri, a Russis adiuti, iterum vrbe potiti sunt, eamque exusserunt. Arcem dies noctesque, sed frustra, oppugnauerunt, donec Russorum astutia tandem in suam potestatem redegerunt, multum sanguinis innocentis profundentes, pulcriores tantum feminas, libidinis satiandæ causa, conseruantes. Cædendo fessi, vulgus promiscuum segregatim in Vistulam se præcipitare coëgerunt. In arce laniena hominum tanta fuisse fertur, vt cæsorum sanguis in Vistulam se effuderit. In cuius rei memoriam hodierno adhuc tempore quotannis, vltimo Maii, festus dies huius cædis, quasi Martyrum Christi, celebratur, magno hominum concursu, quibus, ex Papæ *Alexandri* IV. concessione, magnæ indulgentiæ donantur, vid. Cromer. lib. IX. p. 232. Laniena hac perpetrata, Tartari arcem incenderunt, ac hinc Cracouiam discesserunt. Sed circa an. 1287. frustra hanc vrbem adorti sunt. Eadem fortuna fuit & Bohemorum, qui eam oppugnantes haud exiguo damno affecti re infecta abierunt. v. *Cromer*. lib. X. *Boregk* contra in annal. Bohem. fol. 250. Sendomirienses haud inuitos in vrbem Bohemos admisisse, tradit.

SKARBIMIRIA, Skarbimir, oppidulum septem milliar. Cracouia dissitum, quo Tartari quoque an. 1240. peruenerunt.

SCHLAKA, inter *Beuten* in Silesia, & Ilkuszum in Polonia, oppidulum minoris Poloniæ.

SECINIVM, (*Setzenin*) elegans oppidulum minoris Poloniæ in ditione Sendomirienſi, in planitie: arx vero excelso scopulo immissa, vnde 13. milliar. iter Cracouiam metitur. Locum celebrem reddunt lapis lazuli & argentum, quæ ex fodinis eruuntur.

SYDLOVIA, (*Szydlow*,) oppidulum minoris Poloniæ, cauponis Iudaicis scatens. Tabulæ Geographicæ, Szydlow, Cromerus, Sidlouum nuncupat. Haud procul ab eo, nimirum apud pagum *Chmelico*, an. 1241. d. 18 Martii, Poloni cæsi sunt a Tartaris, qui hac victoria parta Cracouiam peruerunt. Situs huius loci est in vicinia Vislitzæ, inter Pinczouiam & Ossolinum, proxime siluam, haud procul Chencinio se expandentem.

SIRADIA, (*Sziratz*) vrbs ad flumen Wartam, & vltra eiusdem nominis oppidulum, in minori Polonia, cum arce. Hic numerantur ciuitates *Vielunia*, Sadek, Petricouia, Rosprza, & Spicimiria referente Bertio. An. 1292. Bohemi eam exusserunt, arci autem in paludibus sitæ damnum inferre non potuerunt. V. Cromer. lib. X. fol. 261. *Borgek* vero in Chron. Bohem. fol. 250. scribit, Bohemos Siradiam occupasse, licet arx paludibus insidens diu se fortiter tutata fuerit. Cum an. 1331. Teutonici ordinis equites Poloniam horrendis depopulationibus deuastarent, Siradia, Vneouia, Warta, Stauum, & Schadecum oppidula cum arcibus suis, igne consumta sunt. Siradiam quoque an. 1447. incendium magno detrimento affecit.

SLAVKOVIA, (*Slaukow*) oppidum minoris Poloniæ proxime Ilkuszum & fines Silesiæ, quod an. 1455. prædones incenderunt.

SLVPIA, oppidulum Episcopi Vladislauiensis, infra monasterium *Lysiez*. Ibi in monte templum, propter frustulum crucis Christi celebre, vt Cromerus lib. XVI. refert.

SLVPCIA, Episcopi Posnaniensis oppidulum, in maiori Polonia, satis munitum, ad Wartam, non procul a *Pysdry* situm. An. 1331. ordo Teutonicus illud expugnauit & exussit.

SLVSCVM, (*Sluck*,) ciuitas Lithuaniæ, in cuius vicinia SIGISMVND'VS I. Rex Poloniæ, per ducem exercituum, *Constantinum Ostrogium*, Ducem & Principem in Lithuania, tres Tartarorum exercitus, tribus prælis vicit; hunc propterea ducem *Cromerus* in orat. funeb. dicti Regis, appellat Principem omnium sæculorum memoria dignissimum. Scilicet an. 1514. inter Basseram, Scyrswam, Mscislauiam & Radomi ad Soszam fluuium, Moscouitarum 40000. prostrauit. Etiam sub dicto Rege, ex 24000. Tartarorum, post memoratam cladem, ad Visniouecciam paucissimi euasserunt. Sluscum est caput ducatus, qui ab eo nomen accepit, ad Palatinatum Nouogrodensem pertinet.

SMOLENSCVM, (*Smolensko*) celebris vrbs ad Borysthenem, seu Dnieprum, sita. *Paul. Oderbornius* in historia vitæ Magni ducis Moscouiæ, *Ioannis Basilidis*, de hoc fluuio hæc commemorat: „*Dniepr*, quem veteres Borysthenem nominabant, oritur apud

„pagum *Dnieprſk.* Recentiores negant, quod Dnieper Boryſthenes ſit, exiſtiman-
„tes, flumen *Berezyna*, ad occaſum Dniepro ſe immiſcens, pro Boryſthene ha-
„bendum. Dniepr, primum, verſus meridiem vergens, *Vietmaeam* ciuitatem, po-
„ſtea verſus orientem ſe vertens, *Drohobuſium*, *Smolenſcum*, *Orſcham*, *Dobrouum*, &
„*Mohilouiam* præterfluit. Hinc verſus meridiem, *Kiouiam* alluit, vnde per deſerta
„Tartarorum Precopenſium repens, nouis ſubinde aquis aucta, in pontum Euxinum
„ſe exonerat, a veteribus *Axenos* vocatum. Hactenus laudatus auctor. Olim hæc ci-
uitas cum tota regione ſuis ducibus Ruſſicis paruit. Ex his *Suentoslaus* circa an.
1386. Lithuaniam inuadens, Vitepſcenſi & Orſſanenſi tractibus (cuius ciuitas Orſſa,
vt vidimus, ad Boryſthenem ſita) direptis & vaſtatis, Mſcislauiam, oppugnauit, in-
terfectus tamen, a Polonis & Lithuanis, qui Polocio recuperato, filium eius *Geor-
gium* Smolenſcenſibus Principem præfecerunt. An. 1403. *Vitaudus* magnus Dux
Lithuaniæ, huius vrbis arcem, in quam nobiles & ciues cum vxoribus & li-
beris confugerant, milite ſuo circumdatam occupauit, cæterisque omnibus
oppidis & arcibus in poteſtatem ſuam redactis, totum hunc ducatum Smo-
lenſcenſem in Lithuanicam prouinciam mutauit. Dux ipſe in Hungariam fuga
elapſus, apud Hungariæ Regem, ac poſtea Cæſarem SIGISMVNDVM vixit, tan-
dem in exilio mortuus eſt. Poſt Vitouudi obitum, cum Iagellonis, aut Vladislai
Regis Poloniæ, frater Suitrigello Lithuaniam adortus eſſet, Lithuani vero Vitouudi
fratrem SIGISMVNDVM, Lithuaniæ ducem magnum creauiſſent, Smolenſko, Orſa,
Polocia, Vitepſcum &c. fere tota Ruſſia Lithuanica, a Suitrigellone defecit. Si-
giſmundo deinde an. 1439. a ſuis occiſo, in ipſius locum a Lithuanis contra volun-
tatem Regis, fratris eius, & Polonorum, ſubſtitutus eſt Iagellonis natu minor filius,
CASIMIRVS, poſtea quoque Rex factus, qui magno hominum numero interfecto
Smolenſcum exuſſit, & arcem, quæ aut ad Sigiſmundi filium Michaelem (a dicto Re-
ge Caſimiro poſtea bello petitum, aut ad nominatum Suitrigellonem, an. 1452.
fato functum) defecerat, recuperatam ſibi ſubiecit. An. 1500. magnus Dux Mo-
ſcouiæ *Ioannes*, licet filiam ſuam Helenam Alberto, magno Duci Lithuaniæ & Regis
Caſimiri III. filio nuptum collocaſſet, tractum Smolenſcenſem vaſtauit, quia totum
illud territorium, ad flumen *Berezinam* vsque, quod inter Stryeſſin, & Rzeczicam
prope Horodlo, Boryſteni iungitur, auito iure a ſuo genero poſtulabat. Ideo &
eius filius *Demetrius*, iuſſu eius an. 1522 Smolenſcum obſedit & cepit, arce excepta,
cuius potiri non potuit. Hinc induciis ſexennibus gener, iam Poloniæ Rex, ſocero
reconciliatus eſt. Hoc defuncto, filius *Baſilius*, M. Dux Moſcouiæ aliquoties arcem fru-
ſtra adortus eſt, donec *Michaël Glinſki*, Ruſſicus Princeps, qui apud Regem *Alexan-
drum* magna pollens auctoritate, ab eius fratre & ſucceſſore *Sigismundo* I. ad Mo-
ſchos deſciuerat, cum exercitu ab eo miſſus, eam obſeſſam die 20. vel 30. Iulii ſe-
cundum Caluiſium, an. 1514. proditione & pecunia Lithuanis rurſus extorſit. Sic Moſci
potiti ſunt validiſſima hac arce (quæ vltra 100. annos in Lithuanorum poteſtate
fuerat) in extremis fere Sarmatiæ finibus ſita, vno latere Boryſthenem ſuſtinente,
altero paludoſis & omnem aditum excludentibus locis inſidente, ac propugnacu-
lis ex terra & lapidibus, quæ firmiſſima ligna querna ſepiebant, factis, adeo mu-
nita, vt ex 300. tormentis maioribus, quæ ab Italis & Germanis fuſa, Moſci pe-
nes ſe habuiſſe feruntur, globorum emiſſorum nulli penetrare potuerint, vt refert
Ludov. Decius de SIGISMVNDI I. temporibus fol. 87.

Chytræus lib. I. & VII. Saxon. hanc arcem cum templo in excelſo loco ſi-
tam, & Ducatum Smolenſcenſem per 50. milliaria ſe extendere ait. Eodem anno,
Rex Poloniæ SIGISMVNDVS I. poſt victoriam egregiam per CONSTANTINVM,
Ducem Oſtrogii, d. 8. Septembris ſuper Moſcos, relatam, eam obſidione tentauit,
ſed irrito conatu, manſitque ea tunc temporis iuris Moſcouitici, Polonis ſuo iuri
nullatenus renuncientibus. Imo an. 1548. STEPHANVS Rex per legatum a nouo
M. Moſcoviæ Duce THEODORO, filio *Ioannis Baſilidis*, Nouogrodeci, Pleſco-
uiæ & Smolenſci, quæ vrbes ad Lithuaniam antiquitus pertinuerint, reſtitutionem
poſtulauit, quod legere eſt in *Laur. Mulleri* hiſt. Polon. lit. D. num. II. Poſtea
vero Smolenſci recuperandi occaſio Polonis ſe obtulit.

Baſilides ante vitæ exitum aliam duxerat vxorem, ex qua filium ſuſcepe-
rat, *Demetrium* nominatum, quem dicti *Theodori*, exigui ingenii hominis, affinis Bo-
ris, vt illi ſuccederet, interfici iuſſit; ſed eius pueruli loco alium occiſum, & Deme-
trium

trium ſeruatum, poſtea a Colonienſi quodam in Germania educatum fuiſſe, ru-
mor fuit. Hic *Demetrius* in Liuoniam, ac poſtmodum in Poloniam veniens a Re-
ge, Ieſuitarum curæ & inſtitutioni commendatus, ac tandem cum 5000. militum
in Moſcouiam miſſus eſt, vbi Moſcua vrbe feliciter occupata, an. 1605. menſe Iu-
nio coronatus, Moſcouiæ totius imperium ſibi acquiſiuit. Ac quia Palatini Sen-
domirienſis auxilio præcipue voti compos factus erat, an. 1606 eius filiam in vxo-
rem duxit, quæ magno Polonorum comitatu & inſigni magnificentia ad Moſcuam
adducta eſt. Moſci iniquo hoc tulerunt animo, & Polonorum pertæſi, tumultu d.
27. Maii excitato, *Demetrium* cum multis Polonis trucidarunt, exceptis plurimis ma-
gnatibus Polonis, quos Moſcorum Principes ſeruarunt. Nec mercatoribus pluri-
bus parcitum, apud quos *Demetrius* magnum aes alienum conflauerat. Interea,
dum de nouo Duce magno eligendo Moſci conſilia captant, an. 1610 Poloni Smo-
lenſcum obſidione arcta cingunt, & nouum ducem magnum, cui *Suyſcio* nomen, cum
duobus fratribus & exercitu Moſcouitico aduentantem prælio fundunt, magnumque
Ducem cum duobus fratribus captiuum faciunt: ſequente denique anno ipſam vr-
bem vi recipiunt. Moſci ſine magno erant Duce vsque ad annum 1615. quo im-
perii ſui rectionem commiſerunt *Michaëli Federouitio*, poſtquam a Polonis ac Sue-
cis multa perpeſſi, regio quoque miſere deuaſtata fuerit. Hic eodem adhuc an-
no cum Polonis, cum Suecis vero an. 1617. pacem iniit, eaque tempeſtate Smolen-
ſcum Polonis adiudicatum fuit. An. 1631. Moſci hanc vrbem cum ſua ditione ad-
hærente, benuole a Polonis poſtulauerant, ſimul minitantes, eam vi eſſe recupera-
turos.

Anno 1632. magnus Moſchouiæ Dux, MICHAEL FEDEROWICZ, exerci-
tum 100000. militum comparauit, in quo ſex millia Germanorum erant. Huius vero
exercitus dux *Hermannus Schein*, natione Polonus fuit, qui ante aliquot annos Ruſſorum
religionem profeſſus in Moſchouia domicilium habuit. Hic cum trecentis tormentis,
in quibus tormenta maiora ac baliſtæ multæ erant, menſe Maio, ad obſidendum
recuperandumque Smolenſcum miſſus fuit, quæ quidem vrbs a tam valido exer-
citu facile tunc occupari potuiſſet, cum muro tantum denſo ſine foſſis circumdata,
prætereaque iam muri hiatus, per crebros tormentorum ictus, Germanorum præfe-
ctorum opera, factus fuiſſet, niſi *Scheinius* exercitus dux, aſſultum vetaſſet, & con-
tra Germanos, muri hiatum omnino inuadere conantes, direxiſſet tormenta. Cum
deinde Poloni in vrbis auxilium veniſſent, omnesque aditus prope Smolenſcum,
per quos Ruſſi commeatum, pro exercitu ſuo adducere potuiſſent, intercluſiſſent,
magnus ille Ruſſorum exercitus, obſidione per annum continuata, tandem ſecun-
dum Polonorum arbitrium, niſi fame interire voluiſſet, ſe dedere coactus fuit, qui
relictis omnibus tormentis abire, magnus vero Moſchouiæ Dux magnam pecuniæ
vim numerare debuit. Exercitus Dux an. 34. menſe Iunio capite plexus, filius
eius verberibus interemtus, conſanguinei eius vero in exilium miſſi fuere. Vide *M.
Adamum Olearium in itinerario orientali*, fol. 110. 131 ſeq. Slesuici an. 1647. impreſ-
ſo. In nouo *Meterano part. 4. lib. 52. fol.* 388. ſcriptum eſt, Smolenſcum an. 1633.
a Moſcouitis ſub duce eorum *Michaële Boriſſeuicio Szehin*, vel *Schein*, obſidione cin-
ctum fuiſſe, Moſchouitorum autem exercitum anno ſequenti die XXIV. Febr. &
XIII. Iunii, graues a Polonis conditiones accipere, & inter alia *Smolenſcum*, & *Novo-
grodecum*, *Bialam*, pluresque alias, cum territoriis attinentibus, quæ in principati-
bus Smolenſciæ & Czerniechouiæ ad longitudinem ducenta, ad latitudinem vero
ſexaginta milliaria comprehenderent, Polonis in perpetuum cedere debuiſſe, dictum
autem *Scheinum*, cum filio, die XXVIII. Aprilis anni 34. Moſcuæ, ſecuri, Ruſſorum
more, decollatum fuiſſe. Rerum vero nouarum litteræ poſtea retulerunt, VLADI-
SLAVM Regem Poloniæ, Moſcouitis territorium ad Lithuaniam pertinens *Trube-
ſcenſe* conceſſiſſe. Sed Smolenſco Poloni adhuc potiuntur, vt ex facta, in comi-
tiis Varſauiæ, anno 1646, menſe Octobri, propoſitione, & die 8. Decembris ab
eam conſtitutione, vt præſidium Smolenſcenſe ſtipendia perciperet, de quo propu-
gnaculo in comitiis an. 47. iterum ſermo fuit.

Comes *Maiolin Biſaccioni* in hiſtoria ſua dicit: Smolenſcum: ad flumen Bo-
ryſthenem in confinibus Ruſſiæ & Lithuaniæ ſitum, arte & poſitione valde
munitum

munitum esse, & fol. 119, eo tempore, quo Moscouitæ Smolenscum frustra obsiderent, pulnerem pyrium, in vicepalatini palatio asseruatum, ex improuiso ignem concepisse, qui omnes seruos & captiuos in palatio præsentes interemerit, solo vicepalatino ex omnibus incoluml seruato, qui vi pulueris pyrii per fenestram in campum iectus fuit, palatio toto destructo. Hic scriptor Italus memorat etiam, lib. 5. p. 243. in pace inter Moscouiam & Poloniam an. 1634. initam, stipulatum fuisse, quod Rex & Respublica Polona, magnusque Ducatus Lithuaniæ, vrbes & territoria, *Smolenscum*, *Nouogrodum*, *Bialam* &c. cum duodecim aliis, in perpetuum possideat, neque in posterum Magnus Moscouiæ Dux se principem Smolenscie Czernichouiæque scriberet, tituloque Russiæ nigræ abstineret, neque respectu Livoniæ, Curlandiæ & Estiandiæ postulata interponeret.

Frölichius a. 1643. Smolenscum non amplius Poloniæ locis accenset. Nic. Sanson contra in Tabul. Geogr. an. 1644. hunc locum ad Poloniam refert.

SOLICIVM. (*Solitz*) ad Vistulam, ab *Hennebergero* in Cuiauia positum, & p. 436. *Explicat. Tab. Maior. Prussiæ* dicit, quod in hoc oppido alumen coquatur. Alius Geographus in Pomerelliam illud reiicit, prope Torunium, in ditione Culmensi.

SOBATA, vti Itinerarium, vel *Sebota*, vti mappa nominat Lencicium inter & Louicium, prope Gostininum & Sichlinum, ad amnem *Bsuram*, in maiori Polonia, municipium.

SREMO, oppidum maioris Poloniæ, in cuius vicinia collis, in quo ollæ, vrcei, aliaque vasa, sponte sua crescunt, quæ, e terra eruta, mollia, in aere durescere incipiunt, vt *Neugebauerus* lib. I. rerum Polonicar. p. 8. auctor est.

SZACHISHOWA, municipium Masouiæ, prope Sochaczouiam, Louicium inter & Blonie, profecturis Vratislauia Varsauiam occurrens.

TARNOVIUM, oppidum minoris Poloniæ, vbi PETRVS Episcopus Cracouiensis, rogatu Ioannis de Tarnow, Palatini Sendomirienfis, qui reditiuum suorum partem eum in finem destinarat, collegium Sacerdotum circa annum 1402. hic ordinauit.

TROCVM, (*Troki*,) olim celebris locus in Lithuania, non procul a Vilna, partim in paludibus & lacubus situs. Antiquitus magnorum Ducum Lithuaniæ sedes erat. An. 1390. Dux *Vitouudus*, contra cognatum suum, Vladislaum Regem Poloniæ et magnum Ducem Lithuaniæ, ordini Teutonico adhærens hanc ciuitatem incendit. Hodie Palatini Sedes.

VIELISCIA, (*Vieliczka*) oppidum prope Bochniam et Cracouiam, in minori Polonia, salisfodinis celeberrimum, ob terram tamen vndique effossam et frequentibus cuniculis terebratam, non satis tutam habitationem exhibens. An. 1510 sceleratissimus quidam fossor ex cuniculis exiens, fodinis ac foraminibus ignem subiecit, cuniculos montis, vbique fumo et fœtore opplentem, vt maxima fossorum a fumo impeditorum pars, quo minus per vsitatam viam euaderent, miserè perierit. *Andreas Koscieleckius* fodinarum præfectus, summo terrore perculsus, quum neminem videret, qui descendere auderet, ipse summo cum periculo descendit, comitante ipsum *Seuerino Bethmanno*, Consule Cracouiensi, et tunc fossorum magistro, 90. annum agente, a quo quum iam ob fumum decidisset, in ima montis profunditate seruatus est. Hi duo ignem restinxerunt et fodinas conservarunt. Vid. *Iodoc. Ludov. Decius de Sigismundi I. Regis temporibus, fol. 73.*

VIELVNIA, ciuitas munita, cum valida arce. vid. *Frölich.* lib. I. P. II. Viator. p. 322.

VILNA, (*Wilda*) præsenti tempore vrbs capitalis Lithuaniæ, de qua in Augustini L.B. de *Mörsperg*, Equit. S. Ioh. Itinerario manu scripto hæc leguntur „ Vrbs Vil„na arcem habet magnam, antiquo more exædificatam, muris defensam. Sub„urbia maxima et ampliſſima sunt, inque iis multa millia domuncularum lignearum, „arx Palatino quoque habitationem præbet. Vrbs regiones alias omnigenarum „pellium, cinerum clauellatorum, corii, resinæ, picis, ceræ, aliarumque mercium „participes reddit. Præterfluit eam riuus Vilna, qui Nemeno miscetur, ab anti„quis *Chronon* appellato, et in lacum Curonensem se præcipitante. *Olaus magnus de gentium septentrionalium variis conditionibus statibusue, &c. lib. XI. c. 10. fol. 468.* perhibet, Vilnam a Moscua, capite Moscouiæ, 200. milliaria Germanica abesse. *Georg. Braunius* P. III. Theatri vrbium, *Casp. Ens.* in delic. Apodem.

per

per German. p. 303. *Frölichius* P. II. Viatorii lib. I. p. 327. sq. *Chytræus* lib. XV. *Saxon.* fol. 393. aliique, commemorant, de hac ciuitate, quod inter colles, qua Vilia et Vilna, fluuii, aquas suas congerunt, an. 1305. a GEDIMINO, ex stabuli præfecto Magni Ducis Vithenis, quem interemit, Magno Duce facto, magnamque Russiæ partem acquirente, condita sit, temporisque progressu tanta incrementa sumserit, vt hodie ad Cracouiam ipsam cum omnibus suis suburbiis magnitudine accedat. Incolæ *Vielsczki* eam appellitant, Germani *Wilda*, quæ nomina perinde ac Latinum a flumine ortum habent. Anno 1506. muro circumdari, non tamen vbique, cœpit, & hodie, extra belli periculum, portæ non clauduntur. Ampla est & spatiosa: sed in ædificando nullus ordo seruatus, domus plerumque ligneæ, humiles, asseribus aut scandulis tectæ, vbi v.g. cubiculum a culina, aliisque habitationibus haud distinctum; stabula parua et pecoris multum. Duæ, aut aliquot tantum sunt plateæ, ab exteris, præsertim Germanis, habitatæ, vbi elegantia ædificia ex lapidibus erecta conspiciuntur. Religionum et nationum ibi magna diuersitas, extra vrbem Tartari etiam habitant, Mahometanæ superstitioni addicti, ab eo tempore, quo vel victi huc delati, vel intestinis bellis patria expulsi, vel contra Teutonicum ordinem in auxilium acciti, in Lithuaniam venerunt, qui vsque ad hodiernum diem agros a Vitouudo, magno duce Lithuaniæ, circa annum 1396. in flumenis Vacæ vel Wakæ, haud procul ab vrbe præterfluentis vicinia concessos, sedulo excolunt, curribus suis iter facientibus operam præstant, ex suis legibus viuentes honeste se gerunt, cæteris vero in rebus Regem Poloniæ Dominum agnoscunt, auctore *Cromero* lib. XV. p. 367. Jagello, magnus Dux Lituhaniæ, Christianus, simulque Rex Poloniæ factus, templum cathedrale in honorem S. STANISLAI erexit, magnis reditibus donatum, et a *Bozenta* Archiepiscopo Gnesnensi, consecratum. Primus ei Episcopus, *Andreas Vassilo*, nobilis Polonus, præfectus est, qui tanquam Episcopus Catholicus Archiepiscopo Leopolienfi subiectus est, ipse vero omnibus imperat Russiæ Episcopis, Græcanicæ religionis addictis, quanquam Kiouiensis, Russiæ se Metropolitanum esse dicat, eaque re, hoc iuris in cæteros Russiæ Episcopos sibi vindicare antehac non dubitauerit. Palatinus huius loci inter Palatinos Lithuaniæ primarius, amplamque iurisdictionem, magni Ducis vel Regis nomine, exercet. NICOLAVS RADZIVILIVS, Dux Olikensis et Nieswiecensis ac Palatinus Vilnensis, an. 1565. aut 66. vita functus, primus Euangelicis exercitium religionis in suo palatio reliquit, et bibliis ex Hebr. et Græca in Polonicam linguam transferendis et typis exscribendis, 10000. flor. impendit. Ipsi adtribuitur, quicquid euangelicæ religionis in Lithuania reliquum est. SIGISMVNDO AVGVSTO Regi admodum charus et familiaris fuit. Quatuor filios habuit, qui religione paterna relicta, ad Catholicam se receperunt; ii fuere *Christophorus*, *Georgius*, Cardinalis, *Albertus*, qui anno 1586. *Annam*, *Gothardi* Curlandiæ Ducis filiam in vxorem duxit, et *Stanislaus*. Vid. *Chytræi Saxon. lib. XXI. fol. 558. & Lundorpii Contin. Sleidan. lib. VI. p. 695.* Dux ille Christophorus forsan fuit *Nicol. Christophorus Radziuilius*, Dux Olikæ et Nieswiecensis, S.R. Imperii Princeps etc. Eques Hierosolymit. qui iter suum in terram sanctam aliquot epistolis descripsit, et propriis sumptibus grandem illum typum Lithuaniæ geographicum, an. 1613. iterum, sed non admodum accurate impressum, ac postea in minorem formam redactum conficiendum curauit. In vrbe palatium regium, siue arx inferior, ex lateribus constructa, satis ampla et magnifica, quam *Curuam* vocant: Superior, siue castellum pariter ex lapide ædificatum, duabus turribus se attollens, monti imposita, ad cuius radices armamentarium, in quo varia genera armorum visuntur, licet in tota Lithuania nullas metallifodinas reperiri dicatur. Alteram, de qua retulimus, arcem SIGISMUNDVS I. Rex Poloniæ exædificare cœpit, quam filius, SIGISMVNDVS AVGVSTVS ad finem perduxit, ibique Bibliothecam, omnis generis libros complectentem, instituit. Templa vt plurimum lapidea, ex parte quoque lignea, quæ inter eminet Bernardinorum monasterium, lapidis cæsi structura eleganti superbiens. Cancellaria, Germanorum domus, curia episcopalis, curia Palatini, templum Graecorum, Russorum domus, in qua Russi omnis generis pelles pretiosas ex Moscouia allatas vendere solent, Collegia denique patrum Soc. IESU cuncta sunt ædificia visu digna. Passim in plateis putei extant, vnam scaturiginem prope portam Germanicam habentes, quæ tamen aqua non optima putatur. Ce-

reuisia

reuiſia mala, vinum & piſces (propter incolarum multitudinem & fluminum inopiam) cari conſtant, multum bonum, cæteraque quæ ad victum pertinent, ſatis modico pretio comparantur. Multi hic dantur cæci, quod ex caminorum defectu prouenit, item, ex immoderato vſu allii, mulſi, vini cremati &c. Quamuis vrbs magna, nulla tamen xenodochia pro pauperibus. Huc maxime iter fit tempore hyberno, paludibus gelu concretis. Suburbia haud bene ſunt collocata, neque nominibus diſtincta, vrbs quippe innumeris vilibus, ex aliquot lignis compactis domunculis circumdata, quarum multæ transportari poſſunt. Nullus ibi platearum ordo. Incolæ harum caſarum, & varii in vrbe, rudes admodum ſunt homines, feri inhumani, pigri, inertes, maximam partem mancipia, quæ dominos amant & eo plus faciunt, quo magis ab iis vapulant. Suppellex vilis. Pater cum matre, infantes, & pecudes, omnes vna habitatione fœtida contenti. Puerpera ſcamno duro pro lecto vtitur, tertia aut quarta die ad laborem rediens. Lectorum non magnus in hac vrbe vſus, ditiores, in primis nobiles, non niſi pelle vrſina vtuntur, & iſti nobiles non niſi veſtimentis pretioſioribus, auro & argento exornatis, cognoſcuntur. Ciues, vxores pulcris indumentis & armillaribus decoratas videre amant. Extra portam, quæ Regis palatium, ſeu arcem inferiorem, ſpectat, dimidium milliare ab vrbe, SIGISMVNDVS I. Rex domum recreationi Regum deſtinatam, ex ligno exſtruere curauit, cui nomen *Werſupa*, h. e. iuxta aquas, quæ proximæ ſunt. In viuario ipſi adiuncto, animalia & feræ plures nutriuntur. Regiomonte ex Pruſſia Vilnam iter facientibus ad tertium milliare ab vrbe poſt horridam ſiluam, atque altum deſcenſum, occurrit vallis repleta pagis & vicis pluribus, vbi Tartari domicilia ſua habent, & altero tantum milliari ab vrbe abſunt. Sed etiam ſuburbia, vti diximus, Tartari inhabitant.

Anno 1390. *Vitoudus*, poſtea magnus Dux Lithuaniæ, Crucigerorum fratrum auxilio adiutus, inferiorem arcem in vrbe ipſa ſitam, obſidione cinxit, quam proditores quidam Lithuani & Ruſſi incenderunt, ita vt in ea 14000 hominum pestum iuerint. Superiorem arcem Poloni defenſione animoſa tutati ſunt. Sequente anno idem *Vitoldus* cum Crucigeris rediit: ſed præfectus vrbis *Ioan. Oleſnicius* vrbem incendio, ne hoſtes in ea commorari poſſent, deleuit.

Anno 1513. die 21. Februarii arx incendio conflagrauit (quod de ſuperiori procul dubio intelligendum) Anno 1562. IOANNES Finlandiæ dux, poſtea Sueciæ Rex, Vilnæ cum SIGISMVNDI AUGUSTI, Poloniæ Regis ſorore, *Catharina*, nuptias celebrauit. An. 1581. magna hic ſeditio orta eſt, eo quod Lutheranorum, Caluiniſtarum & Ruſſorum libros Epiſcopus igne exuſſit.

Anno 1610. Moſci de clade, qua Smolenſcii a Polonis affecti fuerant, vindictam ſumpturi, vrbem obruerunt, ac incenderunt, adeo vt 4700. ædes cum inferiore arce, ſeptem templa Catholicorum & tria Reformatorum in cineres redacta fuerint. Regina Poloniæ tunc temporis ægre naui euaſit, pluribus virginibus ex gynæceo ipſius alia naui ſubmerſis. Vide *Seth. Caluiſium in Append. huius anni fol.* 882. qui ſeq. folio narrat, quod an. 1611. Pontificii, *Scargæ* S. I. inſtinctu proteſtantium concionem in templo oppreſſerint, *Croſnovicium*, S. Theol. Doct. de ſuggeſtu in terram præcipitem dederint, vt crus fregerit, & corpore vehementer læſus fuerit, ac ſcholæ rectorem, cæterosque eccleſiæ miniſtros, adeo male tractauerint, vt ſemianimes ex templo domum delati fuerint. Anno 1644, a literarum ſtudioſis magnus ſuit tumultus excitatus, ad quem comprimendum Rex generalem excubiarum præfectum *Oſſinski*, Regi charum, cum 400. militibus Vilnam miſit, qui hoc in tumultu multis cum militibus periit, vti dicitur in *tom. 5. Theatri Europ. p.* 291. *b.*

VISLICIA, (*Wiſlicza*) flumini Nidæ aſſidens, oppidulum minoris Poloniæ in palatinatu Sendomirienſi, ſupra Corcinium, ligneis ædificiis conſtans. BOLESLAUS CHROBRI, Rex Poloniæ, quem & *Chabrum* vocant, arcem, vno milliari abhinc, cui nomen *Chrobers*, exædificauit. A Cracouia nouem milliaribus diſtat Viſlicia, in ſcopulo, dicti fluminis aquis immerſo, poſita, per anguſtum aggerem & pontes, qui inſtrumentis tractoriis leuantur, accedentes admittit. Iſtæ aquæ late patent, limoſasque paludes faciunt, in quibus ſerpentes, noxiaque inſecta progignuntur.

Anno 1134. Hungarus quidam, prodidit hanc vrbeculam Ruſſis, qui nocte intempeſta

intempeſta occupatam incenderunt, poſtquam maiorem incolarum partem, ſine vllo ſexus & ætatis diſcrimine trucidarunt, nobiles vero ac diuites cum ſpoliis pecorum inſtar, gregatim abegerunt. Præmii loco proditori oculos effodiendos, & linguam ac virilia exſecanda curauit Ruſſorum princeps IAROPELCVS. Vide *Cromer.* lib. V. fol. 132. A. 1291. Bohemorum in poteſtatem deditione venit hic locus, mox tamen a Polonis receptus. Poſtea Poloni WENCESLAVM Bohemiæ Regem, Poloniæ regno præfecerunt, electo VLADISLAO LOCTICO, qui aliquot loca, & inter ea quoque Viſliciam cum arce *Pelciſca* recepit, ac WENCESLAO fatis functo, Poloniæ Regnum retinuit.

VISNICZA, oppidulum & arx, vbi an. 1643. STANISLAVS LVBOMIRSKI, Palatinus - - ſedem ſuam fixit, vid. *Dauid. Frölich* p. 323.

VLA, ad Dwinam, fluuium, ibi Vla flumine auctum. Inſigni munitione celebris locus Lithuaniæ, prope Vitepſcum, regnante SIGISMVNDO AUGUSTO, Rege Poloniæ, contra Moſcos erectus, de quibus etiam an. 1563. 1564. per Polonici exercitus ducem *Nicol. Radziuillium*, Ducem in Dubinſki & Bizre, inſignem reportauit victoriam. Ruſſorum ſub duce *Suiſcio* ad 30000. fuiſſe dicuntur.

VNEOVIA, (*Vnieow*) oppidulum minoris Poloniæ, in vicinia vrbium Kaliſz & Warta, an. 1331. combuſtum, ſed poſtea reædificatum. An. 1376. conuentus eccleſiaſticorum hic habitus fuit.

VARSAVIA, Varſouia, (*Warſzaw*) Warſchau, hodie metropolis Maſouiæ, Reginarum olim, forſitan & hodie dotalitium. Hic comitia Regni haberi ſolent. *Aug.* L. B. de *Mörſperg.* S. Ioh. Eques, ſequentem huius vrbis deſcriptionem in Itinerario ſuo ſuppeditat „ Ipſa vrbs non magna, ſed ſuburbia, domus ac templa elegantia: duo quoque hic ſunt palatia regia, non adeo grandia, & ſibi proxima. Propter ſitum commodum comitia admodum frequentia hic habentur. Ad Viſtulam ſedet. Numerus hominum tempore comitiorum huc venientium, ſæpe 60000. excedit. Multi ante vrbem tentoria ſua figunt & ibidem commorantur, inſtar militantium. Gens generoſa nimirum, & magnifica, nimis in veſtimentis ac equis luxurians, ita vt ſæpe nonnulli omnia ſua bona in corpore gerant. In campis prope Viſtulam, extra vrbem palatium grande & amplum, e ligno compoſitum, in loco valde amœno ſitum eſt, vbi Rex æſtiuo tempore, in primis menſe Auguſto habitare ſolet, iam ſatis vetuſtum, tantum vnius cubiculi altitudinem habens, longis grandibusque ſcandulis tectum. Interius in omnibus hypocauſtis & cubiculis parietes, vermibus & nigredine deformati, tapetibus ex corio deaurato tectæ ſunt. Prope palatium hortus variis plantis repletus, valde iucundus, iuxta præterfluentes aquas. Hactenus laudatus auctor.

In P. VI. Theatri vrbium *Braun.* & in *Frölich. P. II. Viatorii lib. I. p.323.* ſq. aliisque, hæc leguntur: Vrbs foſſa & duplici muro cincta, & pari fere, 40. ſcilicet milliarium interuallo Poſnania & Cracouia diſtans, atque ita quaſi in medio regno ſita. Duabus conſtat partibus veteri & noua vrbe, quarum illa, Maſouia a Polonis in poteſtatem redacta, ædificari cœpit, propriam ſuam iurisdictionem habens. Vtriusque ædes tum publicæ, tum priuatæ, ex lapide conſtructæ. In veteri conſpicua Canonicorum domicilia, in noua duo templa magnifica, Parochiale B. Virginis Mariæ, alterum Clericorum regularium cœnobium. Vrbi adhærent ſuburbia grandia, pulcreque ædificata, oppidulis peculiaribus ſimilia, ac opificibus artificioſis abundantia. Verſus orientem conſpicitur arx Regia, lapidibus partim cæſis, partim coctis conſtructa, e cuius regione Bernardinorum cœnobium. Extra vrbem ſacellum SS. Trinitatis viſitur, pro veteranis militibus, beneque de republica meritis. In eius vicinia nouum templum, nuper pro Dominicanis erectum, verſus occidentem vero prope ſacellum, ſiue oratorium S. Spiritus, ex lateribus ſtructum, xenodochium. Viſtula fluuius, ad Varſauiam ſatis latus & profundus, ſtratus fuit ligneo ponte, 1150. paſſus longo, a Rege SIGISMVNDO AUGUSTO ædificato, & ab eius ſorore ANNA, demum perfecto. Impetus & aquæ & glaciei ante aliquot annos ita illum peſſundedit & abſorpſit, vt hodie plane euanuerit, vide *Theatr. Vrb. Braun. ad an. 1617. Frölichius* eum pontem an. 1643 adhuc vidit, & aſſerit, p. 334. in Europa longiorem non extare. Cromerus lib. XVI. tradit, Canonicatum iſtum cum templo S. Iohannis in veteri ciuitate, de quo ſupra retulimus, circa an 1403. &

1406. fundatum, & a IOANNE, duce Masouiæ in eum vsum, multis reditibus fuisse dotatum. In hoc templo desponsatio facta est Regis Poloniæ VLADISLAI IV. & Ducis de Nevers an. 1646. d. 10. Mart. vespertino tempore, postquam hæc Viasdowæ, paruo dimidio milliari Varsauia distantis, ob regis infirmitatem aliquandiu commorata fuerit.

VARTA, ciuitas maioris Poloniæ, ad fluentum eiusdem cognominis, satis grandis & eleganter exædificata. An 1331. ordo Teutonicus hanc ditionem vastauit, oppidum cum arce incendio fœdatum, postea paulatim instauratum est.

VISSEGRADVM (Wischegrad,) ad Cuiauiam refertur. An. 1329. Teutonicus ordo, a Bohemis adiutus, & arcem Naclo vi occupauit, & igne fœdauit, ac tandem arce Razianzo potitus est, referente Cromero. An. 1370. post mortem Casimiri, Regis Poloniæ, Zemouitus, Dux Masouiæ, hanc arcem cum cæteris, Raua nempe, Gostinino, & Sochaczouia, in potestatem suam redegit, eodem Cromero teste. Vissegradum a nonnullis Geographis ad Masouiam refertur, & prope Vistulam inter Czermielko & Zakroczimum, infra Plociam, ponitur.

VITEPSCVM, Witepsk, propugnaculum eximium in Lithuania contra Moscorum inuasiones, inter Vlam & Surassum, ad Dwinam fluuium. Dav. Frölichius nominat illud vrbem grandem, cum duabus arcibus, omnium munitissimis in Polonia. Abhinc Vilnam 80. milliaria numerantur. An. 1580. Rex Stephanus in expeditione contra Moscos, huc peruenit, & arces Velisam, Vsuiatam, Vielolukam, Neuelam & Zaualouiam occupauit; vid. inter alios Chytræus lib. XXIV. Saxon. Sedes est Palatini.

VLADISLAVIA, (*Władisław,*) primaria Cuiauiæ vrbs & Episcoporum sedes, quam Honoldus Italus, Episcopus, an. 1173. Crusuicia huc transtulit. Post an. 1259. Pomerelliæ dux, Suantopelcus, eam, tunc temporis a Conrado, duce Masouiæ, possessam, deleuit, & arcem Nakel occupatam muniuit, vt *Micrælius lib. II. Pomer.* p. 278. refert. An. 1328. Ordo Teutonicus in Prussia, Dobrina arce capta, Vistulam (ad quam Vladislauia sita) transmisit, & primo mox impetu hanc vrbem, sui iuris factam, incendit; sacerdotum vitae quidem parcitum, sed ipsis mandatum est, vt nulla in posterum ibidem aedificia excitarent. Episcopatui tunc praerat Matth. Golanzovius, Paluka cognominatus, Sclauonici, Burggrabii Naclensis filius, ex Toporeorum prosapia, cuius mater vno parto 12. filios enixa fertur, ex quibus omnibus ille solus superstes fuit, caeteris mox post partum vita functis, vt auctor est Cromerus lib. XI. fol. 288. Postea autem nouum templum in hac vrbe, priori Cathedrali sub arce simile, vt & aliud in S. Martyris Vitalis honorem erexit, ac praeterea arcem huius vrbis, vt & Razianzenam ex lateribus constructit & muniuit. Sunt autem duo Razianzi nomine loca notata, alter hic in Cuiauia & alter in Masouia, teste Cromero lib. IX. Sunt qui hanc vrbem Cuiauiam nominent, regionem cum metropoli confundendo. Bohemos eandem an. 1300. occupasse, tradit *Boregk* in Chron. Bohemicis. Vid. supra Inowladislauia. *Bertius* ad Vladislauiam refert Bydgostiam ciuitatem.

VOLODIMIRIA, (Wlodimirz,) Wladimiria, ciuitas Volhiniae, a Rege CASIMIRO III. seu magno, circa an. 1363. muro cincta, & in bello fraterno Wladislaum Regem inter & Suitrigellonem, combusta.

WOLKINIKI, oppidum Lithuaniae, ad flumen Merecz, in via, qua Varsauia & GrodnaVilnam iter fit.

WOLKOWISKA, ciuitas satis grandis in Lithuania, ad amnem Ross, inter ciuitates Grodecum & Slonimum, vbi iudicium Nobilium celebratur. Cracouia Vilnam euntibus se offert.

ZAMOSCIUM, (*Zamość,*) noua ciuitas a Braunio in P. VI. Theatri vrbium, & a Frölichio in Viatorio ad Poloniam, in tabula vero geographica adhuc in Russia nigra, sed in confiniis minoris Poloniae, posita; quod etiam a Nic. Sanson in Tab. Geograph. factum, qui hanc vrbem ad Palatinatum Leopolienſem refert. *Georgius Dousa* in suo itinerario Constantinopolitano ad patrem scribit, se Camenecia Leopolim, inde Belzam, vbi Nobilium Russiae curia iudicialis, ac porro Zamoscium profectum, a conditore huius nouae vrbis, IOANNE ZAMOSCIO supremo Regni Poloniae Cancellario, & totius exercitus Polonici Praefecto, alienae quidem religioni addicto, humanissime tamen exceptum fuisse; in cuius laudibus prolixus

fixus armamentarium Zamoscense valde laudat. Celeberrimus hic regni Poloniæ Cancellarius supremus, Regibus STEPHANO & SIGISMUNDO III. in adipiscenda Poloniæ corona, valde fuit aduenimento. Anno 1605. d. III. Junii, ætatis anno sexagesimo tertio, apoplexia correptus obiit, cum hanc vrbem, funditus ad fluvium *Wieprz* in loco sano & amœna planitie, adiectis muris, fortibusque contra hostium incursiones vallis, extruxisset, indito *noui Zamoscii* nomine, quod differt ab *antiquo Zamoscio*, arce, a qua familia nomen trahit, quamque idem Cancellarius iam antea bene munari, nouisque ædificiis exornari curauit. In dicta vrbe valde pulcrum templum artificiose exædificari variisque picturis pretioseque supellectile ornari iussit, constituto in vsum illius Decano insulato cum canonicis, quorum reditibus large prouisum. Academiam quoque ibi fundauit, STEPHANI Regis tempore, finiteque cum Russis bello, variis ex regionibus professores sacræ Scripturæ, utriusque iuris, medicinæ, artiumque liberalium aduocauit, prouentu pro Academia in perpetuum ordinato. Ciuibus etiam priuilegia egregia, nobilium Polonorum fere æqualia, concessit, & ab omnibus oneribus, aliis vrbibus impositis, liberauit, de iure quoque suo, quod ei in ciuitatem, aliosque sibi subditos, competebat, pro se suisque successoribus & hæredibus decessit, & obtento perpetuo libertatis priuilegio, iudicio Regio supremo subiecit, quod quater celebratur ibi quotannis, & ad quod aliæ etiam ciuitates legatos suos mittere solent. Montem quoque pietatis ibi erexit, vt indigentes pecunia ciues, alique egeni, auxilium ab eo habere possint, quem in finem certam pecuniarum summam destinauit. Ea re variarum gentium incolæ, Poloni, Græci, Armenii, Hispani & Germani, magno numero huc venerunt. Templa conspiciuntur *S. Thomæ, Stæ Crucis,* Armenorum & Russorum seu Græcorum, nec non *collegium*, arx, curia mercatoria, prætorium in foro maiori, & supra memoratum armamentarium. Tres habet portas, Lublinensem, Leopolensem, & Jenowieczensem. In nouo *Jansonii* Atlante dictum est, octo fortibus vallis, magno & crasso aggere, profundaque fossa *Zamoscium* esse munitum.

Zator (*zatoria*) caput ducatus eiusdem nominis, versus Silesiam, ad Poloniam minorem & palatinatum Cracouiensem pertinet. Arcem habet prope amnem *Skauda*, in Vistulam influentem. Rex SIGISMUNDUS I. hanc vrbem cum territorio, Poloniæ regno adiunxit, teste *Bertio in explic. tab. contr. p. 491. & Martino Cromero*, in oratione funebri, in memoriam eiusdem regis habita.

Zawichostum (*Zawichost*) oppidulum in Polonia minori, duobus milliaribus a Sandomiria ad Vistulam situm, vbi & alius amnis influit. Prope hoc oppidulum anno 1205. Russorum princeps, *Rodignus*, a Polonis præsio victus in fuga perit. Anno 1240. arcem Tartari combusserunt. Hic BOLESLAUS PUDICUS religiosorum cœnobium *Stæ Claræ* dicatum ordinis Sti Francisci, adiectis viginti quinque pagis, fundauit, quos Tartari cum Russis anno 1259. deuastarunt.

Petrawin vel *Petrawin* paulo inferius iuxta Vistulam inter oppidulum *Zawichost* & Casimiriam; in territorio Lublinensi, situm, vbi S. *Stanislaus*, Episcopus Cracouiensis, nobilem Polonum, *Petrum* nomine, a mortuis excitasse, secumque coram iudicio sistisse dicitur, auctoribus *Mart. Cromero de rebus Polon. lib. 4. fol. 85. & Matthia de Miechovia in Chron. Polon. lib. 2. c. 19. fol. 47. seq.*

Czenstochovia (Czenstochow) oppidulum ad Vartam in finibus Silesiæ, inter *Globocko & Olstin*, in Polonia maiori situm, quod Bohemi ab eorum rege anno 1466. contra Vratislauienses missi vna cum cœnobio depopulati sunt.

Sneina, vel *Snena* oppidulum, quod ordo Teutonicus anno 1331. exurendo deuastauit in Polonia maiori situm, sub iuris dictione Archiepiscopi Gnesnensis, ex loci positione munitum. Anno 1447. hoc oppidulum incendio fuit deuastatum.

In Historiis & alia adhuc memorantur loca, nempe *Brzest*, vbi palatinus est; *Sanocum*, vbi VLADISLAUS Rex, antea IAGELLO dictus, cum tertia coniuge ELISABETHA *Pilecia*, *Ortonis* palatini Sandomirien sis filia, tunc temporis vidua, nuptias celebrauit: *Nepolomicia & Leczium* quæ loca vna cum aliis ad Archiepiscopum Gnesnensem pertinentia, mortuo Rege Ungariæ & Poloniæ LUDOVICO, ideo combusta fuere, quia Archiepiscopus a partibus Ducis Masouiæ stetit. *Nessouia*, nunc *Diebau* dicta, e regione Torunii, ad alteram Vistulæ ripam, in Cuiauia sita, de qua supra, cum sermo de *Inovladislavia* fuit, dicta quædam fuere, CROMERUS vero hæc memoriæ prodidit: *Nessoviam oppidum Rex in gratiam Torunensium in superiorem Vistulæ ripam transtulit, domus, quæ in veteris oppidi loco relictæ erant, vici speciem præ se ferebant*, &c. Quia vero exacta eorum notitia caremus, indicatis nominibus sumus contenti.

Prussiam ac Livoniam quod attinet, quas provincias plurimi scriptores ad Poloniæ regnum referunt, *Pomerellia* quidem, quam regionem multi sub Prussiæ nomine comprehendunt, omni ex parte ad Poloniam, Prussia vero ex parte tantum pertinet, altera autem pars ad Electorem Brandeburgensem iure feudi spectat. Hæ Provinciæ ex caussis supra in introitu memoratis separatim in libro singulari descriptæ fuere. Sic Livonia, vi inducarum Anno 1635. inter Sueciæ & Poloniæ regna ad viginti sex annos factarum, sub Sueciæ dominio est, exceptis iis, quæ Dux Curlandiæ & Semigalliæ possidet. Ut vero lector benevolus loca in his prouinciis notiora sciat, peregrationis loco hic, in fine ea adiicere volui. Sunt nempe sequentia in Prussia & Pomerellia.

Allenburg in Prussia
Allenstein, Polonice *Olsetynek* in Prussia.
Althaus vel *Starigrodum*, in Culmia.
Angerburg in Prussia
Bartenland, &
Balga ad sinum Curonicum in Prussia.
Barthen &
Bartenstein in Prussia.
Birgast in Pomerellia.
Bischburg in Prussia.
Bischmark in Pomerellia.
Bischstein &
Bischofswerder vel *Biskopice* in Prussia.
Brandenburg, *Braunsberg*, *Breichem* &
Brodnitz in Prussia.
Buhau in Cassubia.
Cavernik et Christburg in Prussia.
Conitz in Pomerellia.
Creutzburg in Prussia.
Culm in Culmigeria, quæ ad regnum Poloniæ pertinet.
Culmensee etiam in Culmigeria.
Dantiscum, in Pomerellia, quæ regio, vt supra dictum, omni ex parte Regi Poloniæ paret.
Derschau, in Pomerellia.
Domptau, in Natangia Prussiæ.
Elbing in Prussia.
Eylau & Borussicum & Germanicum, duo oppidula in Prussia.
Fischhausen, *Fogelsang*, *Frauenberg & Freystatt*, in Prussia.
Fridek, in Culmia.
Fridland, alterum in Borussia, alterum in Pomerellia.
Gardensee, *Garden*, *Georgenburg*, *Gerdauen*, *Gilgenburg*, *Goldap*, omnia in Borussia.
Golba vel *Golup*, in Culmia.
Graudentz & Gurstat in Prussia.

Hammerſtein in Pomerellia.
Heiligenpeil in Pruſſia.
Heilsberg in Pruſſia.
Heele in Caſſubia.
Holnſtein, Holland, Johansburg, Inſtenburg, Königsberg (Electoris Brandeburgici, vti Ducis Pruſſiæ vrbs capitalis) *Labiau*, hi ſex loci omnes in Pruſſia.
Landek et Lanzig in Pomerellia.
Landsberg in Pruſſia.
Leſſen vel *Laſzein* in Culmia.
Levenburg vel *Lemburg* in Pomerellia.
Leuenburg in Pruſſia.
Letzen, Libmühl, Libna, Libſtat, Lick, Lobau, Marggrabowa loci omnes partim in Pruſſia, partim in Culmenſi tractu, qui ad Pruſſiam pertinet, ſiti.
Marienburg, vrbs capitalis Pruſſiæ Polonæ, & antea Cruciger um magiſtri domicilium.
Marienwerder, Melſack, Memel, in Pruſſia.
Meve, vel *Gniew* in Pomerellia.
Moring, Mühlhauſen, ambo in Pruſſia.
Nackel in Pomerellia, iam diu juris Poloni.
Neuburg vel *Novum* in Pomerellia.
Neudenburg, Neumark bis, *Neuteich, Nordenburg* in Pruſſia.
Oliva celebre monaſterium prope Gedanum in Pomerellia.
Oſterode, Ortelsburg,
Paſſenheim, in Pruſſia.
Pautzke in Pomerellia.
Pillau in Pruſſia.
Polungen, in Samogitia.
Polplin in Pomerellia.
Preuſchmark,
Rangnit, Raſtenburg, Reden, Rein, Reſſel, Riſenburg. Rojenberg,
Saluu, Salfeld, Schippenpeil, hi loci omnes ſiti in Pruſſia; excepto *Reden*, qui in tractu Culmen.
Schlochau, Schöneck, in Pomerellia.
Schönſee, in Pruſſia.
Schwerza in Pomerellia.
Seeburg, Sensburg, Soldau, in Pruſſia.
Stargard in Pomerellia.
Strasburg in Culmenſi.
Stum in Pruſſia.
Sukau, monaſterium in Pomerellia.
Tannenberg, Tapiau, Taplauken, in Pruſſia.
Tauchell in Pomerellia.
Tilſit, Tolkemit, Torn,
Waldau, Warzenburg, Weiſſenburg, Welau, Worendit, vel Ornetta, omnes octo in Pruſſia.
Zarnowitz, celebre monaſterium in Pomerellia &
Zanten, opppidulum in Pruſſia.

Porro ſunt in Livonia (incluſa Eſthonia, quæ ante ſecula iam ad Sueciam pertinuit, inque regni illius titulis nominatur) loci ſequentes annotandi, nempe
Amboten, Aſcherade, Eauke in Semigallia.
Borcholm, Duten, Derpt, vbi Eſthoniæ Academia.
Durben, Dürburg, Donnangen,
Goldingen, Grebin, omnes in Curlandia.
Habſal in Eſthonia, *Heiligau et Hafenpot* in Curlandia.
Helmet, Kakenhauſen, antea Archiepiſcopi Rigenſis domicilium.
Karkus, Kerkholm, Liba in Curlandia.
Leal in Eſthonia, *Lemſel, Lode, Loitzen*, Marienburg, Mittau, domicilium Ducis Curlandiæ.
Narve in Eſthonia, Querpalen, *Padis* in Eſthonia.
Parnow vel *Pernau, Pilten* in Curlandia,
Revel in Eſthonia; *Riga* vrbs capitalis in Livonia.
Roſiten, Schmilten, Soleburg in Semigallia.
Tolsburg, Treiden, Vellin in Eſthonia
Weiſſenſtein in Eſthonia. *Wenda* vel *Kies* quondam ord. Crucigerorum magiſtri in Livonia domicilium.
Weſenberg in Eſthonia, *Windau* in Curlandia,
Wolmar, Zuina ibid.

APPENDIX.

Cum typis an. 1647. exſcripta exemplaria huius regni Poloniæ deſcriptionis iam omni ex parte ſint diſtracta, eamque haud pauci deſiderent, & hanc ob cauſam denuo excudenda ſit; nunc Reges ad hæc usque tempus, qui in prima editione non omnes, neque in ordine enumerati fuere, in hoc appendice, vna cum aliis memoria dignis rebus, quarum interim notitiam acquiſivimus, vel etiam noſtris temporibus acciderunt, ſeparatim adiecimus, eum in finem, vt ii, qui primam editionem poſſideant, & hunc appendicem deſiderent, illum ad eam addere, neque de auctione libelli querulari poſſint.

I. Ordo Principum & Regum in Polonia.

LECHUM, Polonæ gentis auctorem, anno Chriſti 550 viviſſe, perhibent, cuius poſteri per ſeculum cum dimidio in Polonia regnaſſe dicuntur: quibus extinctis duodecim Palatini creati fuerunt, quorum quidem regimen haud diu duravit, quia Poloni an. 700. iterum vnico ſe Principi ſubdiderunt, Craco dicto, vrbis Cracoviæ auctori. Succeſſit ei filius junior LECHUS, occiſo in venatione fratre Craco, ſine maſcula prole & liberis defunctus. Ideo Poloni ſororem VENDAM in Principem elegerunt, quæ nulli viro nubere, & in viſtulam ſe præcipitaſſe dicitur. Hac mortua iterum 12. Palatini, ſed an. 760. denuo Princeps PRÆMISLUS vel LESCUS electus fuit, ſine liberis defunctus, quo facto, an. 814. alius Leſcus mirabili fortuna ad Principatum pervenit, cui filius *Leſcus* III. a. 810. huic autem filius POPIELUS natu maior a. 815. ſucceſſit, huius filius fuit Popielus vltimus, qui a. 824. una cum vxore & duobus filiis LECHO & POPIELO, a muribus dicitur devoratus. Poſt eum Civis Cruſvicenſis, nomine PIAST, in principem eligebatur, cuius de poſteris, iam plura quam de præcedentibus conſtant, ordine ſequenti:

1. PIASTUS an 861. defunctus.
2. ZIEMOVITUS filius eius an. 892. mortuus.
3. LESCUS IV. Ziemoviti filius an 913.
4. ZIEMOMISLUS Leſci IV. filius a. 964.
5. MIECISLAUS vel MIESCO, primus in Polonia Chriſtianus a. 999. mortuus.
6. BOLESLAUS I. dictus CHROBRI, vel acer, Miecislai filius, qui primus Poloniæ Rex an. 1001. dictus fuit, defunctus 1025.
7. MIECISLAUS Boleſlai filius an. 1034.
8. CASIMIRUS I. Miecislai filius, qui vna cum matre Rixa patria pulſus, & deinde ex Monacho iterum Rex Poloniæ factus, defunctus an. 1058.

9. BOLE-

9. BOLESLAUS II. dictus *audax*, Regis præcedentis Caſimiri filius, qui an. 1079. Epicopum STANISLAUM Cracoviæ interfecit, quo facto e regno exire debuit, & frater eius.
10. VLADISLAUS, cognominatus *Hermannus* regnavit, qui autem non Regem, ſed Principem & regni hæredem ſe eſſe dixit. Mortuus an. 1102. ſucceſſit ei filius.
11. BOLESLAUS III. appellatus *Crivouſtus*, vel diſtortus, qui quinquageſies præliatum fuiſſe dicitur, mortuus a. 1139. Eius filius
12. VLADISLAUS II. a. 1146. e regno electus fuit, quem ſequutus.
13. BOLESLAUS IV. vel criſpus, mortuus an. 1174.
14. MIECISLAUS Senex, duorum præcedentium frater, a principatu amotus cuius locum occupavit frater natu minimus, ſupra dicti Boleslai III. filius nempe.
15. CASIMIRUS an. 1178. defunctus an. 1194, cui filius
16. LESCUS ALBUS ſucceſſit, qui minor annis in tutela Miecislai ſenis patrui, a principatu antea amoti, fuit. Hic Miecislaus multorum iterum hoc tempore immicitias ſibi contraxit, quo non obſtante tertia vice regnare cœpit, tandem an. 1202. vivere deſiit. Sequitur eius filius
17. VLADISLAUS LASCONOGUS, qui tamen nunc dicto Leſco albo an. 1206. ceſſit, tertia etiam vice principatum obtinenti, qui Leſcus albus an. 1226. a Suentopelco Pomeraniæ Duce trucidatus fuit, cui ſucceſſit filius.
18. BOLESLAUS IV. dictus Pudicus, qui a. 1279. ſine prole mortuus, &
19. LESCUM NIGRUM, Ducis Caſimiri Cuiavienſis, Lencicenſis & Siradienſis filium ſucceſſorem nominavit, a. 1289. mortuum. Principatum deinde Maloviæ Dux Boleslaus, deinde Henricus Vratislavienſis Dux, & tandem Vladislaus Loeticus, dicti Leſci nigri frater, ambiuit, usque dum Poloni an. 1295.
20. PRÆMISLUM, Ducis in maiori Polonia Præmisli filium, & Vladislai ſputatoris nepotem, in Regem elegerunt, coronaruntque, poſtquam per ducentos & quindecim annos regio titulo abſtinuiſſent. Præmislus brevi interiit, & poſt eum regium thronum aſcendit
21. VLADISLAUS LOCTICUS, qui autem triennio elapſo exauctoratus, & in eius locum
22. WENCESLAS, Bohemiæ Rex, qui ſupra dicti Præmisli Regis filiam Rixam vel Eliſabetham in matrimonium duxit, Rex fuit electus, quo an. 1305. defuncto, Vladislaus Loeticus iterum Rex factus, relinquens an. 1333. filium
23. CASIMIRUM II. cognominatum magnum, qui an. 1360. ſine prole deceſſit, cuique ſororis Eliſabethæ filius
24. LUDOVICUS Hungariæ Rex ſucceſſit, defunctus an. 1382. Huius filia HEDWIG regnum adepta, Jagellonem Magnum Lithuaniæ Ducem, maritum elegit, qui Chriſtianam religionem profeſſus in baptiſmate.
25. VLADISLAUS appellatus, mortuus a. 1434, cuius filius natu maximus
26. VLADISLAUS, ſimul & Hungariæ Rex fuit, quique in prælio cum Turcis a. 1444. periit. Succeſſit ei frater.
27. CASIMIRUS III, mortuus a. 1492, cuius filius
28. JOANNES ALBERTUS, a. 1506. vita functus, pro ſucceſſore habuit fratrem
29. ALEXANDRUM, qui a. 1506 mortem obiit, quem frater eius & ſupra dicti Caſimiri III. filius ſequutus.
20. SIGISMUNDUS I, decedens a. 1548. hunc filium eius
22. SIGISMUNDUS II, vel Sigiſmundus Auguſtus, qui maſculæ Jagelloniorum ſprolis vltimus fuit, poſtquam ex vita 1572. migravit. Et quamvis nonnulli principes ex antiqua Piaſtarum gente in Silefia ſupereſſent, vti Duces Lignicenſes, Brigenſes, nec non Duces Teſchenſes, iis tamen tunc temporis præteritis Poloni extraneum in Regem elegerunt, nempe
32. HENRICUM, Ducem Andegavienſem, Regis Caroli IX. Galliæ fratrem, quem anno 1574. regio diademate ornarunt, ſed ille eodem anno clam e Polonia abiit, Rex Galliarum loco defuncti fratris Caroli factus, quo facto Poloni partim Cæſarem MAXIMILIANUM II. partim
33. STEPHANUM BATHOREUM, Tranſilvaniæ Principem in Regem elegerunt, qui Rex confirmatus dicti Sigiſmundi Auguſti ſororem Annam in matrimonium duxit, decedens orbus prole a. 1586. Deinde Polonorum nonnulli Archiducem Auſtriæ Maximilianum, alii vero Regis Sueciæ Joannis ex Sigiſmundi Auguſti Poloniæ Regis ſorore natu maxima filium
34. SIGISMUNDUM Regem nominarunt, qui ſub nomine tertii confirmatus & a. 1587 coronatus fuit. Difficillia geſſit bella contra Suecos, Ruſſos, nec non contra Turcas & Tartaros. Turcarum Imperator OSMAN, iuvenis quidem, ſed magno animo, inſignem contra eum obtinuit victoriam, quo in prælio circiter viginti millia Polonorum ceciderunt, licet & quinquaginta millia Turcarum periiſſe perhibeant. Turcæ poſtea Polonorum etiam caſtra invaſerunt, iterumque aliquot millia trucidarunt, qua occaſione Cancellarius & exercitus dux *Zolkiewſki* interiit. Tartari illo tempore die 25. & 26. Sept. irruptionem in Poloniam fecerunt, & præter alias prædas circiter ſexaginta rhedas vxoribus liberisque nobilium onuſtas abduxerunt. Numerus captivorum tunc temporis a Tartaris e Polonia abductorum credebatur 400,000, illis non computatis, qui gladio perempti vel fame & miſeria confecti interierunt, vti in novo *Meterano* part. 3. lib. 37. fol. 37. legitur, quo in libro cap. 38. & hoc annotatum: A. 1621. Turcæ propugnaculum Chocym ad Moldaviæ fines ſitum occuparunt. Tartari vero illo tempore Poloniam ingentibus damnis affecerunt, multa millia pagorum incendio conflagrantes, & vti ajunt, vltra ducenta millia hominum, maxime vxores & infantes, in captivitatem abducentes, maritis vel occiſis, vel venditis, qui & a. 1623. oppida *Radimi, Smnica, Lowo, Jaroslaw* flammis deleverunt. Rex Sigismundus III. circa finem Aprilis a. 1632. diem obiit ſupremum, cui ex primo matrimonio cum Anna Archiducis Auſtriæ Caroli filia, ſucceſſit filius.
35. VLADISLAUS IV. ſub quo in comitiis Varſaviæ a. 1646. decretum contra Arrianos & Anabaptiſtas fuit factum, vi cuius eorum doctrina damnata & bona fiſco adiecta fuere. In *Theatro Europeo* fol. 1387 b. legitur Arrianos a conſœderatione excluſos pro non Chriſtianis declaratos, & nobilem *Schlichting* qui Arrianus contra Catholicos librum ſcripſit, proſcriptum, librum eius publice a carnifice combuſtum, ipſum vero vita honore & bonis abiudicatum fuiſſe. Rex Vladislaus IV. cum prima coniuge *Cecilia Renata* Archiduce Auſtriæ, quæ menſe Majo 1644. vitam cum morte commutavit, filium ſuſcepit, qui a. 1647. menſe Auguſto iterum deceſſit. Ex altera vero coniuge Anna Gonzaga, nata Duce Mantuana nullam habuit prolem. Mortem occubuit a. 1648. menſe Maio Mereeii, Lithuaniæ oppidulo decem milliaria à Vilna ſito, quo facto frater eius a patre, quem Sigismundus III. cum altera coniuge *Conſtantia*, Archiducis Auſtriæ Caroli altera filia procreavit, nempe

36. JOANNES CASIMIRUS, qui fratri suo Carolo Ferdinando Episcopo Vratislaviensi, principatus Oppoliensem & Ratiboriensem in Silesia tradidit, quos principatus iure hypothecæ obtinuit. Dissidentibus in Religione, securitatem iuramento confirmavit. Pax inter Dissidentes in Religione & Catholicos Romanos pro iure perpetuo, quod vim legis Regni habeat, confirmata fuit. Casimirus an. 1609. natus fuit, coronatus mense Ianuario a. 1649. Cracoviæ. Nuptias cum defuncti Regis vidua, Regina Anna Varsaviae celebrauit eodem anno mense maio, quae anno sequenti d. 21. Iulii filiam & deinde filium enixa est, ambo brevi postea defuncti. Victoriam Rex Casimirus insignem contra Tartaros 1651. reportavit.

Seguntur deinde quædam notitiæ memoria dignæ nempe:

Mathaeus Raderus Soc. JESU an. 1614. Viridarium Sanctorum tribus filiis Nicolai Christophori Radzivili, Ducis in Olyka, Palatini Vilnensis, nempe Ioanni Georgio, Adalberto Vladislao & Christophoro Nicolao dedicavit.

Anno 1580. d. 10. octobr. cum Cracoviae 1800. homines Augustanae confessioni addicti in platea S. Ioannis convenissent, rem diuinam facientes, & parochus in suggestu verbà faceret, à Catholicis aggressi fuere, qui innocentium sanguinem fundentes, domum istam diruerunt ac spoliarunt. Deinde in domus Evangelicorum irruerunt, quos, vt libros suos apportarent, coegerunt, & nonnullos sine misericordia truciderunt libros congestos comburentes, quibus factis *Te Deum laudamus* cecinerunt, videatur *Joh. Bange* in Chronica Thuringiae p. 188. b. Edit. Muhlhusii anno 1599. in 4. Cum a. 1645. nuncii in comitiis desiderarent, vt civibus Cracovienfibus dissidentibus libertas religionis & conscientiae concederetur Episcopus respondit: libertatem conscientiae tantum ad nobiles, non autem ad plebeios extendi posse, id quod malam in partem acceptum fuit, vt in Tomo V. Theatri Europ. f. 745. legitur.

Anno 1646. studiosi iuvenes Lublini decem & novem domos Iudeorum diripuerunt, octo trucidarunt & circiter quinquaginta vulnerarunt, ad quod facinus punicndum Rex commissarios misit.

Anno 1647. cum Petricoviae solemnis ambitus religionis causa institueretur & Nobilis quidam dissidens praesens, in genua cum aliis non procubuisset, per decretum Tribunalis multa turris per annum & insuper pecuniaria ei irrogata fuit, quo facto dissidentes in Polonia valde fuere animis constrati, vti legitur in Theatro Europ fol. 1347. b. seq.

Ad descriptionem civitatis Smolenscii sequentia addenda:

Anno 1632. MagnusDux Moscoviae Michael Federowicz exercitum 100000. militum collegit, inter quos tex millia Germanorum, dux exercitus autem *Hermannus Szebin* vel *Schein*, natione Polonus, qui vero religionem Græcam professus domicilium in Moscovia sibi constituit. Hic cum exercitu & trecentis tormentis, mense Maio, ad obsidendam hanc civitatem & recuperandam missus fuit, quamque facile occupare tantis instructus copiis potuisset, vtpote crasso tantum muro sine fossa circumdatam. Cum vero Germanorum Praefecti conatu murus quadam & parte iam diruta per tormenta fuisset, non solum irruptionem in civitatem facere prohibuit, sed etiam cum nihilominus Germani civitatem iam aggrederentur, tormenta contra eos dirigere, & recedere a conatu iussit. Interim Poloni auxilio civitati venerunt, omnesque vias, per quas Russi commeatum pro exercitu suo asportare possent, occuparunt, quo facto tandem magnus Moscoviae exercitus, postquam plus anno Smolenscium in obsidione habuisset, ad discretionem, nisi fame perire voluisset, se dedere coactus fuit, perditis omnibus tormentis, & praeter ea Magnus dux vi capitulationis magnam pecuniae summam solvere debuit. Exercitus dux Scheinus a. 1634. mense Iunio captus plexus, filius eius virgis ad necem caesus, omnes autem consanguinei ex Moschoviae provinciis proscripti fuerunt.

II.

II.

DESCRIPTIO VKRAINÆ

Variis ex provinciis Regni Poloniæ consistentis, a confinibus Moscoviæ ad Transylvaniæ vsque limites patentis, simul incolarum mores, rationem viuendi, bellandique, in se continentis, per Dominum de BEAUPLAN. *Rothomagi* apud Iacobum Cailloué, in curia palatii. M. DC. LX. Ex Gallico idiomate in Latinum nunc translata.

Sereniſſimo & Potentiſſimo Principi, JOANNI CASIMIRO, Dei gratia Regi Poloniæ, Magno Duci Lithuaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſouiæ, Samogitiæ, Liuoniæ, &c. Regi hæreditario Suecorum, Gothorum & Vandalorum.

INgens terrarum distantia, quæ me a Te, REX POTENTISSIME, *separat, non impedit, quo minus* Regiæ Tuæ Maiestati *qualescunque ingenii mei fructus offeram. Multo minus temporis spatium, per quod abfui, submissionem, aut ingens studium*, Tuæ Regiæ Maiestati *inseruiendi, & opus quoddam vtile, Tua lectione haud indignum, offerendi, diminuere potuit. Vt re potius, quam verbis illud euincam, singulari cum humilitate & submissione summa*, Tuæ Maiestati Regiæ *descriptionem magnæ illius plagæ, quæ Moscouiam & Transy'uaniam interiacet, & Vkrainæ nomine indigitatur, a decessoribus Tuis inde a quinquaginta annis acquisitæ, cuiusque campi ita nunc fertiles sunt, ac deserti anteæ fuere, dicare audeo.*

Nouum enim quasi regnum est, quod non ita diu fortitudine & prudentia magni & incomparabilis Koniecpolscii, *Castellani Cracovienſis, & Exercituum Tuorum ducis supremi, cuius valor nullo non tempore, iudicio maturo iunctus, causa fuit, quod ex nullo prælio, nisi victoria comitatus, discesserit, incrementa haut vulgaria sumsit.*

Quod tanquam testis oculatus per decem & septem annos, adserere possum, quo scilicet tempore seruitiis amborum vltimorum Regum defunctorum, Patris quippe & fratris Tuæ Maiestatis Regiæ *addictus fui, leci per hoc temporis spatium fundamenta plus quinquaginta castrorum* (Solobodes) *quæ totidem instar coloniarum, paucis annis plus mille pagos constituerunt, augmentatione nouarum habitationum. Hi coloni omni cura bono incumbentes publico, fines iam maximopere dilatarunt, & tantum operæ in colendis terris sterilibus insumserunt, vt earum fertilitas reditus ingentes regni ciuibus adferat.*

Hæc regio nouiter acquisita propugnaculum validissimum est contra potentiam Turcarum & violentiam Tartarorum, & repagulum firmissimum ad inhibendos cursus eorum tam frequentes; adeo, vt hi populi haud parum mirentur, hanc prouinciam, quæ transitum vastatoribus illis præbebat, iam causam opprobrii æque ac interitus eorum deuenire.

In mappa topographica huic libro adiecta vno intuitu, Potentissime REX, *potes percurrere latissimum hoc territorium Vkrainæ, cuius possessio, nescio vtrum gloriæ plus, an vero vtilitatis & emolumenti Tibi adferat; ex cuius intuitu de magno eius pretio iudicabis, & secundum Politicæ regulas de modo hanc prouinciam magis magisque augendi cogitabis, quod si perficietur, Corona Tua Regia innumeris gemmis inde resplendebit.*

Multa adhuc haberem, quæ de hoc argumento dicerem, nisi viderem, quod magis conueniat tacere, quam ea manifestare, metuens ne Tuam Regiam Maiestatem *salutaribus consiliis imbuendo simul & inimicos, Tuos instruerem, id quod iis tam salutare, quam Tibi nociuum accidere posset.*

Finem igitur huic sermoni imponam, Tuæ Regiæ Maiestati *in memoriam revocans, quod ille tam bello quam pace magnus atque invictus* Koniecpolscius, *bene perpendens operam atque laborem, imo tempus, quod insumseram conficiendæ huic mappæ, summa, qua erat, humanitate atque benignitate, defunctum Regem admonuit, immo persuasit, meum qualecunque studium compensare, cumque REX iam in animum induxisset, vt præmio amplissimo afficiar, res tamen locum non habuit, morte cum Rege etiam spem meam eripiente.*

Tandem gloria Nominis Tui, Princeps Sereniſſime, *iterum me erexit, haud nescius, Te non minus, atque Illustres illos defunctos, amare ac colere litteratos homines, &*

& seruitia Tuæ Regiæ Maiestati *præstita liberalitate singulari remunerari. Quod me omnino, vt firmiter credam, impellit, Te,* Domine Clementissime, *possidentem non solum omnia decessorum Tuorum territoria, sed etiam magnam istam Vkrainæ provinciam, ad quam acquirendam ego quoque contribui, bonam voluntatem, quam iure defunctus Frater Tuus mei causa præ se tulit, re ipsa demonstraturum, & oculo benevolo munusculum præsens, quod offero, aspecturum esse, qui non aspiro, nisi ad honorem mandatorum tuorum, & illam felicitatem, vt semper sim*

REX SERENISSIME,

TUÆ REGIÆ MAIESTATIS

humillimus & obsequiosissimus Seruus
WILHELMUS LE VASSEUR, Dominus
de BEAUPLAN.

ADMONITIO AD LECTORES.

NOn offero vobis mappam ex relatione aut compilatione aliorum confectam, sed secundum dimensiones, quas ipse in omnibus locis, qui in ea repræsentantur, feci, delineatam; quod vos de bonitate eius perinde ac de veritate sermonis mei conuincere debeat. Parum otii, quod in officiis & negotiis grauibus, quibus durante bello in hac regione distractus fui, mihi suppetiuit, ad minimum octo annos in perficiendo hoc opere me consumere coëgit, qui, nisi occasionem nactus laborare potuerim.

In vestro igitur otio fruimini fructibus meorum laborum, contemplamdo vestris in museis regionem hanc egregiam & pulchram, cuius magna pars meo tempore habitata fuit, cuiusque ciuitates & propugnacula meo ductu exstructa. Quod si laudabili Vestræ sciendi cupiditati satisfaciam, acceptum id ferre velitis.

BIBLIOPOLA AD LECTOREM.

ELapsis decem annis, amice Lector, auctor huius libri iubebat me typis excudere centum eius exemplaria, quæ amicis solum distribuebantur. Multi vero, tantum abest vt lectionem eius inuenerint fastidiosam, vt potius eo delectati fuerint, alteram ampliorem-que editionem optantes: ea re crediderim, satis faciendo eorum desiderio, me simul & reipublicæ litterariæ inseruiturum, si illum typis altera vice & correctius exscribi curarem. Propter ea auctorem rogaui, vt ea, quæ addenda habeat, mihi concedere velit, qui etiam precibus meis locum reliquit, licet non absque dolore, quod promissis, non omni ex parte posset stare, quibus in prima editione se mihi iam obstrinxerat. Mappam nempe vniuersæ Poloniæ addendi, vbi etiam figuras, tam animalium, & hominum, quam plantarum, aliarumque rerum memoratu dignarum, quæ in hac regione reperiuntur, sed impeditus morte sculptoris Wilhelmi Hondii, *a quo omnes eas figuras laminis æneis insculpi curauerat, a cuius vero vidua REX Poloniæ illas recepit, a quo tempore nullam amplius earum notitiam habuit. Hoc in causa fuit, quod res vtilissimæ atque cognitione dignissimæ obliuione obruta fuerint, non sine magno reipublicæ detrimento, quæ inde vtilitatem percepisset haud contemnendam.*

DESCRI-

DESCRIPTIO VKRAINÆ

Et Borysthenis fluuii, vulgo Nieper vel Dnieper dicti, a Kiovia ad mare vsque, in quod se præcipitat.

KIOVIAM, olim *Kisouiam*, constat in vetustissimis aliquando numeratam fuisse vrbibus; vestigia quoque aggerum & vallorum, ingentis magnitudinis, fossarumque profundarum, rudera denique templorum & sepulcra Regum, hodie adhuc exstantia, illud haud obscure manifestant. Ex templis non nisi duo remanserunt, scilicet Sanctæ *Sophiæ* & St. *Michaëlis*; de cunctis cæteris rudera tantum videre est. Ita de templo S. *Basilii* muri adhuc conspiciuntur, ad 5 et 6 pedes alti, cum inscriptionibus Græcis, alabastro insculptis, 1400 annis antiquioribus, quarum tamen magna pars ex vetustate deleta. In hisce templorum ruderibus plurimi Russiæ Principum sepulcra inueniuntur. Aedes S. Sophiæ & S. Michaëlis antiquum in modum instauratæ sunt. Quæ St. *Sophiæ* dicatæ, frontispicio pulcerrimo eminent, ad aspectum præclare, ex quacunque parte adspiciantur. Quippe muri variis diuersisque figuris, historiisque ex tessellato opere, quod ex versicoloribus lapillis, instar vitri resplendentibus, & summo artificio ita aptatis, vt difficulter a pictura vel tapetibus discernantur, exornati sunt. Fornix ex cacabis argillaceis, calce arena subacta repletis, eaque circum circa incrustatis, compositus est. Hoc templum plurium Regum monumenta continet, & Archimandritæ habitationi seruit. Templum St. *Michaëlis* appellatur *Tectum aureum*, quia laminis inauratis stratum. Monstratur in eo corpus *St. Barbaræ*, quod bello Nicomediensi huc translatum esse ferunt.

Antiqua hæc vrbs planitiei, in fastigio montis sitæ, insidet, qui ex vna parte toti campo, ex altera Borysthenis, ad radicem huius montis præterfluenti, dominatur. Montem inter & fluuium noua Kiouia vrbs, non vltra quinque aut sex millia habitantium continens; qua Borysthenem spectat, 4000 passuum longa, & a dicto fluuio ad montem, 3000 passuum larga est: fossa nullius pretii, 25 pedes, larga claditur: formæ est triangularis, muro ligneo, & similibus turriculis circumdatur. Castellum in dorso montis iacet, vrbi inferiori dominans, sed ab antiqua Kiovia viciſſim dominatum.

Romano-Catholici quatuor in hac vrbe templa possident: scilicet, *Cathedrale*, *Patrum Prædicatorum*, in foro, *Bernardinorum* sub monte, & non ita diu *Societatis JESU*, cuius patres inter fluuium & Bernardinos mansiones habent. Russi-Græco ritui addicti circiter decem habent templa, quæ *Cerkwie* appellitantur, quorum vnum in vicinia prætorii, vbi Academia est, quæ *Bracha Cerkiew* vocatur, aliud, si non fallor, S. Nicolao sacrum, infra castellum, reliqua in diuersis vrbis partibus dispersa non reminiscor.

Tres in tota vrbe sunt plateæ elegantiores, cæteræ neque rectæ, neque obliquatæ, sed in labyrinthi modum sinuosæ. Vna pars vrbis appellatur, ciuitas Episcopi, in qua est ecclesia Cathedralis, altera communis, vbi tria reliqua templa, tum Romana, tum Græca. Pro conditione regionis satis commercii facit, quod in frumento, pellibus, cera, melle, seuo, piscibus salsis, &c. constat. Habet Episcopum, Palatinum, Castellanum, Capitaneum, & iudicium terrestre (Grod) & quatuor iurisdictiones, nempe Episcopi, & Palatini, siue Capitanei, quæ vna eademque, tertiam Prætoris (Woyt) & denique Rabinorum.

Domus more Russico constructæ sunt, omnes in vna serie, humiles, & raro vltra vnam contignationem adscendentes, vtuntur segminibus ligni, loco candelarum, valde vili pretio extantibus. Camini in foro prostant: quod æque ridiculum videri posset, ac eorum modus carnes præparandi, nuptias celebrandi, & reliquæ ceremoniæ, de quibus loquemur paullo post. Et hinc oriundi validi illi populi, sub nomine, *Cosacorum Zaporoviorum* noti, a multis abhinc annis in variis locis prope Borysthenem, & eius vicinia dispersi, quorum numerus facile ad 60000 virorum adscendit, qui omnes bello exercitati, & minori octo dierum spatio ad exequenda Regis iussa parati. Hi sunt illi populi, qui subinde & fere singulis annis trans Pontum Euxinum incursiones, magno Turcarum detrimento, faciunt. Plus vna vice prædati sunt in Tartaria, quæ Crimea vocatur, Natoliam depopulati, Trapezuntium exspoliarunt, & ad ostia vsque maris nigri penetrarunt, tribus tan-

tum milliaribus a Conſtantinopoli; vnde, omnia igne et ferro vaſtantes cum ingenti præda & quibusdam mancipiis reuerſi ſunt, quæ ad propria ſeruitia, ſi iuniora ſint, aut, vt primoribus regionis dono dentur, ſeruant; ætatis enim prouectioris, niſi dites, vt ſe redimant, haud facile ſuſtentant. Numerus eorum, qui eiusmodi incurſiones tentant, nunquam ſex millia ad decem vsque, ſuperat, & mare mirum in modum in peſſimis nauiculis, eorum manibus factis, quarum formam & ſtructuram infra explicabo, transfretant.

Sufficiat terigiſſe fortitudinem Coſacorum: non abs re iam erit, de moribus & exercitiis eorum aliquid commemorare. Inueniuntur in hac gente in omnibus opificiis ad vitam ciuilem neceſſariis bene periti, veluti fabri lignarii, cum pro domibus, tum pro nauiculis, carrucarii, fabri ferrarii, ſcriniarii, ſubactores coriarii, loriarii, ſutores, ſartores, doliarii, &c. In parando nitro, cuius abundantia eſt in his oris, & puluere pyrio, in primis ſolertes, ſexus ſequior filis ex lino & lana deducendis occupatur, vnde telas & pannos ad vſum communem conficiunt. Cuncti bene apti ſunt ad terram colendam, ad ſemen ſerendum, metiendum, panem & cibos coquendum, nec non ad cereuiſiam, hydromel, (*brcha*) vinum aduſtum &c.

Neminem etiam apud illos inuenies, cuiuscunque ſit ætatis, ſexus, aut conditionis, qui nollet potando alium antecellere, & inter Chriſtianos, nemo melius illis, monito: *noli de craſtina die ſollicitus eſſe*, reſpondet.

De reliquo extra dubitationis aleam poſitum eſt, ad quaſcunque artes aptos eſſe, licet quidam magis experti aliis, nonnulli etiam notitiam, quam vulgus habere ſolet, ampliorem poſſideant: vno verbo, non carent ingenio, ſed de vtilibus & neceſſariis rebus tantum, præſertim quæ ad vitam agreſtem ſpectant, ſunt ſolliciti.

Vbertas agri tantam frumentorum copiam ſuppeditat, vt, quid cum ea faciant, haud raro ignorent, fluuiis nauigabilibus, qui mare ingrediantur, deſtituti, excepto Boryſthene, qui tamen 50. milliaribus infra Kiouiam, tredecim cataractis, quarum vltima a prima, ſeptem magnis milliaribus, ſiue diei itinere, diſtat, nauigationem impedit, vti in tabula geopraphica delineatum, & hoc iis obſtaculo eſt, quo minus frumenta Conſtantinopolim transmittant. Hinc prouenit eorum pigrities, adeo, vt non, niſi ſumma neceſſitate coacti, laborent, non habentes vnde ea, quibus opus, ſibi comparent, & citius ea, quæ omnino neceſſe habent, a Turcis vicinis amicis, mutuo ſumunt, quam vt ipſi ea ſibi comparent, de reliquo contenti, ſi victus & potus non deſit.

Græcanicæ religionis ſunt, eorum idiomate *Ruſſi* dicti, magna veneratione dies feſtos atque ieiunia obſeruant, in quæ 8 vel 9 menſes anni inſumunt, quæque in abſtinentia a carnibus conſiſtunt. Huic conſuetudini adeo pertinaciter inhærent, vt, in diſcrimine ciborum ſalutem eſſe poſitam, ſibi perſuadeant. Contra compenſationis loco in facilitate comparandi non credo vllam gentem ipſi eſſe parem, ſi ſcilicet in otio ſint; bellum vero aut aliam rem magni momenti meditantes, multum ſunt ſobrii. Perſpicaces ſunt & ſubtiles, prudentes, liberales, haud ambientes diuitias, libertatis amantes, quam vitæ præferunt; quod in cauſa eſt, vt ad turbas & nouas res quam maxime ſint proni, qui facile, cum a dominis paullo durius ſe videant tractatos, rebellionem faciunt, vixque ſeptem vel octo anni elabuntur, in quibus turbas non excitent. Cæterum gens fraudulenta, & perfida, cui non temere te confidas. Corporis habitu robuſta, frigus & calorem, famem & ſitim facile perferens, in bello indefeſſa, audax, valida, immo temeraria, vitam flocci pendens.

Genus pugnæ, vbi inprimis dexteritatem & fortitudinem manifeſtant, eſt illud, quando curriculis, *Tabord* dictis, tecti ſunt. *Tabord* enim vocatur curriculorum multitudo, quibus Coſaci, in campis iter facientes, ſe cingunt. In diſplodendis ſclopetis, armis eorum ordinariis, valde habiles, neque, vti in defendendis oppidis, ſic in præliis maritimis, ſpernendi, ſed equites non æque idonei. Vtpote recordor 200 equites Polonos, 2000 eorum, optimæ notæ militum, fugaſſe. Quamuis non negandum, centum Coſacos, in ſuis *Tabord*, incluſos, non multum timere 1000 Polonos, neque vel totidem Tartaros; inuicti ſcilicet futuri, ſi equites tantum valerent, quam pedeſtres. Pulcra corporis forma et procera ſunt, incolumes et lacertoſi, veſtiri amant, quod apparet, quando vicinos ſuos deprædati ſunt, alias mediocribus veſtimentis induti. Naturaliter ſemper bona ſanitate gaudent, exper-

tes

tes morbi epidemici, in Polonia frequentis, a Medicis Plicæ nomine nuncupati, quia capilli illorum, qui eo laborant, plicantur, et horribilem in modum confunduntur. Coſaci hunc morbum appellant *Goſches*. Pauci admodum ex ægritudine corporis, niſi in extrema ſenectute, e vita decedunt: vt plurimum in bello occumbunt.

Nobiles, quorum exiguus ſane numerus, ad Polonorum exemplum componuntur, et aliam, quam Catholico Romanam, religionem profiteri, pudori habere videntur, quam de die in diem amplectuntur, licet primores, et qui Principum nomine inſigniuntur, ex Græca prodierint.

Ruſtici ſunt valde miſeri, tribus per hebdomadam diebus ad laborandum pro domino obſtricti, cui præter ea, ſecundum agrorum proportionem, certum numerum modiorum frumenti, gallinarum, anſerum, caponum, etc. ſtatuto tempore, ſcilicet Paſchatis, Pentecoſtes, et Natiuitatis Chriſti, comportare debent. Inſuper ad ligna vehenda, et quæ ſunt reliqua ſeruitia, tenentur. Taceo pecunias, quas exſoluere obligati, decimas veruecum, porcorum, mellis, omnium fructuum, et tertio quouis anno tertium bouem: ſufficit, coactos eſſe, omnia exhibere, et facere, quæ ab ipſis domini exigunt, vnde non mirum, ſi nihil plane colligere queant. Sed parua iſthæc, ſi conſideres, dominos non ſolum in bona eorum, ſed etiam in vitam, poteſtatem abſolutam habere: tanta eſt libertas Nobilium Polonorum, qui ſi Paradiſum, illi vtique purgatorium inhabitare videntur. Qua re fit, vt infelices eiusmodi homines, ſeruitio dominorum inhumanorum adſtricti, peiorem quam ad triremes damnati, ſortem ſubeant.

Dura hæc ſeruitus in cauſa eſt, quod non pauci fugam capiant, fortiores in Zaporow, qui eſt receſſus Coſacorum in Boryſthene, vbi, tempore quodam peracto, et itinere maritimo facto, pro Coſacis Zaporouienſibus reputantur. Eiusmodi deceſſionibus horum legiones non parum augentur: vti turbæ hac tempeſtate excitatæ ſatis ſuperque docent. Poſt cladem nimirum Polonorum Coſaci pene 200000 rebelles, in campo apparentes, regionem, 120 milliaribus Polonicis longiorem, et 60. mill. largiorem, in poteſtatem redegerunt. Oblitus ſum adnotare, quod hæc gens, tempore pacis, vt plurimum in venatione et piſcatura occupata ſit.

Ut ſermonis, quem reliqui, filum reſumam, ſciendum eſt, multos perſuaſum ſibi habere, tempore, quo antiqua Kiouia magnificentia ſua reſplendebat, alueum maris ad Conſtantinopolim non fuiſſe apertum. Vero ſimile, vel potius, certum eſt, planities, quæ ab altera parte Boryſthenis ad Moſcouiam vsque ſe extendunt, aliquando ſubmerſas fuiſſe, cuius rei fidem faciunt anchoræ, aliaque ſigna, a paucis abhinc annis circum *Lofficzam*, in ripa fluminis *Sulæ*, reperta. Super hæc oppida in hac planitie noua, ante aliquot ſæcula modo condita eſſe videntur. Studio nouitatis ductus, diſquiſitiones in hiſtoria Ruſſiæ inſtitui, ſperans, de antiquitatibus huius oræ me certiorem futurum, ſed fruſtraneo auſu. Ex quibusdam eorum doctis, quos conſului, ſolum didici, ſe, regione eorum continuis triſtibusque bellis deuaſtata, atque bibliothecis ſtatim a principio flamma conſumtis, tanquam veterem traditionem memoria adhuc tenere, dictos campos olim ante 2000 annos ſubmerſos fuiſſe; addunt, quod antiqua Kiouia funditus duobus templis, de quibus ſupra diſſeruimus, exceptis, deleta fuerit. Allegant inſuper rationem alicuius momenti, probaturi, mare ad Moſcouiam vsque patuiſſe, quia nempe ruderа caſtellorum, aliorumque oppidorum in hiſce oris, tantum in locis eminentioribus, et montanis, nulla plane vero in planitie, reperiantur; quæ inundata fuiſſe creditur. Adde, quod ſub nonnullis ædificiorum ruderibus cauæ, monera quadam cuprea repletæ inuentæ fuerint, cuius ecce effigiem, in Tab. I. fig. I.

Omnis terra, quæ a Boriſthene ad Moſcouiam patet, immo vlterius, eſt valde plana et arenoſa, vt clare ex tabula Vkrainæ geographica apparet, exceptis fluminibus *Sula*, verſus ſeptentrionem, *Worſko* et *Pſizol*, quorum motus pene non animaduertitur, aquis ſtagnantibus haud diſſimiles. Si conferas rationes modo allatas cum motu violento et rapido aluei. Maris nigri, Conſtantinopolim præterfluentis, atque in mare album ſe præcipitantis, non difficulter tibi perſuadebis, hæc loca antea inundata fuiſſe. Continuemus nunc deſcriptionem Boryſthenis. Milliari ſupra Kiouiam ex oppoſita parte, *Deſna* fluuius Boryſtheni iungitur, qui prope Moſcoviam vrbem oritur, et vltra centum milliaria longus eſt.

Dimidio ſub Kiouia milliari pagus inuenitur, cui nomen *Pieczary*, Cœnobio inſignis, vbi Patriarcha ſiue Metropolita habitare ſolet. Sub monte, cœnobio iſti vicino, antra ſunt plurima, cuniculis non diſſimilia, multis corporibus repleta, ibi a 1500. abhinc annis ſeruata, quæ ad ſimilitudinem Mumiarum Aegyptiarum proxime accedunt. Traditio eſt, Chriſtianorum eremitas hæc loca ſubterranea fabricaſſe et incoluiſſe, vt Deo ſeruirent ſecreto, & pacifice in his cauernis, durante perſecutione Paganorum, viuerent. Monſtratur ibi Sanctus quidam *Joannes*, ad cingulum vsque integer, a quo in terra reconditus eſt. Monachi illius loci referebant mihi, Sanctum iſtum Johannem, poſtquam horam mortis appropinquare ſentiiſſet, ſibi ipſi foſſam præparaſſe, non quidem, inſtar aliarum, longam, ſed profundam, in quam, vltimo iam momento inſtante, ad medium vsque corpus ſe demiſerit, quod ſcilicet, diuina prouidentia ita volente, altius nequibat deſcendere, licet foſſa ſatis profunda fuerit. Oſtenditur ibi quoque, Sta *Helena*, quam in magna veneratione habent, item, catena ferrea, qua diabolus *St. Antonium* verberaſſe dicunt, et cui virtutem, dæmones e corporibus, quæ illa cinguntur, expellendi, tribuunt. Tria capita hominum in patinis conſpiciuntur, quæ omni die oleum ad multos variosquæ morbos ſalubre deſtillant.

In hiſce cryptis repoſita etiam ſunt corpora plurium hominum, notatu dignorum, vti duodecim fabrorum lignariorum, qui templum extruxerunt; conſeruant ea maxima cum cura, vt cupidis videndi res nouas, ea monſtrent, vti mihi, Kioviam in hiberna miſſo, plus vna vice accidit. Mihi quidem videtur, non adeo magnam diuerſitatem eſſe inter hæc corpora & Mumias Aegyptiorum, niſi quod illorum caro non ita dura ſit et nigra, quam harum; et, vt mea fert opinio, cauſa, quod illa corpora tam diu incorrupta maneant, naturæ harum cryptarum tribuenda eſt, quæ ſabulum, vt ita dicam, calculoſum continent, hieme calidæ et ſiccæ, æſtate vero frigidæ et ſiccæ, ſine vlla humiditate. Monaſterium monachis abundat; Patriarcha totius Ruſſiæ hic loci habitationem habet, vt ſupra notauimus, nemini, niſi Patriarchæ Conſtantinopolitano ſubiectus. Aliud monaſterium in vicinia centum circiter Moniales continet, quæ acu laborantes ſtrophia egregia aliaque varia conficiunt, iisque, qui eas inuiſunt, vendunt. Libertate quocunque tempore exeundi gaudent, deambulationes Kiouiam, eb earum monaſterio dimidio milliari diſtantem, inſtituere ſolent; nigro habitu veſtitæ, non niſi binæ, ritu Monachorum Catholicorum, exeuntes. Pulcherrimæ faciei virgines quasdam inter illas me vidiſſe recordor, nulli in Polonia venuſtate ſecundas.

Kiouiam inter et Pieczary in monte, qui flumen proſpicit, Cœnobium Monachorum Ruſſorum a S. Nicolao appellatum, reperitur, aſpectu vere pulcrum.

Monachi non niſi piſces comedunt, cæterum ipſis quandocunque alios inuiſere et recreationibus frui licitum eſt. Infra Pieczary oppidum tanquam in fundo iacet, cui nomen *Tripoly*. Inferius adhuc *Stayky* in dorſo montis, ciuitas vetuſta, ibi traiectus fluuii. Deinceps *Richow*, pariter in monte quodam; locus ſpectabilis, et dignus, qui muniatur, quippe ſine negotio traiectum fluminis præbens.

Inferius adhuc *Tretemirof*, clauſtrum ruforum (Cloitre des Roux) in precipitiis, ſcopulis inacceſſis ſtipatis, locus, in quo Coſaci, quæ habent maxime pretioſa, recondunt. Milliari abhinc ex altera parte, inuenies *Pereaslauiam*, ciuitatem, non adeo vetuſtam, ſcilicet in humili loco ſitam, ſed etiam natura fortem, quæ, arce conſtructa, armamentarii loco contra Moſcos et Coſacos eſſe poſſet: continet circiter 6000 focos. Coſaci cohortem ibi habent.

Verſus Ruſſiam *Kaniow*, oppidum et arx antiquiſſima, vbi nullo non tempore Coſacorum cohors in præſidio eſt; flumen quoque ibi in pontone transfretatur.

Ex altera parte, *Bobnowka* et *Domontow*, loca nullius momenti. Inferius et Ruſſiam verſus *Cirkaſſy*, vrbs eximiæ vetuſtatis, egregie poſita et ad muniendum commoda. In ſplendore ſuo illam vidi, tanquam centrum aliquod, quo Coſaci refugiunt, ipſo eorum duce ibi ſedente. Sed a. 1637. d. 18. Dec. duobus diebus poſt prælium, quo Coſacos vincebamus, inſequentibus, eam combuſſimus. Tempore quo cum illis bello contendebamus, cohortem in præſidio habebant. Flumen hic traiicitur pontonibus.

Ima occupant *Borowica*, *Buzin*, *Woronowka*, et ex oppoſito, *Czehrin* ab *Ambroua* circiter quartam milliaris partem diſtans, item, *Krilouia*, quam flumen *Taſzmin*

min, milliari a Boryſthene, alluit. Ad Ruſſiam *Krzemierczow* ſitum, ad habitationem in primis commodum. In parietinis dirutis a. 1635. arcem depingebam. Ultimum hoc eſt oppidum, vltra nil niſi terras deſertas inuenies.

Milliari inferius oſtia *Pſizol*, amnis piſcibus abundantis reperiuntur; Ruſſiam verſus riuulus, quem *Omielnik* appellitant, Boryſthene recipitur, cancris repletus eſt. In eadem regione amnis fluit, æque cancris abundans, *Drugi Omielnik* vocatus, ex cuius oppoſito *Worſklo*, flumen ſatis grande et piſcoſum, quod Boryſthenem petit, vti in ipſa eadem regione aliud, *Orél* dictum, piſcium multitudine priora multum ſuperans. In oſtiis huius fluminis plus 2000 piſcium vno retium iactu captorum memini, quorum minimus pedem longus erat.

Ex aduerſa parte Ruſſiæ plurimi lacus extant tanta piſcium copia exuberantes, vt ex mortuis putrefactio, quam aqua redolet, proueniat. Appellitant hæc loca *Zamokam*, ambiuntur ceraſis pygmæis, non vltra duo et dimidium pedem excreſcentibus, quæ arbuſculæ ceraſa admodum dulcia ferunt, magnitudinis pruni, non niſi ineunte Auguſto menſe matureſcentia. Tota ibi videre eſt nemora eiusmodi ceraſis ſpiſſa, non raro dimidio milliari longiora, ſed nunquam 2. vel 3000 paſſibus latiora; verum enim vero nihil magis viſum delectat, quam ſiluulæ iſtæ ceraſorum, quæ in campis vt plurimum, apprime vero in conuallibus, inueniuntur. Non paucæ quoque amygdali pygmææ in ea regione conſpiciuntur, ſilueſtres tantum, quippe quarum fructus amarus; præter ea earum numerus non tantus eſt, vt nemus (veluti iſtarum ceraſorum, quarum fructus æque dulcis eſt ac earum, quibus cultura acceſſit) formare queant. Neque tamen illud intactum relinquere poſſum, me, curioſitate ductum, Barii, vbi ſedes mea in hac regione fuerta, eiusmodi ceraſos et amygdalos plantaſſe, et animaduerſiſſe, fructus exinde grandiores et guſtus ſuauioris prouenire, ſimul etiam arborem, magis magisque excreſcentem, naturalem paruitatem transgredi. Supra hæc loca amnis, quem *Demokant* dicunt, cancris ſcatet, nouem pollicibus longioribus. Leguntur ibi quoque nuces aquaticæ, muricibus haud abſimiles, optimum coctæ condimentum præbent. Infra deſcendentibus *Romanow* ſe offert, ceſpes magnus, vbi Coſaci ſæpenumero conſilium inituri, conueniunt, et exercitum coagmentant; locus opportunus valde, vbi ciuitas exſtruatur.

Paulo inferius inſula, dimidium milliare, et 150 paſſus ambiens, etiam *Romanow* nomine venit, tempore veris vt plurimum inundatur: appellunt eo piſcatores multi, Kiouia, aliisque locis venientes. In extremis huius inſulæ fluuius quam latiſſimus eſt, neque per paruas inſulas curſus eius impeditur. Hac de re Tartari audent, absque timore inſidiarum, illum transnatigare. Verſus Ruſſiam locus quidam eſt, qui vulgo *Tarenſki Rog* audit, valde pulcher, et ad habitandum in primis congruus. Caſtellum ibi egregie conueniret, quod totum fluuium refrenare poſſet, qui ibi maximæ eſt amplitudinis, neque tamen vltra 200 paſſus late patet. Recordor me bombardam exploſiſſe ex vno littore in aliud. Littus aduerſum paullo eminentius, vocatur *Soko gora*. Commoditati huius loci accedit, quod vndique circumdatus ſit canalibus, piſcibus repletis, qui in numero inſularum habentur.

Inſula Monaſterii in rupe et alta, præcipitiis 25 et 30 pedum circumſepta, excepta parte media, vbi humilior, et hæc eſt cauſa, quod nunquam inundetur.

Monaſterii, a quo inſula denominationem accepit, nulla amplius veſtigia apparent. Si per terram firmam non eſſet dominata, egregiam habitationem præberet: habet circa 1000 paſſus in longitudine, et 100 in latitudine: ſerpentibus et colubris repleta eſt.

Koneſky Oſtro, alia inſula, prope tres partes quartas milliarii longa, et dimidium milliare lata, repleta arboribus, et paludibus, tempore verno inundationibus obnoxia; multitudo piſcatorum in hac inſula reperitur, qui, deficiente ſale, piſces conſeruant in cineribus, et magnam eorum copiam exſiccant. Piſcantur in flumine *Samar*, quod ex aduerſa parte Boryſthenem ingreditur. Iſtud flumen cum terris quas alluit, magni eſt momenti, tum propter abundantiam piſcium, quam propter ceræ, mellis, ferarum et lignorum ad ædificandum copiam, quibus in primis quouis alio ditius eſt, et quæ Kudaco, de quo mox loquemur, exſtruendo inſeruierunt. Flumen hoc curſum lentum habet et ſinuoſum. Coſacis audit flumen ſanctum, forſitan propter felicem

abundantiam, qua gaudet. Pisces capi in illo vidi haleces et acipenseres, tempore verno: alio non inueniuntur.

Infra extrema huius, est insula alia parvula, *Kniazow Ostro*, ex sola rupe, 5 et 600 passus longa et lata, inundationi haud obnoxia, æque ac Kosacky Ostro inferius, similiter tota ex rupe, sine nemoribus, plena vero serpentum.

Intra teli iactum inferius *Kudak*, ibi primum inuenitur *Porohо*, id est, series rupium, quæ ex transuerso fluminis se extendit, et nagiuationem impedit. Castellum ibi mense Iulii 1635. exstruere cœpi, mense vero insequente, post meum discessum, *Solimanus* quidam, Dux Cosacorum rebellium, e mari reuertens, et castellum sibi obstaculum reuersuro imponere perspiciens, illud inuadit, et præsidiarios milites prope 200 sub imperio Marioni, Tribuni, cædit, cumque Cosacis Zaporouiam reuertitur, castello exspoliato et occupato.

Non tamen diu in sua potestate retinebant, quippe captiui reddebantur ab aliis Cosacis fidelibus, duce Koniecpolicio Magno, Castellano Cracouiensi. Iste dux rebellium tandem cum suis captus, Varsauiam ductus et quadratim dissecatus fuit. Poloni postea illud castellum negligentes, Cosacis arrogantiam inspirabant, et occasionem seditioni dabant, quæ a. 1637 facta est. In qua eorum facile 18000, *Tabor* suis, vel curriculis munita, in loco, qui vocatur *Kumaiky*, inueniebamus, d. 16. Decemb. versus meridiem. Licet, nostratium haud amplius 4000 essent, eos tamen aggrediebamur et profligabamus. Pugna ad mediam noctem durabat, eorumque 6000 cadebant, quinque tormenta accipiebamus. Reliqui, qui nobis campum prœlii cedebant, fauentibus tenebris, fugam capiebant. Amittebamus in ea pugna circiter 100 nostratium; vulneratorum erant mille, in quorum numero multi tribuni. De *Morueil*, Nobilis Gallus, Locumtenens Colonelli, cum vexillifero vitam amittebat, *Iuszeszky* Capitaneus, et Locumtenens Domini *la Crotade* pariter vita priuabantur, plurimi peregrini ibi lethum inueniebant. Inde ab hac cæde, bellum Cosacicum durabat vsque ad Octobrem anni futuri, et pax, eo finito, facta est. Forris ille et magnanimus *Koniecpolscius* ipsemet cum 4000 hominibus Kudakum veniebat, vbi tam diu mansit, dum propugnaculum munitum fuerit, sciicet per mensem, aut circiter.

Interea hic Dux abibat, secum ducens 2000 homines, mihique iniungens, vt recognoscerem hostes cum quibusdam copiis et tormentis bellicis, vsque ad vltimum limitem cataractarum, seu *Porohi*. Reuersus iussit, vt aduerso flumine in lintribus eorum irem cum Illustrissimo *Ostrorogio*, supremo Camerario, qua occasione mihi videre licebat tredecim cataractas, easque in tabula geographica hic adiecta depingere. In hisce tractibus centum, immo mille homines securitatis gratia haud sunt nimii, exercitus ipsi bono ordine progredi debent, quoniam agri hi Tartaris habitationes præbent, qui, non habentes locum fixum, hic illic in huius regionis planitiebus vastis circumerrant, non vltra quinque & sex, nonnunquam & decem milliaria, simul iter facientes.

Alio loco de eorum moribus exponam, & qua ratione bellum gerant. Solum hic annotabo, cunctas tredecim cataractas me vidisse, & ascendendo flumen omnes eas vnico in lintre transfretasse, quod primum non effici posse, videbatur, quum cataractæ nonnullæ, quas transiuimus, septem imo octo pedes altæ sint: iudices nunc qua ratione lintrem remigare opus habuerimus. Apud illos Cosacos, nemo in eorum numerum recipi potest, quin omnes cataractas, *Porohi*, transiuerit; qua de ratione facile ego quidem Cosacus esse possum, quod vnica forsitan gloria est, quam hoc itinere consecutus sum.

Vt definiam proprie quid significet *Porohy*, sciendum est, vocabulum esse Russicum, quod denotat cautem. Series scilicet eiusmodi cautium in flumine ex transuerso cedit, quarum aliquæ sub aqua, aliæ in superficie, aliæ quoque extra aquam ad octo vel decem pedes surgunt, instar domus magnæ, vna alteri proximæ, ita vt eæ, tanquam agger stratus, fluminis cursum impediant, quod postea in quibusdam locis ad altitudinem quinque aut sex pedum, in aliis iterum septem ped. &c. vtcunque plus aut minus intumescit, ex alto decidit. Veris tempore, quando nix ad solem liquescit, omnes Porohy sub aqua sunt, excepta septima, quæ *Nienasytes* vocatur, & sola fere, illa tempestate, nauigationem impedit. Aestate & autumno, quando aquæ sunt depressiores, aquæ lapsus quandoque 10 imo 15 pedes attingunt; Inter tredecem hasce cataractas non nisi inter decimam apud *Budilow*, & vndecimam apud *Tawolzane*, Tartari natando flumen transire queunt, propter facilem accessum, quem ripæ præbent, inde a prima

prima *Porohy* vsque ad vltimam. Duas tantummodo insulas reperi, quæ non submergebantur. Prima est in medio cataractæ quartæ, quæ *Strelczi* appellatur, ex scopulis composita, vndique præcipitiis circumdata, circiter 500. passus longa, et 70 siue 80 lata. Ignoro an habeat aquas in medio, non enim homines, sed aues solum eo appellunt, cæterum ambitus huius insulæ vineis siluestribus obumbratus esse solet. Secunda est multo maior, circiter 2000 passus longa, & 150 lata, tota quoque constat ex rupe, non tamen, vti prior, precipitiis cincta; locus natura satis munitus, habitationi accommodatus. Affatim ibi crescit *Tauala*, quod est lignum rubrum, durum instar buxi, virtute, in equis lotium concitandi, prædita. Hæc insula vocatur *Tawolzany*, quod est nomen vndecimæ cataractæ, vti iam diximus. Porohy decimus tertius vocatur *Wolny*, locum inprimis commodum præbens, vbi ædificetur vel ciuitas vel arx. Intra teli iactum superius insula paruula quædam, ex rupe, quam Cosaci appellitant *Kaczawanicze*, quod significat milium coquere, quasi gaudium expressuri, quod capiunt ex transitu felici istarum Porohy, quo peracto dapes in hac insula parant, in quibus milium apponunt.

Infra Kaczawanice vsque ad Kuczkosow pulchra loca ad habitationem sunt. *Kuczkosow* est amnis, qui e regione Tartariæ Borysthenem ingreditur, & nomen dat cornu terræ, eodem Borysthene clauso, & duobus precipitiis circumdato, vt in mappa videre est. Ad illud accessus alius haud patet, quam ex parte camporum, per spatium 2000 fere passuum, in loco satis depresso. Si muris cingeretur, munita & pulchra vrbs futura esset. Nec impedit quod ager non adeo planus, quandam peripheriam formet, & properea littora Tartariæ ei dominentur, vti hic illis. Hæc loca sunt admodum eminentia: fluuius minime impeditus, versus meridiem in primis angustus. Puncta quæ in tabula inuenies, loca præ ceteris angusta denotant. Vidi Polonos sagittas eiaculari, ex vna ripa in alteram, & sagittæ plus centum passibus ab aduersa ripa ceciderunt. Ibi commodissimus & maximus, quem Tartari habeant, est transitus, quoniam hic loci canalis non vltra 150. passus largus esse potest, ripæ accessu faciles, & campus patefactus, ab insidiis immunis. Transitus iste *Kuczkosow* quoque appellitatur. Dimidio milliari infra, caput *Chorticza* incipit. Sed quia vltra non progressus fui, tantum ea dicam, quæ ex relatu aliorum habeo. Aiunt, hanc insulam consideratione omnino dignam esse, quia eleuata & præcipitiis fere vndique cincta, propterea que haud facilis accessu. Duo milliaria in longitudinem, & dimidium in latitudinem se effundit, præsertim versus partem superiorem, ex parte enim occidentali decrescit paulisper. Neque inundationibus obnoxia est: multis quercubus referta. Optimam habitationem præberet, vbi aduersus Tartaros excubiæ fierent: infra hanc insulam flumen latius patet.

Inferius adhuc *Wielky Ostro*, insula, duo milliaria longa, & tota plana, non magni momenti, verno enim tempore inundatur, præter mediam partem, in qua locus, fere 1500 aut 2000 passuum in diametro siccus remanet. In transuersa insulæ parte, qua Tartariam prospicit, fluminis, cui nomen *Konskawoda*, scaturigo est: Borysthenі iungitur, torrens eius admodum rapidus, canalem peculiarem formar & duobus milliaribus infra insulam *Tauan* extenditur, secundum oras Tartaricas. Modo fluuium relinquit, modo illum denuo ingreditur, magnis pululnis arenariis, alueum inter & Borysthenem, relictis, cuius diameter tertiam milliaris partem circiter efficit. *Tomahowka* insula, cuius diameter tertiam milliaris partem circiter efficit, fere rotunda, & instar globi dimidii eleuata, arboribus repleta.

In fastigio conspicitur Borysthenes omni exparte a *Chortika* vsque ad *Tawan*. Insula apprime elegans, sed non potui rescíscere aliquid de littoribus eius. Propior est Russiæ, quam Tartariæ. Chmielnicki elegerat hunc locum pro receptaculo, quando ipsi obsidionis periculum imminebat: & Cosaci, quos ducebat, hic congregari erant, quando aciem parabant mense Maio 1648, & prope Korsunium d. 26. Mai prælio victoriam referebant.

Paulo infra flumen *Czertomelik*, in medio fere Borysthenis insula satis grandis extat, in qua ruinæ inueniuntur. Circumdata est longe lateque plus 10000 aliis insulis, hic & illis dispersis, quarum situs irregularis & confusus, quædam earum siccæ, aliæ paludosæ. Præterea arundinibus repletæ, ad hastæ altitudinem, quæ obstaculo sunt, quominus canales, quibus separantur, conspici queant.

In horum locorum ambagibus Cosaci perfugium inueniunt, quod *Skarbnica Woyskowa*

Woyſkowa, id eſt, theſaurum exercitus eorum idiomate, appellitant. Cunctæ hæ inſulæ verno tempore inundantur, illo excepto ſolum loco, vbi ruinæ. Flumen ab vno littore ad aliud, milliare latum. In his partibus nec Turcarum vires quid efficere poſſunt. Magnus numerus triremium iſtius populi hic periit, quæ Coſacos, e mari nigro reuertentes, perſequebantur, in hiſce labyrinthis implicatæ, neque, qua reuertendum, viam inuenientes, quo facto Coſaci Turcas glandibus plumbeis inter arundines proſternebant. Ab hoc tempore triremes vltra quatuor & quinque milliaria non progrediuntur. Ferunt, in ſic dicta Skarbnica Woyſkowa tormentorum bellicorum copiam inueniri, quæ Coſaci in his paludibus abſconderunt, inſciis Polonis, qui huc non penetrant. Præter ea ipſorum Coſacorum tantum pauci ſciunt, qui taciturniores, quam vt ea Polonis reuelent. Tormenta, quæ Turcis eripiunt, omnia ſub aqua abſcondunt: argentum quoque eorum ibi reconditum eſt, neque depromunt, niſi exigente neceſſitate. Quilibet Coſacus ſuas proprias latebras habet. Direptionibus enim apud Turcas factis, diſtribuunt prædam, & reuerſi in hæc loca, quiuis ſuas res ſub aqua (modo in ea perire nequeant) recondunt.

Hic locorum *Cholna*, ſiue lintres, ad transfretandum mare parant, longos ſexaginta fere pedes, latos decem, ſiue duodecim, altos octo, cum binis gubernaculis, vt infra videre potes. *Kair* inſula longa quinque aut ſex milliaria, plana, ex parte arundinibus referta, ex parte ſalicibus, canale ex parte Ruſſiæ currente, inſula dilatatur ex parte Tartariæ. Latus occidentale nunquam ſubmergitur.

Wielka Woda, ſcilicet magna aqua, mediam ſecat Skoroukam, vbi inſulas paucas fluuius format, in cuius medio vagus locus relictus eſt, ſine inſulis.

Noſokowka eſt inſula longa, plus duobus milliaribus arboribus carens, veris tempore ſubmerſa. Tartari transuerſam inſulam transgrediuntur, vti & Kair.

Koſmaka, dimidium milliare tantum continet. Hanc inſulam inter et Ruſſiam canalis fluit, *Koſmaka* dictus, per quem Coſaci ſubreptitant, mare transuecturi, timentes quippe, ne ab excubiis, quas Turcæ nullo non tempore in ruinis vetuſtæ arcis Aſtankorodick, apud fretum Tawan agunt, detegantur.

Tawan fretum eſt, tranſitusque Tartarorum, quia flumen non niſi 500 paſſus latum eſt. Pars Ruſſiam ſpectans, eleuata eſt, precipitiis conſtipata; altera depreſſa, quæ inſula Tawan inundationibus haud obnoxia, admodum accommodata conſtruendo propugnaculo ad Coſacos compeſcendos, quo minus altum petant. Fluuius hic non niſi vnum canalem format per duo milliaria inferius, poſtea incipit iterum aperiri, et inſulas atque canales denuo formare.

Inſula *Tawan* longa duo milliaria cum dimidio, circiter tria lata. Canalis, qui inſulam inter & Tartariam, eſt *Końſkawoda*, de quo loquuti ſumus: fluuius, niſi accreuerit, vadoſus eſt. Pæne dimidia pars inſulæ inundatur, qua occidentem proſpicit.

Inſula *Koſaky*, fere dimidium milliare longa ſubmergitur

Inſula *Burhanka* circa dimidium milliare continet, ſubmerſa, tranſitui Tartarorum ſeruit. In hoc loco tres canales ſunt tranſeundi, ſcilicet *Końſkawoda*, et duplici vice *Boryſthenes*, quorum nullus vadoſus.

A *Kuczkaſow* ad *Oczakouiam* quinque tranſitus inueniuntur, quibus Tartari vtuntur, primus *Kuczkajow*, ſecundus *Noſowka*, qui valde incommodus, tres partes quartas milliarii longus arundinibus et inſulis plenus, quas tranſire non paruæ moleſtiæ eſt.

Super hæc Coſaci Tartaros pauent, qui non longe abeſſe et inſidias illis ſtruere conſueuerunt; tertius et optimus eſt *Tawan*, in primis commodus, quia non niſi diei iter a Crimea diſtat, tum etiam quia duos tantum canales habens tranſitu facilior eſt, primum, *Końſkawodam*, plerumque vadoſum hic locorum, poſtea *Boryſthenem*, qui natando, quum non adeo late pateat, tranſiri debet, prope quinque aut 600 paſſus comprehendens; Quartus eſt *Burhanka*, non eiusdem facilitatis quam præcedens. Tres enim canales ibi transfretantur valde lati, ſcilicet Końſkawoda et Boryſthenes bina vice, cuncti haud vadoſi. Quintus et poſtremus *Oczakouia* ad oſtia Boryſthenis, latus milliare Gallicum. Tartari ſequenti modo tranſeunt. Nauiculas complanatas perticis tranſuerſe poſitis operiunt, quibus

equos

equos, vnum poſt alterum æquali numero applicant ex vtroque latere, æquilibrii ſeruandi cauſſa. Quo facto nauiculam ſarcinis adimpletam aquæ committunt, quam equi applicati ſequuntur, et ſic pedetentim oſtia transfretant. Equis ſane anima ſubinde intercluditur, quoniam autem perticæ, quæ eos ſuſtinent arcte adſtrictæ ſunt, et lintre lento curſu progrediente, facili negotio tranſeunt, ſudo nimirum et tranquillo tempore. Turcæ, meo tempore, dicto modo equitatum, qui 40000 equis conſtabat, transfretabant, magno eorum Imperatore vrbem *Ozow* ſiue *Azak*, ad Tanaim ſitam, obſidente et expugnante; Coſaci enim anno præcedente ſcilicet 1642. Turcis eam eripuerant.

Tribus milliaribus ſuper *Oczakouiam* Bogi fluminis eſt oſtium; ibi inſula triangularis formæ, circiter dimidium milliare longa, iuxta *Semenwiruk* ex transuerſo.

Supra Semenwiruk ad Bogum *Witharaanakricza*, fons in præcipitio; locus ibi ſane pulcher et habitationi idoneus, tum propter lignum, quod ibi extat, tum propter molas, quæ ibi exſtrui ſine negotio poſſent.

Andre Ojiro eſt inſula, quæ milliare ſecundum longitudinem, et quartam milliarii partem ſecundum latitudinem complectitur, lignis abundans.

Piczane Brod vadoſus; flumen non vltra tres pedes profundum, et anguſtum, ripæ acceſſu facillimæ, adeo, vt graviora tormenta bellica illud tranſire queant. Supra et infra hunc locum flumen vadoſum vt plurimum, vt ex tabula apparet.

Krzeminczow, inſula circiter 1500 paſſus longa, 1000 lata, 20 imo 25. pedes alta, ex parte ſeptentrionali admodum præceps, ex meridionali depreſſa. Ligna ad ædificandum tantum per dimidium milliare inueniuntur verſus Oczakouiam. In parte ſeptentrionali huius inſulæ locus continens, ſiue terra firma, reperitur, valde conueniens arci aut propugnaculo exſtruendo, vallibus precipitibus circumſeptus. *Oucze ſauram*, ſiue *Koniecpo Nowe*, vltima habitatio eſt, quam Poloni ex parte Oczakouiæ habeant. Fundauit eam annis 1634, et 1635 iuſſi quadrum regium (*quarre royal*) ibi exſtrui: armamentario egregio iſte locus quoque contra Turcas conueniret.

Redeamus ad Oczakouiam. Vrbs eſt ad Turcam ſpectans, oſtiis Boryſthenis inſidens, Turcis *Dziancrimenda* appellata. Receptaculum præbet triremibus, qui oſtia Boryſthenis cuſtodiunt, impedientes, ne Coſaci mare nigrum petant. Non eſt portus, ſolum ad anchoræ iactum opportunus. Sub arce duæ vrbes ſunt ſitæ, vna decliuis, altera in precipitiis a Libanoto ad Caurum. Muri arcis 25. pedes alti ſunt, vrbis vero multo humiliores. Vrbs facile 2000 incolas continet: In meridionali parte harum vrbium aliud caſtellum, ſublimi ac plano aggere cinctum, et aliquibus tormentis munitum, ad eiaculandum in alteram ripam Boryſthenis (cuius ab oſtio diſtantia milliare efficit) turre quoque præditum, in qua Turcæ excubias agunt, ad deregendum e longinquo Coſacos nauigantes, et ad ſignum triremibus dandum, id quod tamen Coſaci parui pendent, quia ire et reuenire poſſunt, Turcis inſciis, ea, qua poſtea expoſitus ſum, ratione.

Circiter milliare ab Oczakouia portus egregius inuenitur, quem *Berezan* appellant, facile 2000 paſſus ab oſtio abeſt, ſatis profundus pro triremibus, quæ ibi ad duo milliaria flumen aſcendere poſſunt; flumen autem, quod portum conſtituit, vocant *Anczakrick*.

Iezioro, id eſt, lacus, *Teligol*, longus octo milliaria, ſeptimam vel octauam milliarii partem latus. Agger, inter mare et lacum, natura factus, impedit, quo minus mare et lacus inuicem coaleſcant. Adeo piſcibus abundat, vt aqua deficiente motu exinde fœtorem contrahat.

Iezioro Kuialik non niſi 2000 paſſus a mari abeſt, ingentem copiam piſcium continet, in quo priori aſſimilis eſt. Inde quinquaginta milliaribus, piſcatum in his lacubus gregatim proficiſcuntur: in eo carpiones et lucii ſtupendæ magnitudinis inueniuntur.

Bielegrod, Tyræ fluuio, milliare a mari, inſidet, quem Turcæ *Kierman* appellant, ciuitas ſub imperio Turcarum.

Killa quoque ciuitas Turcica, ex muris conſtructa, vna cum aggere extimo (*Contreſcarpe*)

trem arpe). Arx iuxta Danubium vrbi insidet, milliare ab eius ostio. Ex opposito, in altera ripa, antiqua Kilia fuit, cuius adhuc rudera extant.

Budziak Bielegrodam inter et Kiliam, planities circiter duodecim milliaria longa, quinque et sex milliaria lata. Eo Tartari seditiosi, qui neque Chamum, neque Turcam, Dominos agnoscunt, confugiunt, effrenatam vitam agentes, qui omni die campos desertos ad deprædandum Christianos eosque ad triremes vendendum, circum cursitant. Alio enim victu non viuunt, quam ex præda, auibus rapacibus haud absimiles: Ingrediuntur quoque non raro Vkrainam et Podoliam: sed non diu remorantur, quippe qui coacti quantocyus discedere: quum eorum numerus vltra quatuor aut 5000 non sit maior. Continuo in confiniis et campis desertis inueniuntur: pagi eorum numero octoginta vel nonaginta, sunt ambulatorii, et domus duabus rotis superstructæ, tanquam casæ pastorum in Gallia. In vno conuallio, herba consumta, castra tollunt, et aliorsum discedunt, vti in fine describam.

Tenara insula ab ostiis Borysthenis quatuor milliaria distat, circiter tria aut quatuor milliaria in longitudine habens, plana et arbustis tantum repleta. Aquæ dulcis hic affatim habetur: anchoræ iactus quoque circa circum valde commodus.

Duobus milliariis ab ostiis Danubii insula humilis, duo circiter milliaria ambiens; aqua dulci prædita, a Turcis *Ilianada*, id est, insula serpentium, appellata.

Smil est oppidum Turcarum, muris carens; milliare supra Smil locus est, in quo *Osmannus*, Imperator Turcarum, pontem a. 1620 struere iubebat, quando in Podoliam venit, 600000 militibus comitatus, nihil aliud peragens, nisi arcem quandam vilem, *Kosin* appellatam, flumini Tyræ in Valachia insidentem, expugnans, quam Poloni, non nisi facto foedere, quod cum Turcis ea conditione inibant, vt quam citius Constantinopolim reuertantur, reddebant. Reuersi perditis plus 80000 hominibus, tam armis, quam fame necatis, quæ exercitum Turcarum inuadebat. Flumen in hoc tractu valde angustum est, non enim vltra quinque aut 600 passus latum, et Turcæ ex vno littore in aliud sagittas mittunt. Infra dictum pontem Danubius plurimis brachiis extenditur, et canalis Kiliam præterfluit.

Rene inter et *Obliczica* duæ insulæ sunt, vt videre est in tabula.

Palleko parua insula est, quæ formatur Danubium inter et pontem, circiter 2000 passus magna, formæ rotundæ, præcipitiis cincta, et arboribus referta, quarum omni anno Danubius numerum destruit torrente, quo gaudet, admodum rapido. Non nisi terra arenosa compacta est.

Galas ad Valachiam spectat, habitantes sunt religionis Græcæ, Danubio insidet, inter ambo ostia fluminum Seretk et Pruti.

Versus meridiem *Varna*, portus maris nigri in Bulgaria, nullus amplius locus memoratu dignus vsque ad Constantinopolim, trans mare, nisi forsitan turres maris nigri, iuxta ostia canalis, tribus milliaribus a Constantinopoli.

DE CRIMEA SIUE REGIONE TARTARORUM.

Crimea est peninsula in mari nigro, in vicinia Moscoviæ versus meridiem. Habitatur a Tartaris, qui magna Tartaria exierunt, ibi Regem habent, quem *Chamum* nuncupant, quique cliens Imperatoris Turcici. Hi Tartari frequentes incursus in Poloniam et Moscouiam faciunt, non nunquam numero 80000, omnia, quæ illis obuia, deprædantes et accendentes: deinde 50 immo 60000 mancipia, auehunt, et ad triremes vendunt; solum ex rapto viuentes.

Hæc peninsula dimidium solum milliare in collo ambit, quo demto, insula deueniret. In eo pessimum oppidum, muris carens, situm est, fossa, viginti pedes lata, et sex aut septem alta, pro dimidia parte repleta, et vallo proletario sex aut septem pedes alto, quindecim circiter pedes lato, cinctum. Istud oppidum trecentos passus a littore orientali abest, arce lapidea, quæ iterum alia cingitur, munitum. Ab oppido ad littus occidentale dimidium milliare interest. Fossa ad mare vsque protenditur. In hoc oppido plus quadringentis focis esse nequeunt: Tartaris appellatur *Or*, Polonis *Perecop*, quod nostro idiomate significat terram fossitiam, (*terre fossoyée*.) Hac de causa Geographi hanc partem Tartariæ, Tartariam Perecopensem dicunt.

Ko/e/ow

Kozasow oppidum antiquum orientem versus, Chamo subiectum, bis mille focos habere videtur: portui adiacet.

Topeterkan, siue Chersone, ruina vetusta est. *Baciezaray*, sedes est Chami Tartarorum, duo millia focorum facile continet.

Alma, siue *Foczola* pagus, in quo templum Catholicorum S. Johannis, circiter quinquaginta domus habet.

Bilaslawa, portus & municipium, vbi naues triremes, & gauli (gallions) pro Imperatore Turcico constituuntur. Introitus portus, quadraginta passus, portus ipse, octingentos in longitudine, & quadringentos quinquaginta in latitudine, habet. Nullo modo rescire potui, quam altus, & qualis sit fundus, an sabulo, num rupe constet. Videtur tamen habere plus quindecim pedibus, quoniam naues eum ingrediuntur, quingentis doliis grauatæ. In hoc pago vix centum & viginti focis plures inuenies. Portus optimis omnium adnumerari meretur, quia naues semper sufficientem aquam habent, &, quam magnæ etiam tempestates oriantur, sub montibus portum includentibus a fluctu ventoque tutæ manent.

Mancupo arx, proletaria, monti, *Baba* dicto, insidens: in arce omnes habitantes sunt Iudæi & vltra sexaginta focos habere nequeunt.

Caffa, caput Crimeæ, vbi Imperatoris Turcæ Præfectus est prouinciæ. Tartarorum pauci, vt plurimum Christiani eam inhabitant, mancipiis, quæ comparant a Tartaris, qui ea in Polonia & Moscouia capiunt, vtentes. Inueniuntur in hac vrbe duodecim templa Græcorum, triginta duo Armenorum, & vnum S. Petro dicatum, Catholicorum; Domi circiter quinque aut sex mille, ad minimum vero 30000. mancipia, quippe non aliud seruorum genus his in oris vsui est. Hæc vrbs magnum commercium exercet tam Constantinopoli, Trapezuntii, Sinopæ, quam aliis in ciuitatibus, veluti in toto mari nigro & Archipelago, adiacentique mediterraneo.

Hromada, valde vetustum, ad Chamum spectat, centum circiter domibus constat.

Karasy ad Chamum pertinet, circiter duo millia focorum.

Tuwsia, salinis notum, octoginta domos continet.

Corubas, 2000. *Czerci* 100. *Akmatyty* 150. focis, consistit.

Arabat siue *Orbotet*, castellum ex lapide, turre, collo peninsulæ alicuius insidente præditum, quæ a mari *Limen* & *Tinkawoda* includitur. Hic sinus non vltra octauam partem milliaris extenditur, vacerris ab vno mari ad alterum cinctus, Peninsula a Cosacis vocitatur *Kosa*, quod falcis figuram refert: in hoc loco Chamus rem equariam conseruat, & 70000. equorum ibi inueniri creditur.

Tinkawoda fretum, terram firmam inter & Cosam, passus ducentos latum & vadosum sudo tempore. Cosaci illud curribus, *Tabor* dictis, transeunt, equos gregis illius abducentes, de quo infra differemus.

Bilaslavia Caffam, maris littora alta sunt multum, imo præcipitia, reliquum peninsulæ humile & planum, versus meridiem ante *Or*; multos ibi Tartari habent pagos ambulantes, qui in curriculis duarum rotarum domos habent, veluti Budziakii.

Montes ad Bilaslaviam & Cosam, appellantur *montes Baba*, abundantes arboribus; fontes septem, qui peninsulam irrigant, in illis reperiuntur.

Flumen *Kabats*, vineis, & flumen *Siagra*, hortis & fructibus, insignita sunt. Fretum *Czerci* Tamani, non vltra tres vel quatuor milliaria gallica extenditur.

Taman vrbecula sub dominio Turcarum in Czyrkassiorum terra, ibi nullius momenti arx, in qua triginta milites prætoriani Turcæ (Janczary) excubias agunt, æque atque Temruki, quod transitum Azak siue Azosium custodit, quæ vrbs magni momenti ad ostia Tanais. Crientem versus prope vrbem *Taman*, regio Czyrkassiorum sita est, qui sunt Tartari Christiani & inter eos vt fidelissimi habiti.

DE TARTARIS CRIMENSIBUS.

QUum in descriptione regionis Tartarorum occupemur, non abs re fore credo, si de modo eorum viuendi, conditione, belli gerendi ratione, scilicet, quomodo itinera, ingressus in regiones hostium, & discessus exinde instituant, paucis exponamus.

Tartari, simulatque nascuntur, per plures dies non aperiunt oculos, instar canum, aliorumque animalium. Non magnæ sunt staturæ, maximi mediocres nostros haud superant, habitus corporis magis paruus, quam grandis, sed robustis & validis membris, lato & tumido ventre, humeris magnis, collo breui, capite grandi, facie fere rotunda, fronte lata, oculis minus aperris, nigris tamen, multumque separatis, naso breui, ore satis minuto, dentibus eboris instar albis, colore adusto, capillis atris, & duris tactu, anquam equorum crinibus; vno verbo, alia sunt physiognomia, siue vultus habitu, quam Christiani, adeo, vt statim primo adspectu cognoscantur. Forma corporis & faciei similes sunt, Indis Mexicanis ante Maragnan, & iis, quos *Caraibos* vocant. Milites fortes & periti sunt, duris laboribus æqui, iniuriarumque aëris patientes: scilicet a septimo anno, in quo domunculas duabus rotis insidentes relinquunt, nunquam sub alio tecto dormiunt, quam sub Iove libero. Ab ista ætate nihil Tartari iis dant, quod manducent, nisi quæ sagittis petierint; & hac ratione infantes iaculandi dexteritatem sibi comparant. Simulatque attigerunt duodecimum annum, in bellum mittuntur. Matres curant infantes teneros aqua lavari, in qua sal solutum est, vt cutis contra frigoris vim indurescat; quia aliquando coguntur tempore hyberno trans flumina nare.

Considerandum nobis est duplex genus Tartarorum: quidam vocantur *Nahayscy*, alii denuo *Krimscy*. Hos iam diximus esse incolas magnæ peninsulæ, quæ mari nigro adiacet, vulgo Scythia Taurica dicta. *Nahayscy* dispescuntur in maiores & minores Nahaisci: utrique habitant inter fluuium Tanaim & amnem Kuban, vagabundi tamen & feri paulo sunt, qui partim Chamo, Regi Crimeæ, partim Moscis subiecti; nonnulli neutrum dominum agnoscunt, libertate gaudentes. Sed hi Tartari non sunt ita magnanimi vti Crimenses, neque ita validi, vti Budziakii. Ecce vestitum Tartarorum. Hoc genus populi indusium habet subbreue, ex tela gossipii, non infra zonam vltra dimidium pedem demissum, caligas ad suras vsque ex panno, vt plurimum autem ex tela gossipio dispuncta, maiores vero & digniores thoracem (kafftan) dispunctam gossipio, insuper epitogium ex panno, pelle vulpina vel zibellina munitum, pileum eiusdem modi, ocreas denique sine calcaribus ex corio Turcico rubro. Qui inferioris conditionis sunt, humeris sagum ex pelle veruecina impositum gerunt, tempore calido aut pluuio lanam extrinsecus vertentes. Ita vestiti inopinato in campis occurrentibus terrorem iniiciunt; sumeres enim eos pro vrsis albis, equo impositis; frigido vero & hyberno tempore sagum inuertentes, lanam intrinsecus gerunt; idem quoque faciunt cum pileo ex eadem materia confecto.

Pro armis habent acinacem, arcum cum pharetra, octodecim vel viginti sagittis repleta, cultrum in zona reconditum, scloperum ad ignem mittendum, fibulam, & quinque aut sex vlnas funiculorum ex corio, captiuorum si quos facere possint, lingandorum causa: quilibet, horologii quadrantem Norimbergensem in saeculo gestat, nisi sint ditiores, indusiis contextis non vtuntur; alii deficientibus commoditatibus, nudi sunt. omnes periti admodum, validique equites, nisi quod equis male insideant, pedes implicatos enim habent, & breuiter equitant.

Insident equo eodem modo ac si simiam super vertagum imponeres, nihilominus agiles admodum equitando, adeoque sclertes, vt citato gradu euntes, desiliant ex equo, cui insident, iam defatigato, in alterum, quem secum ducunt, vt persequuti eo facilius effugiant: equus sessorem amplius non sentiens, illico dextrum latus capit, & ita proxime sequitur, semper paratus, Dominum

minum si iterum velit, recipiendi. Hac ratione equi edocti sunt dominos sequi; cæterum equi, quibus vtuntur, deformes sunt, sed ad laborem summe apti. Conficiunt illi, quos *Bachmaty* appellant, vno cursu viginti immo triginta milliaria, crines in collo spissos & ad terram vsque pendentes habent; eosque in cauda post se trahunt.

Alimenta non constant ex pane apud agrestes, etiam apud istos demigrantes, nisi nobiscum habitent. Caro equina magis illos delectat, quam bouilla, cuina, vel hircina: veruecs plane ignorant. Equos non nisi valde ægrotos interimunt; nullum iam ab illis seruitium sperantes; & quamuis morbo, quocunque etiam sit, interiisset, attamen illum manducant. Quippe sciendum, quod hi populi nequaquam delicatioris sint saporis; ii etiam qui in castris versantur, eadem ratione viuunt, scilicet, decem associati equum, ad iter faciendum iam ineptum, necare, farinam, si habeant, sanguine istius equi commiscere, (perinde ac solitum est ad farcimina ex sanguine porcina paranda) postea in olla coquere, & cum magna voluptate ita paratis dapibus consedere solent. Carnem hoc modo apparant: equum in quatuor partes distribuunt, tres eiusmodi partes sociis suis, qui carne egent, commodant, sibi tantum partem posticam seruantes. Eam dissecant in tessellas, in parte maxime carnosa, & solum vnum aut duos pollices spissas, dorso equorum vna cum sella imponunt, cingula quam maxime substricta: equum insident, tres horas currunt, omni exercitu vna proportione procedente. Quo facto, descendunt, sellam demunt, vertuntque tessellas suas, spuma equi, quam digito accipiunt, eas madefaciunt, timentes, ne nimis exsiccentur. Denuo sellam imponunt, cingula substringunt, iterum duas aut tres horas proficiscuntur, & tunc demum caro ad eorum saporem cocta est, tanquam *etuvées* Gallorum. Hæc sunt eorum dapes opiparæ. Cæteras partes, quæ in tessellas dissecari nequeunt, coquunt sale addito, sed non despumant; existimantes, ollam despumare idem esse, ac saporem & vigorem carnis demere.

Aquam puram bibunt, si eam reperiant, quod raro tamen accidit: durante hyemie nix liquefacta eorum potus est. Qui maioribus commoditatibus gaudent, vti *Morzae*, siue nobiles, aliique, qui iumenta alunt, lacte eorum vtuntur, loco vini aut cremati.

Quod equorum adipem attinet, milio cum & hordeo emolito, nec non frumento Saracenico coquunt: nihil enim perire permittunt, & ex pelle chordas, sellas, frena, scuticas (harum quippe rerum satis gnari) & quæ sunt cætera, conficiunt. Scuticis equos compungunt, calcaria enim apud eos non sunt in vsu: qui domi manent, neque in militiam proficiscuntur, secundum tempus, & occasionem, vel carne bouilla, vel veruecina & hircina, denique gallinis aliisque auibus (a suilla enim abstinent perinde atque Iudæi) vescuntur. Farinam nacti, placentas faciunt super cineres; milium vero, & frumentum Turcicum cum hordeo emolito ordinarium eorum est nutrimentum, quæ fruges præ ceteris ab eis coluntur. Oryza etiam, quæ iis apportatur, se nutriunt. Fructuum apud eos non est copia, sed vel ibi lat est frequens, quod in deliciis habent, & potionem exinde faciunt, sine coctione, id quod vehementium stomachi torsionum causa est. Ciuitatum habitatores multo sunt ciuiliores: panem, nostro similem, coquunt. Potus eorum consuetus est *Braha*, ex milio cocto compositus: spissus instar lactis, nihil tamen minus ad inebriandum aptus. Vino quoque adusto, quod Constantinopoli aduehitur, vtuntur; adhuc aliud genus potionis adhibent, inprimis pauperes, & quibus non suppetit emere *Braha*; illud hoc modo conficiunt: in vnum idemque vas lac vaccinum, ouillum caprinumque affundunt, bene miscent, & fundendo butyri portionem inde extrahunt, reliquum in vrceis seruant, vt potionis loco sit, quia vero subito acescit, omni fere die eam faciunt. Adhuc alium potum parant, vti incolæ *Madagascar insulæ*, carnem scilicet cum pauco sale coquunt, non eam despumantes, huius carnis ita coctæ seruant iusculum, quod *Zurbia* appellitant, & recalefaciunt, cum id bibere velint. Quando carnem assant, totam ouem vel veruecem veru adfigunt, assatam vero in partes, pedem vnum longas & quatuor pollices latas, distribuunt. Et tali

hic populus vtitur victu, cæterum satis sobrius, qui sale parum in cibis vtitur, magis aromatibus & in primis galega. Postquam vidimus, quomodo in campo viuunt, disseremus nunc, qua ratione loca hostilia ingrediantur, ea depopulentur, & captiuos abducant.

Chamus, qui eorum Rex est, iussu Magni Principis Turcarum, Poloniam ingressurus, omni mole nititur, vt copias suas paratas habeat, scilicet, exercitum 80000. hominum, si ipse præsens sit: quod si enim *Morza* quidam eos ducat, vltra 40. vel 50000 non solet esse eorum numerus: introitus eorum in regionem hostilem, vt plurimum ineunte Ianuario, & semper tempore hyberno, fieri solet, cauentes ne forsan a iquod obstaculum in via inueniant, aut ne paludes & flumina, omnia, quo tendunt, loca perreptare, eos impediant. Congregati delecta facto, exercitus inceptum iter pergit. Lector admonendus est, Crimeæ campos desertos, inter 46. & 47. gradus altitudinis comprehensos, septentrionem versus, hyberno tempore niue obductos esse, vsque ad Martium mensem.

Hoc illis haud paruo commodo est, & audaciam ad eiusmodi longum perficiendum iter suppeditat. Equos enim suos nunquam soleis ferreis muniunt, nix vero ad equorum sustinendos pedes haud parum conducit, qua si terra non obducta esset, eius durities facile pedum equorum cornu tempore congelationis destruere posset. Principes, apud eos, viri, quique maxime commoditati propriæ studeant, equos vngula bouina, muniunt, eamque pedibus eorum corio alligant, sed non adeo diu durat, facileque perit: ea de re hyemem niuibus carentem timent, imo & glaciem, quæ efficit, vt eorum equi optime etiam muniti, cadant. Non nisi breuiora itinera per diem faciunt, vt plurimum sex milliaria Gallica, de die in diem appropinquantes. Adeo tempori inseruiunt modumque tenent, vt semper reuertantur, antequam glacies rumpatur, & sic eorum securus sit reditus. Hac ratione confinibus Poloniæ appropinquant, iter conficientes per conualles, vicinitatem inter se & nexum seruantes, hunc in finem, ne a Cosacis, qui hac & illac dispersi eorum itinera expiscantur, & postea suis nunciant, detegantur.

Tartari autem hac vtuntur versutia, vt non nisi per valles, vti dixi, iter instituant, & vesperi, quando castra ponunt, eandem ob causam, neque ignem accendunt, præmittentes a fronte, tergo & lateribus, varios milites exploratores, ad capiendos quosdam Cosacos, vt inimicorum suorum lingua vti possint, breui, quam subtilissime & circumspecte hostem opprimere studeant. Iter Tartari cum centum equis in fronte aperiunt, hoc est, cum trecentis. Nam vnusquisque Tartarorum præter sellarium duos equos habet honorarios pro vsu futuro, vt supra mentionem feci. Exercitus eorum frons facile 800, vsque ad mille pedes occupat, versus centrum autem 800. vsque ad mille equi numerantur, qui per tria milliaria magna extenduntur, quando nempe quatuor equitum series arcte iunctæ sunt, alias seriem per decem milliaria se extendentem efficerent, quæ res mira visu est. Nam 80000. Tartarorum plus 200000 equorum secum ducunt. Arbores non ita densæ in syluis sunt, quo tempore, equi in campis esse solent, & nubes quædam supra horizontem, decussatim progredi videtur, id quod illis, qui eiusmodi exercitus conspicere haud assueri, terrorem iniicit. Hoc modo Tartarorum copiæ iter faciunt: omni hora per dimidium horæ quadrantem circiter quiescentes, vt equi eorum interim mingere queant, cui rei adeo sunt assuefacti, vt id nunquam intermittant, simulatque stent in vno loco, Tartari tunc descendentes ex equis idem faciunt. Denuo insidentes pergunt vltra: quæ omnia, vnico, sibili, dato signo fiunt. Appropinquantes confinibus, tria aut quatuor milliaria ab iis absentes, duorum vel trium dierum pausam faciunt in loco delecto, vbi securos se ab inimicis esse credunt: tunc omnia ordinant, quieteque copiis concedunt, quas hoc modo disponunt: in tres partes diuidunt, duæ vnum conficiunt corpus, & tertia pars iterum in duas dispescitur, quarum quælibet alam facit, scilicet, vnam a dextra, alteram a sinistra, & ita intrant regionem. Corpus quod eorum lingua *Zasik* dicitur, cum alis lento progreditur, sed continuo gradu, noctu diuque non vltra horam ad pabulandum impendens, vsque dum 60. aut 70. milliaria penetrauerit in regionem, nullum attamen damnum inferens. Tunc reuerti exercitus

citus incipit eodem modo iter faciens, nisi quod dux iam alis licentiam det loca octo imo 12. milliaria ab exercitus corpore remota peruagari, scilicet computando dimidiam distantiæ partem a latere corporis, & dimidiam partem a fronte illius. Opus videtur, referre, quod quælibet ala, quæ octo imo 10000. homines continet, iterum in 10. aut 12. turmas diuidatur, quæ quingentos aut 600 Tartaros complectitur. Hi vltro citroque pagos peruagantur, eosque obsident, circumdantes illos a quatuor partibus, noctu ignem accendentes, cauentes, ne forsan rusticorum quis aufugiat. Demum spoliant, incendunt, necant omnes, qui se opponunt, abducunt eos qui se vltra dant, non solum, viros, feminas, & infantes lactantes, sed etiam bestias, equos, vaccas, capras, verueces &c. Porcos tempore vespertino congregant, stabuloque includunt, postea, igne ab omni parte circumdato, comburunt, tantum horroris habent contra hæc animalia. Hæ alæ non nisi octo aut 12. leucas progrediendi iussæ (vti supra dictum) iterum cum præda reuertuntur ad exercitum, qui haud difficilis inventu est, quia solummodo vestigia equorum 500. exercitum præcedentium inuestiganda sunt. Intra 4. & 5. horarum spatium exercitui iunguntur, quo facto, eodem tempore duæ alæ recentes discedunt, totidem hominum, quam priores; vna a dextra, altera a sinistra. Eandem deuastationem, quæ primæ, faciunt: iterum reuertuntur; & denuo aliæ mittuntur in harum locum, quæ non minus stragem vbicunque adferant. Adeo cursus alterna vice facti exercitum non diminuunt, cuius duæ partes tertiæ semper restant, quique pedetentim progrediatur, vt semper parata sit ad pugnam cum exercitu Polonico ineundam, si forte eum obuium habeat; quod tamen nequaquam intendunt, omni modo illum euitantes. Legem sibi faciunt, nunquam eâ, qua ingressi via, reuertendi: potius in gyrum quodammodo procedunt, quo melius exercitum Polonicum effugiant. Non pugnant, nisi defendentes se a periculo, & quidem in angustias redacti: adhuc decem eorum contra vnum Polonum, incerti essent, quis pugnam incipere debeat. Isti enim latrones (sic hi Tartari dicendi) non intrant Poloniam, vt pugnent, sed vt prædentur, improuiso irruentes. Polonis obuii facti, male ab illis accipiuntur, & quantocyus reuerti coguntur: Cæterum, cursibus suis peractis, campos desertos repetunt, a confinibus 30. vel. 40. milliaria remotos. In securitate positi, quietem capiunt, & se refocillant, ordinemque, si forte Polonorum impetu perturbatus fuerit, reparant.

Per id temporis, quod septimanam durat, colligunt omnem prædam, quæ ex mancipiis & bestiis consistit, eamque inter se distribuunt. Summa cum commiseratione adspicitur, quomodo maritus ab vxore, mater a filia segregentur omni spe se iterum amplectendi, ademta, & in seruitutem paganorum Turcarum deplorandam abducantur. Barbaries eos ad innumera crimina obscœna impellit, vt, feminas virginesque violare præsentibus marito atque patre, circumcidere puerulorum præputia, iisdem præsentibus, in gratiam Mahometi. Barbarus etiam misericordia moueretur, audiendo ploratus, clamores, cantionibus mixtos infelicium horum Russorum: populus enim hic plorans & cantat & vlulat. Separantur ita hi infelices, vt quidam Constantinopolim, alii in Crimeam, alii denique in Natoliam, ducantur. Ecce paucis verbis qua ratione Tartari minori duarum hebdomadum spatio capiant & abducant 50000. hominum, quomodo mancipia tractent, quæ distributione facta pro lubitu vendunt, iterum domum reuersi.

Narrare iam debemus, quo Tartari modo, tempore æstiuo, Poloniam ingrediantur, quorum numerus non 10. aut 20. millia excedit, timentes ne detegantur. Eorum ingressus autem hic est.

Iam viginti aut triginta milliaria a limitibus remoti, exercitum in decem aut duodecim phalanges distribuunt: quælibet phalanx circiter ex 1000. equis constitit. Dimidiam partem, ex quinque aut sex turmis constantem, a dextra, alteram a sinistra, turmis vno milliari, vel vno cum dimidio, inter se inuicem distantibus, emittunt, vt agminis frons spatium decem aut duodecim milliarium occupet: neque desunt excubiæ milliare præcedentes, & notitiam de via capi-

entes. Et ita obliquo gradu progrediuntur, arcte ſemper coagmentati, cum in finem, vt omnes die indicto vno in loco, qui a limitibus duobus aut tribus milliaribus non remotus eſt, tanquam radii in centro coëuntes, conuenire poſſint. Cauſa, propter quam in turmas diſperſi, iter faciunt, hæc eſt: quippe timent, ne Coſaci, qui omni tempore per duo aut tria milliaria in campis in ſtatione ſunt, numerum eorum reſciscant, ſolummodo de turma, quam viderunt, renunciantes. Horum enim mos eſt, ſimulatque Tartaros inueniunt, vt recedant, quam celerrime, ſuosque certiores faciant per totam plagam: non vltra, 1000. aut circiter deregentes, non eos expaueſcunt, ſed aliquot diebus poſtea quam notitiam eorum nacti fuerunt, valde mirantur. Confinia regionis Tartari, hoc pacto intrant: intra duos fluuios magnos procedunt, ſemper excelſum ſolum quærentes, proſequuntur etiam ſcaturigines minorum fluminum, quæ a maioribus excipiuntur; & hac ratione nullum obſtaculum in excurſionibus inueniunt, omnia deuaſtantes ac ſpoliantes vti priores. Vltra ſex aut decem milliaria regionem non ingrediuntur, ſtatim reuertentes, ſcilicet non amplius in ea duobus diebus morantes, vt ſupra notauimus. Deinde domum reuerſi diſtribuunt ſpolium, quolibet ſuam habitationem reuiſente. Hoc Tartarorum genus petulans eſt, obſequitur neque Chamo, neque Turcæ; habitant vt plurimùm in *Budziak*, quæ planities intra oſtia Danubii & Tyræ ſita, vbi meo tempore, prope 20000. perfugorum & exulum fuiſſe recordor. Sunt tamen hi Tartari magis adhuc validi, quam incolæ Crimeæ: quippe in bello magis exercitati illiusque vſu ſubacti. Planities illæ, Budziak inter & Ukrainam, ſubinde octo aut 10000. Tartarorum repletæ ſunt: ſeparati in phalanges, 1000. hominum, quarum vna ab altera decem, imo duodecim milliariis diſtat, prædam quærentes. Coſaci in his oris iter facientes ob periculum in *Tabor* proficiſcuntur, hoc eſt, in medio curriculorum. Duas ſeries formant curriculorum, octo aut decem eorum a fronte, totidem a tergo: ipſi in medio bombardis, conis, falcibus anſatis, quibus curricula circum circa bene munita, procedunt. Excubias, quarta milliarii parte a fronte & a tergo agunt, nec non prope ſingulas alas, in eadem diſtantia Tartaros conſpicientes, ſignum dant: & ſtatim *Tabor* non ſe mouet. Si Tartari deteguntur, a Coſacis opprimuntur: ſi Coſaci primi detegantur, viciſſim ab illis opprimuntur, & in ſuis *Tabor* obſidentur. Cæterum in hiſce campis proficiſcentes prouerbium Italorum: *bon piede, bon oche*, hoc eſt, *boni pedes, boni oculi*, in mente habere debent.

Plus vice ſimplici in campis 500. Tartaris obuius factus ſum, qui in noſtrum *Tabor* incurſum faciebant, & quamuis non niſi 50. vel 60. Coſacis comitatus eram, nihil nobis mali facere poterant, æque ac nos illis, ſcilicet non appropinquabant ad ictum armorum noſtrorum: ſæpe numero ſimulabant, nos inuaſuros, & nubem ſagittarum minabantur, attamen non diu morabantur, extra teli iactum plus vice duplici recedentes. Ecce aſtutiam, qua, ne detegantur, ſe abſcondendo in campis, vtuntur, comitatum aliquem, vulgo *Karawany* oppreſſuri. Notandum, in illis campis herbam, duos pedes altam reperiri, quæ in cauſa eſt, quo minus iter ſine illius proculcatione ibi facere poſſint, vnde veſtigia apparent, adeo, vt numerus eorum, imo via, qua tetenderunt, inueſtigari queat. Ne ſua igitur veſtigia cito perſequantur, modum inuenerunt: Cohors 400. forte hominum quatuor formabit turmas, quælibet 100. equitum, verſus ſeptentrionem, verſus meridiem, orientem atque occidentem vergentes. Breuiter, harum quatuor turmarum quælibet ſequitur ſuam viam per milliare cum dimidio, qua in diſtantia, hæc turma iterum ſe in tres partes diuidit, quarum quælibet circiter 33. homines, continet, qui eodem, quo alii, modo, progrediuntur, ſemperque litus fluminis ſequentes. Deinde abſoluto milliari dimidio iterum incipiunt diuidi in tres partes, & hac ratione progrediuntur, vti diximus, vsque dum ad numerum denarium ſint redacti, quod melius adhuc ex figura ſexta tabulæ, huc pertinentis, quam ex enarratione, eluceſcet. Omnia hæc minori vnius horæ & dimidiæ ſpatio peraguntur, & quidem citato gradu. Si enim detegantur, omnis eorum diligentia euaneſcit. Intelligunt autem has artes ad amuſſim, camporumque ſitum noſcunt, vti naucleri portus. Omnis vndecim hominum turma,

turma transuerſos campos, vti eos lubet, peragrat, neque aliam turmam obuiam habet. Demum die indicto conueniunt in locum deſignatum, decem vel duodecim leucis abhinc diſtantem, aqua & graminibus præditum. Quælibet parua cohors ſeparatim progreditur, hi propiores a loco congregationis, alii remotiores, propter obliquas & incuruatas vias. Gramen ab vndecim equis proculcatum facile iterum intra diem, ita, vt nihil plane appareat, caput effert. Aduenientes ad dictum locum aliquot dies abſconditi reſtant, poſtea in vnum corpus vniti repetunt viam, irrumpunt in aliquem pagum confinem, rapiunt & aufugiunt. Hanc igitur artem Tartari inuenerunt, vt abſcondentes ſe in campis facilius fallant Coſacos, qui eos perſequuntur, opinantes, illorum numerum non vltra quingentos vel 600. adſcendere.

Coſaci igitur equos inſcendunt, mille vel 1200. numero, eosque perſequuntur, veſtigia illorum quærentes, quibus inuentis, ad centrum vsque, de quo ſupra diximus, perueniunt, ſed ibi, quo ſe vertant, neſciunt, quia veſtigia verſus omnes terrarum orbis plagas patent, & ob id domum revertendi coacti ſunt, idemque eſt, ac ſi nihil vidiſſent. Sic hi Tartari difficile inueſtigantur, niſi forte fortuna, quando comedunt vel bibunt, vel noctu dormiunt, quibus tamen temporibus admodum ſunt vigiles. Oculis vtuntur ſubtilioribus, quam noſtri, qui parum ſunt aperti, & ideo viſu plus poſſunt, citiusque nos detegunt, quam nos eos videamus. Verbo, ſubtilior, non fortior, palmam præripit.

Quando mane vel veſperi mutuo ſe offendunt, elapſa hora poſt ortum ſolis, vel hora ante illius occaſum, tunc vtraque pars laborat, vt ſolem a tergo habeat, eodem modo, ac duæ in mari naues ventum nanciſci ſtudent. Si tandem Poloni in Tartaros irruant, acinacem manu tenentes, hi autem non ſatis ſe fortes ad illos ſuſtinendos eſſe putent, tunc muſcarum inſtar diſſipantur, & vnus quisque, vti poteſt, aufugit, ſed recedendo ſagittas emittunt equis citato curſu vecti, tanta dexteritate, vt hominem ad ſexaginta, vsque ad centum paſſus feriant. Poloni eos perſequi nequeunt, quia illorum equi non tanto narium ſpiramine gaudent, quam Tartarorum: quarta inde milliarii parte Tartari de nouo collecti, iterum a fronte Polonos aggrediuntur, ab his autem adorti denuo aufugiunt, ſemper, ſe recipiendo, ad ſiniſtram ſagittas emittentes, ad dextram enim haud poſſunt, & hoc modo Polonos tam diu fatigant, vsque dum recedant, & id ſolum illo fit tempore, quando decem ſunt Tartari contra vnum Polonum: aliter enim eminus ſagittis iaculantur, neque propius accedunt. Et talis eſt horum populorum methodus bellandi.

Explicemus nunc, quomodo Tartari fluuios quam maximos transnatent. Omnes eorum equi natare ſciunt, in primis in hac frigida regione, vbi aqua grauior, quam in Gallia, quia a ſole non tam bene purificata: ſed perſuaſum mihi habeo, quod cum equis ſuis in Galliam adductis nullo modo Sequanam, vel Boryſthenem, transnatarent, ea re, quia Boryſthenis aquæ ſunt grauiores, atque adeo corpora grauia non tam profunde in eas immerguntur. Ecce eorum diſpoſitiones, quando cum exercitu Boryſthenem, fluuium huius provinciæ maximum, tranare velint. Primum quærunt ripas vtraque ex parte acceſſu faciles, & vnus quisque, iuncum, prout inuenire poteſt, acquirere ſtudet, ex quo duos conficit faſciculos, quorum vnusquisque tres pedes longus, decem autem, vel duodecim digitos craſſus, faſciculus alter ab altero pede diſtat; hi duo faſciculi per tres baculos transverſim poſitos ſupra ligati ſunt, infra autem baculus vnus ab angulo ad appoſitum angulum alligatus eſt, hoc deinde baculo ad caudam equi ſui alligato, Tartarus ſuper ſcirpeam hanc ratem ponit ephippium, & ſuper ephippium ſarcinas ſuas, deinde arcum, ſagittas & acinacem, omnia bene inter ſe ligata, tandem nudus ſcuticam manu tenens flumen intrat, & equum pellit, frenum, tum dextra tum ſiniſtra, vna cum colli crinibus, manu tenens, & hoc modo equus natat, ipſe ſimul natans ope vnius manus, altera manu ſemper crines colli vna cum freno tenens, quod nunquam mittit, & tali modo ſcuticæ ope equum pellit, vsque dum flumen tranarit: (vid. fig. 7.) quando iam equus altera in ripa pedem ponit, & aqua ad equi ventrem tantum pertingit, tunc equum continet, ratemque

cum ſarcinis ab equi cauda diſſoluit, & ad ripam portat; illoque tempore, ac vnus transnatat, omnes alii etiam flumen tranſeunt: frontem enim ſecundum fluminis longitudinem ad dimidium milliare efficiunt. Omnia pecora eodem modo tranſeunt flumen. Et hæc ſunt, quæ de Tartaris reſciſcere potui.

Supereſt adhuc, vt enarremus, quomodo Coſaci ducem ſuum eligant, nec non qua ratione excurſiones per mare nigrum vsque in Natoliam faciant, bellandi cum Turcis cauſa. Sic autem ducis electio inſtituitur: omnes chiliarchæ ſenes, aliique Coſaci ætate prouecti, fidem qui ſibi præſtruxerunt, vnum in locum coëunt, & vnusquisque ſuffragium pro eo fert, quem maxime dignum putet, ac ſecundum ſuffragiorum pluralitatem dux eligitur. Si electus officium haud acceptet, ſub prætextu imbecillitatis, vel haud ſufficientis experientiæ, ſeu etiam ſenectutis, hæc omnia nulli ſunt argumento, & nil aliud ad hoc reſpondent, niſi quod ratione quadam viſibili hoc ſit officio indignus, & confeſtim eum interimunt, tanquam proditorem, quamuis ipſi hoc in actu proditione vtantur: hic in memoriam ſunt reuocanda, quæ ſupra de eorum moribus & proditionibus diximus. Quod ſi vero electus Coſacus ducis officium accepter, gratias agit congregationi ob honorem ſibi, quamuis indigno & haud idoneo, delatum, ſimul tamen promittit, ſe omnem nauaturum operam, vt diligentia ſua & cura, eorum ſeruitiis dignum ſe reddat, cum generatim, tum ſpeciatim, vtque vitam ſemper pro vtilitate fratrum (ſic ſe inter ſe appellant) ponere ſit paratus: auditis his verbis vnusquisque ei applaudit, clamando: *viuat*, *viuat*: &c: deinde ad vnum omnes ſecundum conditionem eunt eum ſalutatum, & dux electus ipſorum manus premit, quæ inter eos forma ſalutandi eſt. Tali modo electionem ducis abſoluunt, quæ ſæpius in campis deſertis inſtituitur. Valde ſunt duci ſuo, *Attaman* dicto, obedientes, qui ſummam in eos habet poteſtatem, & morte quacunque inobedientes punit. Valde ſunt ſeueri, nihil tamen ſine conſilio belli *Rady* dicto faciunt.

Dux tali vti debet prudentia, quando eos in bellum ducit, ne detrimentum capiant, & ſi caſus difficilis obueniat, vt ſe validum & aſtutum præbeat, quodſi enim timidum ſe monſtret, tanquam proditorem interimunt, & confeſtim alium ducem ſub dictis conditionibus eligunt. Ducere eos & imperium tenere, eſt officium infortunatum pro illo, qui prælio vicitur. Intra decem & ſeptem annos, quibus hac in regione in ſeruitiis fui, ii, qui hoc fungebantur officio, infelices perierunt omnes.

Nauigandi maris ducti deſiderio, non adhibito Regis ſui conſenſu, in illud deſcendunt, non tamen non lecto Duce hujus itineris; conſilium peragunt, antequam ſe accingant itineri, quod Conſilium audit eorum vernacula *radyty*. Electionis ritum eundem adhibent Ducis ſui nauigii, quem aſſerueram, in dicendo Duce ſupremo, illa differentia adjecta, quod hic ad vitæ ſuæ, ille vero ad breue tempus, dignitate cumuletur.

Dicto verbo congrediuntur in locum deſignatum congreſſus *Szczabiwſia Woyſkowaia* nominant, illic navigia LX. circiter, pedum longitudinis X. aut XII. latitudinis profunda XII. conſtruunt. Materies, ſalix vel tilia, XLV. pedum longa, quæ ad margines cingitur tabulis X. duodecimque pedum longis, vno vero latis, has ſubſcudibus roborant ac clavis ligneis vnam altera adfirmant. Melius id intelligetur ex tabulæ fig. 8. in qua expreſſi delineauique nauigationis eorum machinam, cernuntur tortæ arundines craſſæ, vt finis vnius alterius tangat vnaue contorqueatur, bene ligant funibus de tilia aut cerafis duracinis, & ad inſtar noſtrorum rhedariorum in glutinando ſe gerunt, pice enim fuſa roborant: vtuntur duobus gubernaculis, vt figura oſtendit. Navigium enim illorum non modicæ longitudinis ſi iis deſtitueretur, multum temporis ad retrogrediendum inſumeret atque fugiendum impediret. Communiter decem, quindecem, ad marginem ſingulum, ramorum ponitur, remigant celerius Turcarum biremibus, adhibent malum cui appingunt velum, quod vt velum dicatur, ſi conſideretur, profecto indignum, ſolumque ſereno cælo illud exponunt, ventis agitari remigantes geſtiunt. Navigii tabulatum non noſcunt in nauibus ſuis, naues poſtquam bene imbiberint aquam omnem viam ſulcandi maris impediunt. Cibum nauticum qui dolio longo decem

decem pedum, diametri quatuor includitur: ſumunt hunc cibum cochlearibus e ligno dolatis, vt & milium coctum, placenta manducant aqua diluta, quibus admiſcent milium, inſeruit hic illis cibus ad ſitim extinguendam, vt & ad latrantem ſtomachum pacandum, palatus aptus eorum ad ſubacida. Dapſiliter ſe eſſe dicunt, dum prædicto cibo nominato *calysmak* abundant, mihi autem non exquiſitus hic cibus videtur, utque minime ſapidus arridet, diſcedens eo veſcebar meliori carens. Populi, de quibus ſermo, ſobrietatis tenaciſſimi, deprehenſus etenim quis inter ſuos ebrietate notatus per Generalem pellitur, *a Chriſtianis nedum paganis colenda virtus!* Aquæ recentis de fonte hauſtus vetatur, tam ſtrictus & ſuperfluus ſeruandæ ſobrietatis conatus!

Agreſſuri bellum contra Tartaros (vlciſcendi vaſtationum ſuæ ditionis cauſa id peragunt) tempus autumno legunt vt cum maiori ſucceſſu bellum gerant, omnes res quas rentur fore neceſſarias, extra limites *Za porohy* lingua eorum, mittunt, & id, quod ad conſtructionem nauium, ſeu ſi mauis lintrium, inſeruire poterit, verbo totum quo ſe indigere præuident. Demum quinque aut ſex millia dextræ manus Coſacorum in armis, congregatorum extra limites conueniunt *Za porohy*, (*) ibique fabricant lintres, ad quorum vnum conſtruendum ſexaginta viri ſe ingerunt, quod opus ſpatio quindecem dierum perficiunt, quius enim hujus machinæ, vt dixi, artifex eſt. Tribus duabusue hebdomadis LXXX. aut centum ſuorum nauigiorum parare queunt, formæ ſuperius a me recenſitæ. Conſcendunt nauim ſuam quinquaginta aut ſeptuaginta homines armati duabus catapultis ſeu ſclopetis, framea recurua; ad marginem nauiculæ quatuor, ſæpe ſex falcata. Muniti ſtipendio conſueto, induuntur induſio, femoralibus, ac veſte ſuperiori lacera de arietum cute, vel craſſe texta lana dicta *fermiaha*, pileus ſimilis. Sex pondo puluceris pyrii & glandium de plumbo ad neceſſitatem, pugillare ſolarium, quilibet detinet ad cornu, in quo arte fabricato puluerem pyrium aſſeruant. Ita ornati leuiter Coſaci ad transnauigandum mare nigrum, aggredi optimas Natoliæ ciuitates non reformidant.

Inſtructi relato modo Boryſthenem linquunt, dux eorum in tertia nauicula reſidet, quæ a cæteris malo diſtinguitur. Tam eorum nauigia inter ſe approximant, vt ſe inuicem tangant. Turcæ cognita Coſacorum expeditione aliquot naues ad oſtia Boryſthenis tenent ad impediendum ingreſſum maris, at Coſaci aſtutiæ non ignari transnauigant nocte obſcura proxima plenilunio, ac ſe inter arundines ſeu ſcirpos, qui ad quattuor milliaria occupant Boryſthenis, abſcondunt, quo Turcæ peruenire nullo modo audent, neque numerum Coſacorum notum ſibi reddere, in hocque vno perſiſtunt, vt tranſeuntes poſſint laceſſere ac intercipere, quo in loco nullum emolumentum, deluſi a Coſacis, capiunt, ſed neque properare audito aduentu Turcæ Coſacorum poſſunt citius quam Coſaci mare aſcendant, tunc omnis regio Turcica ipſaque Conſtantinopolis vigilare non cunctatur. Imperator ad omnes partes Natoliæ, Bulgariæ ac Romaniæ currere cum mandato iubet delegatis, vt dictarum Prouinciarum accolæ cautos ſe habeant, ac ad repellendos Coſacos ſe preparent, nuncians iam nauigare Coſacos. At hæc fruſtra videtur agere Imperator, illi etenim capto tempore ac ipſa tempeſtate ſpatio triginta vel quadraginta horarum in Natoliam irrumpunt. Ad illam appulſi e nauigiis deſcendunt omnes manu ſclopeta tenentes, non plus duobus hominibus ac pueris ad naues relictis. Ingreſſi, villas vaſtant, diripiunt, comburunt, aliquando totum milliare intra regionem rapinis ſuis occupant, ſed illico reuertuntur arreptis prædis, in aliumue locum occaſione data tranſeunt, animo ſurripiendi. Si vero repelli eos contingat arrepta præda in ſuam ditionem recurrunt. Naui deprehenſa in mari Turcarum vel alicuius alterius, inſurgunt in eam, aggrediuntur, ac capiunt. Qua nam arte? auſcultа: Cum nauigia Coſacorum non ſupra emineant duobus & dimidio pede, prius quam videantur e nauibus, naues ipſas cernunt; Malo ſuſpenſo demiſſo explorant ventum, qua de parte impellat, vergente ad occaſum ſole, ita dirigunt ne vmbra cadat a nauigiis ſuis, ſolis occaſo poſt horam, omni eoque celerrimo impetu proxime

(*) Boryſthenis inſululæ habent accolas, quorum nemini poſſidere licet alterius, neque licet egredi limites ſuos, *za póroby ne hodyssia wyity* vernacula ita eorum ſonat, indeque dicti Zaporowſcy.

xime deueniunt ad naues, hunc modum viæ suæ per milliare ferè seruantes. Media vero nocte dato signo, ad ipsas ingenti impetu accurrunt, pars pugnat, pars altera diripit, in naui existentes improuiso impetu aggressi, ab octoginta centumque nauigiis quid agant, nesciunt. Diripere solent aurum argentum, mercabilia minoris molis, (ne ipsorum nauigia cogantur mergi) id solum modo prædantur, quod sibi profuturum autumant, homines vero cum naui Neptuno deuouent, dum submergunt, ita Cosaci, qui artem nauis dirigendi si notam haberent, profecto interire eam non sinerent, & fundo maris non addicerent, ignorant certe machinæ miræ fructum. Viso iam tempore reuertendi in suam ditionem, Cosaci, qua venerant, regredi haud possunt, Turcæ etenim ostiis Borysthenis, additis pluribus copiis, vt eos profligent, adstant. Cosaci tamen hæc minime apprehendunt, imoque de Turcis risum tenent, quamuis viribus sint debiles, si in conflictu quis Cosacorum non perit, aut a mari cum nauigio indurabili non absorbetur, remanet integer, Ancium veniunt quatuor leucis Oczakovia, illic reperitur vallis sat profunda quarta parte milliaris in longitudinem versus mare, aquæ aliquando continet ad dimidium pedem, distans a Borysthene tribus milliaribus, illac Cosaci trahentes 200. vel 300. vnum nauigium ordine vnus alium insequens, tribus vel duobus diebus Borysthenem cum præda omni attingunt. Cerne quanam methodo effugiunt congressum nauium Turcarum expectantium renauigaturos ad Oczakow. Denique reuersi *Karbniciam*, sortiuntur, vt retuli, prædam inter se: Alia gradiuntur via præter hanc, nimirum per surculum Don fluuii, transeuntes loca incognita intra *Taman & Czercy* quod ad flumen Mihum extenditur, in illum locum perferunt nauigia, quoniam *Taczawoda* excipere potest nauigia, incidens in Samaram & hic in Dniepr seu Borysthenem, milliari vno a *Kaduk*, vt perspicue charta geographica edocebit, at hæc via eorum est rarissima, longo enim afficit eos itinere ad pertingendum *Zaporohy*. Percurrunt hac tunc dum fortem penes ostia Borysthenis classem Turcarum notam sibi habent ad impediendum, resistere autem 20. aut 25. nequeunt nauigia, nauibus aliquot.

A nauibus Turcarum dum cernuntur in mari de die, explosis sclopetis dissiliunt, non nulli ad fundum arte semetipsos demergunt, hoc modo dispersi (quo quis potest) aufugiunt. Aggredientes naues rostra rostris non opponunt, sed agmine facto petunt naues, tum illico recedunt, & iterum omni impetu aggrediuntur ac redeunt, explodit vnus, quem alter post alterum iaculando excipit; metam quiuis pro arbitrio capit iaculandi, si nauigium persistat in conflictu cum naui suppetias tribuunt a lateribus socii ejus jaculantes, quo, damnum inferunt naui. Prædantur nummos, Arabicum argentum, tapetes, materias auro textas, gosypinas, fericas similiumque mercimoniorum rapiunt non pauca. Hi sunt Cosacorum sumptus hinc reditus, nullius rei artifices meliores censeo quam bibendi ac luxuriandi cum amicis de his, quæ de præda cuique contigerant. Sed redeamus ad ea quæ promiseram de moribus eorum differere, quo ad nuptias quarum ceremoniæ pluribus nouæ atque fidem superantes.

Contra omnium nationum vsum communem filiæ amoris sui gerunt curam ac illum demonstrant nihilo euidentius maribus: tanta superstitio regnare ab omni rei veritatem explorante animaduertitur, vt ab ea infestissimum vel latum vnguem recedere arbitrantur, ac eximum certo certius sibi pollicentur; Res ita est: Filia seu puella nuptura domum patris iuuenis, quem deperit, ingreditur eo tempore quo parentes iuuenis non abesse sperantur, ingressa dicit *Pomahay Bóh* quod designat Deus vos adiuuet, hæc salutatio eorum est communis; versa ad iuuenem perorat, nominans eum Jwan, Hfedor, Dimytr, Mykita, Haraśym, Hrycko, &c. (Nomina hæc sunt scilicet: Ioannes, Theodorus, Demetrius, Nicolaus, Erasmus, Gregorius,) cognosco de tua facie bonitatem, quod amabor regarque vt tua vxor. Virus tua pollicetur bonum te fore *Hospodar*, id est, Patrem familias, hæ dotes eximiæ exigunt a me, quatenus te petam, vt me in tuam vxorem susscipias; similibus Patrem matremque iuuenis, alloquitur, exposcens consensum suæ postulationi. Si id denegatur puellæ ac non aduenisse tempus iuueni dicitur ad nubendum, puella hucusque non recessuram spondet, quousque maritum non capiet ac vna cum eo

vitam

vitam dulcem trahere honori ac felicitati ducet, his ita prolatis, puella contumaciter perseuerans non egreditur de domo antequam petitionis suæ effectum videat. Aliquot hebdomadibus transactis parentes adacti importunitate, non solum consentiunt, sed insuper persuadere filio satagunt, vt illam benevolentius intueatur, eamque appellant filiam suam, nam futuram filii vxorem. Iuuenis considerans permanentem in bono puellam incipit illam amore prosequi, vt magistram futuram voluntatis suæ, ideoque a Patre matreque precibus continuo efflagitat, quatenus finem desideriis ipsius velint statuere, & nuptias non prolongare. Hic est mos prolis amatoriæ in hac ditione. Cum perseuerant nupturi, alterius denegare desiderio, iram Dei in se parentes commouere intelligunt, seque infelicitare, si impediant, ac infortunio inuisendos. Filiæ de domo suo vt exeat mandare, est eius omnes affines concitare. Per vim si quis vero pelleret aduenientem, iræ vt dixi, ac pœnis Ecclesiæ, quæ in hac circumstantia rigidissimam se exhibet, ieiunare, emendationes polliceri mandat, demumque vt infamem de qua pellebatur traducere; subiiceretur. Falsæ superstitiones in timore eos continent, si mauis formidine, omnibus modis infortunia cauere habent in animo, quæ, vt fidei articulum sustinent, omnino adfutura recusato filio suo puellæ. Mos hic viget in æqualis status conditione, regionis enim illius rustici non imparibus diuitiis abundant, & minime modicum inter eos discrimen. Sed accipe alium morem colendi amoris intra vtrumque sexum seruata superstitione.

Consuescunt huius regionis habitatores singulis Dominicis festisque diebus post prandium in designatum locum conuenire, scilicet ad tabernam seu diuersorium, vbi reliquum diei transigunt in compotationibus, exercentur in illis viri & mulieres inuicem sibi propinantes. Filii vero ac filiæ saltu se recreant ad lusum instrumenti *Dudy* qui est vter sonorus. Sæpius ad spectandos saltantes Dominus loci cum familia sua solet egredi, nonnunquam ante domos suas eis mandat saltare, ipseque cum sua vxore & filiabus saltare dignatur. Nobiles igitur rusticis permiscentur. In Podolia ac Ukraina notandum, quod pagi circumdantur siluis cæduis, sub quarum umbram de a stare conferunt se rustici, & dum a Tartaris infestantur, extenduntur ad milliare, deinde quod rustici vt mancipia tractentur a Dominis; Habent quoddam antiquum ius ac priuilegium hac occasione data rustici filiam Domini sui ad saltum accipiendi, quod si alio tempore vellent facere, certo non efficerent, imo castigarentur; aliquando post saltum filiam Domini sui vnus eorum rapit in siluam eaduam aufugiens, in qua 24. horis latet, felix si non reperiatur nam illico & absque vllo iudicio trucidaretur, elapsis 24. horis dum vxor huius rustici vult esse filia rapta & rusticus reculat vita is priuatur, si vero nubere noluerit filia, crimine rusticus solvitur. Morabar in regione hac XVII. annis sed id accidisse non audiui, a filiabus vero deperiri iuuenes masculos multoties vidi, eo modo quo retuli. Profecto est summæ audaciæ de medio congregatorum aufugere, & vt pedum cursu superetur id fieri non potest absque conditamine præuio. Rustici pessimo modo tractantur a nobilibus quorum imperia ad effectum perducere religioni ducunt. Aufugiendi dicto modo rusticis priuilegium, originem a Polonis sumpsisse suspicor, quibus Ducum elegendorum olim cursus nudi pedibus designabatur, apud quos ideo & equi currentes velociter summo in prælio manent, vt hostem aufugientem citius aggrediantur. At recensitis Cerimoniis antequam nubant, ad ipsas nuptias exponendas accedamus.

Ipsis nuptiis iam aduenientibus iuuenes vtriusque sexus nomine sponsi & sponsæ currunt per domos varias, exposcendo vt adsint nuptiis, *na weśile* vocant; Muneris huius signum est ad instar baltei pendens vitta longa texta de floribus, qui ita ornati ad poscendum, referunt numerum conviuatorum, seu illos qui nuptiis aderunt, bini munus adimplent: hic qui perorat manu gestat virgam. Intermitto quæ dant fercula, cuiusque generis carnes apponunt mensis suis, dicam tantummodo de vestitu nubendorum. Nubenda veste amicitur longa, de fusci coloris panno, per terram repente, circum pellibus agninis vt & tota ab intra circumsuta, teniis de gosypio et lana, vel lana & serico intextis superpositis, caput apertum sparsosque capillos per humeros gerit, faciem non velat, capitique

ex floribus coronam, vt tempus permittit, impositam habet. Ita amictam pater, vel frater, aut quiuis affinium ducit ad Ecclesiam, præeuntibus sonantibusque fidibus, cornu sonoro & cymbalis. In Ecclesia peractis ceremoniis nuptialibus, simili cum pompa domum reducitur a quo sanguineorum. Prætereo silentio suetas acclamationes, signa lætitiæ, in nuptiis quo ad quæ nemini nationum cedunt, luxus vero tantus apud eos est (qui etiam dum infantes suos baptismalibus aquis immersos esse volunt, adhibetur,) vt obtento a Domino parandæ coquendæque cereuisiæ consensu ad profusionem ea vtantur, alio enim tempore soluunt Dominis suis a quolibet vase, dicto *boczka*, id quod assignauerit.

Cum venerit hora ad lectum se conferendi feminæ affines, mariti, in cubiculum aliud ducunt nuptam, eaque exornata ad ipsam tunicam, omnes corporis partes interque capillos & digitos explorant, num aliquod vitium corporis habeat, quo inuento turbantur nuptiæ, si autem nil vitii habere comperiatur, deducunt eandem ad lectum indutam tunica xilina alba de acu detracta, ac collocant, demumque maritum adducunt, qui vestibus exuitur, ac ie ad eundem lectum confert; iacentes velantur; Alii autem ingressi domus cubiculum, in quo nupti, manibus tenentes vitra adimpleta saltant ac plaudunt; cum musica concentus resonat, feminæ continuo clangentes volis ad signum consummati matrimonii, subsiliunt. Si iocosi aliquid contingat, omnes ridentes volas volis quatiunt, quod vt videant iacentes, affines ad cubile vigilantes velum adclinant, vt risus causa videatur. Accedentibus omnibus lecto nupta inuenta, in indusio dicto quod signum virginiatis, vestitur ac capiti imponitur textamen dictum *Czypeć*, nam puellæ apud eos nunquam alio ornamento capitis vtuntur ac ipsis propriis capillis, qui toti circumuoluuntur, vitta vna vel duabus stringuntur, floribusque ornantur, imo tegens caput quo ornamento præter capillos inhonestatis est nota puellæ.

In crastinum alio modo non minori lætitiæ signo ac iucundo (qui autem nunquam vidit, ei admirationis maximæ præbent materiem,) manibus tenentes baculos circum rotando vertuntur, ad illos vero ad instar vexillorum adpensis linteis gradiuntur per plateas villarum subsilientes, & vt quiuis censeatur ducere nuptam, vnus alterius manum tenens in circulo girando gradiunt, ad signum virginitatis nuptæ, huic turbæ perstrepenti obuiant omnes de domis suis egredientes, circa quorum compita transeunt, processioni dictæ non deest musicorum concentus, quocum domum nupti cum nupta perueniunt.

Si autem nemo fit obuius honoris ergo, quiuis stringens manu vitrum allidit terræ, feminæ finem imponunt cantilenis, solemnis actus turbatur, parentes nuptæ confusione ac contumelia implentur; Tunc cessant nuptiæ, domus vastatur vasa coquinaria lutea, & quæ potui inseruiebunt franguntur, nuptam matri reddunt suæ, qua abducta in siluam datur potus de fracto vase, cantando turpes ac perstringentes pæanes, quod honestatis filiæ suæ non curam gesserit; Denique omni iniuria adfectam linquunt in silua, quilibet se domum suam recipit. Parentes filiæ ita re facta non egrediuntur de cubiculo, ne exprobratum sibi videant filiæ vitium. Marito nuptæ recipere eam, est permissum, vel illam repudiare, quod si primum eligit, probro ac contumeliæ semet exponit.

Honestas puellarum perioscitur in tabernis, quas ad propinanda pocula cremati mulsique conueniunt, filiarum vero parentes quibus casus mox dictus contingit, neque filiam neque semet ipsos conferunt ad sueta conuenticula.

Antequam finem dicendi attingam, non abs re facturum me intelligo, si recensuero ritus Paschatis tempore obseruare solitos: Sabbatho maiori seu in peruigilio Paschatis, ecclesiam quam nominant *Cerkow* conueniunt, assistunt in illa cerimoniis, depositionis figuræ Christi in sepulchrum, quæ ceremoniæ summa cum solennitate absoluuntur: quibus finitis, singuli virorum, mulierum, puerorum, puellarumque ad Episcopi eorum lingua *Wladyka*, pedes se prosternunt, ac ouum rubris vel variis pigmentis ornatum porrigentes, dicunt: *Chrystos woskres* Christus surrexit, quibus reponit surgens Episcopus: *Woistęno woskres*, vere surrexit, omnium hominum suæ diœceseos recipiens de manu oua, multas sexagenas congregare potest ouorum, aliis nimium iunioribus faciem osculandam, seni-

oribus

oribus vero manum recipiens oblata oua, præbet. Metropolita omnium episcoporum præses hanc cærimoniam implet Kijouiæ, vt in villis ciuitatibusque quiuis *Curatus*, appellatus eorum lingua *Hospodyn*.

Per octiduum non transeunt per plateas absque dictis ouis, *Kras Lanka*, ouum rubro colore, variis, *pysanka*, tinctum vocare suerunt, congressi cum quo in platea, eadem repetunt verba, quibus *Wladyka* aut *Hospodyn* iis, alloquentibus se, reponebat; nimirum vnus dicit *Chrystos Woskres*, alter reponens *Woistęno woskres* de sinu sumit ouum, illudque post amplexum colli ac osculum tradit, cui redditur mutuo aliud. *Juniores congressi nonnunquam lusus gratia depromptis ouis, inter pollicem & indicem tenentes, ita vt oui finis promineat aliquantum, ab altero in manu telicem & indicem tenentes, ita vt oui finis promineat aliquantum, ab altero in manu tenente ouum concutitur, illud vero quod frangitur, ei cujus integrum ouum, sedere debet, atque vni ouo aliquando sexaginta octuagintaque cedunt.*

Die secunda Paschæ animi exhilarandi causa, summo mane aliquot pueri, iuuenes, deprehensis puellis capiunt eas, ac adductis ad puteum aliquot situlas aquæ in ipsam desuper infundunt, donec tota madeat, hicque locus de mane non a prandiis exerceri debet.

Tertia die Paschæ, qui est Martis dies, puellæ vlciscuntur iniuriam iocosam, quæ heri acciderat, at maiori cum astutia, abscondunt se in angulis domorum, quælibet gerens vrceum aqua impletum, vna earum excubias agens, deprehenso puero dat signum voce, eo audito omnes ex angulis accurrunt, & quæ sunt illarum fortiores capiunt puerum, aliæ fundunt in caput aquam de vrceis, lauatoque probe puero dimittunt aufugientem. Hic est mos celebrandi a pueris puellisque festa Paschalia. Prouectioris ætatis turmatim Domini sui adeunt domum, & Domino exeunti foras magna cum reuerentia se inclinant, accedentes, quiuis Domino par pullorum gallinæ offert, aut atium domesticarum aliarum, Dominus id non ægre ferens remuneratur eos cremato hoc modo: iubet cremato impletum efferri vas non modicum, quod rustici omnes circumdant in terra sedentes, Dominus seniori eorum vni porrigit, qui consequenter recepto a Domino cochleari oblongo suis sociis propinant, quousque vas euacuetur, si autem, antequam sol occidat, vacuum sorpto potu remanserit vas (quod accidit sæpe) Dominus in locum euacuati aliud cum cremato tenetur iubere adferre, vt rusticorum desideriis satisfiat. Post occasum solis, qui sibi præsentes sunt, redeunt domum, ebrii vero in plateis proiecti dormiunt, quousque non expergiscantur, sed fœminæ ac filii, filiæque, si quorum sunt, in manibus eos domum referunt instar semimortuorum a nimio hausto potu. Est res certe bilem commouens homines tanquam porcos volutantes in cœno intueri, vidi nonnullos mortuos fuisse hausto cremato absumptosque: o infelicissimum mortis genus ac dolendum! Hanc occasionem, si quis ab alio rem quandam sumere in animo habeat, arripiunt, potant inuicem, & optime inebriati (qui liberales volunt tunc haberi) postulant quatenus munerentur, annuunt ebrii postulationi, ac postulata non cunctando tribuunt, supplicantes voto potiti domum remittunt dona. At mane ad saniorem mentem redeuntes, dum non deprehendunt donatum aliis munus, tristes fiunt suamque sibimetipsis exprobrant prodigalitatem, sed consolantur dum spondent se facturos idem cum aliis, a quibus necessaria extorquenda pollicentur.

Qua arte sanentur quibusue medicamentis vtantur, narremus. Vidi quosdam Cosacorum febri correptos eo modo sanatos in crastinum perfecte, modicum pulueris pyrii sumpserant, illudque cremato dilutum in vase totum cremarunt, reliquo hausto obdormierunt & saluberrimos de strato se eleuantes, viderunt. Ciarios latet. Alii cineres cremato dilutos bibunt, pristinasque vires recipiunt. fiarium sæpe sanatum dicto modo animaduerti, qui Medicos nostros ac apothe-Nonnullos intuebar a Chirurgis remotos, vulnus a sagitta acceptum non lethale, terra cum saliua sanare, non secus ac si balsamum apponeretur. Ad ripam cuiusdam fluminis spectabam Cosacum coquentem pisces, qui in ollam de farina gallas iniiciebat, postquam aqua ebulliret, ne autem ebulliendo effunderetur ex olla, ignem aqua aspergebat, inuentio, quamuis rudis, at ingenii index est.

Cosaci communi morbo suæ regionis laborant, dicto eorum lingua *Gozdeł*, de quo ita accipe. Affecti morbo integro anno impotes membrorum sunt, ceu

paralisi tacti, at tantis doloribus adstringuntur, vt potentissime vociferent: anno elapso de nocte sudant ingenter, ac de mane capilli conglutinantur, ita vt cernens caudam potius dicas, quam hominis capillos esse, infirmi pristinas vires ita recipiunt ac sanitate optima potiuntur; si quis autem agglutinatos, dictos *Kovtuny*, vellet amputare intra dies duos obcæcatur, hic enim humor de capillis ad oculos descendit.

Morbum hunc pro immedicabili existimant, sed ego aliquoties remedium adhibui idem quod ad morbum gallicum. Nonnulli ad pellendum morbum in alias plagas proficiscuntur, vbi aëris mutatione sani redduntur; de vno vitro ad potantem non serpit hic morbus, vt lues venerea; Si vero ad thorum confertur maritus cum vxore, vel contra, afficitur vnus eorum morbo, si alter sit affectus. Medici morbum dicunt esse *Koutuny* apud Cosacos, masculum & femellam. Narrant anus decrepitas hunc morbum conferre distribuendo vel in spiram panem tortum, vel aquæ calidæ fumo ab iisdem adaptato quadam cum arte, qua cerebrum suscipientis læditur. Infantes nonnulli nascuntur cum pilis, quod signi est, nunquam eos infirmaturos morbo *Gozdeć*.

Hac ex parte Borysthenis infestantur Cosaci ab innumerabilibus muscis, quæ mane molis modicæ, a prandio crescunt ad magnitudinem pollicis, pungunt atrociter aculeis suis equos, eutemque secant pusquam bene sanguinem suxerint, neque dormire possunt absque *Polnia*, nominant Cosaci suum reclinatorium muscarum causa, nihilominus faciem aculeis punctam mane expergescentes habent. Accidit mihi idem, vt tribus diebus elapsis vix faciem meam cognoram, neque videre, neque oculos aperire potui, tam inflatæ erant palpebræ; monstrum ingens horrendumque eram. Cosacos memini exstruere *Polnia* tali modo. (vid. fig. 9.) Sectis quindecim bifurcis crassis vno digito, longis duobus pedibus & dimidio, vel circiter. Figunt in terram vna ab altera duobus pedibus distante in longum, in latum vero pede, his superponunt quinque fustes, transversim totidem applicantes, quos in decussatione ligant corio de arboribus salicis, distendunt lintea, dicta ab ipsis *radno*: at sub hoc tentorio, si dicendum est tentorium, seniores eorum solummodo cubant, aliis enim non, vt iis vtantur, sufficit. Dum pluit recipiunt se in locum, in quo extruunt ad tempus durabile ergastulum, quod euidentius in figura 10. quam verbis explicando intelligitur. A. B. C. D. E. F. G. est tela, qua tegitur *Polnia*. H. I. L. M. sunt bifurcæ sustinentes perticam, I. L. per quam distenta tela cernitur, vt arceat aquam de pluuia, hæc sunt tecta, *Polnia* eorum lingua nominata.

A Muscis ad describendam locustam transeamus, quorum tanta abundantia, vt mihi refricet pœnam missam a Deo in Aegyptios affligendi gratia Pharaonis. Hisce oculis flagellum Dei hoc vidi cecidisse pluries præcipue 1645. & 1646. Hæc animalcula non instar legionis volant, sed turmatim ceu nebula locum volitando occupant in longum sex aut quinque milliaria, in latum duo vel tria; communiter aduolat a parte Tartariæ, quod tunc accidit cum ver siccum. Nam Tartaria, *Czyrkassy*, *Botza*, *Mangrylyn* vix quolibet anno non infestantur a locusta. Hi vermes vento iactati aduolant in oras de quibus sermo, in his omne gramen viride vorant, omnem etsique herbam tollunt, si quid autem messum fuerit, id duabus horis ad incitas redigunt. Locustæ autumno ac maxime mense Octobri pereunt, quælibet earum saltim pro trecentis relicto semine, quod, vere educitur, si sit siccum, vt adnotaui, si autem sit pluuiosum ver, non educuntur de semine relicto, atque anno hoc, ni aliunde aduenient locustæ, priuantur iis incolæ. Volantes si vis concipere, imaginare tibi cadentem niuem maioribus crustulis de nubibus, nebulis densissimis circumdatis, quæ crustulæ vemus hac illac pellit. Dum ad pascendum in terram se demittunt campos iis tectos vndequaque dices, sibilant vorando, & consumpto omni gramine leuantur, eoque se dirigunt, quo ventus ducit, & si clarissimo sole volitent miraberis diem efficere eas nubilosissimum. Anno 1646. mense Junio mansit duabus hebdomadis in villa noua *Nowohrod*, qua in & milites & ego consistebam, tanta eo cum multitudine aduenit, vt me horrore afficeret: non parui enim prodigii est, intueri locustam, quo in loco euoluitur, tam coope-

cooperire terram & aërem, vt ex die nox fiat, ac sine ope candelæ homines neque seipsos cernere, neque manducare queunt; Omnes domus, ergastula cuncta, stabula, hortæ, ab iis non exempta erant, vbiuis locorum serpebant; fumo de puluere pyrio & sulphure ad abigendas vtebar, at non repellebantur, apertis enim ianuis, insiliebant; si quis voluisset manducaturus scindere carnem, id efficere haud potuit, ni simul locustæ frustum cum carne scinderet, aperienti os in illud inuolabant, exeuntis, nasum, faciem, volitando verberabant, expressu difficile, visu horrendum, vix imaginari potest, quanta sustulimus duabus integris hebdomadis, quibus transactis, dum volare sat potuerat, locusta eo abiit, quo abrepta a vento fuerat, ibique similiter vastans non modica damna attulit. Vidi pernoctantem ad quatuor pollices vna in alia sedente magnum negotium facessere equitantibus, hacque via equus, ni adigeretur scutica, haud pedem moueret, roris curruum, rhedarum, ac pedibus equorum contrita locusta fordidum odorem efficit, qui non aures tantum, sed ipsum cerebrum offendit, ego progredi non ausus fueram, absque humectato strophio aceto. Sues, porci, maxime locustis saginantur, at nemo audet tunc manducare carnem suillam, quod vermiculi dicti apud eos fastidiant. Educio ac inere mentum locustæ hæc est: remanet in regione mense Octobri, quo, caudis suis terebrat foramina in terra, in quibus quælibet illarum pro 300. semen deponit, hoc peracto transuertitur, pedibus semet tegit, ac perit, viuere autem sex cum medio mense longius nequit. Pluuia, tempestas, gelu, non nocet semini. Aduenientе vere, scilicet circa medium Aprilis, quo tempore sol operari calore incipit, euoluuntur de semine, dein repit saltando quaquauersum sex mensium interuallo non volat, neque a loco natiuitatis graditur, ad volandum alis adnatis eo pergit, quo ventus pellit. Si eo temporis, quo volandum ei est, caurus regnat, omnis in mari nigro mergitur, alio enim vento pulsa regiones alias visitat, ac ruina quam narraui, afficit. Euoluentes dum pluuia sparguntur octo, per vel decem dies, pereunt, de æstate si pluat multis diebus, non plus viuere potest, hoc ce modo arcentur ab incolis miseriæ ac strages segetum; Æstate sicca, qualis sæpe est, durant ad mensem Octobrem; quo ad magnitudinem eius, aliquot annis sæpe est, durant ad mensem Octobrem; quo ad magnitudinem eius, aliquot annis consideraui crassam ad vnius, longam trium, quatuor, pollicum. Relatum mihi est, quod ii, qui callent Chaldaice, legant in alis locustarum literas, quæ exprimant hæc verba in lingua Cosacorum *Bozy hniew*, hoc est: ira Dei seu flagellum Dei. Adeamus alia curiositatis ergo, scitu necessaria.

In Borysthene, incolarum eius lingua *Dniepr*; incidunt duo flumina, Sula & Sapoy, inter hæc duo flumina, in campis fouentur animalcula lingua habitanti- *bobaki*, magnitudinis leporum Barbariæ, dentes duo in maxilla superiori & duos in inferiori habent, vt talpæ mense Octobri in terra delitescunt, ex qua in Aprili exeunt, quoquo tempore cursitant per campum quærentes cibum, hyeme in cauernulis eo nutriuntur, quid per a starem congregarunt, dormiunt non modicum, œconomia inter hæc animalcula exstit, dum in hyemem ad sustinendam suam vitam necessaria coacernant, dicuntur inter illa quædam instar mancipiorum tractari, nonnulla enim inter se, quæ negligentiæ notata animaduertunt, eiusdem generis animalcula transuertunt, in ventrem glomerant herbas, ac impositis iis, quædam tenent anterioribus pedibus, si mauis manibus, ne cadant herbæ, a partibus, quædam cauda arrepta trahunt onustum herba ad fores suarum cauernularum, vidi aliquoties meis oculis id fieri, & nonnunquam tota die contemplatus fueram, ad ipsas cauernulas appropinquans, in quibus vidi ad instar domuncularum, alium locum vbi cubant, alium in quo deponunt frumentaria, alium in quo mortuos sepeliunt, aliumi ad aliumi usum; octo aut decem in vno cauernulæ foramine manent, separatim locum intuebar eorum cuiusuis dormitionis, verbo, res publica horum animalculorum *bobaki* dictorum non posterior formicarum aut apum. Omnia dicuntur animalcula narrata hermaphrodita fore, capiuntur mense Maio non terunctio carius venduntur, habui plura, quæ ad recreandum non minus ac simia vel sciurus seruiunt, iisdem quo illa vescuntur. Addendum denique de his animalculis, quod nunquam exeant absque vigili, dum pascuntur vigil deprehendens quem, sibilum edit, quo audito omnes se in foueas conferunt, in quibus

bus durant, donec homines tranſeant. Diſtantia duorum fluminum *Sula* a *Sapoy* eſt ſex milliarium, a Boryſthene vero Moſcouiam verſus, quindecem milliaria protenditur. Per campos, in quibus reperiuntur hæc animalcula, citato curſu in equo currere, ob foramina per *bobaki* dolata, eſt arduum. Ruſtici venantur illa menſibus Maio & Iunio hac arte: Fundunt quinque aut ſex ſitulas aquæ, qua de cauſa cogunt animalcula egredi, tunc egredientes ſaccis tegunt ac capiunt, parui ſi capiantur & iis menſe Octobri effodere domi latibulum permittatur, efferantur, vtipſemet in iis, quas fouebam, deprehendi.

Inueniuntur his in oris coturnices habentes coloris glauci pedes, quas ſi quis manducauerit, mori, ni adhibeat medicamenta, adigitur.

Animaduerti verſus *Za porohy* in campis deſertis certum animal ad altitudinem capræ, cutis gracilis, & villorum, vt pures de ſerico textam raſamque materiam coloris caſtanei, cornua gerit duo, vocaturque a Ruſſis *Sunak*, pedes admodum graciles, caro eius ſapida vt ceruorum, cornua, quæ curioſe intuebar, polita alba & digna viſu.

In his oris non deſunt cerui, capræ, apri ingentes, equi feri turmatim gradientes, quinquaginta vel ſexaginta, qui ſæpius nos ad ſtringenda arma permouerant, de longe etenim putauimus eſſe Tartaros. Laborare quamuis hinnuli capiantur, nequeunt, carnem delicatiorem habent vitulis, ſed meo palatui non arridebat. Populus eam manducans coquit inſimul cum leguminibus, quo dulcedinem amittit, venditur caro in macellis ac bouina aut veruecina. Ungulas quas gerunt impediunt pedum curſum eorum. Ita Deo volente nullum genus animalium effugit manus hominum.

In dictis fluminibus cernitur auis cum gutture oblongo, in quo piſces ad manducandum gerit, has easdem vidi in India. Gruum nullibi maior numerus: bubali & aliæ maiores beſtiæ in confinibus Moſcouiæ viſuntur, vt etiam lepores albi, feles campeſtres ſilueſtresque; Habet hæcce regio verſus Valachiam vereces lana coopertos oblonga, minore cauda communibus, at ad inſtar trianguli deſinente, cuius pondo decem libræ, diametri eius decem pollices, ſunt multa ſagina farti.

Domini regionis, quam deſcribimus, vtuntur equis, qui cute alba, variis coloribus aſperſa, teguntur a natura, vocantur *Turantowatyi*, eos rhedis iungunt; canes etiam ſimilis coloris viſu iucundi nutriuntur ac conſeruantur in domibus.

Ukraina his omnibus commoditatibus abundans ſale priuatur, ad quod incommodum ſupplendum ex *Pokutia*, prouincia in limitibus Tranſyluaniæ ſita ad Polonos pertinente, octuaginta centumue milliaribus remota, aduehunt, vt charta Geographica oſtendit, in Pokutia omnes putei, ſi ex eis aqua coquatur, ſal tribuunt, quod in formam cylindri craſſi vno, oblongi duobus pollicibus conficiunt, pro ſolido noſtro 300. dantur, bonum ac iucundum, ſed non condit vt noſtrum Gallicum. De alni & quercus arboribus, eas cremantes, permiſcent cineribus, & magis manducanti panem cum illo arridet, audit ab ipſis *Sil Kolomyiſkaia*. Utuntur adhuc ſale, quod in Palatinatu Cracouienſi foditur, cryſtalli habens puritatem, locus dicitur *Wieliczka*. Aqua non adeo ſanos efficit potantes, de qua ratione ſubiectos morbo *Gozdeć* eſſe reor.

Quamuis ſub eodem climate Ukraina, ac Normandia, meæ Galliæ prouincia, nihilominus frigus rigidius & aſperius dominatur. Quibusdam annis tam frigus ſe extendit, vt ſuperatu difficillimum ſit non hominibus tantum, præcipue militiæ deditis, ſed ipſismet etiam animantibus. Ii qui vitam amittere nolunt, curſu ſemet præſeruantes partem amittere corporis malunt, ſcilicet vel digitos manuum aut pedum, vel naſum, vel aures, vel partem, quam recenſere vetat pudor; Calor naturalis in momento extinguitur, frigus intenſum gangrena afficit, de quo etiam cancer ſerpit, cuius a principio vix ſignum aduertitur, qui tamen elapſis aliquot horis dilatatur, vidi certas duas perſonas, mihi notas, delicioſiſſimas partes dicto modo amiſiſſe.

Nonnunquam & ſæpius accidit, tam hominem velociter frigore perſtringi, vt ab illo homo inopinatus occupetur, ac maxime, dum tam interne, quam externe, non eſt

eſt paratus ad ſuſtinendum frigus; Modo duplici mortis afficit homines frigus. Primus eſt velox, nam violentus, & dulcior, non enim longo tempore cruciatur homo, dormiendoque exſpirat: Equitantis, ſive curru diſcedentis, ſi non eſt veſtitus pellibus ad arcendum frigus, a frigore occupantur extremitates pedum aut manuum, ac totum corpus, occupatum a frigore obdormit placide, & ni excitetur, moritur. Ego aliquoties euaſi mortem excitatus a meis famulis robuſtioribus, ad pedes habebam canem, a quo pedes frigori non ſubiacebant.

Alter modus, quo frigus homines necat, eſt, quando tanto dolore afficiuntur, vt credas rabie actos fore. Frigus renes ſtringit, inteſtinaque tam cito peruadit, vt calor naturalis recedat, nullogue calido ea refocillari queant, eaque re omnia, quæ manducant & bibunt, magno cum dolore vomitu eiiciunt: viſu horribile intueri homines vociferantes, quibus quod adhibeatur medicamentum ignoratur; relinquo medicis doctis perquirere cauſam huius doloris, quo ingentiſſime homines excruciantur, nam non eſt meæ prouinciæ id in præſens agere, id refero quod videram; diſlecto cadauere mortui inteſtina nigra & nulla medicamenta recipi potuiſſe deprehenduntur, doloribus maximis afflicti hucusque eiulant donec ſpiritum exhalent.

Anno 1646. intenſiſſimum frigus erat, quo exercitus Polonus Moſcouiam ingreſſus eſt, ad extorquendum Tartaris id quod in Polonia rapuerant. In Caſtris non potueramus durare, in quibus plus quam duo millia hominum frigore duplici modo perierunt, ac etiam beſtiæ, vt equi, quorum præcipui in curru Generalis Potockii, demum Caſtellani Cracouienſis. Hoc frigore preſſi eramus ad fluuium *Merlo*, incidentem in Boryſthenem. Muniunt ſe homines contra frigus, dum bene veſtiti ter de die cereuiſia cum butyro paneque, adiecto pipere, calefacta ſatiantur.

Rege Sigismundo III. mortuo Archiepiſcopus Gnesnenſis locum eius tenens conuocat ordines, Varſauiam vt adeant duabus vel tribus hebdomadibus a morte Regis. Quiliber Senator meditatur ad conſtituendum tempus, locumque electionis Regis. Deſignato die Electionis quiuis Palatinus proficiſcitur in ſuum Palatinatum ad comitiola, ad quæ omnes cuiusque Palatinatus nobiles congregantur. In omni Palatinatu, multis peronatis in gratiam noui eligendi Regis, Nobiles deputant ad Comitia Varſauiæ celebranda, nonnullos ex numero ſuorum, quique Deputati, ſeu nuntii terreſtres dicuntur. Hi tantæ auctoritatis ſunt, vt quid placeat perorent in congreſſu ſuo, ſenatus concludere absque Deputatis nihil poteſt, ſi vero non arridet comitiorum modus contradicunt, ipſaque comitia verbo vnico *veto*: (*nie pozwalam*) rumpunt, omniaque ſtatuta ſenatorum irrita efficiunt. Sequentes regulas pro fundamentalibus in Polonia habent:

1mum. Omnis terrigena nobilis prætendere coronam prohibetur, nullique ei pro Rege ſuffragari eligendo conceditur.

2dum. Rex eligendus fidem Catholicam Apoſtolicam Romanam profiteri debet.

3tium. Vt non eligatur alius præter extraneum Principem, vt nihil poſſideat bonorum in Regno. Filii Regis, quamuis naſcantur in Polonia, at emere poſſidereque bona in Polonia vetitum, & quaſi pro extraneis habentur, ideoque etiam poſſunt in Reges eligi, ſicut Vladislaus IV, Princeps maior natu, mortuo Sigismundo III. Patre ſuo, cui ſucceſſit Ioannes Caſimirus frater, qui regimine potitur in præſenti, attamen hæreditarium non aſſerendum Regnum.

Ordo electionis peragitur communiter in campo, medio milliari a Varſauia, ciuitate principali Maſouiæ, ſede Regis ac loco comitiorum ordinariorum, omnium Prouinciarum adhærentium Poloniæ tanquam centro. Gedanum verſus dimidio milliari a ciuitate ſepimentum in circum mille ſeu 1200. paſſuum longum erigitur, quod humili foſſa quinque pedum latitudinis cingunt, vt arceant equos tantummodo, in quo duo tentoria erigunt, vnum vt Senatores, alterum vt deputatos, recipiat, in altero Deputati placita ſibi concredita explicant, antequam ſenatui iungantur, ſenatores enim nihil agunt absque Deputatis delegatis, conferentes inter ſe quotidie ſex aut ſeptem horis, quo tempore omnia ad conſeruandam libertatem media proponunt. In electione defuncti Regis Vladislai IV. quindecim integris diebus extra foſſam ſepimentumque perſtiterant 80000. equitum, qui erant milites Senatorum, quiuis enim Senatorum ſecum ducit ſuas copias,

quales habet. Palatini Cracouiæ tunc ad ſeptem millia erant, alii ſtipati fuerunt amicis, ſubditis ſuis, horum cunctos ad pugnandum paratiſſimos fuiſſe notum mihi. Adverte, quod nobiles ad equos aſcendendos parantur ſub tempus electionis, ſi quæ diſcordiæ naſcantur, vt inſurgant in eos, qui libertatis euerſores conſpiciuntur. Abſolutis aliquot ſeſſionibus eligunt regem ac inſtrumentum electionis ſcriptum, principaliores de Senatoribus & Deputatis obſignant, in craſtinum de nuntiando Rege differunt. In locum ſtationis regredientes mandantur, vt ad iaculandum parati ſint, & mandatum expectent, omnes tunc ſub vexillum regni confluunt, ac quonam tempore clamaturi ſint: *Viuat Rex*, & Regem ſuo nomine ter vocent, expectant, quo audito explodunt de tormentis, ſclopetis, bombardis cum omni exultatione, demum Senatorum principales & deputatorum lecti quæſitum proficiſcuntur electum, vt Principem, maiorem natu Filium Sigismundi, quem nominarunt Regem, qui in villa diſtante medio milliari manſerat. Rege inuento iure iurando habita oratione obſtringuntur, ac ſe fideliſſimos fore ſubditos, vt regat tantummodo ſapienter regnum ſibi concreditum, ſpondent. Senatores ſtatuta & conſtitutiones (ne eas ignoret) monſtrant, quæ ſe ſeruaturum fide bona promittit. Deductus fuerat Vladislaus poſtea ad Templum Diui Ioannis Varſauiæ, in quo ad altare Rex in ſequentes conditiones iurauit.

1. Non vindicaturum, præter reditus ſibi conceſſos, Coronæ poſſeſſiones, (Regnum ſuum coronam nominant.)

2. Non empturum bona nec poſſeſſurum.

3. Non daturum diplomata ſeu litteras ad colligendos milites, ni prius de hoc in comitiis agatur.

4. Neminem nobilem, elapſis 24. horis, ob quamcunque cauſam, niſi vt aiunt pro crimine læſæ Maieſtatis, & ſtatus, incarceraturum.

5. Non edicturum bellum, nec miſſurum nuntium ad exteros Principes abſque conſenſu Reipublicæ.

6. Habiturum Senatores tres ad latus ſuum conſilii loco continuo, qui alternatim ex numero Senatorum eliguntur. Rex igitur nihil machinari poteſt, quod non reueletur.

7. Nec vxorem ducturum, neque fœdus initurum, neque diſceſſurum extra Regnum, niſi accepto conſenſu Ordinum.

8. Non creaturum Nobiles niſi in præſentia Ordinum.

Quamuis ſic ſit circumſcriptus legibus Rex, attamen auctoritas eius & imperium eminet in diſtribuendis dignitatibus, beneficiis Eccleſiaſticis, dum vacant, at ſolummodo Nobilibus Regni, præcipue iis, qui de patria, vel belli tempore, vel ob alia negotia publica præclare geſta, bene meriti, vt hoc ſit partim mercedis loco, partim in aliis æmulationis & virtutis ſtimulo.

Habet ius permittendi vt in fundis præfecturarum & bonorum, quæ concedit, crementur ligna & cinis clauellatus, dictus *potaż*, conficiatur, vnde reditus haud parui proueniunt. Nemo vnquam ſine conſenſu Regio munus vel minimum, dignitatem vel maximam ſumit, quæ nemini ſine Regis ſcitu abrogari poteſt. Præſcribit tempus comitiorum ordinariorum Rex, quæ ſolent quolibet biennio inſtitui. In bello poteſt exercitum ducere, ac omnem Nobilitatem alicuius Prouinciæ ad ſtrigenda arma euocare, qui vero non obediant, eos exilio mulctare, ac bona fiſco Regni addicere. Talis eſt auctoritas Regia, quamuis in aliis ſit conſtricta, neque Regi, id quod velit, agere permittatur. Caput eſt totius Reipublicæ, ac omnibus ſtatutis ſuum nomen præponit.

Nobiles Poloni ſunt omnes æquales, nullusque ſuperior alio, vt in Germania, Gallia, Italia, Hiſpania, quæ Regna Duces, Marchiones, Comites, Barones habent. Hi, qui regunt territorium a Rege datum, dicuntur *Staroſtowie*, Præfecti. Alii autem Nobiles bonis, quæ habent, vtuntur vt hæredes, non vt Feudatarii. Pauperrimus Nobilis tam bene de ſe quam ditiſſimus æſtimat, venerantur attamen Regni Officiales, omnis, ſi accedat gratia Regis, dignus vt Senatoriam capiat dignitatem æſtimatur. Latinæ ergo linguæ operam nauant ad intelligendas leges, quarum pars maior Latino ſermone exarata. Omnes etiam ad obti-

obtinenda reipublicæ bona adſpirant, ideo militiæ dediti, ſe belle gerunt, at laudentur a ſuo Duce & Regi commendentur, qui largitur eis aliquam Præfecturam, *Staroſtwo*. Nullus nobilis poteſt incarcerari, ni prius proceſſu iuris conuincatur, ſi autem ter vocatus adiuerit, licitum eſt ei adhibere & quærere teſtes, ſi autem decretum promulgandum eſt non fauorabile, recipit ſe in clauſtrum, quæ in Polonia ſunt aſyli loco, ſæpeque nequiſſimos cooperiunt ac morte liberant. Primores ſi condamnentur & ſint refractarii, ſtipati manu armatorum effugiunt proceſſum. Decretum hos pæna capitis afficit, & bona fiſco communi. Vocati in ius ter ſi non comparuerint, decretum infamiæ promulgatur, ſcilicet quod cuique licitum ſit, eum interficere, & quicunque cum infami communicarit, infamiæ nota ei adſcribitur, ſi vero pars aduerſa impotentior, reus ſoluit id quod exigit victrix, & ad ſua bona obtento diplomate Regis reuertitur. Si vero reus non ſit potentior, ſuam vitam defendit ad exteras nationes aufugiendo, bona autem ſub fiſcum deſignantur Regni, de quibus Rex etiam iure hæreditario acquirere nequit. Amici attamen hucusque non ceſſant laborare, quousque aufugiens tuto poſſit redire, ac, quod amiſit, recuperare.

Inter milites non habetur ratio nobilitatis, ſed commiſſo crimine quantocius decretum ponitur, illico executioni demandatur.

Nobiles poſſunt bona conducere ac vſum fructum vendere, nihilominus vti in Gallia mercatura prohibetur.

Iniuria ſi affectus quis Polonorum, non ſolus vlciſcitur eam, ſed congregatis amicis ſubditisque, in eum, qui iniuria affecit eiusque ſocios conſurgit, manibus ſtringendo frameas. Amici concordiam ineuntes tenent ingentia vitra plena liquore Hungariæ vnus alteri propinando.

Inſignia Nobilium coronis deſuper ornantur ad denotandum dominium aliquod. Nobili liberum eſt militem ſcribere, tormenta bellica comparare, erigere propugnacula, in quo nec Rex nec Respublica eos impedire poteſt, & vt ſint Domini ſummi & liberi, tantummodo cudendæ monetæ poteſtas deficit, quam cuſam olim nomine Reipublicæ, nunc nomine Regis ſignatur. In ruſticos ſibi ſubditos ſummum imperium tenent, vti retulimus ſuperius, at qui in bonis regiis ſunt ruſtici, in eos non tanta Nobilibus auctoritas eſt, etenim iniuria affecti queruntur apud Regem, & Rex illos protectione ſua fouet.

Damnari capite Nobilis occiſo ruſtico nequit, ſed 40. marcas (*Grzywna*) ſoluere tenetur, (marca valet 30. ſolidos Gallicos.) Teſtimonium duorum Nobilium ad condemnandum ruſticum ſufficit, ad conuincendum vero Nobilem, quatuordecim ruſtici requiruntur.

Extraneis emere bona hæreditatis iure vetitum, vt & ruſticis, qui nihil proprii habent, ſed ex agris, quos tum ii, tum eorum infantes poſſident ad vitæ rempora, Dominis ſuis reditus ſummos exhibent labore manuum ſuarum, ſed eos neque vendere, neque oppignorare poſſunt, hos etiam Domini nonnunquam recipiunt. Ciuibus licitum emere domus, hortos, iugera, ad ciuitatem ſita. Omnes fere territoriorum campos nobiles poſſident, quibus ditantur, præter eos, qui Regiis parent commodis, inter eos ſunt prata, molæ, data ignobilibus, *Boiary* dictis, hi accipientes obligantur ſuo ſumptu bellis inſeruire, ac Duci ſupremo Exercitus parere. Nobilitas Poloniæ quamuis abundet diuitiis, attamen præcipue in Maſouia, in qua Nobilitatis non modicus numerus, ſexta enim pars incolarum, non pudet multos, agros colere propriis manibus, aut ditioribus ſeruitia præſtare, quod vltimum nobilius eſt, quam rhedarii officio fungi, vt habueram inter meos famulos duos, dum in hac regione morabar exercens munus *Capitanei Artileriæ* & curatoris rei tormentariæ.

Nobilium bona ſunt libera ab hybernis, & aliis ſtationibus militum, pertranſire tamen eorum vicos poteſt exercitus, miles in bonis Reipublicæ conſiſtit.

Pluribus Fratribus dum mortuis parentibus obueniunt bona, maior natu diuidit, minimus ſeligit.

Vidua iterum nubens omnia ſua bona marito adſcribere poteſt, quod filios in obedientia ac amore continet parentum.

Nobiles Poloni humiles, comes erga ſuperiores, ſicuti Palatinos & in dignitatibus Regni conſtitutos, humani, ſolertes erga æquales & ſuos populares ſed intolerabiles inferioribus, affabiles aduerſus extraneos quos non paruo excipiunt animo: tractabiles, non vt Turcæ aut Tartari, qui cognoſci volunt bello, manu ſtringentes arma. Cum Moſcouitis, quos inhumanos & feros credunt, nullum commercium habere volunt, Suecorum vero & Germanorum incolas auertuntur Poloni, & illos amore proſequi nequeunt, quamuis ad varia artificia eorum ope vtantur. Gallos vero vocitant Poloni fratres ſuos ex affinitate morum, & Galli ſummo honore Polonos proſequuntur. Poloni ſumptibus non parcunt in veſcendo & veſtiendo, adhibent pelles variorum animalium pretioſiſſimas, vidi tunicam e Martis Zibellinæ pellibus, quæ exceſſit pretium duorum millium imperialium, cuius claui aurei, variis lapidibus, adamantibus, diſtincti erant. Famulis ſtipantur pluribus. Sunt validi, generoſi, ad arma apti, in quo ſuperant ſuos vicinos, exercentes ſe continuo quoniam nunquam pace fruuntur, bella gerunt contra Principes Europæ, contra Turcam, Tartaros, Moſcouitas, Suecos, Germanos, & nonnunquam contra duos & tres inſimul, vt accidit anno 1632. & 1633. quo ſuſceperant bellum contra Turcas, Tartaros & Moſcouitas, in quibus tam ſe belle geſſerant, vt multoties recuperata victoria, anno 1635. de Suecis reportarent famoſiſſimam. Interpoſitione Legati Gallici Domini Dauauy inita pax in Pruſia Suecos inter & Polonos cum vtriusque partis ſatisfactione. Poloni amicos lautiſſime, extraneos ſumma cum comitate recipiunt, & ad ipſos inuiſendos diſcedunt. Diuites inter Nobiles Polonos ſunt, quorum reditus 800000. ſuperant librarum Gallicarum ex bonis hæreditariis, præter ea, quæ Reipublicæ ex gratia Regis poſſident, quæ bona ſextam Regni partem conſtituunt, diuites eos reddit labor ruſticorum, qui poſſidere hæreditario iure terram nequeunt. Ne Rex fiſco addicendo bona, ſuo Dominio ſubiiciat, impediunt legibus, timent enim abſolutum Regis dominium, itaque inſtant apud Regem vt bene meritis diſtribuantur. Miles bello ſe accingens ornatur armis, in quibus, ſi in noſtrum exercitum pergeret, non tam formidandus quam admirandus foret. Narrabo ornatum Deczynſcii Magiſtri Equitum, vernacula *Rotmiſtrz* Coſacorum cohortis, qui ita armatus erat: acinaces per induſium hamatum ferreum, ſi mauis loricam, pendens ad latus, in capite de ferro pileus inſtar caſſidis, brachia autem tegebat idem induſium ferreum, habebat ſclopum equeſtrem; dum arcu & pharetra deſtituitur, habet ad latus ſubulam, ignitabulum, cultrum, hæc omnia impoſita peræ rubræ, ſclopetum minus, ad cingulum appenſum ſtrophium, de corio plicata alia pera, quæ ad hauriendam aquam inſeruit, *Kaleta* ſeu pera maior de panno rubro, in qua papyrus, litteræ, pecuniæ, aſſeruantur, *Nahayka* ſeu ſcutica ad concitandum equum, aliquot vlnæ funiculorum ad liganda mancipia ſi quæ contingent, hæc omnia appenſa ſunt lateri oppoſito ei ad quod acinaces. Præter hæc cornu, in quo medicamenta equorum continentur, ad latus equi vas *buklak*, pro aqua ad potandum equum, tres funiculi de corio ad equi tres pedes ſtringendos dum paſcitur, dicitur *peto*. Si non ſumat arcum, accipit bombardam faſciatam, quam ſuſpendit, vt & thecam in qua papyro obuolutæ menſuræ puluerís pyrii cum globulo variæ, vna pro vna iaculatione, nominatur *ładunek*, inſuper pixidem puluerariam. Perpende, hic homo ita oneratus, num poſſit libere hoſtem aggredi?

Huſſarze ſeu equites, Hungarorum more veſtiti, vel lancearii, qui Nobiles ſæpius redituum 50000. florenorum. Bene ſunt inſtructi & equi eorum 200. aureorum pretii ſunt, ex Turcici imperii Regni Natoliæ Prouincia Carmenia; quilibet lancearius quinque equos habet, cohorti centum equitum præſunt 20. magiſtri, qui a fronte gradiuntur, quartor ordines de ſeruis lancearíorum conſiſtunt. Lancea 19. pedibus longa, in fine eius ferrum acutum de, cætero lignum, huic applicatur vexillulum nigroalbum vel cæruleo viride, nigro album duplicis ſemper coloris 4. vel 5. vlnis longum ad efferandos equos inimicorum perterrendosque. Vtuntur, aſciis, clauis, ſecuribus (*berdyſz.*) Acinacem ad latus habent, gladium vero dictum *pałaſz*, ſub femore læuo, ad dextrum ſellæ marginem alligatum,

gatum, ad manubrium largum, verſus finem anguſtiorem, quinque pedes longum, vt hominem humi iacentem, nondum mortuum, eo facilius terebrent. Gladii lamina ſubrotunda, vt melius contra terram ferire, hominemque lorica indutum perforare poſſint. Acinace vtuntur in pugna & ad præſecanda induſia ferrea, gladio autem ad diſſecanda corpora. Adhibent & malleos pondo 6 librarum ad caſſides concutiendas, qui ligonibus Gallicis quadratis ſunt ſimiles.

Si modus armandi differt a noſtratibus, non minus & epulæ, quæ a Polonis peraguntur, iis enim omnium nationum morem transgrediuntur. Domini enim, qui hac in re gloriam quærunt, tam ditioris quam mediocris fortunæ, tam ſplendide convivia ordinaria agunt, vt ad veritatem affirmare poſſim, conuiuia eorum ordinaria, quod ad abundantiam, in omnibus noſtratum feſta ſuperare. Inde coniicere licet, quid ſit, quando feſta celebrent, & extra ordinem conviventur. In conuiuiis tantum potandum ſollicitant, vt modum ſuperet exprimendi Præcipue Senatores & Officiales Regni ſub tempus comitiorum Varſauiæ ſuetorum, eo die quo a Senatorio vacant conſilio ita conuiuantur, vt vnum prandium quinquaginta ſexagintaque excedat millia librarum Gallicarum, qui ſumptus ſatis ſunt magni, intuitu eorum, quæ in conviuio adhibentur, horumque apparationis. Non enim ita eſt, vti aliis in Regionibus, vbi omnia emuntur, & ſumptuose apparantur, ſed omnia quæ ibi apponuntur, ſunt communia, male parata, at in prodigiosa quantitate, inſuper mali mores & abuſus famulorum inſeruientium augent expensa, ad quod demonſtrandum dico, in quondam conuiuio, pro centum thaleris, vti dicunt, vitra fuiſſe fracta, qui ipse legi regeſtum, ac non erant pretio caro emta, nam ſolido Gallico. Ad conviuium poſtulantur quatuor quinque Senatores, ac nonnulli legati exteri, qui numerus certe exiguus foret, at quilibet, ſibi aſſiſtentes nobiles adducit ſecum, qui mensæ etiam aſſident, ita ut ſeptuaginta, octoginta ſint conuiuæ. Menſas iungunt tres inſimul, quæ coniunctio longitudinem efficit centum pedum, & ordinarie mappa eleganti tegitur, ſuper quam propter quamlibet perſonam orbis, & mappa minor, magnitudinis ſtrophii, & panis fruſtum, cum cochleari ſine cultro. Hæ mensæ ita ſtratæ plerumque in ſpatioſo ſunt collocatæ conclavi, ad cuius angulum abacus argentaria ſita eſt cum variis vaſis, cancellis circum ſepta, vt præter abaci præfectum eiusque famulos, nemo intrare poſſit. Diſcorum argenteorum tantus numerus, vt excedat ſtaturam hominis collocatio cumularis illorum in abaco. Ex oppoſito abaci, & plerumque ſuper fores, eſt theatrum muſicorum, tam pulsantium inſtrumenta varia, quam voce ſonos edentium, qui alternatim cum primis, recreant concentibus conuiuas, quouſque conviuium duret, & qui iam antea paſti potique ſunt. His ita compoſitis ordinatisque poſcuntur ad menſam & ferculis coopertam commorantes hoſpites in alio cubiculo ad conuiuii locum. Quatuor conviuatoris nobiles in cœnaculo adſtant, de quibus duo pelvim cum malluvio de argento, duo autem mantile tenent, illi aquam fundunt ad lavandas manus, hi ad abſtergendum porrigunt. Demum aſſident iuxta dignitatis gradum poſcente patre familias. Aſſidentibus tres diſtribuunt ſtructores fercula cum obſoniis, more eorum condita, hoc eſt iuſculis, quorum vnum e croco confectum, dictum flavum, alterum e ceraſis, dictum rubrum, tertium e prunis quod nigrum appellant, quartum e ſucco ceparum coctarum & percolatarum colore griſeum *Gąrzcz* ab ipſis dictum. Carnes in fruſta ſatis magna ſciſſa cuique ad optionem apponuntur, nunquam vero iura, a Gallis *Potages* dicta, caro vero bovina, veruecina, vitulinaque optime parata, uti & pulli ſale aromatibusque tam bene conditi, vt ſalinis haud opus ſit, quibusque non vtuntur. Si vna patina ſit vacua alia ſubſtituitur, exempli gratia, braſſica ſalita cum lardo, vel milium, vel paſtilli, in aqua vel lacte cocti, quos in deliciis habent; vtuntur etiam raphano maiori radula contrito,

cumque aceto mixto, apto ad manducandum tam cum carne bovina recenter cocta, quam ſale condita, omnisque generis piscibus.

Evacuatis prima vice datis patenis, quarum maior ferculorum pars ab inſeruientibus & conuiuarum famulis deinde devoratur, aliæ ſubſtituuntur, quæ omnes carnes aſſas in ſe continent, bovinas, veruecinas, vitulinas, fruſta valde magna efficientia, apponuntur etiam pulli gallinacei, gallinæ, capones anates, anſeres, gallopaui, lepores, cerui, capræ ſilveſtres, apri, avesque ferinæ, vti perdices, cothurnices, alaudæ, minorisque generis aviculæ, quarum magna abundantia, pulli columbarum vero raro adhibentur, quia iis non abundant, ſic & ruſticulæ cum cuniculis deficiunt. Inter hæc fercula locantur ſine ordine lactucæ varii generis, vti & fercula ſecundaria, ex carnibus frixis cum iuribus paratis, & piſis transcolatis cum magno lardi fruſto, cuius unusquisque partem accipit, & in minuta fruſtula teſſelata ſcindit, quæque cum piſis cochleatim magno cum appetitu deglutiunt, credentes ſe non laute fuiſſe exceptos ſi hoc ferculum defuiſſet: nec non milium, & hordeum pinſitum cum butyro, quod *kasza* vocant, maſſæ farinaceæ cum caſeo mixtæ in forma turundarum in butyro frixæ cum aliis maſſis farinaceis e frumento Saracenico in forma globulorum, quos in granis papaveris albi contritis volutant, vt ſatiati eo melius dormiant.

His omnibus de menſa ſublatis bellaria apponuntur, vti diverſum anni tempus permittit, nempe fios lactis, butyrum, caſeus & cætera, quæ mihi e memoria aufugerunt. Sed omnia hæc fercula reſpectu guſtus cum noſtris neque mediocribus comparanda, ita ut vnum noſtrum decem eorum præferam. Sed pisces quam optime apparare ſciunt, quos non ſolum optimos habent, ſed tam delicato iure condiunt, vt appetitum quam maxime excitent, qua in re omnes alias nationes ſuperant, non mea ſolum, ſed omnium exterorum ſententia, neque mirandum, quia non parcunt ſumptibus in oleum olivarum, vinum, aromata, vuas Corinthiacas, reliqua, quibuscum egregie condiunt. Sub tempus prandii parum bibunt, ſed non parum manducant, vt firmum ponant fundamentum in ventriculo, bibunt vero cereviſiam e vitris longis in modum cylindri, in quibus fruſta panis toſti oleo olivarum imbuti ponunt. Mala famulorum inſeruientium conſuetudo eſt, vt fercula in orbibus reſidua, & ab conuiuis, eorum dominis, quando orbes mutant, ſtudio porrecta, cum ſtrepitu indecenti in angulo triclinii edant, ſeu potius vorent, a dominis ob hunc morem vſu introductum minime vituperati.

Ad finem comeſtionis iam non cereviſiam ſed vinum bibere incipiunt, quod generoſum, & quamuis ſit album, attamen vultum rubore opplet, & conuiuiorum ſumtus, quia non parum bibunt, auget. Menſura vna huius vini conſtat quatuor libris Gallicis, quod non ſecundum raritatem ſed bonitatem intuitu ſanitatis æſtimant Poloni.

Poſtquam pro ſanitate alterius biberint, idem vitrum eodem impletum vino alteri propinant, vt potando reſpondeat, id quod facile & ſine famulorum adiumento peragunt, infundentes ipſimet ex magnis lagenis quibus menſa & vitris inſtructa eſt, quæ non tam cito evacuantur, quam iterum replentur. Summe recreabar videndo in hora duabuſque multiplices figuras vitrorum; nam aliud quadratum, circulatum aliud, aliud cylindricum, triangulare aliud, tanto quoque ordine mutantur, vt vix credam cometas irregularius moueri, quem motum vino, vti cauſæ, tribuendum exiſtimo. Conſumtis quatuor vel quinque horis in hoc non oneroſo labore, nonnulli dormitum ſe conferunt, alii levandæ veſicæ foras prodeunt ac ad conflictum vitrorum redeunt, alii ſermonem

nem de eiusmodi compotationibus miſcent, quamque gloriose victores diſceſſerint.

At hæc, ſi comparentur cum famulorum potatu, minoris ſunt, famuli enim inebriantur adeo, vt magna committant damna quoad tapetes, mappas, veſtes denique, & ſic Domini, famuli, Muſici cuncti inebriantur. Hi vero qui cuſtodiunt argentariam non ſunt tam ebrii, & cavent ne vllus exeat foras, vſque dum omnia vaſa argentea numerata ſint, ſed his non obſtantibus, ſemper ferè vaſa quædam deficiunt, in quibus quærendis nimium temporis inſumunt.

Hæc ſunt, quæ memoria mihi ſuggeſſit rerum, quas videram audieramque in regionibus ſeptentrionis, quæ ad ſitum, perſonarum veſtes, religionem, mores, bellandi ritum ſpectant. Quodſi ſcripserim incultius, hac in re ignoſcere velis homini continuo ſolium mutanti ſueto, & tormentis bellicis operam tota ſua in vita navanti. *

* Rariſſimum hoc opus Gallico idiomate conſcriptum talem habet inſcriptionem: *Deſcription d'Ukraine, qui ſont pluſieurs Provinces du Royaume de Pologne contenues depuis les confins de la Moſcovie, iuſques aux limites de la Tranſilvanie. Enſemble leurs Moeurs, façons de vivres, & de faire la guerre par le Sieur de Beauplan. A Rouen chez Jacques Cailloué dans la Cour du Palais. M. DC. LX.* (1660)

In 4to pagg. 112. ſine epiſtola dedicatoria & admonitione ad lectorem.

Guilielmus le Vaſſeur Dominus de Beauplan ſeptemdecim per annos architectus militaris & rei tormentariæ centurio Regum Poloniarum *Sigiſmundi* III. & *Vladislai* IV. temporibus, ſub exercitus Duce Koniecpolſcio Caſtellano Cracovienſi in Ukraina militabat, qua in regione hanc Ukrainæ deſcriptionem confecit, adiecta charta geographica, (quam alio tempore ſequentibus in Tomis ſuppeditabo) eoque majorem meretur fidem, quo fuit diligentior, & præſens hac in provincia omnia ſuis inſpexit oculis. Vnicam hanc tantum habemus de Vkraina deſcriptionem, quæ a viris litteratis magni æſtimatur, quam ob cauſam ea collectioni itinerum fuit inſerta, quæ in Anglia prodiit ſub hoc titulo: A collection of voyages ad Travels: ſome now firſt printend from original Manuſcripts; Others translated out of Foreign Langages, and now firſt publiſhed in English. &c. in four volumes in Fol. for. *J. Curchill.* 1704. quo in libro Tom. I. p. 573. ſeq. hæc deſcriptio ſub ſequenti inſcriptione invenitur: A Deſcription of Vkraine containing ſeveral Provinces of Poland, lying between the confines of Moſcovy, and the Borders of Transylvania. Together with their Cuſtoms, manner of Life, and how they manage their Wars. Written in French by the *Sieur de Beauplan*, in 1640.

Quamvis merita Domini de Beauplan cum ob hanc deſcriptionem & chartam geographicam Vkrainæ illis temporibus accuratiſſimam, & noſtris etiam ſatis accuratam & vnicam, tum ob ſingularia, quæ in acquirenda hac provincia præſtitit officia, haud parva in Poloniam extarent, ad nihilum tamen ea venerunt mortuo Vladislao IV. Rege, cui Koniecpolſki Dux exercitus Beauplanium valde commendauit, quique Rex in eo fuit, vt ſingulari præmio Beauplanium afficere in animum induxerit.

Tentavit quidem Beauplanius fortunam in epiſtola dedicatoria ad Sereniſſ. Regem Joan. Caſimirum, fratrem Vladislai IV, quem in finem merita ſua in Poloniam ſincere enarravit, & inter alia & hoc dixit, ſe multum ad acquirendam Vkrainam contuliſſe, perens vt Joan. Caſimirus Rex ea, quæ Vladislaus frater Beauplanio tribuere præmia meditatus fuit, re vera ſibi deferre velit. Sed quantum ſcio nihil obtinuit, & ſic in catalogum hominum extraneorum bene meritorum, qui poſt exhauſtos varios per annos pro Polonia labores, in fine oleum & operam perdiderunt, fuit relatus.

Quia in relatione Bibliopolæ huic editioni præfixa varia continentur, hiſtoriam huius libri attinentia, eam hic adiicere iuvat, ſecundum orthographiam illo tempore vſitatam cum translatione Latina.

LE LIBRAIRE AU LECTEUR.

CHER Lecteur, Il y a dix ans que l'Autheur de ce Liure me fit Imprimer vne centaine d'Exemplaires, qui seulement furent presentez à ses amis, mais parce que beaucoup de personnes apres l'auoir veuë, ne l'ont trouué desagreable, ains au contraire en ont parlé fort avantageusement comme meritant vne seconde & plus ample Impression: I'ay creu satisfaisant à leur particuliere curiosité je ne ferois point de tort au public si je la faisois reimprimer, & plus ample & plus correct; Ce qui m'a oblige de prier instamment l'Autheur d'iceluy que s'il avoit quelque autre traicté dont il se peut Ressouuenir, il me le vouluſt donner, ce qu'il à fait tres volontiers, non toutesfois sans vn tres particulier desplaisir de n'auoir peu faire & s'acquiter de la promesse qui l'aubit faite, de la precedente Impression d'y adiouster la Carte generale de la Pologne: les figures tant des hommes, animaux brutes, que des plantes & autres choses rares que l'on voit & remarque en ces Pays, le moyen luy en ayant esté osté par la mort de son Graueur Guillaume Hondius, par qui il en avoit fait grauer toutes les planches lesquelles le Roy de Pologne a retirées de la main de sa vefue, sans que depuis il en ait peu auoir aucune cognoissance, ce qui est cause que toutes les belles lumieres ont esté mises au tombeau, non sans grandement preiudicier le public qui en auroit receu une extreme satisfaction.

BIBLIOPOLA LECTORI.

Decem abhinc annis auctor huius libri demandavit mihi, vt centum illius exemplaria typis exscribi curarem, quæ inter amicos distribuit, cum vero a multis hic libellus valde æstimaretur, qui eum secunda editione dignum conferent; Reipublicæ litterariæ, me haud male inservire putavi, si alteram auctiorem suppeditarem editionem. Hunc in finem ab auctore enixe petii, vt si forte adhuc alium huius generis scripsisset tractatum, vel addere quædam cogitaret, ea communicare mecum vellet, cui petitioni libenter quidem annuit, sed non sine dolore, quia promissis, se chartam Poloniæ geographicam generalem adiecturum, vna cum imaginibus hominum, animalium, plantarum, aliarumque rerum memorabilium, quæ hoc in regno videntur, prima in editione factis, haud stare potuit, ideo quod mors sculptoris sui *Guilielmi Hondii* intercessit, qui omnes pro eo tabulas illas æneas confecerat, quas vero Poloniæ Rex e manibus viduæ lumi curavit, ita vt ab illo tempore nihil plane his de tabulis comperire nullo modo potuerit, id quod in causa fuit, vt omnes illæ egregiæ illustrationes magno cum Reipublicæ litterariæ damno æterna fuerint oblivione obrutæ, quæ inde haud contemnendum percepisset fructum.

III.

DESCRIPTIO

REGNI POLONIÆ & MAG. DUC. LITHUANIÆ

PER

D. BERNARDUM CONNOR

MEDICUM LONDINENSEM, ANTEA IOANNIS III. REGIS POLONIÆ

ARCHIATRUM

EX IDIOMATE ANGLICANO IN LATINVM TRANSLATA.

VETERIS & RECENTIORIS REGNI POLONIÆ HISTORIA

PARS PRIOR.

EPISTOLA PRIMA

AD ILLUSTREM DOMINUM

WILHELMUM LORD DARTMOUTH.

DE ORIGINE REGNI POLONIÆ, NEC NON DE SUCCESSIONE ET FACTIS MEMORIA DIGNIS PRIMORUM POLONIÆ DUCUM AB ANNO CHRISTI 550. VSQUE AD 830.

VIR ILLUSTRIS

CUm ante aliquot annos, ex Gallia profectus per Italiam Germaniamque in Poloniam discedere in animum induxissem, forte fortuna Te, vir illustris, Venetiis offendi, quo tempore deprehendi, Te iter facientem haud sterilibus de locis tantum narrationibus contentum esse, sed præter eas notitiam regiminis, legum, singulariumque populorum, quorum regiones peruaderes, proprietatum, in primis politiæ regularum, variorumque status negotiorum, appetere accuratiorem, eum in finem, vt ex iis, quæ in exterorum Regnis vel laudanda, vel vituperanda inueneris, eo melius, tanquam vir prudens & sagax, cui patriæ salus curæ cordique est, regiminis nostri perfectionem, legumque nostrarum præstantiam, senatusque Regni sapientiam eo melius cognoscere atque admirari possis.

In memoriam reuoces velim, quo modo Venetiis grauiter ægrotans, meis vsus consiliis ex morbo illo fere insanabili conualueris, qui Te deinde vna cum comite *Kildare*, reliquerim Paduæ ad vires recuperandas, ipse autem per comitatum Tirolensem, Bauariam, & Austriam Viennam naui Danubio aduectus venerim

rim, vbi ad tempus, ad videndam Imperatoris aulam, manſi, poſtea vero vna cum quibusdam Polonis Nobilibus per Moraviam Sileſiamque Cracouiam, Regni Poloniæ Metropolim, diſceſſi, inde intra hebdomadam magno cum comitatu, Varſauiam, Regiam Sedem, profectus. Hic a nuper defuncto Rege *Ioanne Sobieſki*, honorifice acceptus, confeſtim illius Archiater fui declaratus, & paulo poſt cum Sereniſſima principe *Thereſſia*, vnica Regis filia, tunc temporis Bavariæ Electori deſponſata, ad conſeruandam illius ſanitatem in itinere Varſavia Bruxellam miſſus, qua data occaſione citius hoc ex Regno exii, quam ab initio in animum induxi.

Quamuis finem primarium, tum aliis in prouinciis, tum in Polonia ſemper habuerim, vt ſciencias medicas, rerumque naturalium cognitionem magis magisque excolerem, animi tamen cauſa operam etiam dedi, vt cum ab ipſis incolis, tum eorum hiſtoricis, veram ſtatus regni huius ampliſſimi notitiam acquirerem. Hoc quod attinet deprehendi, idem Poloniæ, quod aliis regnis, accidiſſe, de primo nempe illius atque antiquiſſimo ſtatu, parum litteris fuiſſe conſignatum. Illo enim tempore, quo *Lechus* hoc regnum primus fundauit, nulli reperiebantur viri litterati, qui veras tunc huius regni res circumſtantes litteris mandare, poſterisque relinquere potuiſſent; quippe pauca ea, quæ de Polonia comperta habeamus, ſæculis aliquot poſt litteris mandata fuere. Cum haud vltra annum hoc in regno moratus fuerim, noli quæſo hoc argumentum, id quod ex ſermone poſtremum mecum inſtituto ſuſpicari poſſis, omnibus numeris abſolutum putare: huius tamen facio fidem, ſequentem de regni Poloniæ origine narrationem, ex probatiſſimis hiſtoriarum ſcriptoribus hauſtam fuiſſe.

Origo Regni Poloniæ.

Polonia, a Romanis *Sarmatia Europæa* dicta (*) pro ſingula natione putata, atque a ſuis electione conſtitutis principibus recta fuit, circa medium ſæculi ſexti, poſtea vero, cum Gothi Vandalique regiones Europæ meridianas, relictis ſuis frigidis ſeptentrionalibus domiciliis, deuaſtarent, vt prouincias calidiores, Italiam nempe, Galliam, Hiſpaniam, & Africam inhabitarent, Slavi ſeu Sclavoni, hac captata occaſione, Boſphorum Cimmerium, ſeu fretum prope Caffa, Sarmatiam & Moſcoviam reliquerunt, dictasque regiones deſertas occuparunt, teſtibus SABELLICO THUANO, aliisque ſcriptoribus. (**) Tempore inſequenti hic populus in duo ſe diuiſit agmina, quorum alterum, transgreſſo Danubio, in Dalmatia, Iſtria, Boſnia, & Bulgaria, verſus Græciam vſque, nec non in quibusdam Germaniæ prouinciis ſedem fixit. (†) Alterum, ducibus tribus fratribus, videlicet LECHO, CECHO, & RUSSO, ſeptentrionem petiit, ad occupandas a Gothis & Vandalis relictas regiones.

Hi fratres ciuitatem *Bremam* in Germania exædificaſſe feruntur, nomine ei a verbo Slavonico, onus ſignificante, impoſito, quia ibi onera, quibus premerentur, depoſuerunt, priſtinisque miſeriis fuere leuati. Homines, quos ſecum habebant, in tres partes diuiſerunt, quarum vna, Cecho duce, in eo regno conſedit, quod inter Poloniam & Germaniam ſitum, noſtrisque temporibus Bohemia appellatur; altera vero, ſub Lecho, inferiorem Sarmatiam, occupauit, quae ab incolis, ſequioribus temporibus, *Polſka*, a vocabulo Slauonico *Pole*, planitiem vel venationem ſonante, vocabantur. Germani dicunt *Pohlen*.

Hartknochius exiſtimat, Sarmatiam iam tempore Ptolomaei Poloniam vocitatam fuiſſe, antequam ſcilicet Poloni, proprie dicti, planities illas occupauerint, eamque denominationem procul dubio a Bulanis ſiue Bolanis, Viſtulae accolis ex Sarmatia prodeuntibus, accepiſſe. Tertius denique frater, Ruſſus, in ea prouincia Poloniae ſedem fixit, quae ab eius nomine Ruſſia (:Germ. *Reuſſen* :) dicta eſt. Caeterum non teſtimonia ſolum probatiſſimorum auctorum, ſed proprius quemque intellectus conuincit ſingulas haſce nationes vnius originis

(*) Pomp. Mela lib. 1. de ſitu orbis c. 3. & lib. III. c. 4.
(**) Albinus tit. 6. o. 70 &c.
(†) Adam Bremenſis Secul. 9. Scriptor. in lib. I. hiſt. eccleſ c. 10. &c.

ginis eſſe. Illud ex linguis quoque, quibus vtuntur, manifeſtum eſt, quippe quae dialecti ſunt aut idiomata diuerſa linguae Slauonicae, quae maioris quam vlla alia lingua Europaea, hoc tempore vſus eſt.

Regnum Poloniæ a Lecho fundatum.

Lecho non difficile erat, in hiſce oris ſtabilem ſibi ſedem figere, cum, qui ſe ei opponeret, inueniret neminem. Omnis enim regio paulo ante a Vandalis deuaſtata relinquebatur. Vnicus traditur princeps Teutonicus, nomine *Regulus*, ſtatim ab initio illi fuiſſe aduerſus, Lechumque ad pugnam prouocatus, ab eo occiſus, qui prouinciam Pomeraniae, iſti Regulo antea ſubiectam, ſub ſua poteſtate accepit.

Quæ leges

Ea tempeſtate & ciuitates, & pecuniae & leges ſcriptae in Polonia ignorabantur; Principes decreta ſua oretenus ipſi dabant, eodemque modo populo promulgabant, patribus familias, quam principibus, ſimiliores. Reditus modico ſatis tributo conſtabant, laboribus ſubditorum impoſito.

Prima vrbs.

Lechus conſedit in magna, Marchiae Brandeburg. finitima prouincia, quæ Poſnania poſtea appellabatur. Primam in ea vrbem condidit, & a vocabulo Slauonico *Gniazdo*, quod nidum ſignificat, (*) Gneſnam nominauit: ſcilicet, quia in eo loco arbor caeſa eſt, in cuius faſtigio nidus aquilarum erat, quod Lechus pro fauſto augurio accipiens non ſolum vrbem primam, ſedemque, regni futuram, abinde Gneſnam nuncupauit, ſed inſignia quoque Poloniae, aquila expanſis alis exornari iuſſit id quod hodierno adhuc die moris eſt. Secunda, quam conſtruxit, ciuitas octo milliaribus a priori diſtabat, in ſilua ſita, nomen *Poſnań* accepit a vocabulo Polonico, *cognitionem* ſignificante, propterea, quod fratrem ſuum, *Cechum*, Principem Bohemiæ, poſt abſentiam viginti amplius annorum prima vice illic viderat & cognouerat. Ab vrbe prouinciae toti eadem appellatio impoſita.

In memoriam huius Lechi, regionem, Poloni, in primis poetæ, *Lechiam* appellitant. D. North quoque ad tempus Conſtantinopoli commoratus, non ita diu mihi retulit, Turcas vernaculo idiomate Polonum dicere Lech, & denominationem a conditore regni, Lecho, deriuare.

Politia Polonorum.

Quamquam Lechus hunc populum monarchico more rexerit, attamen neque ipſe, neque ſucceſſores eius, vt ſucceſſio ad haeredes tranſiret, obtinere potuerunt, ita Polonia per 1100 circiter annos ſemper regnum electiuum fuit, ordinesque eius nullo non tempore, eligendi ius, neminem niſi qui placeret, ſibi reſeruarunt. Notandum tamen in conſuetudinem veniſſe, quod plerumque vnum ex Regia familia, ſi nempe defunctus Rex filios reliquerit, elegerint, excepta vltima electione. Annales eorum oſtendunt, filio deficiente, ne quidem filias excludi a regno. Nihilominus Poloni nouis Regibus in memoriam reuocare ſolent, dignitatem ſuam nequaquam iuri alicui haereditario ſe debere, ſed Senatus atque equitum conſilio ipſis ſceptrum offerri, qua re innuunt, Reges ipſis eſſe obligatos, quorum eſſet officium, bene ſe erga populum gerere, cuius voluntate in ſumma poſiti fuiſſent dignitate, ad quam capeſſendam, ius haud melius, quam omnis alius in regno nobilis, habuiſſent.

Politia Regum.

Pariter in memoriam eis reuocabant, ſe tam diu tantum ipſis ſubditos obedientesque futuros, ac præſtitum iuramentum ſeruarent, quam ob rem ius, deponendi eos, ſi leges infringerent, retinebant. Hoc axioma Polonis ad ampliſicandam regionem & conſeruationem priuilegiorum libertatumque valde fuit vtile, ita vt eorum potentia dominiumque latius adhuc, quam vllius in Europa ſtatus, patuiſſent, ſi & aliæ Regni conſtitutiones tam bene fundatæ & tam exacte obſeruatæ fuiſſent. Quamuis enim Poloni continuo a vicinis Suecis, Moſcouitis, Tartaris, Turcis, Vngaris & Germanis vexati fuerint, eorumque regnum ſæpius ſummam in calamitatem tractum, multaque millia hominum in captiuitatem abduct; Regum tamen fortitudine & prudentia, qui ſemper meritis ſuis genti ſe commendare ſtuduerunt, vt filii eorum in thronum vocarentur, Poloni non ſolum hoſtium vim a ſe repulerunt, ſed etiam varias regio-

(*) Herburt de Fulſtin Senat. Pol. in Chron. p. 2.

nes occupauerunt, ita aliquoties formidabiles facti, quam vllus alius in Europa populus. Sic etiam nunquam potentiæ externæ, ne Romanis quidem, se subiecerunt, sed potius libertatem, priuilegia & singularem formam regiminis, tum contra omnium hostium externorum conatus, tum contra indigenarum, vel a Regibus excitatas factiones huc vsque semper ita defenderunt & conseruarunt, vt merito in magna eorum laude ponere possim, vnicam in orbe terrarum esse gentem, quæ quam diutissime a Regibus electis fuerit gubernata, nunquam summo & hæreditario imperio subiecta.

Supra mentionem feci, Polonos nunquam Regum filios a gubernatione exclusisse, id quod non ita intelligendum, ac si Polonia sub vnius semper familiæ imperio fuisset. Familia enim regia aliquoties fuit extincta, eaque re sæpius coacti, Reges eligere aliis ex familiis. Hoc tamen affirmandum, nunquam exoticum fuisse electum principem, superstitibus pristini Regis liberis, si vltimam excipias electionem (*)

Numerus Polonorum Principum

Numero Principes & Reges Poloni sunt quinquaginta, inter quos duæ mulieres, *Venda* & *Hedvig*, quæ ad tempus imperio præfuerunt. Ab initio hi principes, appellabantur tantum Poloniæ Duces, quasi eorum non aliud fuisset officium, quam exercitum ducere eique præesse, & notandum, illos neque coronatos fuisse, ad *Bolesiaum Chrobri* vsque. Ducis titulus ab anno Christi 550 vsque ad a. 1005 in vsu fuit, quo tempore *Otto* III Imperator, Boleslaum I. decimum sextum Poloniæ Ducem, principem autem Christianum secundum, in Regem coronaui. Omnes enim præcedentes Poloniæ Duces vt & ipsi Poloni, pagani fuere ad seculum decimum vsque, quo tempore Miecislaus, XV. Dux, an. C. 964. regnante Papa Ioanne XIII, Christianam fuit professus religionem, id quod in causa fuit, vt Regis postea titulo insigniretur. Principes & Reges Poloni omnes quatuor in classes distribui possunt, quarum prima & vltima variarum fuit familiarum; secunda vero & tertia vnius tantum fuere familiæ, in qua imperium a patre ad filiam quoque fuit translatum. Prima classis regnauit ab A.C. 550 vsque ad 830. Secunda ab A. C. 830 vsque ad a. 1382. Tertia ab A. 1382 vsque ad a. 1574. et quarta ab a. 1574. ad nostra usque tempora. Hac in dissertatione epistolica, breuiter facta memorabiliora Poloniæ Ducum primæ classis ab a. 550 vsque ad. 830 enarrabo.

Quatuor classes Principum Polonorum

Lechus 550

Lechus, filius Annonis, primus, vti dictum, Poloniæ fuit Dux & conditor gentis. Primam ibi ædificauit vrbem, Gnesnam dictam, sedem Archiepiscopi & Regni Primatis, nec non vrbem *Posnan*, Germanis *Posen*, principalem in Posnania locum. Quam multi post eum regnarunt Duces, res est incerta, vt & quo tempore familia fuerit extincta, qua de re & Poloniæ historiarum scriptores multa disputant, & nonnulli perhibent, eum, vt Alexandrum magnum, in testamento ordinasse, vt maxime dignus inter eos in Ducem, eligeretur.

Gnesna & Posnania ædificatæ.

Visimirus

Illius armorum progressus.

Post eum fratris filius (*) *Visimirus* electus, qui dominium ad Daniæ fines vsque extendisse, & ingentem nauem, quæ Danis terrorem intulerit, ædificasse dicitur. Fertur mari Danos profligasse & in regnum eorum intrasse, cuius multas occuparit prouincias, ædificando vrbes varias, inter quas *Vismaria* & nunc ab eo appellaretur. Dicitur etiam in prælio Danorum Regem captiuasse, secum in Poloniam abduxisse, quo facto hic, accepta libertate, & inito cum Suecis & Holsatis foedere clandestino, magno cum exercitu in Poloniam venit, qui vero mox a Visimiro profligatus victusque fuisset, adeo vt magnam Daniæ partem sub potestatem suam redigeret. Sed clariss. *Pauli*, Sacerdos Danicus, fidem mihi fecit, Polonos nunquam quid in Dania occupasse, id quod facta hoc de Rege narrata in dubium vocat, quamuis verisimile videatur, intra centum & quinquaginta annos, initium inter gubernationis *Lechi* & electionem Craci elapsos, varios regnasse principes. Haud tamen me male feciſſe, qui hæc in vsum lectoris inserui, suspicor, laudato, ex quo hausi, auctore. Hic Visimirus, haud

(*) nempe mortuo Ioanne III Rege.
(*) Guagnini Rer. Polon. p. 52.

haud relicta prole, principatu rebus multis ex sententia gestis dilatato. *Vapouius* posteros Lechi per omne tempus, inter Lechum & Cracum elapsum, regnasse perhibet. Me quod attinet, ne minimum quidem vestigium, de illorum principatu & forma regiminis, postquam omnes Poloniæ historicos euolui, inuenire potui. Extincta Lechi familia, populus duodecim elegit Palatinos, (quod verbum Polonico idiomate exercitus ducem significat) qui regnarent, regione in duodecim partes diuisa. Poloni enim tam valde libertatem tuebantur, vt principatum vni conferre dubitarint.

Duodecim Palatini

Paulo post vero inter hos Palatinos dissensio orta, quam ob causam populus Cracum principem elegit, virum diuitem & valde humanum, ex familia Grachorum Romanorum oriundum, quis vero Cracus vere fuerit, historiarum scriptores non concordant. Polonici scriptores dicunt, ipsum vnum ex duodecim fuisse Palatinis, Boheni (*) vero perhibent, principem Bohemia oriundum fuisse. A subditis valde amatus, breui instans bellum intestinum sopiuit, vrbem ad Vistulam suo nomine Cracouiam dictam ædificauit, Regni sede Gnesna ad eam translata, a quo tempore hæc ciuitas postea semper Regia Poloniæ fuit, ibique vi regni legum Reges coronantur, quamuis Varsaviæ sit Regis aula.

Iis abrogatum imperium & Cracus electus 700

Prope hanc vrbem narratur draconem fuisse ingentem, qui halitu venenoso omnes appropinquantes necabat, & aliquoties ex antro prorumpens multa hominum millia interimebat, & hanc ob causam quotidie ei tres boues obiectos fuisse dicitur. Cum vero inde annonæ difficultas oriretur, Dux Cracus consilio nouo monstrum sequenti modo e medio sustulit. Iussit pellem bouinam sulphure, antimonio, pice, aliisque huius naturæ materiis conferciri, & dicto monstro obiicere, quod statim deglutiuit, quo facto, materia ista cum fuisset inflammata, & e Vistula ad extinguendam sitim aquam bibisset, illa rupit.

Mors Craci

Vita functus Dux in colle iussu eius, coram ciuitate, fuit inhumatus, vt incolæ illius semper fundatoris memoriam tenerent. Tres reliquit liberos, nempe *Cracum*, *Lechum* & *Vendam*, de quibus Lechus II. fratrem Cracum natu maiorem in filua trucidauit, vt in principatu succederet, sed cæde manifestata e patria electus in exilio mortuus est. *Venda*, virgo, succedebat, id quod confirmat, Polonos semper Regiæ familiæ fuisse addictos. Valde pulcra fuit princeps, & inter varios procos erat & princeps Germanus, nomine *Ritiger* (**) Cum vero gratia Vendæ verbis beneuolis potiri non potuisset, exercitu venit, & vi armorum, vt ei nuberet, efficere conatus fuit, sed Venda fortiter restitit, eumque profligauit, secundum historiarum Poloniæ Scriptores. Germanorum vero historici perhibent, Vendam ipsam in Vistulam se præcipitasse cum Ritigerum valde ei imminere videret, id quod alii huic rei adscribunt, nempe quia audiuit, Ritigerum pulchertimum fuisse virum seque ipsum in rabie interemisse.

Liberi eius Lechus II. in exilio

Vendæ mors

Duodecim Palatini iterum electi Iis abrogatum imperium & Lescus I. electus 750.

Cum igitur morte Vendæ Craci progenies fuisset extincta, Poloni altera vice duodecim elegerunt Palatinos, hi vero inter se dissentientes, vt præcedentes, occasionem dederunt, vt Hungari & Moravi irruptionem in Poloniam facerent, quo facto consilii esse credebant, vt Premislaum, aurifabrum, in Ducem eligerent, qui postea dictus fuit

Lescus I. Causa electionis eius fuit stratagema, vi cuius Polonos, a magno periculo, in quo erant, liberauit. Cum nempe Poloni contra Vngaros & Moravos in campo dimicarent, & hostibus numero impares essent, medium excogitauit, vt Poloni numero longe maiores, quam ipsa re fuit, apparerent, quem in finem magnum galearum numerum ex arborum corticibus confectarum congessit, quas argento viuo & bile illiniuit, & noctu in arborum ramulis in parte siluæ anteriore secundum exercitus dispositionem suspendit.

Strata gema

(*) vide Bohuslaum Balbinum lib. I. Hist. Bohem. cap. 10. p. 82. &c.
(**) Micrælius lib. 2. Chron. num.. 22. p. 161.

Altera die, cum inimici, orto sole, hoc respicerent, persuasi Polonum esse exercitum, recta contra eum iuere. Interim post arbores stantes Poloni galeas sine mora abstulerunt, qua re suspicabantur, Polonos timore correptos se in siluam abdidisse. Eo magis igitur in pugnam prurebat inimicus, qui in medium siluæ Polonos prosequutus, loco, quo ab iis expectabantur, circumuentus & ad internecionem profligatus.

Hic Lescus per tempus satis longum in Polonia tranquille regnauit, & nemo tunc temporis pacem turbare ausus est. Quam diu autem Poloniæ præfuerit, & quo tempore sit mortuus, incertum est.

Prolem reliquit nullam, ideo post mortem eius certamen fuit in equis instituendum, hac data lege, vt is, qui victoriam consequeretur, eligeretur Dux. Hunc in finem ante Cracoviam columna lapidea fuit erecta, super quam corona, sceptrum, aliaque regalia fuerunt posita, his verbis per præconem proclamatis: vt is in regis thronum vocaretur, qui primus a fluuio *Pradnic* ad dictam metam peruenisset. Hoc facto varii regni candidati nomina dabant, inter quos & certus quidam Lescus fuit, qui ceteris se prudentiorem & dignum regno existimaret. Eum in finem hamos ferreos posuit in via, super quam certamen iniri debuit, quare aliorum equi claudicabant, ipse vero primus ad erectam columnam peruenit. Fraude vero hac detecta, in illo ipso loco, quo eligi debuit, in frusta fuit discerptus.

Aperta fraus

Deinde *Lescus II.* pauper rusticus, a.C. 776. electus fuit, quia Poloni eum pro principe ipsis destinato respicebant. Hic enim homo, equo carens pedester certatim currebat, magis celeritatis monstrandæ, quam regni adipiscendi causa, cumque aliorum equi in via, vt dictum, claudicantes facti post impostorem secundus ad metam peruenit.

Lescus II. 776.

Hic Dux in memoriam pristinæ conditionis quotannis, vestes ducales deposuit, quarum loco induit rusticas, quam consuetudinem per totam vitam retinuit, ita vt aulici eius illo tempore pariter vilibus vti vestibus coacti fuerint. Historici referunt, in bellis ipsum contra Carolum magnum interiisse.

Laudabile exemplum

Lescus III. filius eius successit electione a. 804. Hic commemoratum Imperatorem breui ad pacem coëgit, de eius vero morte nihil constat. Plus quam viginti filios naturales habuisse refertur.

Lescus III. 804.

Popiel filius post eum imperii summam tenuit a. C. 810. Hic Princeps neque patris neque aui virtutibus præditus fuit, quippe qui bonum publicum plane neglexit, segue ipsum magni tantum pendebat. Cracoviam locum haud securum putans, cui vrbi sæpius Hungari & Russi multum molestiæ parebant, in medium regionis se contulit, ad maiorem personæ suæ securitatem, sedemque suam primam Gnesnæ, deinde Crusvicii fixit, paulo post ibi repente mortuus. Execratio ei familiaris fuit: *vt glires me comedant*, quod quidem haud ipse, sed filius eius Popiel expertus fuit, (*) vt nunc dicemus.

Popiel I. 810.

Vitia eius

mors.

Popiel II. præcedentis filius a. C. 815. electus regnauit vsque ad annum 830. Impius friuolusque pariter fuit princeps, & in maiori apud populum odio erat, quam pater. Rebus sic stantibus, cum coniux eius animaduerteret, mariti patruos longe magis a populo diligi, quam maritum cum familia, omnem in hoc ponebant curam maritus cum coniuge, vt veneno eos interimerent, & sic liberos in regni successione magis firmarent. Popiel deinde simulabat morbum periculosissimum, patruos petens, vt eum inuiserent, qui statim annuentes ad lectum eius venerunt, & tunc, ac si in agone mortis esset constitutus, manus eorum amplexus petiit, vt poculum ipsis oblatum euacuarent qui nil veneni metuentes potu vtebantur. Sed paulo post, cum patruo, vale dixissent, summis doloribus excruciati mortui sunt. Hoc e consilio vxoris facto impius Dux perhibuit hunc casum ex iusto Deorum decreto accidisse, qui ipsos, ob consilia per proditionem contra se suamque familiam inita, poena affecissent. Et hanc ob causam illorum cadauera diu inhumata iussu eius fuerunt, vt eo magis criminis suspicionem

Popiel II. 815.

Maleficia astutia

(*) Herburt de Fulstin p. 11.

suspicionem vitaret. Cum neque *Popiel* neque vxor eius in suspicione ponerentur, qui dictos viros e medio sustulissent, Deus tandem mirabilem in malefactores statuit poenam. Poloniæ enim vetustatis monumenta, in eo consentiunt omnia, quod ex cadaueribus dictorum virorum veneno interemtorum, ingens glirium copia prodierit, qui Popielum cum vxore & liberis vbique persequerentur, ita vt neque fluuii, neque muri, neque hypocausta angusta, neque stipatores, glires ab iis arcere potuerint, qui diu noctuque circa eorum corpora currentes illa corrodebant. Primum filios, deinde coniugem, & tandem Popielum, quamuis securitatis causa in Vistulæ insulam se contulerit, deuorarunt. Dicunt tunc naucleros fuisse anxios, ne lintrem per forarent, & sic in aquis suffocarentur, ante quam in insulam peruenirent. Glires enim per ignem, & quidquid iis opponebatur, transibant cum strepitu & audacia.

Popiel a gliribus comestus

Hæc Tibi, vir illustris, fabulæ aniles videbuntur, quia vero omnes Poloniæ scriptores hac de re mentionem faciunt, eam adiicere non dubitaui. Hoc certum est, Polonos nullum Popieli consanguineum in principem eligere voluisse, ob dictum crimen & nomen illius detestantes. Et sic vltimus Dux fuit Popielus, non solum suæ familiæ, sed etiam primæ classis principum Polonorum.

Mortuo Popielo Poloni elegerunt *Piastum*, fabrum carrucarium, qui neque Popielo, neque maioribus eius agnatus erat. Huius autem Ducis familia continuo per annos 800 regnauit.

Ne Tibi molestiam longiori exhibeam epistola, Vir illustris, finem iam his litteris, enarrato principum Polonorum primo ordine, impono, tuusque totus sum

obsequiosissimus
B. C.

EPISTOLA SECUNDA

ad Virum Illustrissimum, LAURENTIUM Comitem ROFFENSEM (Rochester) qui CAROLI secundi Regis legatus ad Remp. Polonicam fuit.
Exponit de Poloniæ ordinis secundi & tertii, seu de successione & rebus gestis Regum a Piasto & Iagellone oriundorum, ab A. C. 830. ad 1574.

VIR ILLUSTRISSIME

Res Polonorum nomenque cum nono demum sæculo increbrescere non nihil atque inclarescere cœpissent, eoque accessisset, sæculo proximo, quod decimum erat, a C. N. transitus eorum a sacris paganicis ad Christiana, coepere finitimi populi ad eos paulo diligentius attendere, quo factum, vt & nomen Polonicum ab ea inde ætate tanto crebrius in aliarum nationum annalibus commemoretur, & mihi liceat paulo copiosiora atque certiora de rebus insecutis ad Te perscribere, quam non licebat, nuper, cum de rebus huius gentis sexto sæculo septimoque gestis ad Te exponerem.

Popielo rebus humanis exemto, immani homine, in quo primus ordo regum Polonicorum desiit, principatum suæ gentis ambiebant eius ex fratre nepotes, quem fratrem ille veneno sustulerat. Verum Poloni vno omnium consensu summa rerum suarum potestate eos excludebant, siue quod parum

rum iis ineſſe viderent virium ingeniiq; ad tantum imperii onus ſuſtinendum, ſiue quod alias indignos eo honore haberent, ſiue quod *Popiel* quam ſibi immanitate pepererat inuidiam, eam in ſuos omnes neceſſarios poſterosque deriuaſſet. Quare Cruſviciæ legendo principi (oppidum id eſt maioris Poloniæ) comitia indicta ſunt, ſed ſiniſtris auſpiciis. Diſceſſum enim eſt rebus infectis, quod de nouo legendo principe non idem omnibus videretur. Paulo poſt tamen ibidem altera indicta ſunt comitia, quibus ſumma rerum, ne malum diſcordiae latius ſerperet, vni demandata eſt.

Piaſtus 830. *PIASTO* fabro lignario quæſtum rotis carrorum in conficiendis factitanti, filio Coſſiſci ciuis Cruſvicienſis idque in animi grati teſtificationem, quod Piaſtus in magna annonarum inopia patribus de victu abunde proſpexiſſet. Quæ res ita geſta eſt.

Cauſa electionis Comitiis coalescentibus, Piaſto natus erat filius, cuius honorandi ergo hilari epulo amicos pater excipiebat. Ibi duo quidam peregrini, religionis ergo terrarum orbem obeuntes, interueniunt, Ioannes alter dictus, alter Petrus; quos poſtea Romæ martyrii coronam adeptos ferunt. Mendici hi cum ſtipem rogaſſent patres conſcriptos, excluſi erant, quapropter ad Piaſtum adibant, a quo benigne accepti, poſtea quam puerum recens natum Ziemoviſtum appellarunt, diſceſſere. Factum paulo poſt eſt, ob multitudinem procerum ad comitia congreſſorum, vt magna ingrueret annonarum caritas, cui Piaſtus benigne ſubuenit. Non enim laute modo patres aluit, ſed gratuito quoque, multoque ſe liberaliorem iis præſtitit, quam pro fortunarum mediocritate poſſe videbatur. Id quod portentis annumerari & benedictioni martyrum eorum, quos modo dicebam, in acceptis referri coepit, ipſe Piaſtus is videri, quem dii ipſi populo rectorem imponerent, ſic vno omnium conſenſu princeps Polonorum inauguratus eſt.

Virtutes eius Neque tamen cum ſorte animum mutauit, ſed, v potentiam, ita liberalitatem benficentiamque magis in dies magisque proferebat atque pandebat. Non caruit eius regnum ſeditionibus, quas lenitate magis, quam animaduerſionis ſeueritate compeſcuit. Carus probis, terrore ſui nominis continebat improbos. A Cruſvicio quod abhorreret animo, quodque oppidum Popiel ſcelerum immanitate foedauerat atque infamauerat, ſedem Gneſnam tranſtulit.

Mors eius Tandem annorum natus 120. viuere deſiit.

Soboles eius per annos ſexcentum Polonis ſumma cum poteſtate præfuit. Propago quædam adeo Sileſiae partem non parum diu tenuit, vsque ad a. 1675. quo Georgius Wilhelmus, ſtirpis huius poſtremus ſurculus, concidit, a cuius exceſſu ducatus Lignitienſis atque Brigenſis ditioni Imperatoris Romani acceſſit. Fuit gentilibus ſuis Piaſti huius memoria tam cara, vt regum ſuorum quemque, qui gentilis eſſet, *Piaſtum* appellitarent. Succeſſit ei e Repicha vxore ſuſceptus filius

Ziemovitus 861 *ZIEMOVITVS* fortis & bellicoſus imperator. Patris ille munia dudum ante eius exceſſum, obierat, propter aetatem ſummam infirmi, & rebus gerendis parum idonei. Magnis ille rem Polonicam acceſſionibus amplificauit. Hungaros,

Bella eius Moravos, Germanos deuicit, magnisque prouinciis multavit. Primus militiam Polonicam diſciplina & moribus & ordine bono excoluit, legatis, tribunis militum, centurionibus inſtruxit. Regno non modo a Popielis gentilibus amiſſa

Et qualitates: reddidit, ſed multa alia quoque a ſe parta addidit, mirifice fortis & acer erat, vt armis tractandis natus videretur, non illum labores moleſtiſſimi frangebant, quo in ſuorum admirationem venit maximam, eorumque animos amore ſui acerrimo deuinxit. Gneſnae obiit, & humatus eſt. Excepit eum filius

Mors

Leſcus IV. 892. LESCVS IV. impuber adhuc, cum regni gubernationem capeſſeret, ſed tutores vices eius tantisper obiere. Homo placidis moribus, pacis amans, otii, quam turbarum, ſtudioſior, & in tuendo patrimonio, quam proferendo diligentior.

Eius qualitates Exceſſit a. 913. relicto filio

Ziemo-

Ziemoviſto, qui poſt patrem annis 51. rebus præfuit, patris ſimillimus, animi ſedatione. Nam eo regnante Polonia bellis caruit. Non erat enim niſi vnicus filius, Miecislaus I. a puero cœcus, ſed anno ille ſeptimo aeratis lucem communem oculis vſurpare mirabili modo coepit, cum, ritu barbarico, comam poneret. Quæ res ſacerdotes barbaros induxit, vt eum fore augurarentur, qui Poloniæ claram gloriæ ſalutisque facem præferret. Neque defuit omini euentus. Ziemoviſto Gneſnæ vita defuncto & tumulato, ſuffectus eſt filius.

Ziemoviſtus. Qualitates eius.

Miecislaus I. 694. *Miecislaus* I. ſeptem vxores, eiusdem thori conſortes cum haberet, prole tamen beatus non fuit, quae res chriſtiane fidei ad Polonos aditum patefecit. Factum enim eſt, vt qui chriſtiani per illos terrarum tractus diſcurrerent, ſemina ſuæ religionis inter barbaros ſpargentes, hi Miecislaum quoque adirent, negantes, vllam ei ſpem prolis adipiſcendae ſupereſſe, niſi Chriſto nomen daret. Quorum in auctoritate ſe eſſe Miecislaus profeſſus, repudiatis vxoribus paganis omnibus, Dombrowcam domum duxit Boleslai filiam, qui tum Bohemorum ducatum gerebat, ea lege, vt Miecislaus Chriſtiana ſacra ſuſcipere vndisque luſtralibus iis, quibus Chriſtiani vtuntur, purgaretur. Quo facto Ioannes P. M. XII. Aegidium Cardinalem cum magno ſacerdotum numero allegavit in Poloniam, ſpargendæ legis ergo chriſtianae per illas terras, quibus ea adhuc plane obſcura fuerat atque inaudita.

Quomodo Poloni Chriſtianam religionem amplexi ſunt.

Cum multis aliis epiſcopatibus hic Gneſnenſem atque Cracovienſem inſtituit, auctusque filio, cui Boleslao nomen dixit, omni opera ſtudioque, in id incubuit, vt Polonos ſuos ad ſacra Chriſtiana amplectenda inpelleret. Quibus ſacris id habuit reuerentiæ, vt lege lata ſanxerit, vt quicumque lectioni Euangelii ſub officium Miſſae interreſſet, acinacem fere medium vagina extraheret, quo teſtatum faceret, nil ſe recuſare, quo minus vel cum capitis diſcrimine cauſam Evangelii defenderet.

Bella eius Interceſſerunt huic cum Vladislao, duce Reuſſorum, bella grauia, Marte iniquiore. Premislia enim aliusque oppidis multatus eſt. Lambertum epiſcopum Cracovienſem Romam ad Benedictum VII. ablegauit, quem veniam rogaret, regium nomen pro ducali, quo adhuc Poloni principes vſi erant, in poſterum vſurpandi, verum repulſam tulit, tum quidem, Pontifice Romano nondum oportunum tempus veniſſe iudicante gratiae huius Polonis contribuendæ. Dombrowcam cum extuliſſet, Iuditham ſibi matrimonio iunxit, Geyſae I. regis Hungari, filiam. Excepit eum filius.

Boleslaus Chrobry 999. *BOLESLAUS Chrobry*, multis laudibus nobilis, anno 999. Huic, conſentiente Papa Romano, Otto III. Imp. titulum regium primo impertiit vnaque titulos iuris remiſit, quibus deceſſores Poloniam ditioni ſuæ vindicatum ierant; quo gratum animum teſtaretur erga Boleslaum, eiusque humanitati gratiam referret, a qua benigne acceptus habitusque tum eſſet, cum ad reliquias S. Adalberti venerandas, qui Pragæ præſul fuerat, iter ſacrum inſtituiſſet.

Primus Rex factus. Sub idem temporis punctum Otto idem neptem ſuam ex fratre, Rixam, Boleslai filio Miecislao deſpondit. Regnum huic Boleslao ab Ottone delatum teſtatur vetus aliquod monimentum ſepulcrale, manibus eius conſecratum, cuius hæc eſt formula:

Ob famam bonam tibi contulit Otto coronam,
Propter luctamen ſit tibi ſalus, Amen.

Bella eius Addirum ei eſt ob ingenii acumen cæterasque animi laudes cognomen *Chrobry*, quod vocabulum in ſermone Polonico ſignificat *acutum*. Poruſſos, Bohemos, Moravos tributarios genti ſuæ reddidit. Saxonibus item bellum denuntiauit cum Pomeraniæ arma infeſta intuliſſent, tum temporis Leſci III. poſteris parenti.

Duodecim Senatorum collegium Duodecim ſenatorum inſtituebat collegium, quibuscum reipubl. gerendæ conſilia communicaret. Tam cara huius regis fuit Polonis memoria,

vt toto anno, qui ab excessu eius proximus exiit, nulla vsquam vox hilarior audita sit. Animo præterea fuit forti & imperterrito, lenis idem & mansuetus. Tumulus & eius & patris, Posnaniæ in basilica Cathedrali celebratur a religiosorum pietate, quos ambos tumulos ipsemet adii & vidi.

Miecislaus II. 1025. Suffectus ei est *Miecislaus* II. annos 35. natus, quem Hippolytus, Archi-Episcopus Gnesnensis inaugurauit. Dissimilis hic patri fuit, partemque longe maximam prouinciarum, a patre quondam ditioni Polonicæ adiunctarum, rursus amisit. Denegabant quoque Bohemi & Moravi stata vectigalia. Pomeraniam tamen recuperauit, quæ iure Polonorum erat. Simplex nempe & fatuus erat, magisque in auctoritate vxoris & parasitorum fuit, quam senatorum, id quod ei magnam amicorumque & inimicorum contraxit inuidiam. In regno nouem fere annos, viuendo quadraginta, peregit. Fertur rabiosus obiisse, relicto vno filio.

Qualitates eius.

Casimirus I. 1034. *Casimiro* I. qui impubes rex dictus, matri Rixæ regni administrandi curam permisit. Incurrit huius electio in non paruas salebras. Aduersabantur enim non pauci Senatores, verentes, ne patris vestigia premeret.

Neque minus offendebant Polonorum animos Rixæ mores, cui cum alia multa, tum hoc maximo dabant vitio, quod aerarium depeculata cum filio ad fratrem in Saxoniam aufugisset.

Inde Parisios a matre missus Casimirus, ad operam literis dandam, S. Benedicto nomen dedit, & institutis eius initiari se passus est in monasterio Cluniacensi. Quo factum, vt per absentiam regis, Poloni grauibus discordiis ciuilibus exagitarentur. Qui precibus Pontificem Rom: cum fatigarent, vt voti suscepti necessitate absolutum Casimirum regem sibi solioque auito redderet, aegre, sed impetrarunt tandem, ea quidem lege, vt laici quotquot essent, præter nobiles, (hi enim cum clericis priuilegio gaudebant) annuum denarium penderent, quo cereus S. Petro Romano immortalis arderet; item, vt capita in orbem tonderent ad monachorum instar, qui mos hodiedum adhuc obtinet, & vt in diebus festis officio Missæ albati interessent. Quibus illi cum conditionibus subscripsissent, regem recuperarunt; qui quo tempore diademate sit redimitus nunquam explorate cognoscere potui.

Casimirus ex Claustro reuocatus.

Cum Iaroslao, Russorum duce, Vladomiri filio fœdus iniit, cuius etiam sororem Mariam, patrio sermone Dobrognevam dictam, matrimonio duxit. Matre hi vtebantur Anna, sorore Basilii & Constantini, Imperatorum CPtanorum.

Casimirus Masoviam sibi subegit, cuius oppidum princeps est Warsovia, copiis Maslai fusis & fugatis, Masoviæ tum dominantis. Paulo post tamen recrudescebat hoc bellum. Maslaus enim, a fuga reuersus, populorum finitimorum, ad quos se receperat, auxiliis confirmatior, totam Masoviam, qua prætexit vistulam, ferro flammisque deuastauit. Sed iterum a Casimiro cæsus & grauiori clade perculsus est, & in fugam coniectus, vbi hospitum, quos ante benignos habuerat animos, inuenit a se alienatos, &, pro ope sperata, extremum tulit supplicium, viuum enim excoriatum in altissima cruce fixerunt contumelioso illudente hoc dicterio: qui ambitione per vitam insatiabili elatus ad res magnas adspirasset, par esse, vt ille ad locum excelsissimum extollatur.

Casimirus actae apud monachos Cluniacenses vitæ non fine iucundo grati animi sensu recordatus, magnis eos muneribus cumulauit.

Mors eius

Regno tandem bene constituto atque pacato rex hic virtute insignis, vita excessit relictis tribus filiis, Boleslao, Vladislao, & Miecislao cum filia Suentochna.

Boleslaus II 1056. Humatus est Posnaniæ, quem

BOLESLAUS II. liberorum natus maximus excepit, audax cognomine dictus, qui rebus præfuit annos 23. Initio cum Hungaris, Bohemis, Reusis & Prussis bella gessit, ex eo nata, quod tres exules domi suæ recepisset, & protectione sua amplexus esset. Magna contentione Belae causam tuitus est, Principis Vngari, penes quem matrimonio collocata erat amita Boleslai. Andream, a quo Belus electus regno fuerat, vt victum aufugere cogeret. Belam regem Vngaris

imposuit, tametsi Germani Andream copiis haud contemnendis secundauerant. Reuersus ab Vngarica expeditione Boleslaus vxorem duxit Viseslavam ducis Reussorum filiam, quæ ducatum hunc ei dotis loco attulit.

Vita eius.

Extrema imperii vita dissoluta & crudelitate fœdauit, ciues immanitate exactionum exhausit, nobilibus vxores filiasque eripuit, quorum corporibus illuderet & libidinem satiaret, mores suos obseruari aegre ferebat, si qui tyrannidem impatientius se ferre haud dissimularent, eos seuere puniuit, Episcopum Cracouiensem denique, Stanislaum Szczepanovium, sustulit, ad hunc modum. Boleslaus cum finem furori atque sceleribus non faceret, tametsi a viro sanctissimo admonitus, communione sacræ cœnæ exclusus est. Quæ res ita regem efferauit, vt opportunitatem vltionis venaretur. Ita factum est, vt Rex Episcopum sacris Missæ faciendis intentum, ita stricto ense feriret imprudentem, vt cerebrum penetralibus capitis excussum solum respergeret. Quo signo dato satellites tyranni accurrentes frustatim contrucidarunt. Pontifex M. eo scelere motus sacris Boleslao interdixit, vnde in suorum odium acerrimum venit, vnde metuens saluti suæ, quo effugeret insidias, regno excessit vna cum filio Miecislao, quem e Vieslava susceperat, ad Ladislaum regem Vngarum, vbi rabie correptus dicitur ipse sibi manus violentas intulisse. Episcopus autem Stanislaus, quem diximus, a Gregorio VII. P. M. in diuorum numerum relatus ex eo tempore patronus regni Polonici habitus est. Vna cum rege tota regio sacris excludebatur, & post secuti reges per tempus haud modicum regiis honoribus caruere.

Exul e regno

Stanislaus Patronus Poloniæ

Vladislaus I. 1082

Iam in eo erat res, vt ad Boleslai fratrem, Vladislaum Hermannum, summa rerum deferretur. Hic titulo principis acquiescebat, seu metu Papæ, seu quod fratris reditum formidaret; patruum Miecislaum reuocabat, qui sexto anno post vita excessit, ecclesias & monasteria a se structa magnis splendidisque vectigalibus ornabat.

Hic idem Hermannus rebellantes Pomeranos & Porussos comprimebat, copias Vratislai Bohemi fundebat, quem Henricus IV. Imperator titulo regis ornauerat, & iure regni Polonici quærendi instruxerat; quamquam id quidem præter ius & fas, posteaquam antecessor eius, Otto III. omni iure illius regni conferendi seque suosque successores abdicauerat, Boleslao rege Poloniæ nuncupando, regnique insignibus condecorando. Sunt tamen in Polonis, qui aiant, quod ipsemet ex iis audiui, meram eam fuisse ceremoniam, cum Otto regnum conferret, cuius conferendi nullum penes eum ius esset; prouinciam enim hanc nunquam cuiusquam extranei fuisse, & ne ipsorum quidem Romanorum, neque maiores suos vnquam cuiquam alieni generis domino paruisse.

Hic idem Vladislaus Hermannus post eas res gestas eiusdem Vratislai Bohemi filiam Iuditam matrimonio duxit, e qua Boleslaum III. suscepit, Krivoustum dictum, hoc est ἀγκυλοχείλην seu curvilabium. Postea filia Henrici IV. Imperatoris ei tres filios peperit. Ipse obiit anno ætatis quinquagesimo, sepultus est in oppido Plocko (seu Plocovia) habuitque successorem

Boleslaus III. 1103

BOLESLAUM III. *KRIWOUSTUM*, filium, omnium quos Polonia vnquam principes habuit, fortissimum felicissimumque. Hic Sbigneum, fratrem nothum, primum in ordinem coegit, tandemque iterum atque iterum ferocientem, necessitate compulsus, sustulit. Omnium, quæ gessit, facile principem locum tenet contentio, quæ ei cum Henrico V. Imp. intercessit, cuius hæc summa est. Colomanno regi Hungaro, ille, quem diximus, Imperator bellum indixerat, Bohemosque suas in partes pertraxerat. Boleslaus contra Hungaro cum se adiunxisset, quo Germani vires distraheret atque frangeret, irruptione in Bohemia facta, ferro flammisque eam deuastabat. Sed Imperator, quo Polonum vlciscereturr, derepente in Silesiam Marchiamque, quæ tum in fide atque potestate Poloni erant, inuadebat. Neque dubium est, quin iis nulla opera

esset potitus, nisi Boleslaus ei magnis cum copiis celeriter occurrisset. Vincebat nihilominus tamen Imperator numero copiarum. Quod videns Boleslaus, caussæque suæ diffidens, consultum duxit, pacem ab hoste petere, missus legatus qui conditiones offerret, atque poscceret. At Imperator insoleſcere, quod certam iam manibus tenere victoriam videretur, & nimis dura Polonisque ignominiosa imperare; adiungere etiam orationis superbiæ contumelias, iactantiæ. Scarbicum nempe, legatum Polonum, in ærarium suum inducebat, aceruosque auri spectare iubebat; hos facile Polonos, quocunque vellet, esse adducturos. Vehementissime Scarbicum ea vsiit contumelia, vt percitus ira, & ardens indignatione annulum, quem digito gerebat aureum, detractum proiiceret in thesauros Imperatoris, minis additis, quæcunque esset illius orationis, qua Imperator erga se esset vsus, sententia, nullum tamen se dubitare, quin Polonicum ferrum (acinaces nempe designabat,) nihil auro Germanico de bonitate sit concessurum. Quibus cum dictis ab Imperatore discessit & ad Boleslaum se recepit, ad quem de legationis euentu retulit. Ibi rex Polonus, vir spirituum non contemnendorum, haud minus ira & indignatione inflammari, vt statim decerneret pugna cum Henrico experiri. Confligitur, prospereque res a Polonis geritur, victusque magna clade perculsus Imperator in campis, quos dicunt, caninis, apud Breslaviam, Silesiæ opidum princeps. Imperator vero hoc facto statim pacem cum Boleslao contraxit, cui sororem Adelaidem in vxorem, filiam Christinam autem eius filio Vladislao, dedit.

Fortitudo eius & fortuna.

Idem princeps Pomeranos, sacra christiana, a quibus antea sæpissime defecerant, amplecti coegit. Silesia tunc temporis adhuc perpetuo regis Poloniæ potestati parebat; postea vero a regibus Bohemiæ expugnata, tandem sub Imperatoris ditionem redacta est.

Ille princeps quadraginta septem prospera prælia commisisse, & in vnico tantum, aduersus Russos rubros pugnans, victus fuisse traditur, cuius quidem iacturae causa ducis cuiusdam Cracovienſis timiditas fuerit, cui Rex, prælio commisso, pellem leporinam atque colum in præmii locum miserit. Nihilominus tamen hanc vnicam cladem tam ægre tulit, vt paulo post vita decederet, quatuor filiis relictis, in quos regnum distribueret. Sunt quidem multa alia ab hoc rege laudabiliter facta, quæ autem consulto prætereo, ne tibi, Viro Illustrissimo molestiam creem.

Qualitates eius

Erat princeps forti & intrepido animo præditus, omne periculum contemnebat, & quæ promiserat, religiose seruabat. Prætera quoque maxima erat liberalitate, & vel minima occasione oblata magnum animum præ se tulit, nec non mirum in modum clementer & modeste se gessit. Acerrimum, quod in eo erat, honoris consequendi studium ita erat comparatum, vt, quamuis a primis fere incunabulis ad bellum assuefactus fuisse dicatur, nullo modo tamen pacis esset inimicus.

Vladislaus II. 1140.

VLADISLAUS, Spurator cognominatus, illius, quem modo commemorauimus, regis filius natu maximus, suum patrem in regno secutus, & anno millesimo, centesimo quadragesimo electus est, & sex modo annos imperio præfuit.

Reliquis tribus filiis pater quasdam modo prouincias concessit, id quod magnis postea turbis in Polonia locum dedit. Natu maximus enim frater Vladislaus prouinciis sibi a patre destinatis eos spoliare studuit. Id quod re vera præstitit. Fratrem enim Boleslaum ex comitatibus Plockovia, & Masovia, atque Henricum ex prouincia Sendomirienſi eiecit, quibus rebus commoti ambo ad tertium confugerunt fratrem, qui Posnaniæ præerat.

VLADISLAVM nunquam non nobilis quidam nomine Petrus Dunin, comitatus est. Eum itaque cum rex aliquando venatum profectus secum duxisset, accidit, vt tam diu ibi commorarentur, vt totam noctem in silua quadam delitescere necesse haberent. Quo loco, Rex cum comite suo hoc modo

modo iocari cœpit: Dunin, inquit, vxorem tuam per hanc noctem multo quietius cum Abbate Scrinensi dormiturum esse, quam nos, credo. Qui sermo fecit vt Dunin suæ conditionis immemor audacter ei responderet: forte coniugi Tuæ, Rex Potentissime, non deterior erit sors cum *Dobesso*: qui, vt facili negotio coniicere licet, splendidus fuit aulicus, Regina Christina adamatus. Quam responsionem Rex tam iniquo animo excepit, vt postea Dobessum, quem dixi, ad vindictam a Dunino repetendam, irritaret. Quod ipse fecit, eumque tam horrendo affecit supplicio, vt linguam ex faucibus oculosque ex capite erueret.

Vindicta crudelis.

Populus itaque cum Vladislaum ipsos fratres tam crudeliter vexare, & simul quoque ciues suos misere affligere, animaduerteret, in dies magis magisque contra eum exacerbatus est. Id quod Fratrum eius factionem non parum corroborauit, ita, vt Posnaniam oppugnaturus, ab illis funderetur. Nouis itaque factionibus quotidie contra eum insurgentibus, cum in cuiusque odium se incidisse, nullamque fortunam prosperam sibi sperandam esse optime intelligeret, satis mature regno decessit, & in Germaniam ad Imperatorem Conradum III. Coniugis suæ CHRISTINÆ cognatum confugit, qui regno eum restituere identidem conatus est. Sed hi conatus irriti fuerunt. Frater enim eius, *BOLESLAUS Crispus* cum Regnum obtinuisset, VLADISLAUS cum Ducatu Silesiæ contentus esse necesse habuit, quæ postea cum Bohemia coniuncta, & a Polonia nunquam non separata fuit. Ille rex Attenburgi oppido quodam Alsatiæ, sepultus est. VLADISLAUS itaque cum filio posteaquam cum regno Poloniæ se abdicauerat, in eo administrando secutus est.

Fuga eius e regno.

Mors eius

BOLESLAUS Crispus cognominatus, qui anno millesimo centesimo quadragesimo sexto electus vsque ad annum millesimum centesimum septuagesimum quintum regnauit, licet interea Imperator CONRADUS, VLADISLAUM Regno restituere, omnem impenderet operam. Quem ad finem primo legatos quosdam in Poloniam misit, quorum vero auctoritas nihil valuit. Quo facto Polonis bellum inferre decreuit, quod vero tamdiu dilatauit, vsque dum Asiatica eius expeditio confecta esset, ad quam maturandam a BOLESLAO veniam, per prouincias eius ad mare nigrum vsque proficiscendi impetrauerat. Qui cum domum rediisset, VLADISLAUS, vxorque eius aures eius precibus denuo fatigarunt, auxiliumque ab eo implorare non destiterunt, donec eorum precibus victus numerosissimo cum exercitu Poloniam inuaderet. Poloni autem variis dilatationibus, stratagematibus & insidiis eum ita defatigarunt, vt nihil efficere valeret, donec tandem ad intestinas quasdam turbas in suis prouinciis componendas domum reuocaretur. Quo facto rebus humanis interesse mox desiit. Successor eius, FRIDERICUS Barbarossa eodem modo VLADISLAO opem ferre conatus est, & cum per legatos in eius commodum nihil præstare valuisset, magno cum exercitu aduersus Polonos profectus est, sed haud secus, atque decessor eius, ab illis tamdiu exagitatus & defatigatus est, donec ad pacem ineundam ab iis compelleretur. Quod, quia tunc temporis aduersus Mediolanum quoque bellum gereret, eo facilius fieri potuit. Qua pace BOLESLAUS VLADISLAO Silesiam concessit, quæ prouincia deinde ab eius posteris in diuersos Ducatus distributa est, denique autem in Imperatoris potestatem peruenit. Magna illa prouincia fertilissimis, vt in itinere meo intellexi, & vberrimis totius Germaniæ regionibus annumeranda est.

BOLESLAUS IV. 1146.

Bella eius.

Postea BOLESLAUS aliud bellum contra Borussos suscepit, quia tributum consuetum sibi recusauerant, eosque ad officium redire coëgit, sub ea tamen conditione, vt sacra, quibus addicti essent, non mutaret; siquidem, se malle mori, quam Christiana sacra rursus amplecti, pertinaciter ei significauerant. Quo BOLESLAUS libertatem in sacris, quibus assueti erant, conseruandis concedere compulsus est. Sed nihilominus tamen paulo post denuo seditionem mouerunt

Mors eius. uerunt, & ſtratagematis cuiusdam ope vniuerſum Polonorum exercitum interfecerunt, Regiſque fratrem HENRICVM occiderunt. Breui poſt Rex ipſe mortuus, & Cracoviæ ſepultus eſt.

MIECISLAUS, cognomine Senex, BOLESLAI frater, eum in Regno excepit, anno ſeptuageſimo quarto vndecimi ſeculi electus, vſque ad eius ſeptuageſimum octauum modo annum regnauit. Eam ob cauſam cognominatus eſt ſenex, quia primis ſtatim adoleſcentiæ annis eximia prudentia & acerrimo ornatus eſſet ingenio. Auaritia compulſus & nobilitatem & plebem, ad magnos pecuniæ aceruos corradendos, iniquis tributis aggrauauit, & contra præſcripta ciuilia in Poloniæ regno vſitata, omnes honores vendidit. Qua immodica auaritia, Clericorum, nobilitatis, totiuſque populi ſibi contraxit inuidiam. Gedeon, Epiſcopus Cracovienſis, ſæpiſſime quidem, miſericordiam erga ciues in eius animo excitare, eumque eo, vt pecunias contemneret, adducere ſtuduit, quarum non indigeret; ſed admonitionibus eius morem gerere contumaciter recuſauit. Quare ille Epiſcopus eum nobilitate regno eum exuere, eiusque fratri CASIMIRO, Imperii adminiſtrationem, quippe qui ea ſit dignior, tradere decreuit, quod etiam, leui quodam prælio commiſſo, euentum habuit.

MIECISLAUS, cognomine Senex, anno 1174.

Politia prava.

Regno exuitur.

Hoc loco facere non poſſum, quin auaritiam maximum in viro Principe eſſe ſcelus commemorem, idque inprimis in rege Poloniæ, quippe cuius ciues, vt temetipſum, Vir Illuſtriſſime, animaduertiſſe probabile eſt, mirifice liberales eſſe ſolent, adeo, vt modum ſæpiſſime in eo excedant. Primo quidem CASIMIRUS diadema ſibi delatum recuſauit, cauſam interſerens, quod id fratris eſſet, & hac mutatione facile fieri poſſet, vt bellum inteſtinum oriretur, cui locum præbere ipſe nollet. Cum vero vnanimi conſenſu, ſe nullum alium regem, quam ipſum, poſtulare, & in poſterum MIECISLAO obſequi non poſſe, ei ſignificarent, annuit tandem

CASIMIRUS II. 1178.

CASIMIRUS II. qui anno 1178. electus, ad annum 1195. vſque imperio præfuit. Iuſtus cognominatus eſt, fratriſque ſui plane diſſimilis fuit, id quod ex ſequente exemplo apparebit. Cum aliquando, dum adhuc Princeps Prouinciæ Sendomirienſis eſſet, cum nobili quodam, cui nomen erat Conario, luderet, & in eo luſu omni pecunia eum ſpoliaſſet, nobilis vir ira commotus, faciem eius gladio vulnerauit, & conſpectui eius ſe ſubduxit. Poſtero die ille in Principis conſpectum prolatus & ab vnoquoque propter inſignem illam audaciam mortis reus iudicatus eſt. Probus autem ille Princeps his verbis iis reſpondit: Minime eum interfici iubebo, iactura enim, quam perpeſſus eſt, quia acerbiſſimum in animo excitauit dolorem, ille autem ab ipſa fortuna vltionem repetere non potuit, non eſt, cur miremur, quod eam ab illius fautore repetiit. Multo magis ſemetipſum obiurgauit quod cum eo ludere non repudiaſſet, & gratias egit, quod eo ictu ſibi oſtendiſſet, animoque altius impreſſiſſet, quam indecorum ſit Principi, tempus illis nugis tam male conſumere. Denique nobili omnem reſtituit pecuniam, ex quo in primis ea, quæ inter ipſum eiusque fratrem interceſſit, animorum diſſimilitudo apparuit.

Exemplum laudabile.

MIECISLAUS conatur Regnum occupare.

MIECISLAUS itaque ab Imperio adminiſtrando remotus, cum vxore liberisque Ratisbonam ad Imperatorem Fridericum, conſanguinitate ſibi coniunctum ſe contulit, eiusque opem implorauit, quam Imperator, quia tunc temporis & in Italia & in Aſia bellum gereret, ei præſtare non poterat. Quapropter ad fratris benignitatem atque clementiam confugit. Id quod CASIMIRUM eo adduxit, vt præcipuis Imperii ordinibus perſuadere ſtuderet, vt in regnum eum reuocaret; quod autem magno ei verterunt vitio, quod priuatam fratris ſalutem Reipublicæ ſaluti præferret. Per omne illud tempus MIECISLAUS fratris benignitatem parum adhuc perſpicere potuit, quanquam ille poſtea occaſionibus ablatis regno eum reſtituere ſummo ſtudio elaborauit.

CASIMIRUS ſimul ac imperii adminiſtrationem ſuſceperat, ciues ſuos a grauiſſimis

grauiſſimis illis tributis, quibus eius frater eos ſuppreſſerat, liberauit, & eorum, qui ſecum imperii adminiſtrationem gererent, potentiam nimiam certis terminis incluſit. Cum autem interiecto tempore domo abeſſet, & in Ruſſia ad controuerſias quasdam ibi componendas, commoraretur, nobiles quidam MIECISLAI impulſu ſeditionem aduerſus eum mouerunt, eumque MIECISLAUM regno reſtituere conati ſunt. Quem in finem, CASIMIRUM in Ruſſia veneno ſublatum eſſe, mentiebantur, quo populum eo facilius mouerent, vt cœpto ſuo conſentiret. Quo facto MIECISLAUS quam celerrime in Poloniam aduolauit, ibique omnibus in locis eſt receptus, præter arcem Cracovienſem, quam Epiſcopus Fulco contra eum defendebat. Quorum omnium fama cum confeſtim ad CASIMIRI aures peruenisſet, fratri ſuo obuiam profectus eſt, eumque Ruſſorum auxilio vicit, ſed tam illi ipſi quam eius exercitui vitam condonauit; quæ clementia tandem in MIECISLAO tantum valuit, vt poſtea nunquam regno eum ſpoliare ſtuderet.

MIECISLAUS a CASIMIRO victus

CASIMIRUS itaque in regno poſteaquam confirmatus erat, ſeditioſorum Boruſſorum, vt & fratris HENRICI interfecti optime memor, tanto furore & impetu eos inuaſit, vt nec viris, nec vxoribus, nec liberis parceret, ſed innumeram eorum multitudinem ſtricto iugularet gladio, terramque eorum eum in modum diriperet atque igni deuaſtaret, donec tandem ſummo Poloniæ imperio æquo & libenti animo ſe ſubmitterent. Idem Rex Dantiſcum Boruſſiæ in magnæ vrbis formam redegit, quod antea paruum piſcatorum erat oppidum, ad mare Germanicum ſitum. Cracoviæ humatus eſt, duosque reliquit filios, LESCUM & CONRADUM, & filiam nomine ADLEIDAM. Vitam degit vſque ad annum ætatis ſexageſimum quintum. Poſt eius obitum Poloni elegerunt eius filium

CASIMIRUS Boruſſos vincit.

Dantiſcum fit Vrbs magna.

LESCUS V 1195.

LESCUS V. Album cognominatum, A. C. 1195. qui quoniam admodum adoleſcens erat, matrem ſuam Helenam cum Epiſcopo & Duce Cracovienſi tutores acciperet. Interea factum eſt, vt eius Patruus MIECISLAUS, qui tunc in viuis adhuc erat, cum maximo exercitu, ex Polonis & Sileſiis conſtante, adueniret ad adoleſcentem LESCUM regno exuendum, acerrimoque prælio Ducem Cracovienſem, qui LESCI exercitui præerat, ſuperaret. Quo facto, ſtatim legatos quosdam ad Helenam miſit, quo ei ius Regni ad ſe pertinens (quod nemo ſibi abiudicare poſſit) potentiam ſuam, eas, quæ inter LESCI adoleſcentis, propter teneram ætatem ad regnum adminiſtrandum nondum idonei, tutores intercederent, turbas atque diſſenſiones, nec non proximo prælio a ſe impetrata maxima emolumenta, magnam denique aſſeclarum, quæ in regno ſibi eſſet multitudinem, proponeret. Porro ab Helena Regina petiit, vt ſe tutorem filii ſui conſtitueret, ſeque eum in filium ſuum adoptaturum, poſt ſuum ipſius obitum regnum ei traditurum, & cæterum nihil contra regni inſtituta ſuſcepturum eſſe promiſit. Quæ omnia poſtulata a Regina & ſummo regni Conſiliario cum optime eſſent reputata, MIECISLAUS denique anno 1199. grauiſſimo iureiurando ad omnia promiſſa ſua ſeruanda obſtrictus, in regnum reuocatus eſt, & ad regiam adſcendit dignitatem. Sed cum imperii adminiſtrationem vix denuo ſuſcepiſſet, iurisiurandi immemor ciuium ſuorum quorundam bona proſcripſit, eaque aliis diſtribuit, hac vtens excuſatione, regem non diutius ad iusiurandum præſtandum obſtrictum eſſe, quam tam diu ei non conduceret, id violare. Quare Dux Cracovienſis, vrbe Cracovia inopinato occupata, LESCUM in regnum reſtituit; cum interea MIECISLAUS tunc temporis abſens varias artes & callida conſilia excogitaret, quibus ſe in priſtinum ſtatum inſinuaret. Quem in finem adulatus eſt populo, & LESCI factionem variorum ſcelerum ſe falſo inſimulaſſe, prætexuit, & ſi vel maxime aliquid perpetraſſet, quo fidem datam fregiſſet, ſe ab iis, quos amicos ſibi putaſſet, fraude & dolo malo incitatum eſſe ſimulauit.

MIECISLAO Regnum reſtituitur.

Iterum deponitur. LESCUS V. reſtituitur.

Illis & aliis eiusmodi verborum lenociniis credulæ plebeculæ glaucoma

obiecit, vt tertio fidem ei adhiberent. Deinde ad Reginam misit, & Nicolaum, Ducem Cracovienſem priſtinæ ſeditioni anſam præbuiſſe ei denuntiari iuſſit, quapropter eum ab aula remoueret, & ſe reciperet, ſuaſit. Regina itaque miſeræ conditionis eius miſerta, faciles aures ei prætulit, &, quanquam filio ſuo maximo cederet detrimento, ei gratificata eſt, ideoque nullam excuſationem, neque defenſionem ab illo Duce tolerauit, quanquam ille vir in toto regno auctoritate multum vāleret. Tum ad MIECISLAUM tranſiit, multique eius exemplum ſecuti ſunt, adeo vt Regina eum, quem toties dicimus, MIECISLAUM anno 1202. tertio in Regnum reuocare neceſſe haberet. Solium itaque Regium cum recuperaſſet, Reginæ pro beneficiis ſibi præſtitis malam gratiam retulit; ſiquidem tractum Vislicienſem & tria alia loca Sendomiriæ, iure merito ad Reginæ prouincias pertinentia, vi occupauit. Eiusmodi autem facinora cum in alios quoque perpetrare conſtituiſſet, anno ætatis ſeptuageſimo tertio repentina morte e viuis exemtus eſt, duosque filios, OTTONEM & VLADISLAUM Laſconogum reliquit.

MIECISLAUS tertio reſtituitur.

Mors eius.

Poſt MIECISLAI deceſſum LESCUS V. qui tum in viuis ſuperſtes erat, plurimorum ſuffragium tulit. Sed Nicolaus, Dux Cracovienſis, eiusque frater, Epiſcopus vrbis Cracoviæ, nullo alio modo iis conſentire volebant, quam ſub hac conditione, vt LESCUS Ducem Sendomirienſem Gouoricium, quem ambo inſigni odio proſequebantur e regno proſcriberet. Quibus LESCUS reſpondit, ſe Regnum iure meritoque ſibi conueniens nulla amico ſuo inferenda iniuria redemturum eſſe. Cui rei cum conſentire non poſſet, Epiſcopi & Ducis modo narrati impulſu neglectus, & eius loco

VLADISLAUS Laſconogus eligitur.

VLADISLAUS Laſconogus, hoc eſt, tenues pedes habens, anno 1203. electus eſt. Probus autem ille Princeps, ius imperii ad LESCUM pertinere, cum ſecum reputaret, tribus annis præterlapſis ſua ſponte regnum ei conceſſit, & hoc modo

LESCUS V. tertio reſtituitur.

LESCUS anno 1206. tertio receptus, vſque ad annum 1226. imperio præfuit. Cuius ſub imperio fama de Tartaris primo ad Polonos perūenit, qui Tartari erant natio barbarica, a mari Caſpio & monte Aſiæ Imao profecta, quæ ſæpiſſime Tauricam Cherſoneſum, finesque Podoliæ & Ruſſiæ inuaderet, & poſtea Polonorum nunquam non hoſtis eſſet acerrimus. LESCO erat frater, nomine CONRADUS, cui prouincias Maſoviam & Cuiaviam tradidit. Alium virum, nomine Suentopelcum, Pomeraniæ gubernatorem conſtituit. Sed eorum alter cauſa erat obitus LESCI; & alter cruentiſſimis bellis in Polonia anſam præbuit. Suentopelcus enim, quia ſummum Pomeraniæ Principatum affectabat, homines quosdam nequitia inſignes ſubornauit, qui LESCUM e medio tollerent, quod re vera factum eſt, cum probus ille Princeps in balneo verſaretur; quo facto Suentopelcus Pomeraniæ Ducem ſemet ipſe declarauit. CONRADUS vero

Equites Ordinis Teutonici in Polonia

Equites Ordinis Teutonici, qui tum temporis a Saracenis e Syria expulſi in Germania locum ceperant, in Poloniam arceſſiuit, qui ſibi aduerſus Boruſſos, regionem ſuam ſæpiſſime inuadere ſoliros, opem ferrent. Poſtea illis in auxilii ſibi præſtiti præmium tractum Culmenſem donauit, cum aliis quibusdam exiguis locis, & ea quidem conditione, vt continuo contra Boruſſos fortiter pugnarent. Hanc vero gentem poſtquam vicerant, tractum Culmenſem reſtituere coacti ſunt, eiusque loco Prouinciarum expugnatarum dimidiam ceperunt partem. Quæ auxilia Regno Poloniæ magnum poſtea attulerunt detrimentum; ſiquidem multa acerrima bella in eo conflarunt. Illud, quod diximus, pactum, inter equites Crucigeros (hoc nomine enim quoque inclaruerunt) & Conradum a Pontifice Gregorio confirmatum eſt. Qui equites cœptum, quod aggreſſi erant, breui temporis ſpatio ſunt exſecuti. Rex LESCUS in templo cathedrali Cracouienſi ſepultus eſt, tenerāque ætatis filium reliquit, nomine

BOLESLAUS V. 1228.

BOLESLAUM V. PUDICUM cognominatum, cuius tutores Fratrem Conradum, Patruumque Henricum, Ducem Breslavienſem, conſtituit. Quamuis autem

autem Conradus, qui ipſe imperium appeteret, varios contra adoleſcentulum illum Regem excitaret tumultus; ille nihilominus tamen anno 1228. electus ad annum vſque 1278. imperio præfuit. Cum Cunegunda, Belæ Regis Hungariæ filia matrimonium contraxit; cum vero matrimonium cœptum cum ea congrediendo perficere non auderet, ambo votum caſtitatis vouerunt. Cuius Regis ſub imperio Tartari primo Poloniam bello inuadere auſi ſunt, & tres quidem diuerſis temporibus impetus in eam fecerunt. Primo quidem, tota regione circa Lublinum atque Ruſſiam deuaſtata, incredibilem captiuorum numerum multis cum diuitiis ſecum abduxerunt. Secundo autem reuerſi multo maiorem exercuerunt crudelitatem, neque ea, quam in Polonia ceperant, præda contenti, totam Sileſiam copiis ſuis inundarunt, vbi haud procul a Lignitio exercitum Chriſtianorum ſocietate coniunctum ad internecionem fuderunt, quo in proelio Henricus, Dux Breslavienſis, Boleslaus, Ducis Moravienſis filius, cum multis aliis illuſtrioribus viris, in quibus non mediocris equitum ordinis Teutonici numerus, inprimis autem nobilis quidam Germaniæ Princeps, nomine Poppo, ceciderunt. Interfectorum numerus pæne incredibilis erat. Tantus enim fuiſſe dicitur, vt Tartari nouem ingenti magnitudinis ſaccos, Chriſtianorum auribus refercirent, quanquam a ſingulis capitibus vnam modo aurem abſciderant; haud ſecus atque Hannibal olim in pugna Cannenſi modios nonnullos annulis iis modo, quos digitis equitum Romanorum peremtorum detraxerat, impleuit. BOLESLAUS contra Tartaros, ſecundo ſuam regionem inuadentes in aciem progredi non audebat; ſed cum regni proceribus in Hungariam refugit, ſuosque ciues hoſtium violentiæ reliquit. Quæ timiditas Polonis ita diſplicuit, vt nouum Regem creare in animo haberent, ad quem BOLESLAVM, Henrici, Ducis Breslavienſis, qui poſtea prælio cecidit, filium deſigna ent; CONRADVS vero cum huic propoſito acerrime reſiſteret, eo quod Regnum iure ad ſe pertinere iactaret, nobilitas, ad ſeditiones inteſtinas, quas metuebat, declinandas, BOLESLAVM ex Hungaria reuocauit, interea factum eſt, vt Conradus diem ſupremum obiret. Non multo poſt Tartari cum Lithuanis, qui tum pagani adhuc erant, tertio irruptionem in Poloniam fecerunt, terramque vſque ad Cracoviam deuaſtarunt, quam vrbem, quia nemo in ea erat, qui iis reſiſteret, direptam incendio combuſſerunt. Tum Breslaviam petierunt, quem locum incendio conflagrantem inuenerunt. Ciues enim cum de iſtorum barbarorum aduentu certiores eſſent facti, omnibus opibus & diuitiis conuaſatis aufugerant; milites autem, vrbem vim hoſtium nullo modo ſuſtinere poſſe, ſed illis prædæ direptionique futuram eſſe exiſtimantes, vrbe incenſa in arcem ſe receperant. Quo Tartari eum in modum exacerbati ſunt, vt in ea arce oppugnanda tantam vim adhiberent quanta modo excogitari poteſt, eamque procul dubio mox fuiſſent expugnaturi, niſi portento quodam perterriti & in fugam coniecti eſſent. Interea BOLESLAUS ipſe aduerſus Lithuanos profectus eſt, eos vicit, & in aliis Mindaeum quoque, Ducem eorum, ſuſtulit. Boruſſi, qui tum quoque ſacris paganicis adhuc erant addicti, Lithuanorum partes tuebantur. Contra quos equites ordinis Teutonici Ottocarum, (*) Regem Bohemiæ in auxilium vocarunt, qui eos inox in ordinem redegit, atque, quo eos eo facilius in officio retineret, arcem Regiomontanam exſtruxit.

Tartari primo Poloniam infeſtant.

Regiomontum ædificatur.

BOLESLAUS Princeps pietate atque probitate inſignis Cracoviæ, in monaſterio quodam, quod ipſe condidit, ſepultus iacet. Alia quoque monaſteria diuerſis locis præter ea conſtituit, & quinquaginta fere annos imperium adminiſtrauit. Voto itaque caſtitatis quia ſe obſtrinxerat, liberos non reliquit. Succeſſit igitur ei in imperio patrui ſui filius.

LESCVS VI a. 1279.

LESUS VI. Niger cognominatus, qui anno 1279 creatus, ad an. 1289. vſque modo regnauit. Cuius ſub imperii principio Ruſſi, inſtinctu Lithuanorum atque Tartarorum, ſub Ducis eorum Leonis auſpiciis Poloniam inuaſerunt, ſed primo quidam, Regis Duce, deinde vero a Rege ipſo ex pago quodam, vbi aggeribus

(*) Florus Polonus lib. 2. c. 13. p. 109.

ſe muniuerant, fugati profligatique ſunt. Ille, quem dixi, pagus, ex eorum Ducis nomine poſtea Leopolis,lingua autem Germanica Lemberg (*) vocatus, & noſtra ætate in vrbis non contemnendæ formam redactus eſt. Quo prælio commiſſo, hoſtis maximo cum detrimento fugam capeſſere neceſſe habuit. Non longo interiecto tempore reuerſi quidem ſunt, ſed multo maiorem, quam antea, peſtem ſibi contraxerunt. Exercitus enim eorum quamuis ex maxima militum multitudine conſtaret, & inſuper magnorum quoque canum, ad bellum inſtructorum innumeram ſecum adducerent cohortem, à LESCO tamen iterum eum in modum fuſi ſunt, vt natio quædam Iazyges puta, Lituaniæ partem illo tempore inhabitantes, & prædandi modo cauſa Poloniam ingredientes, radicitus exſtirparentur, adeo vt nihil niſi nomen eorum ſupereſſet. Sed tandem Tartari aliam fecerunt irruptionem, quo meliore vtebantur fortuna. Non modo enim LESCUM ſuperauerunt, ſed præter viros, vxores, liberosque, plus quam vicies millia virginum in captiuitatem ſecum abduxerunt.

Tartarorum irruptio.

Poſt hanc ſtragem Paulus, Epiſcopus Cracovienſis ſeditionem contra LESCUM mouit, quia ille Rex, BOLESLAO Pudico regnante, integrum menſem in cuſtodia eum detinuerat; quapropter Conradus, Dux Maſovienſis, ad imperium capeſſendum arceſſeretur. Quem in finem cum ille in Poloniam aduenirет, apud Sendomiriam Dux Varſias, Epiſcopus Paulus, quem modo diximus, nobiliumque maxima multitudo cum illo ſe coniunxerunt. LESCUS itaque ſe ab omnibus deſertum eſſe cum animaduertiſſet, in Hungariam ad Regem VLADISLAVM confugit. Vrbs tamen Cracouia fidem debitam Regi præſtitit, & oppugnationem fortiter ſuſtinere conſtituit. Illa itaque ad deditionem prouocata, ſe fidem Regi LESCO legitimo Principi datam, nunquam violaturam, ſed eius iura ad poſtremum ſpiritum vſque defenſuram eſſe, reſpondit. Id quod nobiles tam inique tulerunt, vt oppugnationem, quam vrbi minitari erant, ſe exequendos eſſe, decernerent. Quorum autem exercitus cum ad vrbem appropinquaſſet, vacuam eam inuenit, incolæ enim vrbe incenſa in arcem ſe receperant, ſperantes, hoſtem ita eo facilius ad paciſcendum adduci poſſe. Quo facto LESCVS, magno cum exercitu, quem a Rege VLADISLAO acceperat, Cracoviæ appropinquauit, quo oppugnatis ſuis amicis opem ferret, & cum Conrado, obuiam ſibi eunte apud fluuium Ravam prælium commiſit, quo eum ad internecionem fuſum in ſuam prouinciam redire coëgit. Hoc circa annum Chriſti 1285. factum. Denique ille Princeps mortuus, & Cracoviæ in S. Trinitatis monaſterio ſepultus eſt.

LESCVS fugit in Hungariam.

Auxilio venit Cracoviæ vrbi.

Quoniam nullos reliquit liberos, regnum poſt eius mortem in varias partes ſciſſum eſt. Frater enim eius, Vladislaus Locticus, Palatinum Siradienſem, BOLESLAVS autem, Dux Plocenſis, Conradi, Ducis Maſovienſis frater, duos Ducatus, Cracovienſem ſcilicet & Sendomirienſem occupauit. Sed hic poſterior ex ea quam ſibi vindicauerat, regni parte, paulo poſt rurſus deiectus eſt per

Mortuus ſine prole.

HENRICUS 1290.

HENRICVM, Ducem Breslauienſem, honeſtum cognominatum, & ex PIASTI Familia ortum, anno Chriſti 1290. Hic vero paulo poſt a LOCTICO quidem eiectus, mox autem reſtitutus eſt, & is ſex annos regno præfuit, quanquam eum coronatum eſſe, nuſquam reperio. Premislum, maioris Poloniæ Ducem,eundemque ex PIASTI Familia ortum, regni ſucceſſorem conſtituit. (**) Qui Premislus prouinciæ quoque Pomeraniæ a Mieſcingo,huius terræ Principe, ſibi relictæ præfuit.

PREMISLAVS 1296.

PREMISLVS anno ætatis trigeſimo octauo Gneſnæ a Jacobo Swinka, huius vrbis Archiepiſcopo A. C. 1296. regia Corona coronatus eſt, qui honos nullo Polonorum Principi ducentis abhinc annis contigit, (*) ab eo nimirum tempore, cum BOLESLAVS audax Stanislaum ad aram interfecerat.Premislus autem hac dignitate diu frui non potuit. Septimo enim menſe poſt coronatio-

(*) Herburt de Fulſtin lib. 8. p. 136.
(**) Error in hiſtoria Polona eſt, Henricum fuiſſe Regem, qui regni tantum partem occupavit, & per aliquot annos tenuit.
(*) Hartknoch lib. 1. c. 2. p. 40.

coronationem a Brandeburgicis quibusdam emiſſis ſicariis, ea quidem de cauſa peremtus eſſe dicitur,quia Marchio Brandeburgicus eum Regem vehementer timuerat, quippe qui Princeps erat Pomeraniæ, quæ illius Principis regioni confinis erat.(*) Maiorum ſuorum in ſepultura Poſnaniæ conditus eſt. Illo itaque ſublato

VLADISLAVS LOCTICVS (a vocabulo Łokiec vlnam ſignificante,ob humilem ſtaturam ita cognominatus)LESCI Nigri frater, A. C. 1296. electusVLADISLAUS LOCTICUS, vel III. 1296.
eſt, qui quatuor modo annos regnauit Hic aduerſus Sileſos,qui Bohemis, regnum Poloniæ iure ad ſe pertinere contendentibus, auxilium contra ſe ferre decernerent, in aciem profectus eſt. LOCTICVS itaque, illis fractis eorumque regione admodum deuaſtata, domum reuerſus valde luxurioſam & diſſolutam vitam agere cœpit, adeo vt omnibus negotiis ad Rempublicam bene gerendum pertinentibus poſthabitis, nihil aliud niſi ſolas voluptates meditatus eſt. Quo tantam ciuium ſuorum inuidiam ſibi contraxit, vt tribus annis interiectis ſceptro regio indignum eum iudicarent,aliumque Regem conſtituere decernerent. Eo itaque exauctorato

WENCESLAVM, Bohemiæ Regem, vt regnum ſuum adminiſtraret, rogarunt, qui WENCESLAVS RIXAM, regis Premisli filiam vxorem duxerat A. C. itaque 1300.Rex Poloniæ creatus eſt, ſed tantummodo ad annum vsque 1305. Reipublicæ præfuit. Initio ſtatim imperii ſui LOCTICVM perſecutus eſt, qui aliquantulum temporis cum ſe occultaſſet, regno denique decedere neceſſe habuit. WENCESLAVS itaque ſuas res domi in tuto collocatas eſſe cum videret, & diuerſis Poloniæ vrbibus Bohemiæ præſidia, incolis valde moleſta impoſuiſſet, maxime neceſſarium eſſe cenſuit, vt in Bohemiam reuerſus omnia in ordinem ibi digereret. VENCESLAUS Rex Bohemiæ 1300.

Interim vero VLADISLAVS Locticus numeroſa adhuc aſſeclarum multitudine, in regno Poloniæ inſtructus erat, quorum numerus, quoniam WENCESLAVS illis minus probaretur, quotidie auctus eſt. Poſtquam præterea copias quasdam ex Hungaria acceperat, recta Poloniam petiuit, quia Bohemicum imperium nationi ſuæ iam quodammodo moleſtum eſſe perciperet. Cum vero ſtatim ab initio Bohemis multum prævaleret; ita poſtea, WENCESLAO paulo poſt rebus humanis exempto, omnia ex animi eius ſententia ſucceſſerunt. Bohemi enim in vrbibus præſidia collocati cum in peregrina commorarentur prouincia, & præterea populo eſſent infeſtiſſimi, aduerſus ſe commouendam ſeditionem metuentes æquo & lubenti animo omnes, quas poſſidebant, vrbes,nominatim Cracoviam, Sendomiriam, aliaſque plures dediderunt. Interim WENCESLAVS, defuncti WENCESLAI filius, cum exercitu Poloniam inuaſit, cum LOCTICO de patris regno, pugnare conſtituit, ſed in ea expeditione, & quidem, vt vulgo traditur, Imperatoris Alberti inſtinctu trucidatus eſt;(**) ex quo tempore Bohemi perpetuo extraneis gubernati ſunt Principibus. Defunctus Poloniæ atque Bohemiæ Rex, WENCESLAUS, anno 1305. Pragæ ſepultus eſt.

Vterque igitur WENCESLAVS, & Pater & filius poſtquam diem obierant ſupremum,VLADISLAVS LOCTICUS vnanimi fere omnium regni ordinum conſenſu A. C. 1305. regno reſtitutus vsque ad annum 1333. regnauit. Quod factum eſt, vel quia ſatis temporis ei fuiſſe putabatur, vitam priſtinam auerſandi & emendandi, vel quia, alio Rege electo, bellum inteſtinum oriturum eſſe timebatur. Nihilominus tamen Ducatus Poſnanienſis & Caliſſienſis Regem eum agnoſcere noluerunt, vtpote quorum animis diſſoluta eius vita fixa adhuc inhæreret. Eodem modo Pomeraniæ Gubernator, qui tunc Poloniæ imperio ſubiectus erat, per Marchionem Brandeburgicum corruptus eſt, vt ei vrbes huius prouinciæ, nec non vrbem Dantiſcum in manus traderet, arce eius vrbis excepta, cuius Dux, nomine *Boguſſa*, conſtantis erga regem ſuum fidei vir, arcem tradere fortiter recuſauit. Eo tempore ordinis Teutonici equites, & potentia & diuitiis mirum in modum aucti,opes ſuas in

VLADISLAUS LOCTICVS reſtituitur.

(*) Florus Polonus lib. 2. cap. 15. p. 113. Guagnini Tom. 1. p. 97.
(**) Idem lib. 2. cap. 17. p. 118.

Equites Teutonici potentes in Boruſſia

Boruſſia ſtabiliuerunt. Qui quomodo ope pactionis cuiusdam cum Conrado, Regis VLADISLAI Laſconogi fratre inita (cui contra Boruſſos, a quibus fuerat ſuppreſſus, auxilio venerat) primo ibi ſedem occupauerint, ſupra commemoratum eſt. Paucis annis ante, vrbem Mariæburgum ædificauerunt, eamque ſuorum Principum ſedem conſtituerunt. Hos itaque equites contra Pomeranos & Dantiſcanos ſeditioſos ciues in auxilium vocare neceſſe habuit, in-

In auxilium vocati, a Rege

quo ei libenter gratificati ſunt, ſub hac tamen conditione, vt præſidii, quod arcem Dantiſci teneret, dimidia pars ex ſuis conſtaret copiis, quo ſubſidio breui poſt tota arce, nec non vrbis ipſius potiri ſunt. Poſtea enim non modo Polonos ex arce, ſed & tam Brandeburgenſes quam Pomeranos, ex ipſa vrbe Dantisco expulerunt. Sic quoque factum eſt, vt ſub auxilii Poloniæ regi præſtiti ſpecie totam Pomeraniam ſibi caperent. Qua cum eſſent potiti, eiusque poſſidendæ ius pecunia a Loctico redimere vellent, ab eo repulſam tuleruut. Deinde Marchioni Brandeburgico eas obtulerunt pecunias, poſtulantes, vt ius ſuum huius prouinciæ adminiſtrandæ ſibi concederet. Cui quamuis eius prouinciæ partem vendere non liceret; illis tamen ea in re obſecutus eſt.

Poloni omnem eam, quam ab ordinis Teutonici equitibus perpeſſi erant, iniuriam, grauiſſime tulerunt; antequam vero vltionem propoſitam exſequerentur, Papam ea de re certiorem fieri, iſtis viſum eſt, qui tunc Avenione reſidebat, & ea re quatuor annos dilata, cum diu diſputatum eſſet, equites denique, vt Polonis, vt par eſſet, ſatisfacerent, iuſſit. Illi vero, poſtquam quatuor annorum quiete fuerant vſi, quibus res ſuas optime digererent, & cum Principibus quibusdam vicinis firmas inirent ſocietates, & præterea quoque numeroſiſſimum alebant exercitum, Pontifici Romano reſpoderunt, ſe Polonis ſæpiſſime maxima commoda attuliſſe, pro quibus id regnum magnas ſibi deberet pecunias; ſe itaque exiſtimare, non modo bona, quæ in Boruſſia & Pomerania poſſiderent, iure meritoque ad ſe pertinere, ſed Polonos inſuper quoque in officiorum a ſe illis præſtitorum præmium multo plus prouinciarum atque pecuniarum, ſibi debere. Quo facto Pontifex illum ordinem ſacris excluſit; & tum ſtatim Poloni ſub ſui Regis auſpiciis in aciem aduerſus eos prodierunt.

Hac occaſione Locticus elegantem orationem ad exercitum ſuum habuit, in quo magnam eam, quam a tam parua cohorte toleraſſet, iniuriam animis eius propoſuit, cui deceſſores ſui, defuncti Poloniæ Reges ſola gratia atque clementia inducti patrocinium præſtitiſſent, cum a Saracenis ex ſedibus ſuis fuiſſet expulſa. Deinde huius ordinis immodicam auaritiam & ambitionem iis propoſuit, & viuis quaſi coloribus depixit & denique cum adhortatione & excitatione finem dicendi fecit, vt fortiſſime pugnantes non concederent, eos, qui in ſua olim fuiſſent clientela, imperium in ſe capeſſere. Quæ Regis oratio Polonorum animum ita confirmauit, vt quamuis hoſtium numerus ſuorum paucitatem longe ſuperaret, tam acerrime tamen pugnarent, vt ordo Teutonicus ad internecionem funderetur, & ex eius copiis viginti millia militum caderent; Poloni autem, vt ipſi iactant, non plures, quam quingentos aut ſexcentos amitterent.

Teutonicus Ordo ad internecionem funditur.

In vulneratis eques quidam huius ordinis erat, nomine Florianus Szari cuius venter acinace laceratus erat, adeo vt inteſtina ex eo erumpentia, manibus exciperet. Quem Rex cum fortuito quodam caſu præteriiſſet, & miſericordia erga eum commotus eſſet, eques homini, inquit, o Rex, qui in pago ſuo malis vicinis affligitur, plura toleranda ſunt, quam ego hic perpetior. Quam hominis moribundi, quæ animum ſubiit, ſententiam, Rex eum in modum admiratus eſt, vt eum chirurgorum curæ atque fidei tradere commoueretur, qui eum ſuo iuſſu ſanarent. Qui cum priſtinæ valetudini eſſet reſtitutus prædium a Rege accepit, a reliquis ſeparatum, ne vicinorum malorum incurſio ſibi eſſet metuenda.

Ille VLA-

Ille VLADISLAUS, Premislum ſine Pontificis permiſſu ſuis ſucceſſoribus regiam dignitatem relinquere non potuiſſe, ſibi perſuaſiſſe videtur. Id quod ex eo apparet, quia legatum ad eum mittebat, qui ſibi, ſuæque coniugi Heduigæ, vt coronam regiam imponi liceret, eum rogaret. Quibus precibus Papa ſtatim annuit. Quo facto coronatio in templo Cathedrali Cracovienſi per Archi-Epiſcopum Gneſnenſem multis aliis Epiſcopis præſentibus, A. C. 1320. eſt peracta. Tandem Rex mortuus, & Cracoviæ ſepultus eſt A. 1333.

Casimirus III. 1333.

CASIMIRUS Magnus patrem in regno excepit, & A. C. 1333. creatus ad annum vsque 1370. reipublicæ præfuit. Ille Princeps cum ordinis Teutonici equitibus pacem Polonicæ genti minime vtilem neque laudabilem iniit, cum equitibus, Pontificis minis & literis, quibus a ſacris remoti erant, poſthabitis, Boruſſia, Dantiſcum & Pomerania concederetur. Ille CASIMIRUS cum liberis careret, vltimus erat ex Piaſtidarum gente, qui regnum hæreditate ſortiretur. Quod, ne in plane alienam transferretur gentem, Polonos eo adduxit, vt antequam ipſe in viuis eſſe deſineret, Carolum Hungariæ Regem, ſororis filium, regni ſucceſſorem conſtituerent. Qui vero cum ante Caſimirum fatum ſuum obiiſſet, filium eius Ludovicum eligebant. Poloni Ruſſiam iam antea identidem bello captam, non prius, quam illius Caſimiri temporibus in pace poſſederant, quippe qui in eo meliore, quam deceſſores eius, frueretur fortuna, eamque Prouinciam Poloniæ imperio adiungeret. Eodem modo Provincia Maſovia ab eo ſuperata & cum imperio coniuncta eſt.

Legibus ſcriptis Poloni adhuc nondum vſi fuerant, & cæterum pauca imperii inſtituta compoſuerant, vsque dum Caſimirus certas leges & inſtituta præſcribere, iudices deſignare, diſpenſatores munerum publicorum inſtituere, arces extruere, & vt breui defungar, regnum præſtantioribus inſtitutis ornare cœpit, quam nullus ante eum princeps molitus fuerat. Leges itaque & præſcripta equitum ordinis Teutonici maxime rationi conuenire, & ad rempublicam bene & feliciter adminiſtrandam perappoſita eſſe cum ſibi videretur, eiusque ordinis præclarum imperium longum tempus vidiſſet & expertus fuiſſet, leges eorum in Poloniam intulit, quæ poſtea nunquam non conſeruatæ & Mariæburgenſes leges ſunt appellatæ.

Casimirus iuſtus & liberalis.

Cæterum CASIMIRUS, ſi mores eius ſpectes, diſſolutiſſima erat vita, ſed admodum liberalis & iuſtus. Judaica vtebatur meretrice, cuius continuis precibus Judæis maxima donauit priuilegia. Tantum populi amorem ſibi conciliauerat, vt pauperum parentem eum appellarent. Eo regnante permulti Germanorum a ſuis principibus nimis afflicti & ſuppreſſi in Poloniam confugerunt, qui ab eo inde tempore in Carpatheorum montium radicibus habitarunt. Cum eo tempore Boguslai, Ducis Pomeraniæ filia cum Imperatore Carolo IV. matrimonium contraheret, Caſimirus maximo cum ſplendore nuptias Cracoviæ celebrauit, quibus Ludovicus, Rex Hungariæ, Sigismundus, Rex Daniæ, & Petrus Rex Cypri cum Imperatore & multis Germaniæ, Poloniæ, aliarumque prouinciarum Principibus, intererant.

Eo tempore Vallachia libera fere erat reſpublica, poſtquam antea Principibus quibusdam, qui Hoſpodari ſunt dicti, fuerat vſa. Quorum vltimo viuis exemto, Caſimirus eius filius, eandem dignitatem appetentibus, exercitum in auxilium miſit, qui autem a Vallachis, in occulto quodam loco ei inſidientibus, ad internecionem fuſus eſt. Paulo poſt CASIMIRUS ab equo decidens animam anno imperii trigeſimo ſeptimo, ætatis vero ſexageſimo efflauit, & Cracoviæ ſepultus eſt. Magnus cognominatus eſt (quod cognomen omnium Polonicorum Principum nulli alii eſt tributum) non autem propter victoriarum, a ſe reportatarum, magnitudinem atque ſplendorem, ſed propter ædificiorum atque caſtellorum a ſe extructorum, nec non legum atque inſtitutorum ſalutarium a ſe conditorum multitudinem.

Mors Caſimiri.

Ludovicus Vngariæ Rex 1370.

Ille CASIMIRUS, vt ſupra narratum eſt, quia rex poſtremus ex Piaſti familia erat, ſororis filium, LUDOVICVM nomine, Hungariæ Regem, ſe adhuc viuo ſucceſſorem conſtitui iuſſerat, qui itaque anno 1370. in Polonia coronatus, an-

nos duodecim imperium administrauit. Qui, quoniam Princeps erat extraneus, Polonis minus placuit, ideoque non prius corona regia ornare eum voluerunt, quam antiqua eorum iura se non modo defensurum, sed etiam auctu-rum & amplificaturum esse iureiurando promiserat. Adhuc enim reges ex Piasti gente nullis fere terminis circumscriptam, & saltem longe maiorem potentiam in Polonia exercuerant, quam ii reges, qui nostris temporibus eorum imperio præsunt.

Interiecto quodam tempore Ludovicus in Hungariam, ad negotia quædam imperii ibi componenda, reuerti necesse habuit, imperii Polonici administratione Matri Elisabethæ, dum abesset, relicta. Qui discessus eius magnis turbis locum dedit. Russi enim seditionem mouerunt,& Lituani in mediam vsque Poloniam fecerunt irruptionem. Ita Poloni ipsi inter se dissentientes ferre non poterant, quod suas vrbes Hungaricis copiis tuendas creditas esse viderent. Præterea Matri non magni a se æstimatæ imperium a rege commissum esse,iniquissime tulerunt. Quapropter ei denuntiarunt, se, honori satis amplo ipsi futurum esse, existimare, si Poloniæ regnum ipse administraret. Quibus turbis mox in Poloniam ingenti Hungarico cum exercitu reuerti rex coactus est, cum quo exercitu primo seditiosos Russos adortus est, eorumque audaciam fregit, deinde vero Lituanos petiit, eosque pacem inire coëgit. Breui post, cum duodecim annos regnasset, quinquagesimo sexto ætatis anno diem obiit supremum, & Belgradi, Hungariæ vrbe sepultus est. Duas reliquit filias, sed nullos filios, quarum altera Sigismundo, imperatoris filio, nupta est, altera autem, nomine Hedviga in Poloniæ regno successit.

Ludovici mors.

Ille Princeps sciendi erat cupidissimus, quid populus de se iudicaret, & vitia sibi culpæ data emendare studuit. Quem in finem interdum mutatis vestibus ex populo sciscitari solitus est, quid sibi de rege suo videretur, & quid in eo reprehensione dignum reperisset, responso itaque eius vt admonitione accepto,illud quod ei displiceret, e medio sustulit.

Hactenus tibi, Vir Illustrissime, breuem regum Poloniæ ex Piasti familia ortum trahentium narrationem posteaquam feci, de Jagellonica gente, quæ gentem Piasti per filiam alteram propagauit, aliquid commemorabo.

DE FAMILIA JAGIELLONICA.

LUDOVICO Rege Poloniæ & Hungariæ mortuo, Poloni illustrem legationem in Hungariam miserunt, quæ filiam regiam, Hedvigam, quæ eo tempore apud matrem,viduam regiam in Hungaria commoraretur, inde arcesseret; quanquam nonnulli adhuc ex gente Piasti principes & in Polonia & Silesia superstites erant, ii tamen aut regno indigni sunt habiti, aut ad hostium regni Poloniæ salutem promouendam nimis procliues existimati. Hoc modo igitur breui post Hedviga cum Cardinali Demetrio,Episcopo Granensi, aliisque nonnullis Hungaricorum nobilium, qui quidem clariores, in Poloniam aduenerunt. Cuius aduentum maxima cum lætitia, & ritibus splendidissimis Poloni exceperunt. Quo facto a Bozenta, Archiepiscopo Gnesnensi, peractis consuetis cærimoniis, Cracoviæ, & quidem festo die S. Hedvigæ, qui dies a Polonis quotannis solennitèr celebrari solet, anno Christi 1382. coronata est, & ita per quadriennium,vt virgo, imperio præfuit. Nobiles aliquot proci ambierunt, quorum primus Ziemovitus, dux Masoviæ repulsam tulit. Deinde Wilhelmus Austriacus dux matrimonium cum ea contrahere quæsiuit, & ipse eam adiit. Qui cum ei placeret, Polonici imperii ordines has nuptias nullo modo approbare voluerunt,semper hoc decretum obseruantes, vt neminem ex hac familia regem sibi crearent, verentes, ne vicinus tam potens regnum ipsorum perpetuo in sua retenturus sit potestate. Tandem vero Jagello, Magnus Litvaniæ Dux, prosperiore,quam illi duo modo commemorati, fortuna vsus est. Polonis enim quia maxima & saluberrima

HEDVIGA Regina.

saluberrima officia promiserat, nuptias eius cum Hedviga contrahendas facile approbarunt. Promisit autem primo, se Christiana sacra amplexurum & in tota Prouincia sua diffusurum esse, vtpote quæ gentilismo adhuc esset addicta; deinde, se viuo, Lituaniam cum Polonia coniunctum & in vnam imperii formam redacturum esse, & tandem, quanquam forte futurum sit, vt nullos filios regni hæredes ipse procrearet, Litvaniam tamen in posterum cum Poloniæ regno perpetuo coniunctum esse debere. Quo facto Jagello baptizatus & VLADISLAUS V. appellatus est. Nuptiis itaque cum Hedviga peractis ab Archiepiscopo Bozenta anno 1386. coronatus est, & quadraginta octo annis regnauit. Non multo post coronationem suam cum Sacerdotibus quibusdam in Lituaniam se contulit & anni spatio præterlapso vniuersam illam gentem ad Christiana sacra amplectenda adduxerat, idque non modo sacerdotum concionibus & assiduitate ac præcipue suo ipsius sincero ardore, & adhortatione ad animos eorum mouendos peridonea præstitit. Postea Cracoviensem Academiam condidit, cuius Casimirus perexigua modo fundamenta iecerat, doctisque viris ex Bohemia accessitis, iuuentutem in his terris adhuc nunquam eruditam, variis artibus & literis instrui iussit. Eo tempore Hedviga Regina mortua est,postquam eam, quam dixi, Academiam, ad studia literarum eo felicius promouenda,multis beneficiis beauerat.

Iagello vel VLADISLAUS V.1386

Lituania Christianam fidem profitetur.

Academia Cracoviensis fundatur.

Ille Princeps cum ordine Teutonico, regni Poloniæ fines tunc temporis miserum in modum affligente, bella gessit diuturna. Poloni igitur cum ab superbo illo & potente populo vindictam repetendi incredibili arderent cupiditate, soli autem illis impares essent viribus, Jagello, ingente Polonorum, Litvanorum, Russorum Tartarorumque exercitu congregato, eos adortus est,qui, ad eum cum exercitu centum & quadraginta millibus militum constante excipiendum erant parati. Diuturnum itaque & anceps inter eos exortum est prælium; in quo Poloni tandem victoriam obtinuerunt, & vniuerso ordinis Teutonici exercitu fuso, Ducem eorum *Vlricum Jungingum* cum triginta fere millibus militum interfecerunt, & quindecim fere millia in captiuitatem adduxerunt. Qua victoria Poloni, tam feliciter vti nouerant, vt plurimis Borussiæ vrbibus captis, sine dubio vniuersum ordinem radicitus extirpassent, nisi Imperator Sigismundus equitibus auxilio veniens, Polonos, pacem cum iis contrahere, omniaque bello capta illis restituere, facili negotio coëgisset. Postea JAGELLO alias quasdam pugnas cum illo ordine commisit, in quibus omnibus superior discessit.

Rex denique, postquam quadraginta octo annos & aliquot menses, summæ rerum præfuerat, in Russia febri extinctus & Cracoviæ in templo Cathedrali sepultus est. Quatuor habuit coniuges, quas omnes coronari iussit; vt & duos filios VLADISLAUM VI. & CASIMIRUM VI.

VLADISLAUS VI. annos tantummodo nouem erat natus, cum pater eius moreretur, sed nihilominus tamen, postquam in comitiis sat longum tempus variæ de eo contentiones fuerant agitatæ, denique Bresciæ seu Bressiæ A. C. 1435. electus est, & decem annos regnauit. Qui quoniam ob teneram ætatem coronationis iusiurandum præstare non poterat, interim mater eius Sophia & nonnulli de imperii ordinibus eum id præstiturum esse sponderunt, posteaquam ad maturam peruenturus sit ætatem. Interea temporis regni consiliarii imperium administrarunt.

VLADISLAUS VI. 1435.

Aliquanto post Tartari magnas in Podoliam fecerunt irruptiones,quæ Podolia tum ad Poloniam pertinebat. Polonorum ducem Bucarium cum maxima exercitus eius parte interfecerunt, & ita magna præda ditati in regionem suam sunt reuersi.

Cum post Imperatoris Alberti obitum Hungaria rege careret, qui a Turcis eam defenderet, vndique huic regno minitantibus, Hungarici ordines legationem ad VLADISLAUM miserunt, qua eum rogarent, vt regni sui administrationem in se reciperet, id quod etiam post deliberationem quandam fecit.

Vladislaus Vngariæ Rex coronatur.

Hoc itaque regnum ingressus Budæ coronatus est, quanquam Imperatoris viduæ Elisabethæ factio, quæ vidua iam quatuor menses prægnans fuerat, variis ei modis resisteret. Postea Imperatoris vidua filium peperit, eique Ladislai nomen imposuit. Breui autem post mortua ea est, & ita regi Vladislao pacificam & tranquillam imperii sui administrationem domi saltem dederunt, donec Turcæ ad arma capessenda eum compellerent, quibus aduersus exteros hostes se defenderet. *Amurathes* enim, Turcorum Imperator non modo ipse magno cum exercitu tunc temporis Belgradum, ad eam vrbem oppugnandam peruit, sed etiam ab Hungaris tributum exegit. Quo facto VLADISLAUS bellum ei indicere necesse habuit, & sub ducis Hunniadis auspiciis exercitum ex Polonis & Hungaris constantem aduersus eum in aciem produxit, qui exercitus noctur, no tempore prope Moravam Hungariæ fluuium Turcas inopinato oppressit- &, vt fama tradit, plus, quam triginta millia militum ex iis occidit.

Tam prospera itaque reportata victoria VLADISLAUS omnes a sacris Christianis alienos ex Hungaria eiecit, & ad Macedonicos vsque fines in Græciam persecutus est, vbi aliud adhuc prælium contra Carambeium, Asiaticarum copiarum ducem prospere gessit, eum captiuum duxit, eiusque exercitum in iuga montium & loca inaccessa coniecit. Quo prælio rex vulneratus est.

Quo facto JOANNES PALAEOLOGUS Imperator Græcorum, nec non Pontifex Romanus, aliique Christianorum Reges, ei per legatos gratulati sunt. Postea Amurathes se Carambeium certo pretio custodia liberaturum esse simulans, amicorum suorum quosdam ad eum delegauit, qui cum eo de pace contrahenda agerent. VLADISLAUS autem inducias modo decem annorum inire constituit. Tum Polonorum nobiles a Rege, vt ad se rediret, petiuerunt; eum autem nonnulli Christianorum Principes, & inprimis Papa, qui eius rei causa legatum ad eum mitteret, ad inducias violandas & bellum persequendum eum incitarent, Polonis ea in re morem non gessit, sed multo magis tantis, quantas colligere poterat, copiis, confestim Bulgariam inuasit, & ad huius prouinciæ vrbem præcipuam, Nicopolin accessit, vbi Dromla sive Dracula, Moldaviæ dux obuius ei factus, vt, quamuis Turcæ Christianorum sacrorum essent hostes, regiam tamen fidem a se illis datam seruaret, supplex eum rogauit. Cum autem regem a proposito bellum persequendi nullo modo auocari posse videret, quatuor millia militum sub filii sui imperio in auxilium ei dedit. Interea Amurathes inducis cum VLADISLAO compositis in Asiam fuerat profectus, quo ibi gentem quandam, Caramanos puta, in suam redigeret potestatem. Magnum itaque exercitum contra se in aciem progredi cum audisset, statim suis copiis contractis (quæ, vt Jovis tradit, octuaginta circiter millibus constabant) obuius ei processit, quo factum est, vt apud vrbem Varnam cum Christianis pugna consligens camelis suis Polonicum & Hungaricum equitatum mirum in modum perterreret, exercitumque Christianorum radicitus deleret, quo in prælio Rex ipse VLADISLAUS interfectus est. Id quod A. C. 1445. factum. In quem infelicem regem aliquis homo Satyricum illud epitaphium condidit:

Vladislaus in pugna ad Varnam interfectus anno 1445.

Romulidæ Cannas, ego Varnam clade notavi:
Discite, mortales, non temerare fidem.
Ille nisi Pontifices iussissent rumpere fœdus
Non ferret Scythicum Pannonis ora iugum.

Ab eo inde tempore Turci Christianis, quos omnes periuros esse putarent, potentia identidem magis magisque prævaluerunt; vt & breui post Mahometus Magnus anno 1453. Constantinopolim expugnaret, qua occasione Constantinus Palæologus, vltimus orientis Imperator sub porta quadam a plebis pedibus ita conculcatus est, vt animam efflaret. Quoniam Rex VLADISLAUS liberos non relinquebat, Frater eius

Casimirus coronatur. 1445.

CASIMIRUS, Magnus Litvaniæ Dux, in eius locum electus, & anno 1446. coronatus, quadraginta quinque annos regnauit. Ille Princeps Elisabetham, Impe-

Imperatoris Alberti II. filiam matrimonio sibi iunxit.

Eius imperii initio Borussi, graui ordinis Teutonici iugo a cervicibus suis decusso, Casimiri tutelæ se tradiderunt. Rex itaque ipse in Borussiam se contulit, quo iusiurandum fidei sibi præstandæ acciperet, quo loco multa illis concessit priuilegia, illi autem, & in primis Dantiscani se Regem cum omnibus eius aulicis quoties ad se venturus esset, per quadriduum suis sumtibus sustentaturum esse, religiose promiserunt. Dum hæc aguntur, equites ordinis Teutonici, numerosissimo in Bohemia & Germania exercitu contracto, confestim aduersus CASIMIRUM in aciem prodierunt, eumque vicerunt, antequam propositum suum, quo Mariæburgum cum aliis quibusdam vrbibus Borussiæ, huic ordini adhuc obsequentibus, oppugnare constituerat, efficere posset. Quod cum CASIMIRUM, qui parum aberat, quin vitam in prælio amisisset, non mediocri dolore afficeret, statim comitiis institutis illud a nobilibus obtinuit, vt sibi ad bellum cum ordine Teutonico continuandum partem annuorum redituum suorum dimidiam darent. Qua impetrata Teutonici ordinis equites, diuturno prælio commisso eo tandem adduxit, vt pacis conditiones quasdam, quibus conficiendis Pontificis legatus internuntium egit, inirent, cuius pacti beneficio Poloniæ regno totam Pomeraniam cum ditionibus Culmensi & Michalovienſi, nec non vrbes, Mariæburgum, Stumam & Elbingam concesserunt. Reliqua pars prouinciæ illis sub hac conditione relicta est, vt eorum Dux in posterum Princeps Polonicus & imperii assessor sit, & regi fidei iusiurandum præstet. Pari modo Moldavi CASIMIRUM per Legatum suum rogarunt, vt se aduersus Turcas tueretur, seque ei, vt clientes & gentem tributariam fidei iusiurandum præstituros esse promiserunt, qua conditione postea sat longum tempus permanserunt.

Ille rex quatuor genuit filios, in quibus VLADISLAUS primo Bohemiæ, deinde Hungariæ rex creatus est. Illud enim posterius regnum, rege suo CASIMIRO defuncto, a CASIMIRO peruerat, vt sibi suorum filiorum aliquem mitteret, qui sibi præesset. VLADISLAUS igitur, qui tunc Bohemiæ Rex esset, cum paucis quibusdam copiis celeriter in Hungariam se contulit, ad impediendum, quo minus fratrum suorum aliquis hoc imperium affectaret. Sed nihilominus tamen frater Joannes Albertus breui post cum alio exercitu eum secutus est, vt ei resisteret, vbi etiam factum est, vt acie cum eo decerneret, in quo VLADISLAUS superior discessit, & haud multo post coronatus est. Tam benigne tamen fratri se præbuit, vt oppida quædam Silesiæ, ad Bohemiam tum pertinentis, ei concederet.

Nuntii primo in comitiis præsentes.

Cuius regis CASIMIRI temporibus Prouinciarum legati vel sic dicti prouinciarum nuntii primo in omnibus præsto fuerunt. Antea enim summa legum condendarum potestas penes Regem & imperii Senatores solos erat. Hartknochius vsque ad huius regis imperium perpaucos in Polonia fuisse tradit, qui Latino sermone periti fuissent, eumque locuti fuissent; cum enim rex Sueciæ Dantisci colloquium cum CASIMIRO instituisset, neque CASIMIRUM, neque alium quendam aulicorum eius latine cum eo differere potuisse, adeo vt monacho interprete vti necesse habuerint. Cuius rei causa CASIMIRUM maximo pudore suffusum fuisse, omnibusque aulicis suis edicto publico præcepisse, vt in posterum latinam linguam ediscerent, a quo tempore Poloni assidue in hac lingua se exercuisse, omnesque alias gentes superasse.

Denique ille rex anno Christi 1492. imperii sui autem quadragesimo quinto, & ætatis sexagesimo quarto, diem obiit supremum, & Cracoviæ sepultus est.

Joannes Albertus 1493.

JOHANNES ALBERTUS patrem suum CASIMIRUM in imperio excepit, quia eum maxime idoneum esse ad regnum administrandum putabant, quanquam eum in filiis eius maximum natu fuisse, nusquam lego. Anno 1493. coronatus, nouem annos regnauit. Ille princeps gloriæ cupidissimus quidem erat, sed res eius minus prospere succedebat. Vallachos, vt ad officium redirent, cogere voluit, qui clientes quidem erant Poloniæ, sed proper eam, in qua tum constitutum viderent regnum, conditionem, ei diutius parere nolebat, sed interdum

cum Turcis & Tartaris coniuncti Poloniam deuastabant. Quem finem sibi propositum vt eo facilius consequeretur, se bellum cum Turcis suscepturum esse simulans cum suo exercitu per Vallachiam profectus est, haud secus ac si nihil aliud, nisi viam in Turciam prosequi secum constituisset. Cum autem hanc prouinciam modo ingressus esset, milites suos vt cum Vallachis in prælium descenderent, incitauit, quia frumento, quod flagitauerant, se non instruerent, quod tamen pro eo, quem Rex secum gerebat, exercitu octuaginta millibus militum constante facile fieri non poterat. Quo facto Soziſaviam, vrbium eorum munitissimam quandam obsidione cinxit; incolæ autem tam fortiter restiterunt, & eorum Dux Stephanus oppugnatores, tollendis præsidiis, intercipiendis frumentis, ita defatigauit, vt Albertus denique, obsidione sublata in terram suam redire compelleretur, quo facto Dux Vallachiæ maximo cum furore eum insectatus est, eiusque exercitus partem non exiguam in silua quadam, vbi insidias absconderat, fregit atque perdidit. Breui post Vallachiæ Dux, quo a Polonis grauiorem exigeret vltionem, Turcos & Tartaros in auxilium vocauit, quo factum est, vt copiosissimo cum exercitu in Poloniam ingressi centum fere millia captiuorum secum abducerent, quorum maxima pars Russis constabat.

Alberti finistrum cum Vallachis bellum.

Moldavi & Vallachi cum paulo post domum reuersi essent, Turcæ, ingenti prædæ cupiditate impulsi, tamdiu in ea Prouincia commorati sunt, donec acerrimo frigore & niue opprimerentur, quo factum est, vt ea, quæ in hac terra sævire solet, frigoris atrocitate insueti eorum plus, quam quadraginta millia frigore examinarentur. Eorum, qui vitam ægre reportassent, nonnulli equorum suorum ventribus dissectis se abscondiderunt, quo insitum calorem conseruarent.

Turci frigore pereunt in Vallachia & Moldavia.

Deinde rex Johannes Albertus cum Vallachis & Turcorum imperatore Bajazete pacem contraxit. Quo facto ipse in Borussiam profectus est, vt Fridericum; Saxoniæ Ducem, eundemque eo tempore ordinis Teutonici Principem, ad fidei iusiurandum obstringeret, id quod aliquandiu recusauerat. Antequam vero suum propositum exsecutioni dare posset, Thoruniæ repentina morte e viuorum numero sublatus est. Quoniam filios non relinqueret, imperii ordines eius fratrem

Alexander 1581.

ALEXANDRUM, Magnum Lituaniæ Ducem regem crearunt, quo coniunctionem cum illa Prouincia initam eo magis confirmarent. Qui Princeps posteaquam Rex declaratus & proclamatus Cracoviam venerat, a fratre suo Friderico, Cardinali & Archi Episcopo Gnesnensi, Anno Christi 1501. ibi coronatus est. Sed quinque modo annos imperium administrauit, & Archiepiscopus coniugem eius Helenam, quia ecclesiæ Græcæ esset addicta, coronare noluit, Ioannis puta, Magni Ducis Moscoviæ filiam, quippe quæ tota prouincia sacra Græca amplectitur.

Simul ac coronatus erat, socer eius, Magnus Dux ille, quem modo dixi, bellum ei intulit, vrbemque Smolensium, Prouinciæ eiusdem nominis locum præcipuum oppugnauit. Alexander autem eam obsidione liberauit, Ducemque Moscoviæ sex annorum pacem inire coëgit. Eo regnante Moldavi & Tartari Poloniam inuadentes magno cum detrimento sunt repulsi, adeo vt in illo conflictu ex Tartaris modo viginti circiter millia cecidisse dicantur. Cui victoræ Rex coram non aderat, sed Vilnæ, quæ præcipua Litvaniæ est vrbs, ægrotabat, vbi brevi post vitæ finem fecit, & terræ mandatus est.

Statura erat mediocri, facie longa & nigro crine, validissimis instructus erat membris, sed incredibilem in modum tardus ingenio, quapropter etiam non multa verba fecit. Sed omnes fratres liberalitate antecelluit, hominibusque in strumenta Musica pulsantibus & aliis vilissimi pretii artificibus delectatus est, libentissimeque eos secum habuit. Quæ tamen eius liberalitas a plurimis pro prodigalitate habita est, adeo, vt nonnulli tanta essent audacia, vt eum æquissimo tempore mortuum esse, affirmare non dubitarent, alias enim Poloniam & Litvaniam dilapidaturum & decocturum eum fuisse. Quam pernicioſam eam liberalitatem vt in posterum cohiberent imperii ordines, legem fixerunt, quam statutum Alexandrinum vocarent, qua omnes immodicas & profusas huius regis largitio-

largitiones reposcens. Ille Rex quoniam nullos liberos, sed tantummodo duos fratres relinqueret, siquidem Archiepiscopus Gnesnensis ante eum iam mortuus erat, Poloni

SIGISMUNDUM regem elegerunt, eumque Vladislao, Hungariæ & Bohemiæ regi prætulerunt, aut quia nobiles, in quibus fuerat educatus ei plus fauerent, aut quia magnam Vladislai potentiam extimescerent. Electio eius Petricoviæ anno 1507. est instituta quo facto quadraginta vnum annos regnauit.

Sigismundus 1507.

SIGISMUNDUS igitur, administratione Litvaniæ resignata, cum in Poloniam se recipere vellet, in locum suum alium quendam, Glinscium nomine, qui singulari apud regem defunctum polluerat auctoritate, huius Prouinciæ administratorem constituit. Ille dux magna in Litvanis auctoritate erat præditus, sed tanta honoris cupiditate exarsit, vt sibi hanc prouinciam in mancipium subiecturum se esse speraret. Id cum per tempus non mediocre celasset, tandem cum Basilio Moscoviæ duce hoc iniit pactum, si opem sibi afferret, id, quod in hac Prouincia sui iuris sit, ei concessurum esse. Quæ conditio Duci eum in modum placuit, vt ei statim consentiret, & gubernatori Glinscio quam ciriſſime exercitum mitteret. Eiuiusmodi autem grauia molimina quemadmodum sine magno tumultu atque suspicione præstari nequeunt; sic quoque contigit, vt de hac proditione Sigismundus paulo post certior fieret. Hostium itaque irruptionem vt anticiparet, totum suum exercitum contraxit, quo factum est, vt eorum exercitum funderet, prouinciam deuastaret, eosque tandem eo angustiarum redegit, vt pacem peteret, quam non sine difficultatibus iniit.

Cum postea Vallachi & Tartari Russiam & Poloniam infestarent, maxima cum iactura domum eos reiecit. Eodem modo cum Moscovitæ iterum cum eo bellum exorsi, vrbem Smolensium caperent, nec non tota circumiacente regione potirentur, exercitus eorum rursus iteratis quibusdam præliis vicit, eorum plus quam triginta millia interfecit, & Smolensio recuperato, illos eo compulit, vt quinque annorum pacem inirent. Postea Bonam Sforzam Iohannis Galeatii, regis Mediolanensis filiam vxorem duxit. Deinde bellum cum equitibus ordinis Teutonici gessit, eam quidem ob causam, quam Albertus, Marchio Brandeburgicus, sororis filius, fidei iusiurandum ei iurare nollet, id quod post bellum posterius inita conditio postulabat. Quo facto Sigismundus oppida quædam ei ademit, & in diuersis conflictibus magnas de eo reportauit victorias. Albertus autem quia sat multas copias e Germania in auxilium missas acceperat, per longum tempus bellum in Borussia duxit.

Lutheri doctrina in Polonia innotescit.

Hoc tempore Martini Lutheri doctrina in hac prouincia innotescere cœpit, & a pluribus Dantisci incolis est accepta. Quæ causa fuit, vt Rex primo acerrime contra eos se gereret; tandem tamen libertatem circa sacra peragenda iis concessit, quia timendum illi erat, ne ii, ad tuenda sua sacra, cum ordine Teutonico se coniungerent, & contra se arma mouerent. Interea modo commemoratus ordo Regi maximo cum impetu & vehementia restitit, & tandem, quanquam pari prælio discessum fuerat, Polonicum exercitum ita defatigauit, vt tandem vtraque factio in eo consentirent, vt Imperatorem CAROLUM V. & LUDOVICUM, Hungariæ regem internuntios & arbitros eligerent, qui illud decretum composuerunt, vt Sigismundus Marchioni Brandeburgico vniuersam orientalem Borussiæ partem (quæ plus, quam dimidium magnæ illius Prouinciæ efficit) concederet, & illud quidem per hæreditatem eius posteris (id quod postea ad nostram vsque ætatem re vera factum est) sine vlla interpellatione; Marchio autem Brandeburgicus vtpote Borussiæ dux pro se suisque hæredibus fidei iusiurandum Poloniæ regibus iurare, & bellicis temporibus quotannis centum bene instructorum equitum iis mittere obstrictus esset, quos autem, simul ac Borussia egressi essent, illi Reges suis sumptibus sustinerent.

Illo tempore domus Austriaca præualentem dominationem & præstantes Iagiellonicæ genti parentes prouincias oculis iniquissimis intuita est. Sigis-

mundus enim Poloniam, Magnos Litvaniæ Ducatus, Smolenscium & Severiam omnes prouincias Ponto Euxino & mari Germanico interiectas possedit; eius patruelis autem Ludovicus, Vladislai filius, rex erat Hungariæ, Bohemiæ & Silesiæ. Quapropter hostes aliquot clanculum contra eos irritarat; quorum impulsi Moscovitæ, Moldavi & Tartari tertio Poloniam invaserunt, denique vero cladibus quibusdam illatis iterum repulsi sunt. Eo tempore Turcarum Imperator Solimanus Magnus bello Hungariæ illato, in illustrissimo illo prælio ad Mohazium commisso victoriam reportauit, quo Ludovicus cum præcipua sui exercitus parte fusus, eoque modo præstantissima Hungariæ pars in Turcorum potestatem redacta est. Rex ille Ludovicus vnicam reliquit filiam Ferdinando Austriæ duci nuptam, quo Austriaca familia, regnorum Hungariæ & Bohemiæ nec non ducatus Silesiæ possessionem est sortita, quæ prouinciæ, nostra adhuc ætate, eius potestati subiectæ sunt. Interea Sigismundus paulo post Tridentinum Concilium susceptum vitæ finem fecit, octuagesimo ætatis anno & imperii quadragesimo, quod prosperrime gesserat.

Quomodo Austriaca Domus Hungariam Bohemiam, & Silesiam acquirit.

Mors Sigismundi.

Paulus Jovius eo tempore tres fortissimos principes fuisse dicit, Imperatorem puta CAROLUM V. Franciæ Regem, FRANCISCUM I. & Poloniæ Regem, SIGISMUNDUM I. quorum vnusquisque dignus fuisset, qui totius terrarum orbis imperio solus præesset, dummodo non vno vixissent tempore.

Ille Rex non minus in pace, quam in bello inclytus fuit, pluribusque ornatus virtutibus, quam vllus alius ante eum rex Poloniæ. Quanta autem mentis eius virtus & integritas erat, tanta erat corporis fortitudo & firmitas. Ferreas enim equorum soleas confregisse, funesque robustissimos manibus dilacerasse traditur, sicuti Elector Saxoniæ, qui nostra ætate Polonico regno præest, sæpissime idem fecisse dicitur, vt a viris fide dignis accepi.

Duas vxores duxit; quarum prior, erat Barbara, Stephani ducis Transilvanensis filia, quæ ei filiam, Hedvigam nomine peperit, Ioachimo, Marchioni Brandeburgico, nuptam. Altera erat modo dicta Buonn Sforza, ex qua filium & quatuor filias suscepit. Filius Sigismundus Augustus, qui patri in Regno Poloniæ successit; filiæ autem Isabella, Sophia, Anna, & Catharina sunt nominatæ. Quarum prima Iohanni, Hungariæ Regi, secunda duci Brunsvicensi, & ambæ posteriores, vna ex altera Sveciæ regi sunt nuptæ.

Martinus Bielscius, Polonus, qui annales Polonicos patrio sermone conscripsit, in aliis nobilem quendam, nomine Jacobum Melstinscium, Starostam Brezinensem, sub huius regis imperii initium in delirium delapsum, se Christum in terram reuersum, iactitasse, & cum ciue quodam Cracoviensi, Petro Zatorscio nominato, & vndecim aliis eiusdem farinæ hominibus, non pauca oppida & pagos peragrasse & stultam plebeculam infatuasse commemorat. Ille homo, inquit modo dictus auctor, se mortuos excitare posse simulauit, id quod etiam per speciem mentitam præstitit, quæ autem mera erat fraudatio, & sociorum suorum fraudulentorum præstigiis mutuis factum est. Quibus præstigiis varia eriam miracula edidit, cum res quasdam iis in locis inueniret, vbi nullo fere modo esse possent, quos autem clam ibi reponi antea iusserat, vt exempli causa pisces e culeis protulit, & alia plura. Postea in Monasterium Czenstochovense se contulit, in quo, vt videtur, nemo eum agnouit. Quo loco asseclarum eius quidam se a dæmone vexari simulauit, qui illico a monachis ad aram eo quidem tempore adductus est, cum magna hominum multitudo ad Missam audiendam adesset. Qui impostor ampla amictus erat toga, profundis aliquot & curuis plicis instructa. Ita etiam lapillos quosdam cingulo suo inuoluerat. Eum itaque cum nonnulli comprehensum tenerent ab iis inopinato se auulsit, in aram insiliit, omnemque sacratam pecuniam inde abreptam in reconditas suæ togæ plicas abdidit. Monachi itaque illud, quod abstulerat, maxima cum diligentia & assiduitate cum apud eum quererent, & nihil aliud in eius cingulo, quod corpori alligauerat, nisi lapides inueniissent, eam pecuniam esse a dæmone in lapides transmutatam, sibi persuaserunt. Quo facto eos adiurare cœperunt, cum autem lapides suam naturalem formam constanter retinere viderent,

Iacobus Melstinski se Christum esse profitetur.

libris

libris suis grauissima cum indignatione abiectis dixerunt: Talem dæmonem nunquam experti sumus, abite cum eo ad omnes dæmones; Cuius pecuniæ ope, dolo illo nefando partæ, totam peragrarunt Silesiam, & tandem nobilis cuiusdam domum ingressi eius vxori, Christum cum Apostolis aduenisse, persuaserunt, vt ipsam viserent, animum itaque suum ad felicitatem æternam perventurum esse si vellet, sibi sacrificium offerendum esse affirmarent. Quibus vxor respondit, sibi, quia maritus non adesset, non licere, vt eius precibus satisfaceret. Tum vero cum eam interrogassent, numne lintei aliquid sibi sacrificare posset, illa innuens confestim linteum illis obtulit. Quod acceptum sibi reseruaturum esse dixerunt, eiusque beneficii ergo Christum ei fauturum eiusque opes & diuitias aucturum obtestati sunt. Deinde cum eam plusne lintei sibi supereresset, interrogauissent, aliud adhuc frustum ei ostendit. Quod cum eodem modo atque prius secum auferre vellent, vxor, se viro absente, nemini illud tradere debere dixit. Quod responsum cum impostoribus illis minus placeret, paruam quandam prunam linteo clanculum subiecerunt. Quod cum vxor non sentiret, sed secura linteum in ista reseruauit, accidit, vt non modo illa, in qua linteum erat reconditum, cista, sed vniuersa domus incensa in cinerem redigeretur. Cum interea paterfamilias domum reuersus ædes flammis ardere conspexisset, eiusque incendii auctorem requireret, vxor, sibi ideo supplicium diuinitus immissum esse respondit, quia Christo Domino, qui visitandi ergo ad se venisset, dignum honorem non exhibuisset. Quo maritus vehementissima percitus ira his verbis exclamauit: Proh dolor! nebulo & impostor ille fuit non Christus. Quapropter vicinis suis conuocatis illos impostores insectatus est, donec in propinquo quodam pago eum commorari audiuissent. Cuius rei fama cum ad fictitium illum Christum peruenisset, ad Apostolorum suorum quendam, Petrum nominatum, ita dixit: Hora mea nunc venit, Petre, & tempus, quo acerbum mihi poculum ebibendum est, appropinquat, quod alio modo euadere non possem, nisi vt ex hac fenestra desiliam. Cui Petrus respondit: Domini mei exemplum imitabor, vt viuam. Quibus dictis ambo per fenestram desilierunt, & reliqui Apostoli eodem modo, alius huc, alius illuc aufugerunt. Rustici autem ab iis decepti eos velocibus gressibus persecuti sunt, & tandem eos oppressos & circumdatos fustibus, flagellis aliisque armis atrocissime commulcarunt, his verbis per ludibrium additis; Vaticinare nobis, Christe cum discipulis tuis, qua in silua fustes illi & flagella nata sint. Qua seuera castigatione illi impostores sanæ menti restituti rem non leuis momenti esse confessi sunt, Christum & eius Apostolos recte imitari.

Impostor Melstinski castigatione sanæ menti restituitur.

Ille, quem modo commemoraui, Rex Sigismundus Regni ordines ante obitum suum adduxit, vt filium suum

SIGISMUNDUM II. eligerent, qui postea Augustus cognominatus, & anno 1548. coronatus, ad annum vsque 1574. regnauit. Coronatus itaque Radzivilam, ducis alicuius viduam matrimonio sibi iunxit, quod imperii ordines quoniam sine eorum consensu id faceret, quod fundamentalibus regni Polonici legibus aduersatur, non parum exacerbauit. Quæ coniux autem cum paulo post sine liberis moreretur, Regni ordines ei persuaserunt, vt cum Catharina ex familia Austriaca matrimonium iniret, quæ antea Francisco, Duci Mantuanensi, nupta fuerat.

Sigismundus II. 1548.

Livonia, magna inter Borussiam, Severiam, Moscoviam & Lituaniam sita prouincia, quæ sub huius regis imperio partim ad ordinem Teutonicum, partim ad Archiepiscopum Rigensem pertinebat, insuper autem tota Romani imperii fidei erat commissa, parum abfuit, quin eo tempore a Moscovitarum Imperatore caperetur: quem in finem ille Imperator maximo cum exercitu hanc terram inuaderet, & plurima eius oppida expugnaret. Incolæ vero tantis copiis resistere cum diffiderent, ab Imperatore Romano Ferdinando auxilium petiuerunt. Qui cum illo tempore aliis bellis esset implicitus, se quidem illis opem præstare non posse respondit, iis tamen permisit, vt alius, cuiuscunque vellent, prin-

Quomodo Livonia cum Polonia fuit iuncta.

cipis tutelæ se traderent. Quo factum est, vt nonnulli regis Sveciæ Erici fidei se committerent, Archiepiscopus Rigensis autem nec non Magnus Magister ordinis Teutonici cum vniuersa nobilitate regem Poloniæ SIGISMUNDUM in auxilium vocarunt, qui non aliter, nisi sub hac conditione illis gratificari voluit, vt suo imperio se plane submitterent, sibi vt Regi fidei iusiurandum præstarent, omnes suas vrbes cum tota prouincia sibi traderent, Livoniamque in perpetuum cum Polonia coniungerent. Quas conditiones inire cum Livoni primo recusarent, satius dixerunt, iis se submittere, quam a Moscovitis, quibus nullo modo resistere poterant, ad multo duriores & iniquiores conditiones ineundas cogi. Re itaque accuratius considerata, in id denique consenserunt, vt Gottardus Kettlerus, eques Westphalicus, qui tunc temporis Imperator & Dux exercitus sui esset, ab imperio suo publice se abdicaret, legato Regio Duci Nicolao Radzivillio, Palatino Vilnensi, vrbem Regiam cum arce traderet, & Livonia ab eo inde tempore se Regno Poloniæ obedientiam præstiturum esse promittat, quæ omnia re vera facta sunt. Radzivill contra, sui principis iussu, Gotthardum Kettlerum Curlandiæ & Semigalliæ, duarum Livoniæ prouinciarum ducem, vt & posstero die, altero iussu accepto, regem Vicarium & Livoniæ administratorem proclamauit. Quas duas prouincias, Curlandiam & Semigalliam Kettleri posteri ad nostram vsque ætatem hæreditate possederunt, quanquam adhuc Poloniæ sint clientes.

Qua occasione Ketlerus Curlandiæ Dux factus.

Quo fœdere inito, Rex illico bellum Moscovitis indixit, qui, quoniam paulo ante Tartaris regnum Astracanum & Casanum eripuerunt, fortissimi erant. Nihilominus tamen in Lituaniæ finibus a Polonis victi, & in suam prouinciam redire coacti sunt. Quanquam vero paulo post sub Imperatoris sui Iohannis Basilowitii Imperio reuertebantur, non meliore tamen, quam antea, vsi sunt fortuna.

Russi a Polonis vincuntur.

Ille, quem dixi, Moscovitarum Imperator, mirandum in modum crudelis fuisse & nouis tormentorum generibus inueniendis maxime delectatus esse dicitur. Leuissima, qua ciues & captiuos suos afficeret, pœna, ea erat, vt eos torreri & assari iuberet. Nimis molestum foret, si omnia ea, quibus viros feminas & liberos plecti iussit, atrocia tormenta narrarem. Iis qui noua tormentorum genera inuenerunt, splendida præmia donare solitus est. Quæ inhumanæ eius atrocitates ciues ita exacerbarunt, vt Sigismundus facillimo negotio ad pacem secum ineundam eum cogere posset.

Postea Sigismundus exiguam quandam manum in Vallachiam misit, quo Bogdanum, qui imperium huius prouinciæ appetebat, ad finem suum consequendum adiuuaret. Vallachi autem, Turcorum auxilio Polonos breui post domum redire coëgerunt.

Huius Regis sub imperio Lutherana religio longe lateque in Polonia diffusa est, cuius causa fuit controuersia quædam de meretrice inter aulicos & literarum studiosos orta, qua posteriores in Germaniam se recipere commoti sunt, vbi primo Lutheranæ fidei dogmatibus sunt instructi, quæ in patriam reuersi vndique disperserunt. Primus ex viris nobilioribus, qui hanc doctrinam amplecterentur, erat Iohannes de Lasco, Palatinus Lenczicensis, qui A. C. 1540. imperio suo relicto, in Bataviam & Angliam se contulit, & post reditum suum aliquot homines ad religionem modo dictam amplectendam adduxit. Quo illud inprimis notatu dignum erat, quod rex eos, qui a fide Catholica deficerent, non modo pœna non afficeret, sed iis multo magis faueret, sicut etiam concionatorum Lutheranæ fidei addictorum quosdam in aula secum habuit, & in his præcipue Iohannem Cosminis & Laurentium Prasnicium, qui tantum effecerunt, vt plurimi Episcopi ad hanc doctrinam amplectendam maxime essent propensi.

Hoc loco facere non possum, quo minus memorabilem quendam casum commemorem, qui Regiomontii in Borussiæ Ducatu Regi accidit cum manifestum mortis periculum effugeret. Qui cum ab Alberto, Marchione Brandeburgico eo

eo inuitatus esset, & aduentu suo omnibus tormentis explodendis salutaretur, accidit, vt explodentis peccato globulus in tormentorum quodam relinqueretur, qui eo tormento explodendo erumpens tam prope ad regem accessit, vt viro cuidam, nomine Wiesnoviecio pone eum equitanti, cerebrum e capite extunderet.

Rex in vitæ periculo.

Huius Sigismundi temporibus respublica Babina per iocum sic appellata floruit, quæ ex hilaribus quibusdam nobilibus Lublinensibus constabat, loco constituto, Babino dicto, conuenientibus, vbi omnibus occasionibus oblatis acutum, quo erant ornati, ingenium exercerent. Qui conuentus vt eo maiorem sortiretur auctoritatem, in regni formam eum redegerunt, dum regem & Senatorem aliquem cum Consiliariis quibusdam & regni adiutoribus eligerent. Si quis, exempli causa, eorum, de iis rebus, quas intelligeret, dicens, aliquid immiscebat, ad suam artem nullo modo pertinens, Archiepiscopum aut Palatinum eum creabant. Si quis multis metaphoricis verbis & contradictionibus vtebatur, oratorem aut Cancellarium eum sibi eligebant. Si quis sua fortitudine nimium gloriabatur, ducem eum creabant, eumque in finem statim mandatum edebant, quod ei maxima cum reuerentia per aliquem minori dignitate præditum traderetur; qui autem id imperium accipere recusabat, eum tam diu exsibilabant, donec acciperet. Eodem modo alios adhuc Imperii ordines diuersis dignitatibus præditos elegerunt, quo factum est, vt breui temporis spatio de omnibus rebus sapienter iudicarent, apte dicerent, modestas annotationes excogitarent, demandata negotia obedienter exequerentur, & de omnibus rectam relationem ederent. In suam Societatem si quem reciperent, eius ingenium antea explorarunt, eiusque specimen postularunt, e quo perspicerent, cui muneri suæ reipublicæ obeundo esset aptissimus, siquidem præstanter ea, quæ modo dixi, alia adhuc inferioris munera haberent. Ita si quis inconditum de suis canibus aut falconibus sermonem ordiretur, continuo aut venatorem aut falconarium eum sibi constituerunt. Si quis in sermonibus, ad sacra pertinentibus nimis occupatus esset, capellanus sic dictus eligebatur. Si quis de controuersiis in religionis causa ortis multa differeret, eum statim inquisitorem designarunt. Si quis autem de equis aut rebus œconomicis multa garriret, eum aut equorum præfectum aut villicum elegerunt. Quo subsidio breui tempore plurimos abusus & consuetudines minus decoras, quæ in Polonicum imperium clam irrepserant, emendarunt, & ita inuentis satyricis non pauciora, quam oratoria arte effici posse, ostenderunt.

De iocosa republica Babinensi.

Cuius suauis conuentus fama cum denique ad regis aures peruenisset, qui sæpius eo delectatus erat, si de eorum cœptis audiuisset, contigit die quodam, vt, cum præcipuos eorum socios sciscitaretur, in aliis etiam interrogaret, num regem aliquem sibi creassent? Cui Starosta Babinensis, qui ob vultus hilaritatem & animum iocosum maxime inclaruerat, his verbis respondit: Procul a nobis absit, Rex Sereniſſime, vt Te viuo alium eligamus Regem. Quæ verba Sigismundo mirifice placuerunt, vt magno risu ea prosequeretur, & tantum abesset, vt indignationem ei mouerent, vt ipse potius varios sermones proferret, qui toti cœtui maximam excitarent hilaritatem atque lætitiam.

Postea graues quædam controuersiæ de Persici, Græci & Romani imperii antiquitate in hac societate sunt exortæ; quo lepidum quoddam ingenium surrexit, totumque cœtum ita allocutum est: Quid de horum imperiorum antiquitate & dilatatione multa prædicatis, viri nobiliſſimi, cum Babinicum nostrum Imperium illis omnibus multo antiquius sit atque amplius? Nonne Dauid dicit: Omnis homo mendax? Vnde necessario consequitur, totum terrarum orbem ab omnibus inde temporibus imperii nostri terminis fuisse inclusum. Quæ sententia ab omnibus vnanimi consensu est approbata.

Porro illa societas, se nunquam non ab Imperatoribus & Regibus priuilegia & munia obtinuisse, gloriata est, ea tamen conditione, vt ii, qui aliorum mores acrius perstringerent, ab ea republica ne exciperentur. Locum, vbi illa societas conuenire solebat, eius consortes per iocum Geldam vocabant, quod vocabu-

vocabulum apud Dantiscanos cauponam, apud Polonos vero acerrimo ingenio præditorum hilare consortium significat.

Mors Sigismundi Augusti.

SIGISMUNDUS Knysini, quæ vrbs in Lituaniæ finibus sita est, diuturno morbo est exstinctus, nullis filiis, sed duabus modo sororibus relictis, quarum nomina erant Catharina & Anna. Quarum altera primum Iohanni, Finlandiæ duci & deinde Regi Sueciæ fuit nupta, & SIGISMUNDUM III. peperit, qui postea Sueciæ & Poloniæ Rex creatus est. Altera autem, Anna scilicet, longum tempus celibem vitam egit, donec tandem, Stephano Batori, principi Transiluanienſi, qui postea Rex Poloniæ electus est, desponsata fuisset.

Quo SIGISMUNDO vita defuncto, gentis Iagellonicæ posteri, qui quidem virilis essent sexus, plane defierunt.

Vereor, ne vberiore illa narratione, quam de Polonicorum regum secundo & tertio ordine tradidi, Tua, Vir Illustrissime, lenitas nimis diu exercitata fuerit & pæne defatigata, quanquam me breuitatis, quantum per naturam rei propositæ fieri potuit, fuisse studiosissimum, pro certo affirmare possum, quia vero tempus octuagintorum annorum mihi fuit percurrendum, breuiori gyro includi nullo modo potui. Interea Te obseruasse crediderim, Polonicos Reges, quanquam ciues suos nunquam eo adducere potuerunt, vt regnum suum ad posteros hæreditate peruenire concederent, & publice declararent, id tamen aliquoties eos exorasse, vt viuis adhuc Regibus eorum filii regni successores eligerentur. Sic quoque interdum magna merita & officia, quæ Polonorum Reges ciuibus suis præstiterunt, tantum apud eos valuerunt, vt grato animo commoti, eorum filios post ipsos in imperii fastigium extollerent. Præterea, ex ea, quam adhuc tradidi, narratione magnus ille amor clarissime elucet, quo imperii ordines nullo non tempore regiam gentem prosequerentur, quo commoti sunt, vt, si rex aliquis, nullis liberis relictis, e vita decederet, ad proximum eius cognatum regni administrationem deferrent. SIGISMUNDO II. autem mortuo, longe aliter res cecidit. Quamuis enim tunc temporis multi adhuc ex Piastica & Iagellonica gente viri & in Polonia & in Silesia essent superstites; quia nihilominus tamen Poloni vererentur, ne forte, si multi reges ex vna eademque gente in Regno succederent, tandem foret, vt illi nullis limitibus & terminis circumscriptam potentiam sibi arrogarent, id quod SIGISMUNDI temporis parum abfuit, quin fieret, ad quod deuitandum, in posterum ex aliis gentibus reges eligere constituerunt, quod postea re vera factum est, dum reges e Francia, Transiluania & Suecia arcessitos sibi præficerent. Quoniam autem procul dubio Tibi, Vir Illustrissime, nimis molestum foret, si de reliquis Poloniæ Regibus plenam & perfectam narrationem adderem, finem scribendi hic facio & permaneo Tuus

VIR EXCELLENTISSIME

humillimus & obsequentissimus
Servus
B. C.

EPISTOLARIS DISPVTATIO III.

AD VIRVM SERENISSIMVM WILLIAMVM, DUCEM DEVONIENSEM (Deuonshire) REGIS MAGNÆ BRITANNIÆ ARCHIMARESCHALCUM &c.

DE CONSECVTIONIBVS ET PRÆCIPVIS REBVS GESTIS REGVM POLONICORVM QVARTI ORDINIS, E DIVERSIS GENTILVS ORIVNDORVM, AB A. C. 1574. AD 1674.

VIR SERENISSIME.

POst SIGISMUNDI II. obitum inclytæ gentis JAGELLONICÆ posteri exspirarunt, vt nulli amplius filii ex ea procrearentur, Rex enim modo dictus nullos liberos reliquit, sed duas modo sorores habuit, Catharinam & Annam. Illa Iohanni Finlandiæ Duci, qui postea sub nomine IOHANNIS III. Rex Sueciæ creatus est, nupta SIGISMUNDUM III. peperit, qui deinde & Sueciæ & Poloniæ Rex constitutus est. Hæc autem, Anna scilicet, diu vitam cælibem egit, donec tandem Stephanus Batori, qui Princeps Transiluanienſis, postquam Rex Poloniæ electus erat, eam matrimonio sibi iungeret, ex qua vero nullos liberos suscepit.

Postquam Archiepiscopus Gnesnenſis, Iacobus Vchanscius, Regis superioris mortem vniuersæ nobilitati indicauerat, ex more consueto comitia indixit, quibus alium Regem eligeret. Quo facto multi se regnum appetere, professi sunt, qui omnes peculiares suos assecias & amicos in Polonia habebant. Præcipui imperii candidati erant, Ernestus, Archi Dux Austriæ, Imperatoris filius, IOHANNES III. Sueciæ Rex, Magnus Dux Moscouiæ, & Henricus Valesius, Regis Franciæ CAROLI IX. frater, cum aliis quibusdam inquilinis, illustriori dignitate ornatis viris. Longa itaque deliberatione habita Poloni tandem regem proclamarunt

HENRICVM VALESIVM, Ducem Andegauienſem, ideoque Adamum Conarscium, Episcopum Posnanienſem, & Albertum Lascium, Palatinum Siradienſem, legatos, cum aliis quibusdam Regni Senatoribus in Franciam miserunt, quo eum in Poloniam adducerent, si sequentes conditiones fuisset iturus, quibus obseruandis & Franciæ Rex, & eius frater, Rex Poloniæ, solenni iureiurando se obstringerent. Conditiones autem, quas modo dixi, erant hæ: Henricus Valesius a. 1574

1. Vt Henricus omnes suas facultates & reditus, quos quotannis acciperet, in Poloniam transferret.

2. Vt Rex Franciæ, superioris Regis SIGISMUNDI debita, sua ipsius pecunia solueret.

3. Vt ille Rex centum nobiles Polonorum in aula sua, & quinquaginta in aliis locis sustentaret, & denique

4. Vt classem in mari Germanico construeret, & Polonis in bello contra Moscouitas auxilium ferret.

Præterea adhuc alia conditio erat præscripta, quam Rex nullo modo inire vellet, quam in Poloniam peruenisset, quæ ea erat

5. Vt Annam, superioris Sigismundi sororem, matrimonio sibi iungeret.

Rex Henricus itaque, subscriptis illis conditionibus, Octobris initio A. C. 1576. Lutetia Parisiorum egressus, per Lotharingiam & Germaniam recta Posonium, vrbem Poloniæ petiuit, vnde paulo post Cracouiam se contulit, vbi die vigesimo primo anno 1577. coronatus est. Sed quatuor menses post eam coronationem literas e Francia missas accepit, quibus mors fratris sui, sine hæredibus defuncti ei significaretur & simul ipse rogaretur, vt domum reuersus suo iure vteretur. Quas literas Regni Senatoribus ostendit, & sibi in Franciam redeundum esse indicauit, quo sua præsentia intestinas, quæ timendæ essent, seditiones cohiberet, suumque in hoc regnum ius obtineret. Sed cum timeret, ne Poloni suum discessum impedirent (quod sane feciſſent, vt mihi sæpe relatum est) die Martii duodecimo clam se subduxit, & cursu publico per Silesiam & Germaniam in Italiam, & inde in Franciam equitauit. Postero die cum Regem desiderarent, Senatores aliquot emiserunt, qui eum persequerentur, quo factum est, vt in Silesia eum consecuti rogarent, vt secum rediret, eumque populum, qui sincero & communi amore ipsum elegisset, ne tam contumelioſe desereret. Nihil tamen ab eo impetrare potuerunt, se tamen, simul ac res suas in Francia composuisset, rediturum esse, promisit, vsque Polonicæ genti propter singularem ab ea sibi exhibitam humanitatem maximas debere gratias confessus est. Deinde Regni Senatores duos in Franciam miserunt legatos, qui precibus ad reditum eum inuitarent, quod Rex non plane recusauit. Sed Franci eius ciues eum denique ad suum propositum mutandum commouerant, proponendo periculo, in quod Francia hoc itinere facile coniici posset.

Henricus clam e Polonia discedit.

Poloni itaque regem suum vnquam ad se reuersurum esse cum plane desperassent, Archiepiscopus Vchanscius quarto Nouembris die Varsauiæ comitia indixit, ad nouam electionem suscipiendam, vbi duorum præcipue virorum principum ratio habita est, imperatoris nempe Maximiliani, & ducis Transiluaniensis, Stephani Batorii. Cum vero inter se conuenire non possent, vtrum horum eligerent, comitia infecta causa sustulerunt. Maximiliani sectatores per legatos aliquot, ipsum electum esse, ei retulerunt, seque aduentum eius ad ipsum coronandum sollicite expectare confirmarunt. Idem fecerunt Batorii assecłæ, quippe qui illum principem eodem modo inuitarunt, vt continuo in Poloniam veniret. Quo factum est, vt

Stephanus Batori coronatur a. 1577.

BATORIVS citius, quam imperator aduenirent, quo suæ factioni gratificaretur. Confestim enim, Transiluania relicta, per Vallachiam ad Russiam profectus est, & citissime Cracouiam peruenit, vbi die Aprilis duodecimo anno 1577. exceptus, et a Karnkovscio Episcopo Vladislauiensi coronatus est, quia Archiepiscopus Gnesnensis a Maximiliani partibus stabat, qui tamen postea Batorio sua sponte se tradere, quam obsidionem in arce sua Louicensi sustinere malebat.

Interea Imperator adhuc cunctatus est, et cum exercitu Poloniam inuadere, suumque ius per vim obtinere decreuit. Eius autem factio cum in dies magis magisque diminueretur, Regni Senatores tandem per legatos quosdam certiorem eum fecerunt, tarditate et supinitate semetipsum iure regni administrandi eum priuasse, siquidem ei imperium deferre constituerint, qui primus aduenturus sit. Quo nuntio Imperator, qui tunc comitiis Ratisbonensibus aderat, incitatus, Polonorum legatos in custodia obseruari iussit, et Poloniam coram inuadere constituit. Sed morbo periculoso, quo etiam breui post, Octobris die duodecimo, exspirauit, in hoc proposito impeditus est.

Batorium inprimis propter merita sua ad Polonici regni fastigium euectum fuisse, negare quidem non possumus; sed tamen familia Zboroviorum eum non parum adiuuit, idque ideo, quia eius familiæ aliquem, Samuelem nomine (qui, postquam Castellanum Woynicensem, Iohannem Tenczynscium in regia aula percussérat, ex patria sua erat relegatus) humaniſſim e exceperat, eumque defenderat. Quocirco modo dictus Samuel omnia in Batorii commoda expertus est, et electionis tempore consanguineorum et amicorum suorum quibusdam

busdam scripsit, vt huic principi suffragia darent. Poloni autem sicuti eo sunt animo, vt, si cui officia exhibuerint, sibi nunquam merces satis digna rependi posse existiment; ita et hic factum est. Batorius enim quamuis huic familiæ omnia grata exhibere, summam daret operam; nihilominus tamen postea Zborowscii acerrimo eum persecuti sunt odio, eam quidem ob causam, quia non ex eorum arbitrio imperium gereret, quod etiam breui post, ei, quem paulo ante dixi, Samueli Zborowscio, vitam ademit, quippe qui per causam coram iudicio actam e medio tolleretur.

Batorius, vt in scriptis inueni, primo nobilis vir Transiluaniæ, ex infimo ordine erat; denique autem sua virtute & fortitudine magnam in suis ciuibus sibi conciliauit auctoritatem. Cum enim aliquando legatus ad Imperatorem admitteretur, negotia sibi demandata cum insigni ambarum partium delectatione & emolumento exsecutus est. Quapropter post obitum Joannis Sigismundi, (qui Poloniæ Regis SIGISMUNDI II. consobrinus erat) Transiluaniæ princeps electus est.

Postquam itaque a Karnkowscio, quem Archiepiscopum Gnesnensem creabat, Poloniæ Rex coronatus erat, inter magnates exortam discordiam & tumultum sedare, & seditiosorum amorem sibi conciliare studuit, quod tandem feliciter ei successit, & præcipue quidem eo, cum Annam, SIGISMUNDI II. sororem in matrimonium duceret, ex qua vero nullos liberos suscepit.

Quo tempore imperator inter Dantisci incolas seditionem fouit, qui Batorio fidei iusiurandum præstare recusarent, sed parati essent, ad exercitum conscribendum, quo libertatem suam tuerentur. Senatus vero Regni Polonici cum seditiosos eos declarasset, eorum exercitus mox fusus & vrbs oppugnata est, & tandem Electoribus Saxonico & Brandeburgico, nec non Hassiæ Landgranio intercedentibus, pactum inire compulsa est. Cuius belli præcipua causa hinc est orta, quod ciues Dantiscani se modo Reipublicæ Poloniæ, non autem Regi obsequium debere contenderent, sed tandem, vt modo dixi, vtrique se submittere coacti sunt.

Gedanenses & Reipublicæ & Regi se submittere cogentur.

Omnes controuersiæ quoniam adhuc a Rege ipso & Regni Senatu diiudicatæ sunt, nulla alia conuenta ad lites dirimendas erant instituta. Nobiles autem cum eam iudicii formam populo nimis molestiæ creare, & Regi grauissimum esse intelligerent; veniam a Batorio precibus impetrarunt, duo priuata iudicia instituendi, quæ vulgo Tribunalia audiebant, alterum quidem Petricouiæ, & alterum Lublini, vbi omnes causæ ciuiles sine prouocatione ad curiam Regiam dirimerentur, nisi causa, de qua lis esset, ad rempublicam pertineret, quo casu Regi soli & Regni ordinibus conscriptis decisio sit reseruanda.

Tribunalia Petricoviæ & Lublini instituantur.

Idem Rex in puniendo erat acerbior, quam Polonorum leges secum ferrent; neminem tamen in religionis causa turbauit, sed Deum hæ tria sibi soli seruasse identidem dixit, ex nihilo aliquid producere, futura prædicere, & conscientiis, quas vulgo dicunt, imperare. Porro ille Princeps, SIGISMUNDI I. exemplum imitatus, latini sermonis vsum in prouinciis suis conseruare & magis magisque propagare & diffundere studuit; cuius rei causa nobiles adolescentes sæpius ita allocutus esse traditur: Discite latine, nam vnum ex vobis aliquando faciam Mości Panie. Quo iuuentus ad hunc sermonem maxima cum diligentia excolendum, incitata est, id quod ad bonarum artium & scientiarum in Poloniæ regno æstimationem & incrementum non parum contulit Cum SIGISMUNDUS I. Varmiæ Episcopum, Legatum Viennam misisset, Imperator obstupuit, cum vel Polonicos rhedarios admirabili celeritate latine loqui audiret. Sic quoque cum post Sigismundi obitum legati aliquot in Franciam se contulissent, quo Henricum Valesium in Poloniam adducerent, non parum mirati sunt, quod ne vnicus quidem in eorum cœtu reperiretur, cui elegantia in latine loquendo deesset.

Hic cum regnare cœpisset, maxima pericula a Moscouitis ei impendebant, vtpote qui Polonicas aliquot vrbes in Seueriæ, Smolenscii & Lituaniæ

ducatibus expugnarent. Quibus bellis Moscouitæ singulari quadam vsi sunt prudentia: semper enim Polonos adorti sunt, vel cum bella extranea iis gerenda, vel cum intestinis turbis & discordiis essent impliciti. Batorius autem ciuilibus seditionibus compositis postquam denique cum vicinis pacem contraxisset, consentientibus vniuersis, quos conuocauerat, Regni ordinibus, bellum Moscouitis indixit, quod tanta fortitudine & prosperitate gessit, vt intra triennium omnibus, quas amiserat, vrbibus recuperatis, in mediam Moscouiam bellum trnsferret, & omnia, quæ inuaserat, loca, spoliaret & deuastaret. Quo bello plus quam viginti magnas vrbes & prouincias iis ademit, in quibus erat Polocia, Socolovia Sussa, Crasna, Noscerda, Ducatus Polocensis, Luceorienſis, Neuelensis, Zavolovienſis, Ostrovienſis & alia plura. Quæ omnia Moscouitis maximam incusserunt terrorem adeo vt continuo legatum ad Pontificem Romanum mitterent, in eamque spem eum adducerent, si Polonos eo posset cogere, vt exercitu e terra sua remoto, honestam pacem secum inirent, se vniuersos Romanæ ecclesiæ esse submissuros.

Moscovitæ Pontifici Romano se submittere promittunt.

Illud igitur, vt facile coniicias, sanctum illum patrem eo commouit, vt, sanctum quoddam medium excogitare studeret; sicuti etiam per Possevinum, Nuntium suum, Moscouitarum Imperatori, se omne in hac re studium & assiduitatem adhibiturum esse pollicitus est. Poloni itaque cum in oppugnando Plescouio, munitissimo Moscouiæ loco, rem infeliciter egissent, & præterea durante bello plus quam quadraginta militum millia amisissent, per Possevini tandem prudentia consilia commoti decem annorum inducias composuerunt. Eodem modo Rex Poloniæ huius pacti beneficio Moscouitis omnes quas præterito bello jis ademerat prouincias & vrbes restituere promisit; Moscouitarum autem Imperator Regi omnia, quæ in Liuonia possidebat, concessit. In rebus autem, ad sacra pertinentibus nihil mutauit, quanquam Pontifici ardentissimum eius desiderium excitauerat. Hac ratione bellum cum Moscouia finitum est, quod huic prouinciæ extremum periculum minitari videbatur.

Tartari sub huius Regis imperio Poloniam armis infestare non sunt ausi. Dux eorum per legatos quosdam in Poloniam missos tributum exegit, quod alias a Transiluania ei fuerat datum. Ea legatio maxima cum indignatione est repulsa, cui Rex, se nemini vnquam vllum tributum soluturum esse, testatus est. Eodem modo Turcorum Imperator eum principem mirifice reueritus est, & Transiluaniam, dum Batorius ei præesset, nunquam armis infestis inuadere ausus est. Cum autem patruelis eius huius prouinciæ princeps constitueretur, Ottomanica, quæ dicitur, porta tributum augere decreuerat. Batorius autem patruelem defensurus cum ea de re legationem ad Turcorum Imperatorem mitteret, ille paucis contentus esse, quam potentissimo illo principe ad iram promovendo semetipsum in periculum omnia amittendi coniicere maluit.

Descriptio Vkrainæ

Magnus ille tractus, qui Vcraina vocatur, & ab oriente ad occidentem in tercenta fere Anglicana milliaria extenditur, a septentrione vero ad meridiem in plus, quam centum milliarium latitudine porrigitur, antea quinquaginta annos in Polonorum fuerat potestate. Commune Vcrainæ nomen Sclauonica lingua idem, quod terminus notat, quoniam ea prouincia regno Poloniæ inter Turcas & Tartaros terminus est. Magna illa & fertilis regio in duas primarias prouincias distribuitur, in Volhiniam puta & Podoliam. Volhyniæ caput est Kiouia ad fluuium Boristhenem sita, quæ olim, vt fama tradit, maximis Europæ vrbibus annumeranda fuit. Qui locus antea in Ducum Russorum fuit potestate; nunc autem a Turcis et Tartaris misere est dilaceratus. Podoliæ caput est Camieniecium, quæ vrbs saxo inædificata et optime munita est. Vcrainæ incolæ vulgo Cosaci audiunt, quod vocabulum Sclauonico sermone idem quod prædones significat. Primo erant agricolæ, qui ex Russia aliisque finitimis prouinciis venientes in insulis fluuii Borysthenis residebant, deinde autem totam Vcrainam inundabant, et de rapto viuebant. Tartariam et Turciam sæpissime inuadere solebant, Trapazuntem et Sinopen diripiebant, et sæpius ad Constantinopolim

Constantinopolim vsque accedebant. Ita quoque in Ponto Euxino piraticam exercuerunt; Polonis bello aduersus Turcas occupatis identidem egregium tulerunt auxilium. Cum nulla alia gente quam cum *Miquelets* Hispaniæ, quos vocant, aut cum iis Scotiæ septentrionalis incolis, qui vulgo *Hochlaender* appellantur, eos melius comparare possum.

Rex Stephanus Cosacos priuilegiis donat.

Eum populum Rex Stephanus, quo Poloniæ vtiliorem redderet, in bonam disciplinæ formam redegit, eique præfectos quosdam militares & ducem præfecit. Sic quoque vrbem Trethymiroviam ad flumen Boryſtenem sitam illis donauit, quam frumentarium, nec non ducum suorum sedem constituerunt, quo contra incursiones Tartarorum, a quibus sæpius lacessiti sunt, propugnaculum haberent. Porro multa illis concessit priuigelia pro quibus postea egregiam ei operam præstiterunt.

De Cosacis quia sæpissime multi sermones sparguntur, & parum tamen de iis nuntiatum est, non ingratum Tibi fore, Vir sereniſſime, spero, si plura quædam de ea gente commemorem.

Albertus Vimina in narratione intestinorum bellorum Polonicorum, nomen eorum a vocabulo Sclavonico *Coza* quod capram significat, originem traxisse pro certo affirmat; & hoc quidem vel eam ob causam, quia vestes ex caprarum pellibus confectas gestare solerent, vel ideo, quia vt grex caprarum in tuguriis congregati vixerint, quia, vt capræ vndique circum saltarint, & nullam regionem accessu tam difficilem invenerint, in quam non penetraverint. Terra, quam primo possidebant, non supra duodeviginti milliaria in vtroque latere Borysthenis extendebatur, & prope ab eo loco aberat, quo Ovidius in exilium fuerat relegatus, vbi ad nostram vsque ætatem arx quædam, Ovidouia dicta, esse dicitur, vbi poëtam Ovidium sepultum esse credibile est. Id quod modo dictus Vimina non improbabile esse putat, quia illius regionis conditio vel maxime cum descriptione quadam, in Ovidii Elegia, ad Rufinum scripta quæ exstat, consentiat, cum inter alia ita dicit:

Non ager hic pomum, non dulces educat vuas;
Non salices ripa; robora monte virent:
Neve fretum laudes terra magis, æquora semper
Ventorum rabie, salibus orba, tument.

Ea huius populi virtus, quæ alio quodam loco ab Ovidio est descripta, commemoratum scriptorem in sententia sua magis confirmat, vbi dicit:

Maxima pars hominum nec te pulcherrima curat
Roma, nec Ausonii militis arma timet.

Attamen, Cosacos, qui nunc sunt, tam antiquam esse gentem, credibile non est, certe certius enim constat, eos primo circumvagantium perfugarum manipulum fuisse, qui ad evitandam pœnam in hanc terram confugerint, vbi primum venando & piscando, denique autem (sicut nostra ætate adhuc fit) piratica & raptura vitam sustinerent.

Descriptio regionis Cosacorum.

Nostris autem temporibus terra eorum multo est amplior, quam olim fuit: nam in longitudinem centum & in latitudinem quadraginta milliaria extenditur. Gramen in hac terra ad tantam altitudinem vulgo adscendere traditur, vt sub eo eques facile latere possit. Hæc terra tantam variorum frumentorum copiam profert, vt incolæ, quid cum ea agant, nesciant, præsertim cum eorum fluvii non profundi, & proinde minus idonei sint, vt in iis frumentum in alia loca transferant. Varia quoque habent animalia, pisces & volucres, eum plurimis aliis rebus ad victum necessario pertinentibus, exceptis vino & sale. Vinum ex Hungaria, Transilvania, Wallachia & Moldavia; salem vero ex Polonia accipiunt. Huius terræ ædificia vulgo ex mero ligno sunt confecta, & eodem fere modo, atque in Moscouia & Polonia exstructa, & rarissime vna contignatione sunt altiora. Eorum mœnia ex mera humo sunt congesta, quæ humus palis & asseribus continetur. Neque ineptum illud est inventum, quia eius

eiusmodi mœnia tormentorum ictus optime sustinere possunt.

Cosa corum proprietates

Vcrainæ incolæ plerumque sunt robusti, magnanimi, avaritiæ contemptores, & insignes libertatis fautores, adeo, vt ne leniſſimam quidem seruitutem perferre possint. Ita etiam sunt audaces & impigri, sed ebriosítati quam maxime dediti, perfidi amici, & periuri inimici. Vulgaria eorum negotia sunt venari & piscari. Preterea vero aliquo modo omnibus etiam necessariis pacis & belli artibus sunt periti. Illud autem, in quo perficiendo sunt exercitatiſſimi, salis nitrati apparatio, quo sale diuersas Europæ partes instruunt. Sic quoque in pulvere nitrato egregio perficiendo sunt peritiſſimi.

Rustici & huius & finitimarum prouinciarum omnes & singuli sunt mancipia. Omnibus hebdomadibus quaternos dies heris suis labores impositos gratis exhibere, & insuper alia quædam grauiſſima officia præstare eos oportet. Heri non modo eorum possessiones, sed etiam vitam in sua potestate habent. Hinc non est, cur miremur, si miseros illos homines sæpiſſime seditionem excitasse, suamque libertatem maxima cum vehementia defendisse, audimus.

Religio

Plurimi ex eorum plebe sacris Græcis sunt addicti, quæ A. C. 942. Wlodomiro Russiæ principe regnante amplexi sunt. Attamen maxima nobilium pars partim Catholicæ, partim reformatæ religioni est addicta. Græca religio etiam in Moscouia, Moldauia, Wallachia, Turcia, & Persia exstat. Cosacorum sacerdotes Popæ vocantur, quod vocabulum in ipsorum sermone ducem notat. Multa, & ea quidem accerrima habent ieiunia; quibus se non modo ab omni carne, sed etiam a butyro, lacte, caseo & ouis abstinent, & nihil nisi herbas, legumina, radices & eiusmodi plura comedunt. Quorum nonnulli tam religiosi sunt, vt nunquam neque panem edant, neque aquam bibant, nisi diebus saturni & solis. In hac terra ea consuetudo obtinuit, vt mulieres viros ambiant, quæ ita invaluit, vt nullo modo indecora illis videatur. Mulieres itaque si viris nubere cupiunt, cum eorum cognatis ea de re loquuntur.

Mulieres viros ambiunt.

Hæc prouincia a muscis eum in modum affligitur, vt tempore æstiuo incolæ variis modis iis resistere cogantur. Attamen longe pluribus locustis impleta est, vtpote quæ arida tempestate magnarum nubium instar in longitudinem quinque vel sex milliaria porrecta aduolant, & ipso meridie solis splendorem obscurant. Eam, in qua resident, regionem intra duarum horarum spatium plane demetunt. Sex tantum modo menses viuunt. In autumno vbi desident, ibi oua ponunt. Quorum vna quæque locusta trecenta fere habet. Ex his verno tempore alias locustas fouendo excludunt, & eorum pauca sunt vacua. Nulla alia re, nisi vehemente procella inter septentrionem & orientem exsurgente, aut vberibus imbribus repelli possunt. Antequam recens natæ ad volandum satis corroboratæ sunt, in domos irrepunt, in lectos, mensas, cibos & alias eiusmodi res insiliunt adeo, vt vix bolum comedere possint, cum quo non duas aut tres eiusmodi locustas deglutiant. Nocturno tempore plateis & campis incumbunt, qui in pedis altitudinem iis obsiti esse solent. Si carpentum aut vehiculum in iis vehitur, intolerabilis foetor excitatur.

Muscæ & locustæ apud Cosacos.

Cosacorum lingua singularis Polonici sermonis est dialectus, sicuti ille Sclavonici sermonis dialectus est. Leniſſime sonat, & multa habet deminutiva, quocirca tam audienti quam loquenti persuauis est.

Cosaci armis præcipue & militaribus exercitiis sunt occupati. Plerumque quidem equestribus proeliis inseruiunt; interdum tamen ab equis descendunt, & pedites pugnant. Maximos & molestiſſimos labores perferre possunt, quibus tolerandis sæpiſſime parum aut nihil comedunt. Vulgaris eorum cibus, quo optime contenti sunt, est frustum panis bis cocti cum allio & cepis. Pharetram et arcum optime tractare possunt, & præterea quoque genere quodam acinacium vtuntur. Luxuriam magni non faciunt, nisi quod incredibili vini adusti bibendi desiderio ducantur, a quo, quoniam melle temperatum est, sæpiſſime inebrinatur. Varia inter se exercent opificia. Eorum autem vxores præcipue lino & lana

lana nenda sunt occupatæ. Rustici in agricultura exercenda sunt peritiſſimi. Reliqui autem incolæ vniuersi ad egregiam cerevisiam coquendam, nec non mulsum & vinum adustum conficiendum, & eiusmodi plura peragendum optime sunt instructi. Vix & ne vix quidem aliquem in iis inuenies, cuiuscunque ætatis, generis aut conditionis sit, quin alium potando & comiſſando, superare studeat. Præterea securiores homines Cosacis toto terrarum orbe reperiri, nullo modo mihi persuadere possum, quanquam a natura ad omnes fere res sunt idonei. Cum in castris versantur, & hostes in eorum conspectum prodeunt, semper mirum in modum sobrietati student. Maximam fortitudinem in suis Tabordis ostendunt, quod curruum quoddam est genus, quibus in bellis vtuntur, vt in iis stantes pugnent. Neque tamen naualibus proeliis committendis plane sunt inepti. Equestribus autem pugnis parum efficiunt; siquidem ducenti Poloni Cosacorum equitum, qui quidem sunt optimi, duo millia facili negotio in fugam conicere possunt. Contra eorum pedites pugnam, licet in summum discrimen adducti, fortiſſime suscipiunt & perferunt. Si nauem in mari conspiciunt, quam in suam redigere potestatem contendunt, cum lintribus suis in mediam vsque noctem in insidiis latent. Cuius temporis aduentu maxima cum celeritate aduolant & nauem circumdatum quam facillime sibi arrogant. Quam omnibus mercibus exoneratum plerumque in profundum demergunt, quia eam secum auferre non valent.

Breui itaque de Cosacis narratione obiter tradita, ad Regem Stephanum reuertor.

Stephanus Rex postulat, vt se viuo Successor regni eligatur.

Qui, quoniam liberis carebat, in comitiis, vt se adhuc viuo Regni successor eligeretur, postulauit, quo omnibus turbis, interregni temporibus plerumque moueri quæ solent, precauerent. Verum Regni senatores haudquaquam concedere illud voluerunt, quia aut eum flagitaturum esse, vt fratris sui filium quendam Regem crearent, aut illud futuris electionibus malum exemplum esse præbiturum sibi persuaderent, quod in posterum omnium, quibus fruerentur, priuilegiorum & potestatis interitum sibi afferre possit. Cum ille Rex Pontificis Romani aliorumque Christianorum principum rogatu bellum contra Turcos susciperе vellet, ex hac vita discessit, postquam decem annos regnauerat, & quinquaginta quatuor fere annos natus erat; obiit itaque die decimo tertio Septembris anno 1586 Grodnæ in vrbe Lithuaniæ, vbi sedem suam posuerat, causam interserens, hanc regionem præ aliis venatui esse perappositam; quanquam vera & propria eius causa fuisse dicitur, quia vxoris suæ Annæ consuetudinem fugeret, quæ cum in matrimonium eam duceret, iam sexaginta fere annos fuerat nata.

Moritur Grodnæ a. 1586.

Cæterum prudens, cautus & fortis princeps ille erat, & præterea tam justus, vt multis nimium seuerus esse videretur. Non modo prouincias suas ampliauit, sed etiam in iis omnia in meliorem, quam antea fuerant, digessit ordinem; quo factum est, vt ad nostram vsque ætatem Poloni maxima cum reuerentia de eo loquantur.

Elogium Stephani Batorii,

In hunc sapientem & fortem Regem aliquis id elogium composuit, quod in veteri quodam libro manuscripto his verbis exstat:

In templo plus, quam Sacerdos.
In republica plus, quam Rex.
In sententia dicenda plus, quam Senator.
In iudicio plus, quam Iurisconsultus.
In exercitu plus, quam Imperator.
In acie plus, quam Miles.
In aduersis ferendis, iniuriisque condonandis plus, quam Vir.
In publica libertate tuenda plus, quam Ciuis.
In amicitia colenda plus, quam Amicus.
In conuictu plus, quam Familiaris.

In venatione feriſque domandis plus quam Leo.

In tota reliqua vita plus, quam Philoſophus.

Huius Regis obitus totam Poloniam rurſus in tantam perturbationem iniecit quanta iam antea a Sigiſmundi Auguſti temporibus bis eos perculerat. A. C. 1587. prouinciarum delegati conuenerunt, & fines contra hoſtiles incurſiones, omnes defendere & tutos præſtare, pacemque & ſalutem reipublicæ conſeruare ſtuduerunt. Quo facto Archiepiſcopus Stanislaus Carncovſcius ex more recepto regis mortem publice proclamauit, & Martio vniuerſalia comitia, Varſouiæ indixit, vbi in eo conſenſerunt, vt proxime inſequente Iunio electionis dies conſtituatur.

Carncovscius Primas, comitia electionis indicit.

Quibus Lutherani tanto cum ſtudio & ardore emolumenta ſua quærebant, vt illis plus concederetur, quam per antiqua Regni inſtituta illis concedi liceret. Eo enim conuentu eorum factio tantum effecit, vt non modo tolerarentur, ſed etiam veniam ſua ſacra libere peragendi obtinerent. Cui rei epiſcopi maximo cum impetu & vehementia ſe oppoſuerunt, quid? quod Primas & epiſcopus Vladislauienſis præ indignatione ex comitiis plane diſceſſerunt. Interea cum Demetrius Sulcovſcius Arhiepiſcopus Lembergenſis, qui in eo coetu primas teneret, cum epiſcopo Camieniecenſi Laurentio Goslicio magnam illam confuſionem intuerentur, & animis alte imprimerent, cui Primatis abſentia locum dederat, neceſſe eſſe, ſe aut Lutheranis cedere & gratificari, aut comitia plane diſſoluere, exiſtimarunt. Verum epiſcopus Camieniecenſis hanc denique viam mediam invenit, vt Lutheranis quidem ea, quæ poſtulaſſent, concederentur, hac tamen clauſula annexa, quod hæc omnia, quæ hoc conuentu eſſent facta, ad nihil aliud, niſi pacem publicam conſeruandam ſpectarent.

Lutherani libe-rum religionis exercitium obtinent.

Tempus itaque electioni deſtinatum cum adeſſet, Criſtophorus Zborouſcius, qui Batorio regnante regno expulſus, poſt obitum eius autem per Lutheranorum potentiam reuocatus erat, cum quinque millibus Francorum, & totidem Germanorum & Lutheranorum in conſpectum prodiit, vt totus eorum numerus decem fere virorum millia compleret, quibus præterea Staniſlaus de Gorca, Palatinus Poſonienſis ſe adiunxit. Vir erat eximia prudentia & erga vnumquemque quam humaniſſime ſe gerebat. Quanquam enim gibbus in corpore gerebat, ſuis tamen diuitiis & ſingulari liberalitate magnam apud quemque ſibi conciliauit auctoritatem.

Factiones tempore interregni.

Ita quoque Zamoiſcius non exiguum copiarum numerum ſecum gerebat, quæ quidem multitudine adverſariam factionem non æquipararet, multo tamen meliori diſciplina & ordine vterentur. Quibus copiis duo fere milliaria a Varſauia caſtra poſuit, & aggeribus vndique congeſtis ſe communiuit.

Quas duas factiones prudentiſſimi eorum, qui in comitiis congregati erant, viri inter ſe conciliare ſtudebant, quo circa earum factionum vtrique proprium tempus ad eius cauſam inquirendam indixerunt, eosque vllo telo coram ſe comparere prohibuerunt. Sic quoque deſiderium ea omnia, quæ Lutheranis conceſſa fuerant, irrita reddendi præ ſe ferebant, quod poſterior factio copiarum ſuarum multitudine freta, accerrime repudiabat, quam vero Zamoſcius ſuorum aſſeclarum meliori diſciplinæ & ordini confidens deridebat.

Lutherani itaque cùm ſibi a comitiis nullum ius exſpectandum eſſe & ſua mandata negligi intelligerent, armati coram Regni ſenatoribus comparuerunt. Poſtea rurſus diſceſſerunt, & de priuilegiis ſibi ademtis queſti ſunt. Id quod parum aberat, quin Rokosz, quem vocant, locum daret, quæ eius modi eſt coniunctio, qua nobiles ad reſiſtendum obſtringuntur, ſi quis eos opprimere conatur) niſi Primas ſatis mature hanc peſtem cohibuiſſet.

Interea Lithuani animi ſui ſententiam nondum declarauerunt, quæ dubio procul quam difficillime ex iis elicienda fuiſſet, niſi tumultus quidam ſententiam ſuam proferre iis occaſionem dediſſet.

Eo igitur modo tres factiones hac electione exſtiterunt, quæ quidem potentia

potentia eſſent pares. Quarum prima erat Lithuania, quæ Theodorum Odonovicium, Moſcouiæ Imperatorem eligi poſtulabat, quippe qui prouincias ſuas cum Poloniæ regno coniuncturum ſe eſſe promiſerat. Quæ conditio ſine dubio ſatis grata fuiſſet viſa, dum modo a pluribus quam a Moſcouitis ſolis propoſita fuiſſet. Interea nobilium quidam Moſcouitarum Imperatorem in ſpem aliquam adduxerunt, ſed in eum modo finem, quo interregni tempore impedirent, quominus in regnum irruptionem faceret. In altera factione erat Zborovſcius & Gorca, a quorum partibus Palatinus Poſnanienſis ſtabat. Illi Archiducis Auſtriæ Maximiliani, qui Imperatoris Rudolphi erat frater, commoda quærebant. Quibus etiam, quamuis Lutheranis, ſe adiunxit Annibal Capuenſis, Pontificis Romani legatus, qui tamen eos magis pollicitationibus, quam donis locupletauit. Ad tertiam factionem pertinebant Regni ſenatorum ſectatores, quæ factio, quia Zamoſcius cum Polonicorum nobilium optimatibus ab eius partibus ſtaret, omnium trium erat potentiſſima.

Factiones hoc tempore.

Rebus itaque ſic ſe habentibus ignotum erat, cui horum competitorum regni adminiſtratio ſit deferenda. De Moſcouitarum Imperatore & de Piaſto quodam per ſimulationem modo dicebant. Batorii Tranſilvaniæ duces, legatos ſuos in comitia miſerant, nihil autem, niſi ſuperioris regis poſſeſſiones poſtulabant. Qui ſi regiam ſimul dignitatem appetiiſſent, eorum familiæ habitam fuiſſe rationem, admodum probabile eſt. Suecia tertio regnum Poloniæ affectabat, quanquam eius Rex Iohannes, quia Lutheri ſacris addictus eſſe putabatur, in duobus proxime antecedentibus electionibus reiectus erat. Poſtquam vero anno 1575. Liturgia Catholica in eo, quod diximus, regno publice erat introducta, Poloni ſe in ſua opinione deceptos eſſe intellexerunt, ideoque eius filium Sigiſmundum diutius ſuſpectum non habuerunt. Poloni enim potentem regem genti Auſtriacæ opponere neceſſe habebant, cui negotio ſuſcipiendo nemo erat aptior, quam Sigiſmundus, qui ſi maternam eius originem ſpectes, ex Iagellonica gente erat ortus. Præter ea Rex Iohannes, Lithuaniam iure meritoque ad filium ſuum pertinere, per emiſſarios ſuos & legatos contendit, quoniam ſcilicet ex Iagellonica gente originem ille traxerit. Quæ audax poſtulatio procul dubio inter Sueciam & Poloniam bellum conflaſſet, niſi hoc regnum callidum excogitaſſet conſilium, quo illud periculum auerruncaret.

Etſi interea Lutherani Maximiliani a partibus nunquam diſcedebant, Zamoſcius tamen omnia eorum conſilia infregit. Primas regni quem captiuum ducere decreuerant, in arcem Varſauienſem, eius, quem diximus, ducis monitu, confugit.

Cardinalis Radziuil, cui familia Auſtriaca principatum donauerat, pari modo Maximiliano fauentem tulit ſententiam, cuius exemplum plures alii ſunt ſecuti, id quod Lutheranorum animum auxit, neque tamen Zamoſcii ſectatoribus terrorem iniecit. Denique res eo eſt adducta, ut ambæ factiones pugna inter ſe confligere coepiſſent, niſi epiſcopi equis conſcenſis interceſſiſſent.

Prælati itaque ſic dicti, cum officium ſuum exſequerentur, interea legatus Pontificis Romani, quamuis claudus eſſet, in altiſſimam Varſauiæ turrim aſcendit, quo exercitum conſpiceret, minime dubitans, amicos ſuos, Lutheranos puta, quia copiarum numero aduerſariam partem longe ſuperarent, victoriam reportaturos eſſe. Id quod Pontificii iniquiſſime tulerunt, qui tali rerum facie Maximiliani fortunam ſecundam collapſuram neceſſario eſſe, dicere ſolebant, quia gibboſo & marco viro ſuſtentaretur. Lutherani itaque cum Maximiliani & nomen & genus Polonis maxime inuiſum eſſe intelligerent, unamini conſenſu ab eo defecerunt, & Moſcouitarum Imperatorem eligendum ſuaſerunt, quo factum eſt, ut eos ad ſuas partes pertraherent, qui neque cum Maximiliano, neque cum Sigiſmundo facerent.

Legatus Pontificis cum Lutheranis facit.

Poſtea extranei legati ad regni ſenatores ſunt admiſſi. Pontificis Nuntius primus cauſam ſuam proponens Maximiliani virtutes ſummis extulit laudibus. Verum ille candidatus tam parum æſtimatus eſt, quam ipſius Orator, eiusque magnifica laudatio.

Quo facto Stanislaus Paulouscius, Jmperatoris legatus admissus est, qui pari modo Domini sui fratrem commendavit. A quo autem cum plura mala metuere, quam sperare poterant, huius legati orationem eodem modo parum curabant. Deinde Suecici legati introducti sunt, qui erant Ericus Sparr Senator & magnus Cancellarius & Ericus Brahe, filii Regis Sigismundi præceptor. Qui imprimis se a Domino suo ideo non prius delegatos esse commemorabant, quia magnus ille amor ei non ignotus esset, quo Poloni gentem Jagellonicam, e qua filius eius originem duceret, perpetuo essent prosecuti. Magnificas & splendidas promissiones non fecerunt, non ignorantes, Senatores Maximilianum metuentes illud non esse flagitaturos, quod sub aliis rerum conditionibus sine dubio flagitatum fuissent.

Primas itaque eius terroris, quo ipsum Lutherani perculerant, cum consilium se abducendi cepissent, optime adhuc memor illud cœptum, cuius causa conventus institutus erat, quam citissime ad finem perducere conatus est. Quo circa nullis minis obsterritus nono Augusti die statim ad electionem se accinxit, vbi Lutheranorum numerus admodum diminutus est. Nam quoniam Gorca, eorum dux nonnullos eorum non bene exceperat, illi, quo vindictam ab eo repeterent, ad aduersariam partem transfugerunt. Quo cognoverunt plurima suffragia tulisse

Sigismundus Rex eligitur.

SIGISMUNDUM de Vasa, quem propterea Primas Poloniæ Regem declaravit.

Consuetis itaque acclamationibus & gratulationibus peractis, conventus discessit. Sed Episcopus senatu & nobilibus comitantibus recta templum Varsaviæ cathedrale petiuit, vt Deo pro felici tam gravis & periculosi negotii confirmatione gratias ageret. Postea legati aliquot illico in Sueciam sunt dimissi, qui nouo Regi de sua electione nuntium afferrent, nec non proxime sequente septimo octobris die coronatum se iri significarent.

Interea cum Pontificii Rege eligendo essent occupati, Palatini Gorcæ & Zborouscii factio tempus non aliter, nisi potando consumsit. Cum autem de eo quod accidisset certiores essent facti, maximo stupore sunt percussi. Errorem suum quidem protinus emendare operam dederunt, sed in multo graviores inciderunt. Contra factam electionem statim protestati sunt, eamque contra ordinem & jus susceptam fuisse contenderunt. Concio eorum eligendum Regem ea omnia quæ superioris Regis sub imperio contra Christophorum Zborouscium essent instituta, irrita reddere & derogare postulabat. Ita quoque alias quasdam conditiones proposuerunt, quæ omnes & singulæ tam mirabilem & prodigiosam gererent faciem, vt earum parum curæ atque rationis haberetur. Cui factioni Lithuanica nobilitas suam obtulit interceſſionem, quam recipere recusavit, sed Maximilianum se electuram esse firmiter constituisse significauit. Gorca igitur cum suis asseclis die vigesimo primo Augusti Maximilianum Poloniæ Regem proclamauit, eique per legatos aliquot illud annuntiauit. Quæ cum agerentur, Lithuani vtramque electionem irritam iudicarunt, & a neutrius factionis partibus stare voluerunt, donec eventus manifestaret, vter horum superior sit discessurus.

Forte fortuna comitia nondum discesserant, quo factum est, vt imperii ordines Maximiliani electionem seditiosam, eaque, quæ Lutherani feciſſent, omnia

Ordines Maximiliani electionem irritam declarant.

confirma & irrita declararent. Optima autem consilia quia in cassum suscipiuntur & euanescunt, nisi potentia idonea confirmata effectui dantur; optima simul quæque instituta & subsidia excogitarunt, quibus imperium a Maximiliani eiusque factionis ausa defenderent. Ille enim princeps Olmutii in Morauia tunc temporis degebat ideoque antequam Sigismundus mare Germanicum autumnali tempore periculosissimum transnauigasset, facili opera in Poloniam venire potuisset. Quem in finem imperii ordines, priusquam discederent, Zamoscio sæpius commemorato summam Reipublicæ interea tradiderunt.

Quo loco facere non possum, quin clari cuiusdam astrologi mentionem faciam

faciam, qui paucas ante horas, quam Sigismundus eligeretur, cum Zamoscio pranderet, & ab eo duce interrogatus, num sua arte, quis ad regiam dignitatem sit euehendus, sibi prædicere posset, hac re aliquantulum secum reputata, respondet: Quem *Deus* volet. Quo responso Zamoscius minime contentus erat. Postero autem ab electione die astrologus modo dictus codicillos ad Zamoscium perscriptos in comitia misit, his verbis: Responsum, quod tibi, Vir bone, hesterno die dabam, non intelligebas, qua propter rogo, vt vocabulum *Deus* retro legas, illud mysterium statim reperies explicatum.

Postea & Maximilianus & Sigismundus in Poloniam peruenerunt. Quorum posteriori Oliuæ, quod est monasterium, prope a Dantisco situm, fidei iusiurandum est præstitum, quo facto Cracouiam, a Maximiliano oppugnatam petere constituit, sed quoniam copiis non satis erat instructus, Rauam se recipere compulsus est. Arhidux eum, quem antea diximus, locum se certo certius capturum esse sperabat. Germani enim suburbium incolentes duas legiones in suas domos se recepturos esse, ei promiserant, qui porta omnium minime munita potiti eum hoc modo in vrbem immitterent. Zamoscius autem, vrbem obsidione liberaturus, illas astutias detexit; quocirca duas modo dictas legiones ingredi quidem permisit, sed postea suburbiis incensis eas vna cum animis combussit.

Sublata itaque oppugnatione, Arhidux non nimis procul ab vrbe castra mouit, sed in magna planicie aciem suam ad pugnandum collocauit, quod Zamoscio mirifice placuit, quia non minus quam ille incredibili pugnandi flagraret cupiditate. Denique vtraque factio manum conseruerunt, prœliumque duas horas duranit, vbi tandem Maximilianus victus Censtochouiam se recepit, quo Zamoscius eum persequi parum conducere iudicauit. Breui post Sigismundus Cracouiam peruenit, ubi Episcopo Camenecensi, qui oratione eum exceperat, Polonico sermone respondit, quem a matre sua fuerat doctus. Ingressus eius magnificentissimis ritibus cohonestatus est, quæ tam turbido tempore, quod tunc erat, vix exspectasses. Difficultatibus itaque quibusdam e medio sublatis, coronatio eius die vigesimo septimo Decembris indicta, & per Archiepiscopum Gnesnensem peracta est. Interim Lutherani suis flagitationibus, antea quæsitis identidem maxima cum vehementia instabant, quæ illis tandem sunt concessa, quia Maximilianus, licet paulo ante bello superatus, iterum acie decernere instituerat.

A. C. 1588. Arhiduci in Poloniam reuerso Zamoscius confestim obuiam processit. Maximilianus autem plura auxilia exspectans in Silesiam se recepit, eo hostem nullo modo sequi posse existimans. Fortis autem dux Zamoscius eum inopinato oppressit, & prœlio iterato vicit, quid? quod in vrbe Biczyna quam oppugnauerat, eum captiuum duxit. Quem captiuum Zamoscius honorem, eius ordini & conditioni digno prosecutus est, & ne Cracouiæ a se antea oppugnatæ incolis in conspectum veniret, in arce Crasnostauiensi reliquit, unde a Zborouscii factione fuisset adiunctus, nisi eius consilia per Marcum Sobiescium, huius arcis præfectum detecta essent. Cæterum Zamoscius captiuum suum quam humanissime excepit, quo Archidux commotus postea eius infantem quendam e sacro fonte suscepit. Attamen ea, quam modo dixi, victoria non id modo præstitit, vt Maximilianus captiuus duceretur, eiusque tormenta & impedimenta omnia in Polonorum inciderent potestatem; sed insuper hoc effecit, vt posthac omnes seditiosi Sigismundum protinus legitimum regem agnoscerent; sicuti etiam Zamoscii magnus & excelsus animus, quem erga reliquos captiuos significauit, quos omnes fide data in libertatem restitueret, ad id imprimis multum contulit, vt Sigismundus regno confirmaretur; & omnia otio & tranquillitati redderentur. Rebus enim ita se habentibus, familia Austriaca nulla alia de re, nisi de Archiducis libertate erat solicitus, quæ tandem Pontifice Romano intercedente impetrata est. Ille enim Cardinalem Hippolitum Alde-

Maximilianus a Zamoscio captivus ducitur.

 brandinum

brandinum in Poloniam misit, vt de eius redemtione cum Polonis ageret, quæ hoc consilio multo facilius, quam familia Austriaca exspectare posset, est impetrata. Quanquam enim Sigismundum eo impellere studebant, vt illum Archiducem sub nulla alia conditione dimitteret, nisi vt pecuniæ copiam quandam maximæ huius principis dignitati conuenientem ab eo exigeret (id quod Carolus V. simili occasione Franciæ regi fecerat) Sigismundus tamen ita respondit, Caroli V. exemplum in illo casu frustra proponi, illo enim exemplo eum Imperatorem aliquid perpetrasse, quod eximiæ suæ gloriæ & maiestati quandam adspersisset maculam; se autem victoriam ab hoste reportatam non satis splendidam existimare, nisi libertatem illi vt donum restituere, non autem vendere dignus haberetur. Qua ratione nihil a Maximiliano flagitatum est, nisi vt Poloniæ regnum se nunquam esse affectaturum promitteret, loca quædam in suam potestatem redacta restitueret, & perpetuam cum Polonia gereret amicitiam, pro quibus omnibus Imperator, eius frater, sponderet. Eas tamen conditiones, quanquam æquissimas non prius, quam anno 1589. accipere voluit. Quapropter ob suam pertinaciam vsque ad dictum tempus in custodia reseruatus est; quo præterlapso denique contra fidem datam clanculum inde se subduxit. Attamen frater postea eum ad illas conditiones subscribendas adduxit.

Magnanimitas Sigismundi Regis.

Sigismundus III. primo Annam, Caroli, Archiducis Austriæ, filiam, & post eius obitum, Constantiam sororem eius matrimonio sibi iunxit, e quibus duabus vxoribus tres filios, Vladislaum nempe ex priore, ex altera vero Casimirum & Ferdinandum suscepit. Quorum duo priores ei in imperio successerunt. Cum pater suus diem obiisset supremum, in Sueciam profectus, & ibi quoque A. C. 1592. rex coronatus est, ea quidem conditione, vt omni quinquennio in hoc regnum reuerteretur, & coram ei præesset. Verum quoniam in diuturno bello contra Moscouitas, Turcas, & Tartaros esset implicitus, quindecim annorum spatio illinc peruenire non potuit, quapropter senatum aliquem ex solis Jesuitis constantem eo misit, qui Suecis præesset, & Lutheranam religionem, longe lateque tunc temporis in ea prouincia diffusam supprimeret. Hic notandum est, huius Regis matrem, Catharinam, sui mariti Regis Suæciæ permissu, Catholicæ religioni constantissime addictam fuisse, cui etiam maritus eius aliquo modo fauebat. Cum itaque Sigismundi præceptor, Arnoldus Grothusius, filium regium suæ fidei traditum, ab ea doctrina abducere, eamque inuisam ipsi reddere studeret, eius pater, Rex Johannes, tam inique illud tulit, vt eum præceptorem stricto gladio peteret, & maximo cum feruore ita exclamaret: Filium meum ita educari volo, vt ad vtrumque regnum spes illi pateat; suum proprium & Poloniæ regnum designans.

Arnoldus Grothusius præceptor Sigismundi.

Eos itaque quos antea commemoraui, Jesuitas, eadem reuerentia excipi postulabat, atque si ipse eo coram peruenisset. Id quod Sueci tam ægre tulerunt, vt eos in portu Holmiensi cum ea naui, qua a Dantisco erant transmissi in profundum demergerent, & statim Carolum, Sudermanniæ ducem, Sigismundi patruelem, Regem proclamarent, qui paulo ante Lutherana sacra fuerat amplexus, quæ postea perpetuo in Suecia floruerunt.

Quomodo Sigismundus Sueciæ regnum perdiderit.

Hoc atrocissimis bellis inter has duas nationes locum dedit. Sigismundus autem quoniam cum aliis gentibus inimicitias gereret, inducias denique, quæ parum gloriæ sibi conciliarent, inire coactus est. Cuius belli initio Rex Carolus IX. permulta Liuoniæ loca Polonis eripuit, quæ postea a Polonico duce & Cancellario Zamoscio pleraque recuperata sunt. Præterea Rex Suecia quoque acri quodam prœlio prope Kircholmiam & Rigam commisso superatus vix vitam abstulit. Internis autem quibusdam discordiis inter Poloniæ regem eiusque nobiles exortis, temporis aliquantum nactus est, quo se reficeret. Bellum inter Polonos & Moscouitas tunc exortum, hoc modo exarsit: Homo quidam in Poloniam veniens, Demetrium, Johannis Basilouitii, Moscouiæ Jmperatoris filium se mentitus est, seque Borisii Gudenouicii, qui postea Moscouiæ

Jmperator

Imperator creatus est, iussu neci fuisse destinatum simulauit, quo ille Imperator, post Theodori mortem regni successionem sibi certiorem fieri sperauerit, quo autem factum sit, vt alius loco eius necaretur. Quod *Georgium Mniszechium*, Palatinum Sendomirienſem eo commouit, vt ei filiam suam nuptam promitteret, qui Georgius nonnullorum aliorum Poloniæ principum auxilio magnum sibi comparauit exercitum, et cum Demetrio Moscouiam inuasit, vbi Borisio Guderouio, Moscouitarum Imperatore repentina morte exstincto Demetrius a Moscouitis quam libertissime exceptus, et Imperator declaratus est. Deinde sponsam suam e Polonia arcessiuit. Cum autem nuptiae in vrbe Moscouia celebrarentur, populus impostorem eum esse suspicatus concurrit, tumultum excitat, arcem inuadit, Demetrium cum plurimis Polonorum, qui cum eo eiusque sponsa aduenerant, vinos dilacerat, et vxorem eius captiuam ducit.

Demetrius declaratur Moscouitarum Imperator.

Deinde *Basilius Zuscius*, qui maternam originem a Moscouitarum Imperatoribus trahebat, et viginti fere millium exercitum sibi comparauerat, Imperator proclamatus est. Statim rumor dispergitur, Demetrium fuga euasisse; quanquam Zuscius eius cadauer exponi iusserat, quod autem a nemine agnosci potuit. Interim alius quidam homo exstitit, qui se Demetrium iactaret, pro quo etiam a Polonis est agnitus; quo factum est, vt illi cum Cosacis auxilium ei ferrent, vt in suum ius, vt quidem iactabat, restitueretur, et Zuscium aliquoties proelio vincerent, quo ille captiuam sponsam libertati restituere compulsus est. Quae illum Demetrium pro marito suo agnouit; num autem reuera fuerit, nec ne, ad nostram vsque aetatem non plene decidi potuit. Qua occasione Sigismundus ita vsus est, vt saltim periculum faceret, num Smolenscium et Seueriam recuperare posset, nec ne. Priorem igitur locum oppugnauit anno 1609. quo autem non prius potitus est, quam anno 1611. cum eum vi expugnaret. Interea Poloni, qui adhuc a Demetrii partibus steterant, a Sigismundo domum reuocati sunt, cui tam egregiam sui exercitus partem alius imperio parere bonum non visum est. Ille itaque exercitus cum discessisset, Zuscius occasionem se corroborandi nactus est; quo facto cum copiis e Suecia sibi in auxilium missis contra Polonos Smolenscium tunc temporis oppugnantes in aciem prodiit, a quibus prope Clusinum ignominiose fusus est. Qua clade Moscouitae in tantum discrimen inciderunt, vt, ad illud effugiendum, Zuscium (qui rebus infeliciter gestis, eorum inuidiam sibi contraxerat) exauctorare, suumque regnum Vladislao, Sigismundi filio offerre, sibi proponerent. Ille Zuscius deinde Polonis in manus traditus Warsouiae in custodia diem obiit supremum. Quo facto Vladislaus A. C. 1610. ingenti cum exercitu hanc terram versus profectus est. Quod cum Moscouitis annuntiatum esset, eum ideo venisse sibi persuaserunt, quo ipsorum imperium vi expugnaret, non autem vltro oblatum capesseret, et idcirco vnanimi consensu seditionem aduersus eum excitarunt, praesertim cum Demetrium a Tartaris, satellitibus suis fuisse trucidatum audirent. Hoc igitur modo Vladislai, regii filii consilium in cassum cecidit, et ipse cum Moscouitis quatuordecim annorum inducias contrahere necesse habuit, per quas Polonis interea ducatuum Seueriae, Czernichouiae et Nouogrodiae, quos superioribus Moscouiticis turbis cepissent, possessio concederetur. Interim Georgius Farenbachius Sueciae regi, *Gustauo Adolpho* aliquot Liuoniae loca tradidit, quanquam in eam incidit suspicionem, quod cum illo rege per proditionem agere sibi proposuerit; ille enim Farenbachius paulo post Sigismundo reconciliatus est, eique omnia loca, excepta Pernauia, restituit.

Zuscius Varsauiae in custodia moritur.

Anno 1620. Poloni cum Turcis bellum gerere coeperunt, quod, vt vulgo credebatur, per *Bethlemum Gaborem*, Transiluaniae ducem, conflatum et sustentatum est; qua causa postea Turci eum principem expellere studebant, quia cum Polonis faciebat. Anno subsequente Turci cum toto suo exercitu contra Polonos in aciem prodierunt, a quibus prope Chocimum Vladislai auspiciis victi sunt, qui cum exercitu virorum circiter sexaginta quinque millium plus quam trecenta nonaginta duo millia ex Turcis, quibus ipse Imperator *Osmannus* praeerat, fugauit.

Bellum Turcicum, anno 1620.

Turci Polonica castra ter inuadere conati semper maximo cum damno sunt repulsi. Interea tamen nihilominus Poloni quoque, cum frumenti inopia laborarent, et insuper per luem in semetipsis et equis saeuientem mirum in modum debilitarentur, grauiter sunt afflicti. Sed nihilominus tamen Turcorum Imperator honestam pacem cum Polonis inire necesse habuit, postea quam variis incursionibus, quibus castra Polonica inuaserat, sexaginta fere millia perdiderat, quanquam Constantinopolim rediens multo maiorem copiarum numerum amitteret.

Interea *Gustauus Adolphus* in Liuoniam irruptione facta vrbem Rigam facili negotio occupauit. Pari modo omnia reliqua huius prouinciae oppida, excepto Duneburgo, a Suedis A. 1625. expugnata sunt. Postea *Gustauus* A. C. 1626. in Borussiam profectus est, vbi vrbes, Mariaeburgum et Elbingam cum aliis quibusdam locis cepit. Quod bellum, hostibus non acerrime repugnantibus, vsque ad A. 1629. gestum est, cum Iohannes Wrangelius, Suecicus dux prope Gorznouiam Polonos acie vinceret. Posthac Imperator Polonis copias quasdam in auxilium misit, quae in proelio ad Stumam commisso Gustauum prope captiuum duxissent. Quoniam vero illo proelio commisso res Polonorum vehementer erant turbatae, Carolo I. rege Angliae et Ludouico XIII. Franciae rege intercedentibus, vsque ad A. 1634. inducias fecit; cum interea Suedis Elbinga, Memelia, Braunsbergum, Pillauia, et omnia, quae praeterea in Liuonia ceperant oppida, concederentur.

Mors Sigismundi III. 1632. d. 30 Aprilis.

Postea Sigismundus die trigesimo Aprilis diem obiit supremum, anno 1632. posteaquam sexaginta annos vixerat et quadraginta quatuor annos reipublicae praefuerat.

Omnibus ornatus erat virtutibus, principi tam potenti necessariis. Siquidem iustitiae erat amantissimus, et ob eximiam suam probitatem a totius orbis terrarum incolis praedicabatur. Tam secundam, quam aduersam fortunam semper aequo animo tulit, adeo vt neque Polonici regni, quod admodum adolescens obtinuit, splendore ad superbiam efferretur, neque regno Sueciae amisso animum desponderet. Attamen id in eo erat reprehendendum, quod suis coeptis pertinacius insisteret, quod maxima ei attulit detrimenta.

Vladislaus domo tunc temporis aberat, cum eius pater in morbum incideret. Attamen contigit, vt eadem, qua ille moriturus erat, hora in aulam regiam aduenirent, eumque praesentia sua ita confirmaret, vt ipsi, filio suo, coronam Suecicam in caput imponere valeret, Polonicam diuino arbitrio relinquens. Sequens electio multo tranquillius et pacatius quam Sigismundi electio est peracta, cum nemo esset, qui de regni successione cum Vladislao contenderet, eique resisteret. Nonnulli *Gustauum Adolphum* Sueciae regem Poloniae regnum quodammodo affectaturum esse, existimabant. Negare quidem non possum, illum principem honoris fuisse cupidissimum, et ingentem in toto Poloniae regno huc illuc dispersorum Lutheranorum multitudinem sibi propitiam habebat, quod illam opinionem non parum confirmare videbatur. Sed nihilominus tamen maioris Poloniae nobiles, qui, quoniam cum Sueciae rege in religione consentirent, omnium facillime in suspicionem adduci poterant, erant primi, qui imperio eum excludere studerent; eos enim, qui vnico tantum verbo eum proponere essent ausuri, patriae hostes iudicabant. Pari modo cum in alio quodam coetu Palatinus aliquis vtile fore contenderet, si extraneum eligerent principem, vniuersa nobilitas ita exacerbata est, vt ille Palatinus, quo eius effugeret furorem, confestim alio se recipere necesse haberet, praeterea Gustauo Adolpho tot bellorum incendia reprimenda erant, vt plures hostes sibi contrahere opus non haberet.

Iohannes Casimirus, Vladislai frater, etiam regnum appetere existimabatur. Quae suspicio multo maiorem, quam prior, habebat speciem. Qui ambo principes Sigismundi III. erant filii, sed diuersis matribus nati. Casimiri mater omnem, quantum poterat, operam impendebat, quo filium suum ad regiam dignitatem promoueret. Imperii ordines Thoruniae congregatos eo adducere contendebat, vt rege adhuc viuo regni successorem eligerent, ideoque Episcopum quendam subornauit, qui ipsius filium eligi suaderet, quod ordines tam inique tulerunt, vt illum Episcopum, vt eiusmodi hominem, qui contra imperii priuilegia egisset, excipere vellent, quod dubio procul euenisset, nisi a grauioribus quibusdam intercedentibus negotiis, propositum suum omittere essent coacti. Interim Casimirus omnia, quaecunque poterat, fecit, quo reipublicae persuaderet, se nullo modo regnum appetere, sed omnia sua coepta id vnum spectare, vt fratris natu maioris emolumentis consuleretur.

Posteaquam Primas, *Iohannes Vezik* proxime defuncti regis obitum significauerat, die vigesimo septimo Iunii comitia indixit, vbi Lutherani suas quidem factiones, vt antea continuabant, Vladislai tamen competitoribus non ita, vt proxime antecedente electione fecerant, fauebant. Electionis dies vigesimo septimo Septembris anni modo commemorati indictus est, vbi statuto tempore vniuersa nobilitas conuenit, magis tamen ad eum finem, vt Vladislai fauorem sibi conciliaret, quam vt suffragia sua venderet. Quibus comitiis lex quaedam lata est, cuius exsecutio Poloniae regno egregia attulisset commoda, illudque a multis liberasset oppressionibus. Quae in eo cernebatur, vt leges in librum certum conscriberentur, qui per regem recens electum confirmaretur, nec non multi abusus, qui in iurisprudentiam et causas forenses clam irrepserant, e medio tollerentur. Ea vero, quae id propositum damno sibi fore putabat, factio, tanta vehementia ei restitit, vt illud intermitti necesse esset.

Quo facto imperii ordines ad electionem se accinxerunt. Regius filius Casimirus primus erat, qui fratrem suum Vladislaum eligi suaderet, cui Henricus Firleius, Episcopus Przemislienfis oratione suum assensum declarauit, cuius haec fuit sententia: Senatores quamuis libertatem, quam vellent, eligendi haberent, eos tamen regum suorum posteros singulari beneuolentia prosecutos esse: illum autem candidatum, vt inter omnes constaret, ex sagellonica gente ortum trahere; praeterea non modo patrem eius optime de republica fuisse meritum, sed Vladislaum ipsum diuersis expugnationibus virtutem suam satis demonstrasse; quocirca suam sententiam, vti speraret, omnibus approbatum iri, praesertim cum cuilibet ex praesentibus imperii ordinibus huius principis virtutes non minus atque sibi essent cognitae atque perspectae. Ad quam orationem a Primate quam humanissime responsum est; postea extranei legati ad suas sententias declarandas sunt inuitati.

Primum itaque *Honorius Visconti*us, Pontificis Nuntius, admissus est. Qui cum ad Primatis sinistram considere iussus esset, primo ab imperii ordinibus, vt Catholicum principem crearent, petiuit, et postea regis superioris filium Vladislaum illis commendauit. Deinde Imperatoris et Sueciae regis legati inter se contenderunt, quis prior sententiam esset dicturus, vbi denique posterior illi praerogatiuam concessit, quoniam a podagra ille corriperetur, aut certe id simularet.

Hoc modo igitur Imperatoris legatus arcessitus est, qui Domini sui nomine Vladislaum itidem laudibus extolleret. Postea Suecicus legatus dicendi vices excipiens firmum et stabile foedus inter Sueciam et Poloniam contrahendum suasit, imperii ordines neminem ex Sigismundi filiis, nisi sub hac conditione electuros esse affirmans, vt ab omni iure Sueciae regnum possidendi se abdicaret. Verum illud consilium plane repudiatum est. Idem legatus aliam praeterea conditionem proposuit, quae regni ordinibus admodum displicuit; quod tamen eo, qui tunc erat, temporis statu, supprimere satius duxerunt, quam acerbo quodam responso *Gustauum Adolphum*, potentissimum illum principem ad iram concitare.

Illis comitiis Dantiscanorum ciuitas singulare quoddam obtinuit priuilegium, quod in eo cernebatur, vt in posterum eligendis Poloniae regibus identidem suffragium ferre ei liceret. Qui honos nulli alii ciuitati antea contigerat, nisi Cracouiae, capiti Poloniae, et Vilnae, principi Lithuaniae loco. Hoc modo igitur

Vladislaus Rex eligitur, et coronatur.

Vladislaus die decimo tertio Nouembris A. 1632. electus est, vbi continuo consuetum iusiurandum iurauit, a Primate rex proclamatus, et die duo de vigesimo Februarii A. 1633. coronatus est.

Primo *Caeciliam Renatam*, Imperatoris Ferdinandi II. filiam, et postea *Mariam Ludouicam* di *Gonzaga*, ducis Neuerienſis e familia Mantuana orti, filiam in matrimonium duxit; Franciae enim reges filias ducum Neuerienſis et Nemurienſis, vtpote regia origine natas nunquam non regibus elocare ſtudebant.

Vladislai Regis facta.

Anno poſt hanc electionem proximo Vladislaus non modo Moſcouitas eo compulit, vt ab vrbe Smolenſcio oppugnanda deſiſterent, et egregiam de iis reportauit victoriam; ſed praeterea quoque exercitum eorum eo anguſtiarum redegit, vt ſe dederet. Sic quoque Turci, qui Poloniam inuaſerant, fortiter ſunt repulſi. Breui poſt tempore Vladislaus pacem ſibi commodam cum Moſcouitis contraxit, cuius vi magnos illos ducatus, Smolenſcienſem et Czernicouienſem ſibi arrogare illi plane deſinerent, quod Turcis tantum iniecit terrorem, vt eam, quam ſuperiore irruptione Polonis attulerant, iacturam vltro reſtituerent, ſuumque ducem, qui ſuis copiis praeerat, iugularent. Ita etiam Suecos, vt loca, quae in Boruſſia poſſiderent, ſibi redderent, et inducias in viginti ſex annos prolongarent, coëgit. Cui eo facilius conſenſerunt, quod eorum res in Germania proelio ad Nordlingam commiſſo peſſime ſe haberent.

Bellum cum Coſacis.

Anno 1637. belli cum Coſacis fundamenta ſunt poſita, quod bellum Polonis ineffabile damnum attulit, et eo modo exarſit. Ea, quae Coſaci a rege *Stephano* nacti erant, priuilegia eorum numerum et potentiam mirifice auxerunt. Cum enim vicinarum prouinciarum omnium agricolae ab heris ſuis grauiſſime premerentur, gregatim, quo a ſeruitute liberarentur, in Vcrainiam confugerunt, quo factum eſt, vt breui tempore poſt Coſaci, et Polonis et Turcis maximam timorem incuterent, id quod tam audaces eos reddidit, vt ſaepius in Turciam irruptionem facerent, quod poſtea multis acerrimis bellis inter has duas gentes locum dedit. Poſtquam igitur magnates aliquot Poloniae poſſeſſiones quasdam in Vcrainia ſibi redemerant, ſe ſuos reditus non mediocriter augere poſſe exiſtimabant, ſi Coſacorum licentia aliquantulum coërceretur, et ipſi a vicinorum Turcorum prouinciis diripiendis deterriti agros ſuos colere, et ſuis manibus victum ſibi quaerere cogerentur. Deinde Poloni regem ſuum commouerunt, vt ducem Coniecpolſcium eos ad officium reducere iuberet. Primum igitur Coſaci fortiſſime reſiſtentes arcis Hudacii exſtructioni ſe oppoſuerunt, quae in eo loco aedificabatur, vbi fluuius Zuamer in Boryſthenem delabitur. Denique autem a Polonis internecione fuſi, ſuumque ducem Paulaccium cum aliis quibusdam virorum principum ſuorum iis in manus tradere coacti ſunt, qui omnes et ſinguli, quamuis venia ipſis promiſſa eſſet, decollati ſunt. Praeterea in comitiis decretum fuit, vt omnia priſtina eorum priuilegia cum arce Tectimorouio, a rege *Stephano* illis conceſſa, illis rurſus adimerentur, ibique eorum loco aliud militiae genus conſtitueretur. Quod conſilium vt effectui daretur, Polonicus exercitus confeſtim in Vcrainiam profectus eſt, vbi a Coſacis acerrimo conflictu eſt exceptus, qui nihilominus tamen ſe Poloniae regno fidem praeſtituram eſſe, promitterent, dummodo antiqua priuilegia integra et illibata ſibi concederentur. Quod Poloni quidem promiſerunt, verum non praeſtiterunt, imo cum eorum nonnullis peſſime egerunt. In aliis iniuriis, quibus eos afficiebant, haec quoque fuit, vt Graecorum templorum quaedam illis eriperent. Poſtea Coſaci duce *Bogdano* Chmielniſcio vires ſuas quodammodo receperunt. Cui cum vxorem abductam vna cum filio eius trucidaſſent, iniurias ſibi illatas vlciſci patriamque a Polonici imperii tyrannide liberare ſibi propoſuit.

Coſacorum Dux Bogdan Chmielniſcius.

Cuius regis ſub imperio vehicula publica primum in Polonia orta, et ex more Germanico inſtituta ſunt A. C. 1647.

Caeterum regis Vladislai imperium neque proſperrimum fuit, neque infeliciſſimum. Denique febri acuta *Mericii* vrbe Lithuaniae peremtus eſt, die vigeſimo Maii A. C. 1648. Moſcouitae ſub huius imperio bello ſuperati et Turci ad pacem rogandam ſunt coacti. Cuiuslibet precibus annuere pronus erat, et ſi non ſatis ſplendida beneficentiae ſuae ſpecimina edere valeret, id animum eius non parum ſo-

Mors Vladislai, a. 1648.

ſollicitauit. Quapropter Poloni non immerito mortem eius deplorarunt, praeſertim cum poſtea illo principe orbati a Coſacis vincerentur, et nonnullarum vrbium iacturam ab iis paterentur. Vladislaus quia filios non relinqueret, ſucceſſit ei frater

Iohannes Caſimirus, qui aliquamdiu ordini clerico addictus, et ab Innocentio X. Cardinalis dignitate honoratus fuerat. Electio eius eodem anno, quo frater eius mortuus erat, et his quidem ritibus eſt inſtituta:

Io. Caſimirus Rex eligitur.

Poſteaquam Primas *Matthias Lubienſcius* ſuperioris regis obitum per literas in totam Poloniam circumquaque emiſſas ſignificauerat, et die vigeſimo quinto Iunii comitia, ſexto autem Octobris electionis diem indixerat, omnes ſenatores et legati ſtatuto tempore aderant. Qui, cum a Coſacis et Tartaris premerentur, ideoque concordia illis maxime opus erat, non, vt aliis temporibus, factum erat, in diſcordias et confuſiones tunc incidebant. Hoſtes enim varios atrociſſimos aduerſus eos fecerunt apparatus, quibus facile eorum animus admodum perfringi potuiſſet, niſi Poloni illi fuiſſent, qui ſua virtute maxima emolumenta identidem erant conſecuti.

Quo facto magnum copiarum numerum conſcribi iuſſerunt, quibus atrocibus illis hoſtibus reſiſterent. Poſtea nobiles ad nouum regem eligendum ſe congregarunt, vbi nemo aliquem fore putauit, qui cum Caſimiro, qui tunc temporis regis Sueciae nomine appellaretur et cohoneſtaretur, de imperii conſecutione contenderet. Moſcouiae enim Imperator et Tranſiluaniae princeps, qui ambo regnum appetebant, parum aut plane nihil commodi inde ſperare poſſe exiſtimati ſunt.

Moſcouiae Imperator maxima cum vehementia imperium flagitabat, quod cum ſibi denegaturi eſſent, per vim ſe occupaturum eſſe minitabatur; Georgius Ragoccius autem mitius rem aggreſſus eſt, dum exercitum ſuum, ex triginta virorum millibus conſtantem reipublicae Polonicae aduerſus hoſtes offerret. Sed nihilominus tamen hic quoque in eam incidit ſuſpicionem, vt eius coepta Poloniae magis contraria, quam ſalutaria eſſe crederentur. Tandem vero prioris minitationes non magis, quam alterius pollicitationes curarunt, ſed vtrumque repudiarunt.

Alius denique competitor ortus eſt, quem Caſimirus omnium minime exſpectaſſet, nempe *Carolus Ferdinandus*, Breslauiae in Sileſia, et Ploczcouiae in Polonia Epiſcopus, qui fratrem quidem commendaret, reuera autem imperium ſibi quaereret. In Sueciam literas miſiſſe putabatur, quo reginam in ſuas partes alliceret. Idem ad conſcribendas copias millena nummorum millia ſuppeditauerat. Sub quo tamen ſingularis prudentia ciuilis latere non videbatur, ſiquidem eius frater, Caſimirus antea ſummus imperator exercitui conſtitutus erat. Illud malignum conſilium Stanislaus Zaremba, Kiouienſis Epiſcopus Ferdinando dediſſe putabatur, quia illo principe ad regium faſtigium euecto, ſe ſummam inter clericos dignitatem conſecuturum ſperaſſet, ſiquidem Archiepiſcopus Gneſnenſis octuaginta annos natus in poſterum non diu, vt facile coniicere liceret, viuis intereſſe poterat.

Caſimirus in omnibus negotiis ſuis ſingularem quandam virtutem prae ſe tulerat. Belli gerendi et proficiſcendi ſtudio maxime delectatus eſt. A. C. 1638. Genuae in nauem conſcendit, qua Hiſpaniam ſe conferret, et huic regno contra Franciam opem ferret. Verum in Prouincia captus et biennium in cuſtodia detentus eſt, donec fratri Vladislao per legationem ad Francicam aulam miſſam remitteretur. Qua aduerſa fortuna ille tamen ab aliis itineribus ſuſcipiendis non deterritus eſt. Nam A. 1643. Polonia iterum relicta Lorettam ſe contulit, vbi Ieſuitarum ſocietati ſe adiunxit, de quo regi, fratri ſuo nuntium afferri non iuſſit. E qua ſocietate vt ſine infamia rurſus dimitteretur, et ne forte ob inconſtantiam publice vituperaretur, Papa *Innocentius* X. anno 1646. Cardinalem eum creauit, qua dignitate Caſimirus paulo poſt ſe rurſus abdicauit. Cum enim fratris ſui filio A. 1647. rebus humanis exemto, frater alios liberos non procreaturus, neque vitam longaeuam ducturus eſſe videretur, felicitatem ſuam alio modo promouere ſtuduit. Quem in finem Pontifici Romano Cardinalis inſigne remiſit, et quidem per nobilem Gallum, *Franciſcum Fredi* de *Moulinet*, quem mirifico ſemper amore profecu-

tus et quo in multis negotiis gerendis vsus fuerat, cuius fides probata eum saepius his verbis exclamare commouit: *Principi ab extraneis viris meliorem, quam a ciuibus, praestari operam.*

Casimirus itaque, vti iam diximus, cum Iesuitarum societati se consecrasset, Kiouiensis Episcopus occasionem inde cepit, omnibus viribus contendendi, vt ex imperii administratione eum excluderet, qua in re Protestantes, quippe qui implacabili odio eam societatem persequerentur, egregium ei tulerunt auxilium. Ita quoque ille episcopus maximam nobilium partem secum facere arbitratus est, qui nobiles itidem, vt videbatur, Iesuitis erant infesti. Sed in eo non parum deceptus est; quia enim Casimirus maior erat natu, eumque frater eius, Vladislaus in testamento regni ordinibus commendauerat, aduersaria factio nihil aliud efficere potuit, nisi vt electionem eius paucos quosdam dies impediret, intra quod tempus senatores duos illos fratres inter se conciliare studerent.

Sexto Octobris die electio institui coepit, vbi fere omnes inter se consentirent, et nihil nisi felices Cosacorum successus impedire contenderent. Pontificis Nuntius, *Iohannes* de *Torres*, Archiepiscopus Adrianopolitanus, adolescens Marchio Granensis, Imperatoris legatus, tum Comes Arpaiouiensis, et Burggrauius Bregensis, in quibus ille Extraordinarius, hic vero Ordinarius Franciae erat legatus, illi omnes, inquam, Casimirum commendabant; deinde die huius mensis vndetrigesimo, Iohannes Tysciewitz, Samogitiae Episcopus, elegantem eius causa habuit orationem, in qua inter alia Casimiri II. exemplum laudauit, qui, quamquam in Abbatiam Clunensem se contulisset, a regno tamen administrando non fuisset exclusus.

Proximo die ducis Transiluanienſis, Ragozzii legatus ad sententiam suam dicendam prodiit, qui pari modo contra omnem opinionem Casimirum eligendum suasit, hoc tamen admonuit, si eum eligere ipsis non videretur, Dominum suum, qui Poloniam sincero amore semper amplexus esset, ipsorum imperio libentissime praefuturum esse. Quam illius adulationem licet regni ordines detestarentur, nihilominus tamen se illius domino pro illo amore, quem erga se gereret, magnas debere gratias responderunt.

Tertio Nouembris die Ferdinandi legati sunt inuitati, qui Episcopum Kiouiensem habebant ducem. Quorum virorum consilium admodum frigide est exceptum, et cum ille Episcopus non debita cum reuerentia de Casimiro loqui coepisset, mox silentium ei est impositum, quia omnes regni ordines ei resistere videbantur. Quo facto Ferdinandus illico excusationes suas publice exposuit, et iis regni administrandi fratri concessit. Id quod apud Casimirum tantum valuit, vt amore et amicitia eum dignaretur, nec non praeterea Oppolienſem et Ratiborienſem principatum in Silesia ei donaret, et omnes sumtus compensarer, quos consumserat, cum suae electioni se opposuisset. Verum haec omnia tam magnifica dona non tam laetitiam, quam moerorem in Ferdinando excitarunt, vtpote cuius animus maxime excruciaretur, quod fratri optime de se merito restitisset.

Decimo septimo Nouembris die electio initium habuit, vbi omnibus impedimentis e medio sublatis Casimirus eodem die rex proclamatus fuisset, si eius legati conditionibus sibi propositis subscripsissent. Verumtamen die vigesimo Nouembris sub iisdem conditionibus, quas pater eius Sigismundus inire compulsus erat, ad regiam euectus est dignitatem.

Per Pontificis Romani dispensationem, *Mariam Ludouicam*, viduam regiam, fratris sui coniugem, in matrimonium duxit. Ea Gallica erat matrona, et rebus ad rempublicam pertinentibus crebrius se immiscuit, quia, vt coniicere licet, regiam dignitatem alicui ex sua gente quam libentissime attulisset, quod ad se quentes turbas multum contulisse creditur.

Casimirus simulac dignitatem regiam consecutus erat, Cosacorum dux, Chmielniscius vindictae cupiditatem exercere coepit, et Tartaris in auxilium vocatis horrendo cum exercitu Poloniam aggressus est, omnia, quocunque peruenit, incen-

diis deuastauit atque diripuit, et tantum huic prouinciae intulit damnum, quod modo excogitari potest; Polonicum exercitum fudit, et Kiouio capto Lembergam, caput Russiae cum exercitu ex trecentis circiter virorum millibus constante oppugnauit, eius autem moenia et propugnacula licet admodum infirma essent, illud tamen expugnare non potuit. Interim totam circumiacentem regionem multa per milliaria deuastarunt. Quam iniuriam vt vlciscerentur Poloni septimam totius exercitus sui partem in arma conuocarunt, et sine regis permissu, qui antea exercitui eorum praeesse recusauerat, in aciem aduersus Cosacos prodierunt, a quibus miserum in modum fusi sunt. Sed nihilominus tamen regis exercitus alio tempore magnificentissima quaedam commoda prae iis obtinuit. Quamuis enim proelio cum iis decernere non valerent, eos tamen ita defatigarunt atque debilitarunt, vt Moscouitas in auxilium vocare necesse haberent. Cum autem eorum alii in Moscouitarum tutelam se traderent, alii ad Turcorum Imperatorem confugerunt. Tam implacabili odio Poloniam sunt persecuti, vt se in posterum omne commercium cum ea detestaturos esse confiterentur. Quo animo ad nostram vsque aetatem constanter permanserunt; quanquam eo non minus semetipsos perdiderunt, quam Poloniae regno damnum attulerunt.

Vnica pestis, quae ea aetate illis accidit, in sequenti constabat casu: Cum Chmielnisci filius cum Wallachiae principis filia nuptias celebraret, eos Poloni inopinato oppressérunt, et Kiouio expugnato et direpto, Graecum Patriarcham captiuum abduxerunt.

Quo facto Cosaci a rege scisciţabantur, num hoc suo iussu sit factum, quod negabatur, et praeterea illud responsum daretur, nobiles id fecisse, quo multum et varium detrimentum sibi illatum vlciscerentur. Quod cum percepissent, illi cum Tartaris maximo cum furore Poloniam inuaserunt. Rex autem cum nobilitate contra eos in aciem prodiit, eosque in proelio vicit, nihilominus tamen postea ad pacem cum iis contrahendam compulsus est, vbi nobilibus vehementer displicuit, quod illis ea, quae flagitarent, concederet, cum scilicet Moscouitae Smolenscium et Kiouium retinerent, quae loca ad nostram vsque aetatem possident. Pari modo etiam Moscouitae Vilnam Lithuaniae vrbem cum aliis quibusdam egregiis huius Magni Ducatus vrbibus expugnarunt.

A. 1655. *Carolus Gustauus*, Sueciae rex multo periculosiorem belli procellam in Polonia excitauit. Lectissimorum enim virorum exercitu hoc regnum inuasit, et intra biennium summum imperium eius arripuit. Primo enim Poloniam maiorem et Masouiam, tum vero Poloniam minorem cum Cracouia, huius regni capite, cepit. Vnde Borussiam profectus est, vbi omnes fere vrbes illico ei se dederent, praeter Dantiscum, in quo quanquam primum permulti erant ciues, qui a Suecorum partibus starent, illi tamen ministris aulicis aliquot suadentibus, Polonicae reipublicae datam fidem seruare sibi proponerent. Hac vnica igitur vrbe repugnante factum est, vt omnia, quae Sueci obtinuerant, emolumenta tandem in cassum caderent, et quamuis non modo vniuersus Polonorum exercitus cum ea, quae Moscouitis parebat, Lithuaniae parte se Suecis submisisset, sed insuper quoque rex Poloniae *Iohannes Casimirus* in Silesiam confugisset, ipsi tamen in Borussia diutius permanere non valerent. Poloni enim ex prima consternatione recreati et Brandenburgicis atque Tartaricis auxiliis confirmati, Suecicas copias in prouincia huc atque illuc dispersas sunt adorti. Pari modo Lithuani armis arreptis omnes interfecerunt Suecos, qui apud se in hibernis essent dispositi. Bellum cum Suecis, a. 1655.

Ei Suecorum, quam diximus, irruptioni locum dedit, quod Casimirus Procancellarii Radzieiouscii (qui eius, qui nunc est, Primatis pater erat) vxore nimis familiariter fuerat vsus. Ille, quem diximus, amplissima dignitate praeditus senator, pessimum illud exemplum, quod publicae offensioni ansam praeberet, tolerare nullo modo potuit. Quapropter primum factionem in regno contraxit, et postea Suecos per Liuoniam inuitauit, ad contumeliam sibi illatam vlciscendam, qui statim Curlandia capta ducem captiuum abducerent. Quo facto illorum coepta Radzieiouius Suecos exci-tat.

tam prospere successerunt, vt omnes Poloniae vrbes, quarum nulla oppugnationem sustinere posset, illorum potestati vltro se traderent. Quo loco notandum est, perpauca loca munita in Polonia reperiri, quod reipublicae id maxime conducere existimant, ne ipsorum reges suam potentiam domi nimis augeant, et vt hostibus extraneis occasio vsquam possessiones sibi comparatas stabiliendi desit.

Propter eam itaque, quam diximus, maximam expugnationem omnes finitimi principes Suecorum erga potentiam acerrima aemulatione exarserunt. Primum enim Ragozzius, Transiluaniae princeps in Poloniam profectus est, fore existimans, vt ipse sibi hoc regnum capesseret, nihil autem effecit. Pari modo Dani Suecos agressuri magnis copiis sunt egressi. Moscouitae Liuoniam inuaserunt, et Imperator Polonis copias quasdam in auxilium misit; quo Polonica nobilitas Brandenburgicorum et Tartarorum auxilio et ducis Czarnecii imperio prudenti intra sex menses Casimirum ad regiam dignitatem reducerent. Qui Czarnezius Poloniae vrbem praecipuam strategemate quodam recuperauit, quo effecit, vt die quodam, simulac lux orta esset, plaustra quaedam lignis onusta in vrbem inuecta sibi per eius portam quandam viam aperirent, vbi confestim cum octingentis viris vrbem inuasit et Suecica praesidia trucidauit.

Ex quo apparet, regnum munitis arcibus et vrbibus non instructum hoc commodi secum habere, quod, sicuti facile ab hostibus capi, ita etiam facile recuperari possit.

Caroli Gustavi foedus cum Friderico Wilhelmo Electore Brandenb.

Carolus Gustauus, Sueciae rex, idoneam Polonis bellum inferendi occasionem nactus clandestine cum Brandenburgico Electore, Friderico Wilhelmo egit, et tandem hoc foedus cum eo iniit, vt regno Poloniae capto se summum Borussiae Ducatus imperium ipsi daturum esse promitteret, quo facto copiis suis inter se conIunctis, Poloniam facili negotio occuparunt. Verum rex Sueciae ad suas prouincias, quas Dani tunc temporis adorti erant, tuendas, domum reuocatus, cum Polonis pacisci necesse habuit, octingentis thalerorum millibus ab iis exactis, quos Poloni, qui de Danorum in Sueciam irruptione nihil adhuc perceperant, se soluendos quam libertissime promiserunt. Quoniam vero Elector Brandenburgicus, tantum pecuniae numerum facile corrogari non posse optime videbat, se, insciis et inuitis Suecis, illam pecuniam Polonis mutuam daturum et insuper in Suecis ex ipsorum regno eiiciendis opem ipsis laturum esse, pollicitatus est, dummodo sibi suisque haeredibus modo dictum summum Borussiae imperium concessuri, eosque in illo sint confirmaturi. Quod maxima conturbatione et calamitate pressi Poloni quam facillime approbarunt, hac vnica conditione addita, vt, si forte Electoris mascula proles plane sit interitura, ille Ducatus Poloniae regno rursus adiungeretur.

Frid. Wilhelmus cum Polonis contra Suecos dimicat.

Elector igitur Brandenburgicus perpetuus Borussiae Dux declaratus cum Polonicis copiis continuo se coniunxit, et breui tempore Suecos ex illorum regno expulit, quibus introducendis ipse antea operam dederat.

Illo igitur modo Poloni, se a Suecorum iugo liberatos esse tradunt, vt ex illis ipsis ego audiui. Idem nuperrime narrauit in regia societate Sir Robertus Southwellus, sicuti ex Electoris Brandenburgici proxime defuncti ipsius ore acceperat.

In pace Oliuensi (quae a monasterio prope Dantiscum sito nomen sortita est) Poloni ab omni iure, quod in Liuoniam se obtinere iactauerant, se abdicabant.

Lubomirscius bellum gerit contra Regem.

Casimirus igitur, Suecis victis, exercitum triginta circiter Germanorum millibus constantem conscripsit, a Tartaris vindictam repeticturum se esse simulans, quoniam Polonos aliquot captiuos tenerent, quos tamen ipse illis in manus tradiderat, ad suos ciues eo facilius coërcendos. Verum cum Archi-Mareschallus, princeps *Lubomirscius*, regem priuatum suum commodum eo quaerere, animaduerteret, quod eo spectabat, vt ciuium libertatem opprimeret, sibi quoque exercitum comparauit, eoque regis copias tanta ferocia aggressus est, vt eas plane corrumperet, et earum duce, qui natione Gallus erat, capto, regem facili negotio ad Germanicas suas copias rursus dimittendas compelleret.

Ea,

Ea, quam a suis ciuibus perpessus erat, ignominia, Casimirum ita pupugit, vt breui post tempore regno se abdicaret. Antequam autem id faceret, comitia Lembergae indixit, vt exercitum stipendio dato dimitteret. Quod vt effectui daretur, optimum esse duxerunt, vt omne totius regni aurum et argentum collatum recuderetur. Quod cum nondum sufficeret, imperii ordines in eo consenserunt, vt multi nummi cuprei, quorum copia in hoc regno antea fuerat perexigua, cuderentur, eorumque pretium augeretur et multiplicaretur. Quibus nummis rex eos, quos et regno comportauerat, nummos permutauit, et reliqua exercitus debita soluit; sed omne aurum atque argentum sibi seruatum in Franciam furtim misit, quo etiam ipse mox secutus est; quo factum est, vt gens Polonica in extremam egestatem prolaberetur; quapropter ad nostram vsque aetatem ei Poloni sunt infestissimi. Eam quoque ob causam memoria eius iis est inuisa, quia Cosacorum seditioni indulsit, quo ii nobiles, qui in Vcrainia possessiones haberent, ad incitas sunt redacti. Id quod ex interceptis quibusdam literis priuatis euidentissime apparuit, quae Casimiri ipsius manu ad Chmielnischium et Doroczincium, Cosacici exercitus duces, erant perscriptae, quibus eos incitauit, vt bellum contra se susciperent, quia ipsis iactura, quam sub Iudaeis, nobilium in Vcrainia dispensatoribus, fecerint, nondum sit compensata; quo illis occasionem dedit se a Polonica seruitute plane liberandi, qua libertate adhuc fruuntur.

Io. Casimirus aurum et argentum e Polonia in Galliam clam mittit.

Per totum illud tempus Cosaci Polonis erant molestissimi, atque ciuiles turbas et miseram conditionem, qua Polonica respublica Casimiri temporibus premeretur, in commodum suum conuerterunt.

Mors Casimiri.

Tandem cum ille rex viginti annos imperio praefuisset, variisque aduersis casibus defatigatus esset, coronam suam, Imperatoris Caroli V. exemplum secutus, Warsouiae in S. Iohannis templo, die decimo sexto Septembris A. C. 1668. deposuit, deinde in Franciam se contulit, et Neueriae, vbi eius vxor fuerat nata, diem obiit.

Cum Warsouiae essem, et cum nobilibus aliquot natu grandibus de huius regis abdicatione colloquerer, illi mihi narrarunt, Casimirum, posteaquam die post Imperii abdicationem proximo, ne vt nobilem quidem, nedum vt regem se honorari vidisset, peccati commissi admodum poenituisse.

Eius ministri aulici, quos in solitudine secum duxerat, post eius obitum in Abbatia *S. Germain* Parisiis, vbi Abbas creatus fuerat, splendido monumento ex aere et marmore exciso eum cohonestarunt, cui id a *Francisco Delfaulto* compositum epitaphium est inscriptum, quod ob eius praestantiam facere non possum, quin hic adiiciam.

Aeternae Memoriae
REGIS ORTHODOXI,
HEIC;
Post emensos Virtutis
Ac Gloriae Gradus omnes
Quiescit, Nobili sui Parte
IOHANNES CASIMIRVS,
Poloniae
Ac Sueciae Rex;
Alto e Iagellonidum
Sanguine,
Familia Vasatensi
POSTREMVS
Quia summus
LITTERIS, ARMIS, PIETATE;
Multarum Gentium Linguas
Addidicit, quo illas propensius
sibi devinciret.
Septemdecim Proeliis, collatis cum
Hoste signis,
Totidem vno minus vicit,
SEMPER INVICTVS,
Moscouitas, Suecos, Brandenburgenses,
Tartaros, Germanos
ARMIS;
Cosacos aliosque Rebelles Gratia,
ac Beneficiis
EXPVGNAVIT;
Victoria Regem eis se praebens,
Clementia Patrem.
Denique totis viginti
Imperii annis
Fortunam virtute vincens
AVLAM HABVIT IN CASTRIS, PALATIA IN
TENTORIIS,
SPECTACVLA
IN TRIVMPHIS
Liberos ex legitimo connubio
Suscepit, queis postea orbatus est,
Ne si se maiorem reliquisset,

Non esset ipse Maximus;
Sin minorem, stirps degeneraret
Par ei ad fortitudinem
Religio fuit,
Nec segnius Coelo militauit,
QVAM SOLO
Hinc exstructa Monasteria et
Nosocomiae Varsauiae,
Caluinianorum fana in
Lithuania excisa;
Sociniani regno pulsi, ne Casimirum
haberent regem,
Qui Christum Deum non
Haberent.
Senatus a variis sectis ad
Catholicae Fidei Communionem
Adductus,
Vt Ecclesiae legibus
Continerentur,
Qui iura Populis dicerent.
Vnde illi praeclarum
ORTHODOXI NOMEN
Ab Alexandro VII.
Inditum.
Humanae denique Gloriae
Fastigium praetergressus,
Cum nihil praeclarius agere
posset,
IMPERIVM SPONTE
ABDICAVIT
ANNO M.DC.LXVIII.
Tum porro lachrymae, quas
Nulli regnans excusserat,
Omnium oculis manarunt,
Qui abeuntem Regem, non secus,
Atque obeuntem Patrem
LVXERE.
Vitae Reliquum in Pietatis
Officiis cum exegisset
Tandem audita Kameneciae
Expugnatione, ne tantae cladi
Superesset,
CHARITATE PATRIAE
VVLNERATVS OCCVBVIT
XVII. KAL. IAN. M.DC.LXXII.
Regium cor monachis Huius
Coenobii, cui Abbas praefuerat,
Amoris pignus reliquit;
Quod illi isthoc tumulo Moerentes
condiderunt.

Sed quantam requiem Casimiri abdicatio ei ipsi attulerat, tantas e contrario turbas reipublicae Polonicae excitauit. Quoniam enim ex familia Vasatensi nemo supererat, nonnulli principes regiam dignitatem in suam familiam transferre sunt conati, quorum vnusquisque ei se opposuit, cui ex omnium coniectura huius dignitatis spes erat certissima.

Primas *Stanislaus Prasmowscius* Decembris initio comitia indixit, in quibus post acerrimas contentiones secundus dies Maii a. 1669. nouo regi creando consecratus est. Quod interregnum superioribus plane dissimilis fuit, quia Protestantes in illo nullas seditiones mouebant. Sociniani enim Sigismundo regnante regno erant expulsi; reliquae autem sectae minimi aestimatae nihil efficere valuerunt.

Moscouiae Imperatoris filius regni candidatus commendatur.

Electionis dies cum illuxisset, quatuor erant, qui regnum appeterent. Quorum primus Moscouiae Imperatoris erat filius, qui in Polonia educatus huius terrae sermonem loquebatur. Quem vt Poloni regem sibi eligerent, Moscouiae Imperator pater eius iis pollicitationibus illos allicere studuit: 1) filium suum religionem mutaturum et ecclesiae Catholicae se addicturum esse; 2) eum ab omni in Moscouiam iure se publice esse abdicaturum; 3) omnia Polonis a Moscouitis antea erepta loca illis restitutum iri; 4) se quater millena millia Imperialium, vt munus spontaneum, Polonis donaturum esse, quibus reliqua Polonici exercitus debita soluerentur; et tandem 5) se Poloniae regno aduersus omnes eius hostes cum quadraginta millium virorum exercitu opem esse laturum, et praeterea stabile et sempiternum foedus cum illis contracturum. Alter Poloniae regnum ambiens erat dux Neoburgensis, a cuius partibus Gallica factio stabat. Tertius Lotharingiae dux erat, cui Germanica factio adhaerebat; et quartus Principis Condensis erat filius, cui, vt existimabatur, Archiepiscopus Gnesnensis et dux Sobieskius fauebant.

Tandem vero duo tantummodo regni competitores supererant; Moscouiae enim Imperator superbia inflatus legatos suos in Poloniam mittere recusabat, quia Polonis erat infensior; princeps Condensis autem prae timiditate regnum appetere desinebat. Quo factum est, vt nobilitate a duobus reliquis competitoribus in duas fere aequales partes diuisa, tam horrenda facinora ederentur, vt omnibus fere noctibus viginti aut plures trucidati homines in plateis reperirentur. Quas seditiones

nes comitiorum Mareschallus variis modis opprimere studuit, neque meliorem excogitare potuit, nisi eum, vt continuo ad electionem se componere suaderet.

Quarto die Iunii extranei legati primum ad sententiam suam dicendam sunt admissi, vbi Pontificis Nuntius latina oratione senatores congregatos admonuit, vt Catholicum principem eligerent. Septimo huius mensis die Comes *Schafgotsch* ad dicendum prodiit, qui praeter omnem opinionem Ducem Neoburgensem sui Domini, Romani Imperatoris nomine, creandum suadebat.

Duodecimo eiusdem mensis die Ducis Neoburgensis legatus ad dicendum inuitatus Domini sui nomine bis millena millia Imperialium ad exercitui stipendium soluendum se daturum pollicitatus est, et insuper quoque ex suis ipsius sumtibus in reipublicae salutem quatuor virorum millia se semper sustentaturum, tria castella in Polonicis finibus aedificaturum et collegium pro Polonis in Germania conditurum esse promisit. Princeps *Leixinus* dicendi vices ex superioribus excipiens eadem fere de patruo suo, Lotharingiae Duce promisit. Quibus Abbas Riquetanus adiecit, principem modo dictum, a quo ipse itidem staret, paratum esse, ad certamen singulare suo cum aduersario de imperio ineundum, quo illud per modum honestissimum obtineret. Verum posterioris huius competitoris arrogantia tam parum valuit, quam prioris pollicitationes.

Interea nobiles diuturnam electionis dilationem aegerrime tulerunt, adeo vt tandem ad manus conserendas essent parati. Verum Opalinskius, Palatinus Calisiensis eleganti oratione hunc tumultum sedare conatus est, in qua stultitiam esse significauit, propter eorum principum, quos nunquam vidissent, mutuis vulneribus se conficere, eosque multo prudentius acturos esse, si vtrique repulsam darent, quia eorum natiuitas et cognatio cum familia Austriaca satis causae sit, cur electione excludantur. Deinde Austriacam familiam, si principem ex ea eligere vi contenderent, eodem modo, vt facile coniiciendum sit, cum ipsis acturam esse asseuerauit, atque cum Bohemiae et Hungariae regnis antea egerit; quocirca non modo periculosum, sed etiam regni statutis contrarium esse, si nimis arctis vinculis se cum illa coniungerent.

Tumultu itaque parumper sedato, eius animus confirmatus est, vt in sua oratione pergeret, iisque ostenderet, olim aliquando, cum Polonica natio itidem magnis discordiis agitata fuerit, inquilinum (Piastum significans) fuisse electum, qui tam sapienter imperium administrauerit, vt eum iam centum et viginti annos natum quam inuitissime amiserint. Eam prouidentiam (in dicendo perrexit) maioris nostri ambitioni, inuidiae et auaritiae eorum oppositurunt, qui regiam dignitatem affectabant! Dux itaque Neoburgensis angustam suam prouinciam et multos liberos gubernet; et Lotharingiae Dux in paternarum prouinciarum recuperationem suas opes conuertat. Nobis Piastus opus est. Sacri codicis verba recordemur, vbi dicitur: *Admitte ad te alienigenam, et subuertet te.*

Palatinus itaque Calisiensis, turbulentis nobilium animis sedatis cum de Piasto egregias cogitationes indidisset, ipse vna cum Palatino Posoniensi Wisniowiecium creandum suasit, qui tunc temporis Warsouiae erat praesens. Quem in templo Recollectarum, qui dicebantur, deprehensum vterque impense rogarunt, vt in locum, vbi regis electio sit instituta, secum descenderet, quibus precibus, cum aliquamdiu recusasset, denique annuit. Quo hi tres eodem tempore peruenerunt, cum duorum competitorum factiones pugnis inter se conflictari constituissent; vbi Palatini Calisiensis et Posoniensis occasionem Wisniowiecii proponendi sibi datam arripuerunt, quibus nobiles sereniſſimam gentem, ex qua ortus erat, considerantes facillime assenserunt. Vbi notandum est, Wisniowiecium non recta, vt vocant, linea ex Iagellonica gente originem traxisse, vtpote quae in Sigismundo Augusto desiit, sed a Corybutho, Iagellonis fratre esse ortum.

Michaël Wisniowiecius Rex eligitur.

Dominus *Yard*, qui cum *Petro Wychio*, ad Regi Michaëli regiam dignitatem, qua ornatus fuerat, gratulandum, in Poloniam iter fecerat, nuperrime, Palatinum Culmensem sibi Warsouiae commorantibus, id nuntiasse mihi narrauit, quod

quod Michaëlem regem creare, primum in animo non habuerint, quamuis eum proposuerint, quod consilium eam modo ab causam sit institutum, vt experirentur, num regni ordines ad regiam potestatem inquilino deferendam sint propensi: Verum consilium magnatum aliquot, qui aliquem ex semetipsis regio honore ornare constituerint, in cassum cecidisse, cum praeter omnem exspectationem vnanimi consensu pauper ille princeps electus sit.

Wisniowiecius ipse, cum se nominari audiret, non parum obstupuit; sed multo maiore perturbatione perculsus est, cum eum media in concione residere maxima cum contentione compellerent, et regnum capessere rogarent. Quid? quod plorare coepit, et se tanto oneri ferendo imparem esse confirmauit. Cum autem praecipua concionis pars ab illo desiderio non desisteret, tandem consensit, iisque obsecutus est. Id quod Duces Neoburgensem et Lotharingiae, amicis familiarissimis confestim spoliauit; Lithuani vero eum principem, quem non primi nominassent, regem suum agnoscere nullo modo volebant, aliosque viros proponebant. Quae dissensio nouas turbas excitauit, quae ita inualuerunt, vt nobilis aliquis, qui animi sui sensa liberius manifestaret, confestim gladio in minima frusta dilaniaretur. Verumtamen Lithuani, vt factio debilior, aliis tandem concesserunt, atque Wisniowiecii electionem approbarunt.

Primas autem eam repudiauit, ideoque in castellum suum Louitium se recepit. Verum nobiles minis eum cogere coeperunt, senatores autem precibus ab eo impetrare studuerunt, vt illi electioni consentiret, quod tandem fecit, et regem, vt mos erat, publice proclamauit.

Interea cum Palatinus Calisiensis suam orationem haberet apum examen cum columba supra capita ipsorum transuolasse dicitur, quod Poloni faustum omen existimantes vnanimi consensu exclamasse: Viuat Rex *Michaël Wisniowiecius!* id quod Vir illustrissimus, Liber Baro de Cleuerskerk, qui iam Batauorum legatus in Angliam missus est, mihi narrauit, et reuera factum esse affirmauit, quippe qui illius electionis tempore, Warsouiam profectus fuerat.

Michaël coronatur 1670. Posteaquam itaque Michaël, et praecipue quidem ab inferioris dignitatis nobilibus Rex electus erat, a Primate proclamatus et decimo septimo Septembris A. C. 1670. coronatus est, sed modo ad A. 1673. vsque regnauit.

Cum Eleonora ex Austriaca gente, Ferdinandi III. filia, et Imperatoris, qui nunc est, Leopoldi sorore matrimonium iniit, quibus nuptiis in suspicionem incidit, vt regnum ad posteros haereditate translaturus, et Polonorum priuilegia subuersurus esse putaretur. Quam suspicionem et inuidiam facile exstinxit, cum iis, qui male sibi cuperent, omnia, quae postulabant, concederet.

Ille princeps, antequam Rex crearetur, erat pauperrimus, siquidem sex millibus modo Polonicorum florenorum vitam sustentabat, quorum Rex Casimirus et Regina Maria Ludouica di Gonzaga, prae amore haeredem eum constituerant. Et quamuis antea splendidas in Vcrainia possessiones obtinuerat, illae tamen ea aetate in Cosacorum erant potestate. Idem, vt mihi relatum est, Imperatori, qui nunc regnat, a cubiculo fuit; sed nihilominus tamen post electionem suam eius sororem in matrimonium accepit.

Cum A. 1672. Cosaci Tartarorum aliquot accessione confirmati ex more antiquo seditionem mouerent, eos summus exercitus dux Sobiescius cum regiis copiis castigauit, eorumque Ducem, cui nomen erat Doroczinko, domum redire coëgit. Vnde Turcorum Imperator occasionem cum Polonis bellum ordiendi cepit, causam interserens, Cosacos, quos Poloni opprimere laborarent, a se in clientelam receptos esse.

Ille Rex a maiorum suorum animo bellicoso quam longissime aberat. Eius enim sub imperio Turcae non modo Podoliam inuaserunt, sed etiam, vrbe praecipua Camenecia expugnata, Polonos ad ignominiosas pacis conditiones ineundas coëgerunt, quarum vi Michaël Turcis vectigal quoddam quotannis pendere obstringeretur. Quae tota causa secundum omnes eius partes considerata, ita se habet:

bet: Sobiescius, quem Casimirus, a quo semper ille stabat, Archi-Mareschallum et Summum Regni Imperatorem constituerat, regi Michaëli, cum creatus erat, carpentum cum sex equis muneris loco obtulit, idque ideo tantum, vt receptae consuetudini satisfaceret, alias enim Sobiescius ei erat inimicus. Quod donum rex, superba matre suadente, accipere noluit, quod summus exercitus dux iniquissime ferens varios modos et artes excogitauit, quibus vltionem ab eo repeteret. Quem in finem in comitiis saepius factionem contra eum excitauit, et tandem eo rem adduxit, vt comitia dissoluerentur, antequam aliquid in reipublicae salutem decerneretur, cum ipse interea, vt ex viris fide dignis accepi, cum Turcis et Tartaris clanculum ageret, vt ex Camineciae expugnatione et Lembergae oppugnatione apparet. Iames Walkerus, natione Scotus, qui oppugnationis tempore in illa vrbe commorabatur, nunc autem Londini degit, aliquando mihi narrauit, nonaginta millia Turcorum, viginti millia Tartarorum, et decem millia Cosacorum atque Moldauorum ante illam vrbem tum castra posuisse, eamque arctius inclusam ex quinque aggeribus tormentis bellicis perpetuo concussisse. Id quod A. C. 1672. factum est. Cuius vrbis praefectus erat Lonskius, eius militiae generis, qui vulgo Dragoni dicuntur, tribunus, qui, Walkero affirmante, quingentos modo suorum militum praesidio habuit, omni equitatu destitutus, quibus autem praeterea millia et centum armatorum incolarum auxilium praestiterunt, quibuscum Lonskius fortissime restitit, et oppugnationem tres hebdomades sustinuit, ad quod id inprimis multum contulit, quod cum Christianis, in Turcorum exercitu militantibus clandestinam societatem souebat. Denique Rex Morstinum Comitem aliosque Commissarios misit, qui cum Turcorum Duce, Caplano Bassa pacisceretur, vbi hostes a Rege, si vrbem ab oppugnatione liberari desideraret, flagitarunt, vt ipsorum Imperatori viginti duo millia Ducatorum et centum millia leoninorum, quos vocant, thalerorum tributum quotannis penderet, quorum decem millia incolae statim soluerent, reliquias autem a republica datum iri pollicerentur, quae interea octo obsides in pignus dedit, qui Camineciae retinerentur, vbi etiam, quia illud debitum nunquam solui poterat, diem obierunt. Praeterea decretum est, vt Turci Camineciam cum tota Podolia retinerent. Verum summum exercitus ducem Sobieskium eiusque reliquos sectatores ignominiosissimi illius pacti puduit, ideoque tandem cum rege in gratiam redierunt, quo amissa recuperarent. Pactum ignominiosam cum Turcis.

Polonicae itaque et Lithuanicae copiae statim Podoliam versus profecti sunt. Polonicis copiis dux *Sobieskius*, alteris autem dux *Pacius* praefuit. Qui duo duces ad Cochimum, quod quinque milliaria a Camineeia distat, splendidissimam a Turcis reportarunt victoriam, et id quidem Moldauorum et Wallachorum perfidia, qui ad ea vsque tempora per nihil aliud, nisi periuria inclaruerunt, quibus tunc temporis maximum Polonis attulerunt commodum, quibus nihil, nisi fortitudo deerat. *Caplanus* Bassa Turcico exercitui praeerat, et Moldauorum copias secum ducebat, quibus eorum Hospodar praefectus erat. Cum vero illi huius res gestae minus placerent, eiusque copiae non tam numerosae essent, quam ipse coniecerat, acinace eius caput vulnerauit, quo Hospodar tanta ira accensus est, vt vltionem meditaretur, quam etiam effectui dedit, dum simul cum Wallachis suae factioni adhaerescentibus Turcos reliquit, et ad Polonos transiit. Id quod Duci Sobieskio viam in Turcica castra aperuit, et perfectissimam ipsi attulit victoriam. Quae clades procul dubio res Polonicas felicissimo successu fortunasset, si Duces ea, quam obtinuerant, victoria recte fuissent vsi. Verum, quemadmodum mala ea consuetudo semper apud Polonos obtinuit, vt victoriis recte vti non nouerint, ita et hic fecerunt; quandoquidem copias suas in suam terram illico reducerent, et ita Turcis plenam Prouinciae Podoliae possessionem concederent. Clarissimum illud proelium die quodam Saturni coeptum tribus vix diebus est peractum. Sobiescius dux Turcos profligat.

Paucis ante diebus, quam illa victoria obtineretur, Rex Michaël decimo Nouembris A. 1673. aetatis trigesimo secundo fere anno Lembergae defunctus est, cum quatuor tantum annos regnasset. Per Francogallum quendam Zamosciae venenum Rex Michaël moritur Leopoli, a. 1673.

nenum ei datum fuisse traditur. Eius mortem Poloni non tam doluerunt, quam potius pudore perfusi erant, quod tam malam instituerint electionem, cum ipsum regem sibi creassent.

Illi regi paulo ante obitum is casus aduersus accidit, vt Ministrum aulicum Turcici Imperatoris ad se venientem, et tributum a se exigentem videret, qui sibi scipionem, et Turcicam togam afferebat, quod vtrumque significat, eum, qui accipit, ei, qui dedit, vectigalia soluere debere. Liberos non reliquit; quanquam eius coniux, quae postea Lotharingiae Duci, proxime defuncto nupsit, haeredes aliquot ei peperit. Nunc non ita pridem mortua est, et tum, cum ex Italia in Germaniam veneram, Oeniponti, quod Comitatus Tyrolensis caput est, commorabatur, vbi id honoris mihi contigit, quod eius manum osculare, cum Mylordus Carlingfordius ad eam me duceret. Cuius frater, Romanorum Imperator eam eiusque liberos pecuniae cuiusdam, quae ex Comitatu Tyrolensi redibat, haeredes constituit, qua vitam sustentarent, quia neque ex Polonia, neque ex Lotharingia, aliquid exspectare poterat; siquidem posterior prouincia in Gallorum adhuc fuit potestate, in Polonia autem ille mos obtinet, vt regia vidua alteri viro nupta, pecuniae, quae ei a comitiis, cum rex coronatur, ad vitam sustinendam destinatur, fruendae iure excidat.

Infans cum dente aureo natus Vilnae.

Mirificum quoddam euentum, de infante quodam narratur, qui illo rege imperante A. 1670. Vilnae in Lithuania natus esse dicitur. Ille (vt fama tradit) aureum dentem, simulac lucem adspexit, in ore habuit, qui dens ab omnibus medicis, chirurgis et aurifabris in vrbe et circa vrbem illam habitantibus pro auro probo agnitus, et Episcopo Vilnensi praesente examinatus est. Sed multo mirabilius hoc erat, quod, cum posthac A. 1673. ille infans febri correptus esset, aureus eius dens in osseum commutaretur. Quam probabile illud sit, peritissimis naturae exploratoribus diiudicandum relinquo; ego tantum, me hoc euentum in scriptore fide digno reperisse moneo.

Sobiesciusza-moscii viduam in matrimonium ducit.

Rege Michaële rebus humanis exemto, successit ei *Iohannes Sobieskius*, nuper mortuus Poloniae Rex, qui Iohannis Casimiri satellitum tribunus, et ipsi a cubiculis fuerat. Cum illis muneribus fungeretur, Zamoskii viduam matrimonio sibi iunxit, quae tunc reginae erat magistra, et eius nec non Regis Casimiri opera decem millium thalerorum pensionem, qua aleretur, accipiebat. Eius, quem dixi, Sobieskii reditus decem millibus thalerorum, nec pluribus constabant. Eam autem, quam dixi, matronam posteaquam in matrimonium duxerat, splendidiores ei honores rex Casimirus pollicitatus est, quos ei reuera tribuit, adeo vt Sobieskius huius coniugii beneficio identidem ad altiores honorum gradus adscenderet, donec ad regiae dignitatis fastigium perueniret.

Tibi itaque, Vir Serenissime, breuem et accuratam de praecipuis rebus gestis Regum Polonicorum quarti ordinis narrationem tradidi, prout mea tenuitas et operis acceleratio passa est.

Antequam autem huic operi finem impono, id annotandum est, Polonia, quanquam eiusmodi regnum fuit, cui, quem vellent, eligendi libertas esset, regiam nihilominus tamen dignitatem in vna familia permansisse, et a patre ad filium, aut saltem a patre ad filiam, aut alium quendam proximum cognatum descendisse, ab A. C. 830. vsque ad A. 1674. hoc est, a Piasti imperio vsque ad superioris regis Iohannis Sobieskii electionem, quinque iis mensibus exceptis, quibus *Henricus Valesius* seu Henricus III. Franciae Rex imperio praefuit, qui postea a monacho confossus est. Postrema enim ex Piasti familia, secundum rectam lineam ex eo originem trahens, erat Hedwiga, quae Iagelloni, Magno Lithuaniae Duci nupsit. Ab illo principe et Hedwiga orti masculi posteri ad Sigismundi II. tempora vsque regnarunt, quarum altera Regi Stephano Batorio, successori eius nupta est, altera autem Sigismundi III. mater fuit, qui cum filiis suis regiam potestatem consecutus est, vsque ad Michaëlis Wiesnowiscii imperium, qui a Iagellone non recta quidem linea, sed tamen ex Korybuthi, Iagellonis fratris genere originem trahebat.

E qui-

E quibus manifestum est, Polonos electione libera semper quidem vsos fuisse, sed nihilominus tamen octingentos quadraginta quatuor annos regibus vnius eiusdemque stirpis continua serie regnantibus paruisse. Sic quoque infitiari non possumus, eos defuncti regis filium ab imperio nunquam excluisse, neque vnquam Germanicum principem ante nuperrimam Electoris Saxoniae, Friderici Augusti, qui nunc Polonicae reipublicae praeest, electionem ad regiam dignitatem extulisse. Verum sicuti omnibus eiusmodi rebuspublicis liberum est, imperii statuta toties mutare, quoties communi saluti conducere existimant; ita etiam Poloni postquam posterioribus regibus ex ipsorum gente ortis reipublicae salutem non satis curae fuisse animaduerterunt, in extraneo principe creando sapientissime egerunt, cuius principis potentia et virtus in prouinciarum suarum ampliandarum spem eos adducere potest, vt a rege, cui nunc parent, Friderico Augusto facillime coniicere licet, qui cum Imperatore, Moscouitis et Venetis societatem iniit. Caeterum permaneo Tuus

Vir Serenissime

humillimus et obsequentissimus seruus.

B. C.

EPISTOLA QVARTA

AD

ILLVSTRISSIMVM DOMINVM

WILLIAM COMITEM DE YARMOVTH

DE

PROGENIE ET MEMORABILIBVS FACTIS REGIS POLONIAE, IOANNIS III. NEC NON DE DESPONSATIONE EIVS FILIAE

CVM NVNC REGNANTE ELECTORE BAVARIAE.

Ioannes Sobiescius, non solum rerum gestarum, post eius electionem, amplitudine, sed et meritis et singulari prudentia clarus, in hoc maxime admirandus, qui neque e familia potentiori, neque e regum priorum progenie natus, attamen per omnia militiae stipendia, ad regiam vsque dignitatem euectus fuerit.

Rege *Michaële Wisniouecio* vix extincto, *Ioannes Sobiescius*, qua supremus exercitus imperator, insigni victoria Turcas prope Caminieciam subegit, et per hanc magnam in republica Polona fecit mutationem. Nam post haec Turcarum dux exercitus et thesaurarius, tributum annuum, quem Michaël indigne concesserat, non amplius ita rigorose exegerunt, sed ad diem electionis vsque propositam dilationem concesserunt.

Regni Senatus congregatus publicas festiuitates instituit, et Michaëlem plangere desinens consilia inire coepit. Comitia, quae diem electionis praeirent, praefigebantur in diem XV Ianuarii anni 1674. quaeque duas hebdomadas egredi non deberent. Verum enim vero dissidiae, solito more eiusmodi actus concomitantes, nec non omnium bonus erga imperatorem exercitus supremum Sobiescium animus, quo regia dignitate eum ornarent, in causa erant, vt vsque ad XXII aut XXIII mensis Februarii prolongarentur, quo in tempore nihil aliud actum, quam vt Reginae viduae pensio annua determinaretur.

Die XX Aprilis dies electionis, in qua multi Candidati nomina dabant, et cuiusuis praetensiones audiebantur, initium cepit. Quamquam Moscouiae Dux magnus in electionibus anterioribus beneuolas aures inuenire non potuit, attamen

in hac denuo fecit periculum. Legatus eius postulabat coronam pro filio natu minimo, qui tunc annum decimum tertium, aut quartum non superabat. Sed neque magnas, vt olim, pollicitationes, neque minas, quas irrisissent, quia Polonia in meliori quam antea statu erat, adiecit.

Hunc Transyluaniae Princeps excipiebat, qui Polonis quindecim centum millia imperialium seu *thalerorum*, nec non principatum suum Poloniae coadunandum, et decem et quinque millia militum contra Turcas alere, offerebat. Quoniam vero haec promissa vires eius superare videbantur, de vera eius intentione, aut quod ea implere haud possit, merito dubitabatur. Nam Poloni, maximam Transyluaniae thesauri partem iam eo tempore, quo *Stephanus Batorius*, Rex Poloniae creatus fuerit, in Poloniam fuisse transportatam, sibi persuadebant. Elector Brandenburgicus pari modo non dubitabat, fore vt filius suus, quoniam mutationem religionis statim post eius electionem promittebat, eligeretur. Sed breui post, a proposito, cum ponderaret ea, quae in anterioribus electionibus cum principibus Germanis et in religione dissidentibus acciderunt, aberrauit. Quod si hic princeps religioni Romano-catholicae addictus fuisset, simulque Borussiae ducatum cum Poloniae regno vnire promisisset, certe non frustra, regni fasces sibi deberi, contendisset.

Ducuum Mutinensis et Parmensis legati aderant etiam huic electioni. Cumque nemo non, coronam eos petituros, putabat, se tantum venisse, vt coram ob Regis mortem dolorem suum Polonis declararent, et simul de victoria prope Chocimum reportata, gratularentur, significarunt.

Don Pedro di Ronquillas, ex Hispania sine charactere legati veniens Ducis Caroli Lotharingiae partes vt tueretur in mandato habebat, si antea in fauorem *Don Iuan*, Austriaci omnem mouisset lapidem: sed hoc negotium minime successit, et Hispania alio huius principis rebus modo consulere debuit.

Princeps Gallicus, cuius nomen non innotuit, quamquam non dubito, principem de *Conde* fuisse, quam plurimos habuit aemulos; et aliis regni candidatis hunc principem plane non fuisse nominatum, perquam gratum fuit.

Dux Neoburgicus pristina postulata, quamquam antea iam indigne accepta, iterabat. Regni fasces vero non proprio, sed natu minoris filii Philippi nomine quaerebat, et loco filii, easdem conditiones, quas in praecedentibus electionis comitiis ipse obtulerat, proposuit. Lotharingiae Ducem quod attinet, ardentius is regnum appetebat, cuius partes Regina vidua adeo fouebat, vt mundum muliebrem oppignorauerit, quo eius partes commodius tueri possit. Falsus vero rumor, quem nonnullae Roma transmissae litterae dissiparunt, omnem perdidit operam, quem in finem etiam rumor iste spargebatur. Perhibebatur nempe, quod matrimonium Lotharingiae Dux cum Imperatrice vidua iniisset. Neminem enim fugiebat, quam multa ei deberet, quippe quae et patrocinium et amicitiam Imperatoris, e patrimonio per Galliam expulso, comparauit. His non obstantibus Regina vidua fauorem erga illum retinuit, vanumque rumorem subito annihilauit, quo facto Lithuani iterum ad partes illius accesserunt, qui negotium, quod antea cum illa obibant, obliti fuisse videbantur.

Ad extremum haud plures quam tres restabant candidati, quibus tres etiam factiones, minas iactantes, adhaerebant. Prima erat Lithuanica, cuius caput dux exercitus *Pacius* erat, Lotharingiae Ducis partes susciplens. Is, cum prope Chocimum in castris cum Supremo regni exercitus Duce *Sobiescio* colloquium faceret, hic inter alia dixit: *opus esse vt Rex eligatur dives, fortis, neque iuuenis*, ad quae Pacius adiecit: *et ante omnia caelebs*, id quod satis innuebat, Lithuanos haud alium Regem, quam qui post electionem vxorem ducere possit, electuros. Alteram constituebat factionem nobilitas Polona, quae vero minime conspicua fuerat, ideo quia nonnulli Piastum, alii aut Ducem Neoburgicum aut Lotharingiae desiderabant. Exercitus erat tertia et maxime metuenda factio. Sobiescius, supremus exercitus dux proposuit quidem Galliae Principem, recte vero sibi ipsi consulebat. Gallia Ducem Neoburgicum commendabat, principem non tam arcte cum domo Austriaca iunctum, vti Lotharingiae Dux, qui ea omnia, quibus fruebatur, et adhuc sperare poterat, huic debebat familiae. Quod si Gallici Principis nomen tantum, cum proponeretur, indicatum fuisset, procul dubio omnes Germanorum conatus fregisset, quibus Respublica minime fauebat, quique magnorum sumptuum rationem habuissent, si nunquam de Poloniae corona cogitassent.

Conuenientibus paulatim in comitiis ordinibus, praecipue vtrique Duces, Poloniae scilicet et Lithuaniae, splendore et pompa omnibus antecellere, et maiori, quam secundum libertatem Polonorum par erat, comitatu in comitiis comparere videbantur. Merita interim a Sobiescio in rem publicam collata tanta erant, vt hac in re ipsi aliquid concedendum existimarent; quae tamen licentia Lithuanis ex iure inter eos communi non erat deneganda. Sed hi Duces procul dubio consiliis longe differebant. Sobiescius etenim regiam ipse aspirare existimabatur dignitatem; cui vero Patzius quouis modo obstacula struere studebat. Neque defuit vtrisque occasio armis inter se confligendi; id quod vero diuino impeditum est fato, licet Dux Lotharingiae, quo a partibus suis stantibus animum augeret, castra finibus Silesiae admouisset. Lithuani animaduertentes, Sobiescium coronam appetere, omnem conferebant operam in eo, vt ab illa excluderetur. Hanc ob causam nullam praetermiserunt occasionem suspectum et odiosum reddendi regem ortu Polonum, declarantes publice et ducentes in numero hostium patriae omnes aliter sentientes. Quae tamen res tantum iniquitatis videbatur habere, vt plurimi imperii ordines non absque feruore et indignatione rei intercederent; nec erat dubium, quin multum sanguinis effusum fuisset, nisi Sapieha, Primarius Lithuaniae Thesaurarius et comitiorum Mareschallus, egregia sua id impediuisset prudentia.

Primus ad comitia aditus patebat Francisco Bonuisio, Nuncio Pontificis maximi; qui nomine delegantis hortabatur ordines imperii ad legendum Regem religioni Catholicae addictum. Postea Christophorus Comes Schasgotschius, legatus Imperatoris Romani, illis de meliori commendabat Ducem Lotharingiae; cui etiam Episcopus Massiliae, filius Ducis Neoburgensis natu maximus, commendatione aderat nomine Regis Gallorum. Ministri horum candidatorum repetebant promissa iamiam facta. Caeterum quilibet abripiebatur studio illarum partium, quas sequi sibi proposuerat. Sobiescius simulans, se fauere Principi Gallico nondum nominato, multa comparabat suffragia. Etsi stantes a partibus Magni Cancellarii Patzii numero non adaequarent partes Sobiescii: attamen illis commoda Reginae et Ducis Lotharingiae non minori erant curae. Ideoque periculum erat, ne duplex eueniat electio; quamobrem prudentiores reliquis quauis data occasione ante oculos posuere, quantae perturbationes in superioribus electionibus Batorii et Sigismundi ex eiusmodi discordiis duxerint originem; id quod tamen videbatur animos parum mouere.

Dilato propter has dissensiones die electionis in decimum nonum Maii, Senatus per delegatos quatuor vel quinque Episcopos Reginae Philippum principem Neoburgensem in matrimonium et cum illo coronam obtulit, si partes Ducis Lotharingiae deserere placuerit. Regina legatos honorifice accipiens, gratias egit Senatoribus pro eorum beneuolentia maximas, addendo simul, se dubitare adhuc, an in illorum manibus posita sit electio, cum Lithuani eius amici nondum mutauerint mentem. Cognoscentes ex eo legati, permansuram esse Reginam in proposito, adiuerunt quoque Magnum Ducem Patzium, quem pariter in partibus Ducis Lotharingiae perseueraturum fore satis apparebat; qui Reginae vario modo deuinctus, non magnam videbatur ideo incurrere reprehensionem. Congregatis iterum postero die ordinibus Poloniae et Lithuaniae quaelibet partium suscepta studebat exsequi consilia.

Nemini non perspicuum erat, Sobiescii vires eo creuisse, vt potestas dirigendi electionem penes illum esset; quare reliqui se exercitui Ducis Lotharingiae iungere statuerant; id quod omnibus, quibus salus publica curae cordique erat, maxi-

maximum iniecerat terrorem. Russiae princeps denique habita grauitatis plena oratione ordinibus posuit ob oculos: Regina matrimonium a Senatoribus oblatum inire recusante, par esse partes eius derelinqui. Multa item se iamiam suscepisse in amicitiam domus Austriacae et Germanicae, absque vlla officiorum remuneratione. Tametsi Lithuani in ignominiam patriae suae de viribus reniterentur electioni Regis ortu Poloni: attamen hac vice eligendum esse eiusmodi regem, quo exinde appareat, maiores suos regem ex natione nulla alia ex causa tam raro delegisse, quam ad vitandam inuidiam et aemulationem inter tot ordines, quorum merita regiam permitterent aspirare dignitatem. Adesse vero in praesenti Polonum, cuius merita in rem publicam essent maxima, eum igitur absque mora esse eligendum. Quo facto ille Iohannem Sobiescium denominabat regem, hanc egregiam illi tribuens laudem: impendisse eum totum vitae curriculum vsui reipublicae, eamque percipere ad hunc vsque diem fructus ex victoria ad Choziinum ab illo non ita pridem reportata. Adiecitque porro: Esse hoc tantummodo speciminis loco, quid adhuc de illo expectare possit patria. Denique monuit: ad declarandum meritorum memorem animum se debere Sobiescio coronam, quippe cui acceptam ferrent libertatem hic considendi, et more institutoque maiorum agendi. Nobiles Russiae vi huius orationis commoti Sobiescium in illorum regione natum designarunt regem, quorum exemplum reliqui Poloni sequebantur. Accedebant illis quoque quidam Principatus Lithuaniae, instinctu principis Radzeuilii, Vice-Cancellarii huius Ducatus. In summa, quilibet eorum elaborabat in concilianda noui regis gratia et beneuolentia. Verum enim vero haec omnia animum Magni Lithuaniae Ducis tanta impleuerant indignatione, vt circa nonam noctis horam campum vna cum amicis suis derelinquens nullius consiliis eo potuerit reduci. Paulo post protestando, vti dicunt, declarauit, hanc electionem non esse factam communi ordinum imperii consensu, ideoque eam repugnare legibus imperii. Lithuani postero vicesimo Maii campum rursus ingressi, electionem iterum irritam iudicarunt legibusque contrariam, et inde retro, qua venerant, repetiere viam.

Missi erant ad eos reuocandos quidam Senatores et prouinciarum delegati; quibus responderunt: sese deliberatum ire de hac re, et quicquid consilii statuerint, fore vt illis per delegatos communicetur. Poloni autem et Lithuani Sobiescii partes secuti, cohortabantur Episcopum Cracouiensem ad proclamandum regem; qui vero hoc recusabat, pro singulari sua prudentia cogitatione praecipiens varios tumultus intestinumque ac domesticum bellum ex hac praecipitata electione oriundum. Reuenere paulo post delecti Lithuani, quorum primarius erat Episcopus Vilnensis, Magni Ducis Lithuaniae frater. Hic verba pro reliquis faciens, Sobiescium non nisi nomine Magni Mareschalli appellauit, adiiciens denique, se daturum esse ei suffragium, sed sub hac expressa conditione, vt promulgatio regis in posterum differatur diem, quo Lithuani quoque ad eam accedere, et electio concordibus omnium animis fieri possit; id quod videbatur neutiquam abnuendum. Primas regni Czartoriscius, inimicus Sobiescii, sub hoc tempus e vita discesserat, quod iterum mirifico fortunae Sobiescio fauentis casu accidisse videtur. Loco huius igitur Andreas Trzebicius, Episcopus Cracouiensis adiit vicesimo primo Maii nouum regem in campo adhuc commorantem, vbi etiam Lithuani comparuerunt cum Duce suo Patzio; quippe cui consilii visum erat, huic negotio cum tota interesse familia.

Postea Iohannes Sobiescius Rex Poloniarum vnanimiter designatus, introductus fuit ab ordinibus in ecclesiam Cathedralem Varsouiensem, et solemnia, quae vulgo Te Deum laudamus appellant, more consueto sunt celebrata; et quicquid temporis supererat, gratulationibus et omni laetitiarum genere est traductum.

Iohannes Sobiescius ex antiqua et nobili stirpe ortus est, quamuis neque clarissima, neque ditissima regni Polonici. Pater eius, Iacobus Sobiescius, castello Crocouiensi praefectus, non modo reipublicae gerendae peritus, sed etiam in bello clarus et prudens manuque fortis erat. Anno post Christum natum

natum millesimo sexcentissimo vigesimo primo legatus et plenipotentiarius in pace honesta cum Osmanno, Turcarum Imperatore ineunda nauauit operam, qua in re singularem prudentiam et dexteritatem exseruit. Ita etiam multis aliis in rebus se gessit, et tandem post multa et praeclara in patriam merita anno Christi millesimo sexcentesimo quadragesimo sexto diem obiit. Mater erat Stanislai Zolkiewscii summi cancellarii regni Polonici et summi ducis filia, qui vndeuigesimo Septembris die anni millesimi sexcentissimi vigesimi memoria dignam illam apud Cicoram a Turcis reportauit victoriam, et eosdem, quamuis die secundo Octobris illius anni quinquies impetum in se feciſſent, semper tamen fortiter reiecit, donec tandem superatus et a suis relictus, in confertissimis hostium copiis acerrime pugnando exspiraret.

Princeps ille, cuius vitam enarrare incepimus, in pueritia maxima cum cura et diligentia educatus, et in Franciam missus est, vbi pater locum in praefectis ordinis equestris ipsi comparauit, quo maximarum rerum peritiam assecutus est. Sic quoque in Angliam, Germaniam et Italiam iter fecit, quarum nationum varios ritus, leges, disciplinam militarem, potentiam et modum reipublicae administrandae, et, vt verbo dicam, omnia, quae viro illustri in itineribus discenda sunt, obseruauit. Posteaquam in patriam redierat, et rex Casimirus virtutis et prudentiae eius egregia quaedam exempla viderat, ita vt eximiam eius prudentiam et peritiam et in linguis et in disciplinis, nec non rebus militaribus mirifice admiraretur, primo praefectum exercitus pedestris, et deinde tribunum exercitus, domus regiae custodis, eum constituit. Deinde gradatim vnum honoris gradum ex alio capessiuit, donec tandem in Lubomirscii locum summus Marescallus regni Polonici et in Potoscii locum summus dux deligeretur. Quos omnes honores ita administrauit, vt fortem et prudentem militem decebat, et ita se gessit, vt vir suae aetatis fortissimus, et regni Ottomannici terror existimaretur.

Matrimonium iniit cum Maria de la Grange, Marchionis de Arquien (qui paulo ante ad Cardinalis dignitatem euectus erat) e domo de la Grange, in Francica prouincia Niuernoensi, filia. Quae foemina primum Zamoiscio, vni e primariis regni ducibus nupta fuerat, quas nuptias regis Casimiri coniux, apud quam modo dicta foemina a cubiculo erat, reconciliauerat. Verum illo duce mortuo, duci summo Sobiescio nupsit, cui liberos aliquot, et in his tres filios strenuos enixa est. Quorum maximus natu cum Imperatore, rege Hispaniae, rege Portugalliae et duce Mutinensi affinitatem iniit; siquidem Neoburgensis ducis filiam aliquam vxorem duxit.

Rex Iohannes quindecim menses demum, postquam electus erat, coronatus est, intra quod tempus Turcarum potentiam mirum in modum fregit, eosque Zorownae pacem inire coëgit, cuius beneficio ab rege Michaële promissum tributum annuum Polonis Turcae condonabant; quamquam adhuc arcem Caminiacensem obtinebant.

Cum eligeretur, defuncti regis vxorem, sumtibus suis honeste, vt dignitati eius par esset, nutritum, nec non debita exercitus residua iis solutum iri promittebat, quoniam ex aerario publico illud praestari non posset. Locum summi Mareschalli Demetrio, regis defuncti propinquo, et summi Legati honores duci Cracouiensi administrandos concessit. Quo facto consilium suum de bello aduersus Turcas acerrime et summis viribus continuando patefecit. Quem in finem, se millia peditum suis impensis conscripturum, et durante bello sustentaturum promisit, quo Senatores aliosque magnates regni ad simile pro facultate conferendum, incitatum iri sperauit. Quam ob causam munus summi ducis tamdiu obtinere quaesiuit, donec expeditio ad finem perducta foret, cum coronationem eius aliquantum temporis adhuc differri, necessitas exigeret. Cui nobilitas statim consensit.

Quo facto viduae regiae ex regis promisso, ordinibus imperii consentientibus, stipendium ducentorum millium nummorum aureorum Polonicorum quotannis dari decretum est, ipsique libertas concessa sedem figendi, vbi maxime ipsi

volupe esset, Cracouia, aliisque quibusdam munitis locis in Silesiae sitis confinio exceptis; quo vrbem Borussiae, Thorunium sedem sibi elegit.

Rex autem licet bellum contra Turcas, vti diximus, persequendi maximo flagraret desiderio, nobilitas tamen cum senatoribus admodum segnes se gessit; etenim sexaginta millia militum suis sumtibus se sustentaturum promittebant quidem, postea tamen, cum quadraginta tantum millia militum poscceret, eorum discordia et inuidia tanta erat, vt vel hac copia eum subleuare recusarent.

Verumtamen, cum Turcis, Moscouitis et Tartaris in Vcrainia resistere firmiter decreuisset, quindecim fere aut sedecim millium manum sibi comparauit, qua fretus Warsouia vigesimo secundo die Augusti egressus fines petiit. Contra vero ducis Moscouitici exercitus numerum centum millium excedebat, tamen vero nullam cladem Polonis inferebat, quoniam Turcae strategemate quodam illis obstabant, et ita cum Tartaris totius Vcrainiae duobus tribusue locis exceptis breui temporis interuallo potirentur.

Lithuanicae copiae, quae ex duodecim millibus fere constabant, regio exercitui cum consociarentur, eius manus in triginta propemodum millia militum excreuit. Quo facto cum statim Sloczouiae consilium militare iniisset, recta Vcrainiam petere decreuit, vt hostem summa vi adoriretur, quamuis Turcarum legatus consilia quaedam de pace ineunda ipsi proponeret. Quae autem Poloni nihil nisi strategema esse statuebant, quo sibi glaucoma obiiceretur, et Moscouitarum aemulatio aleretur et augeretur; quo Turci se (Polonos) dissipare studerent.

In Vcrainiam itaque cum peruenisset, ducem Russienscm ad hostis conditionem explorandam emisit, qui prope moenia vrbis Caminecii millia equitum Turcicorum oppressit et profligauit, eorumque centum captiuos secum abduxit. Tum forti et intrepido animo progressus, vrbes quasdam Podoliae munitissimas expugnauit. Quo tempore Lithuani rege relicto domum redierunt, causam interserentes, acerbum hyemis gelu intolerabile sibi fore. Nihilominus tamen rex in bello perseuerare, Polonorum ferocia fretus, et fortunae vices experiri statuit; neque haec ei defuit. Nulla enim fere hebdomas praeteriit, quin vnus et alter locus insignis eius potestati se submitteret, cum Turcae per totum illud tempus illi resistere haudquaquam auderent. Rex itaque totam illam Vcrainiae partem, quae in occidentali Borysthenis ora sita est, expugnauit, sola vrbe Czebryno excepta.

Anno millesimo sexcentissimo septuagesimo quinto Turcae et Tartari ingenti exercitu armati expeditionem susceperunt. Nihilominus tamen fortissimus ille rex ne latum quidem vnguem cedere constituit, sed ante omnia praesidia Mohiloniae, Braclauiae, Nimirouiae, Calmici et Bialacierkieuiae auxit; quo factum est, vt tam parum copiarum ipsi superesset, vt ipsae vix nomine exercitus essent dignae.

Turci et Tartari Sloczouiae profligati recta Leobergum petiuerunt, vbi regius exercitus, milliaris spatio ab hac vrbe remotus castra posuerat. In qua regione collis trecentorum fere passuum altitudine eminebat, in quem qui adscenderat, per tramitem peranguſtam, et quidem per siluam nuperrime succisam descendere necesse habebat. Iuxta huius collis radices erat planities, quam Tartari ad Polonorum castra iter facturi transire cogebantur. Vbi rex affinem suum, principem Radziuilem cum copiis quibusdam, ad aditum dextrum castrorum suorum muniendum, locauit. Dux autem Carisius, ad sinistram locatus tormenta quaedam in colle disponi iussit, quibus hostem in planitie concuteret, et siluam ex vtraque viae anguſtae parte cohortibus aliquot militum leuis armaturae clausit. Insuper rex turmas quasdam in planitiem progredi et hostem adoriri iussit, qui hostis circa horam quartam pomeridianam, tanto numero armatorum prodibat, vt tota fere regio, quantum conspici poterat, tegeretur. Interim rex cum in colle motus eorum obseruasset cum reliqua paucarum suarum copiarum parte in planitiem descendit, vbi non modo ipse pro consuetudine fortem et imperterritum se praebuit, sed etiam militibus animum addidit, asseuerando, se cum proposito aut moriendi huc ve-

veniisse, aut vincendi. Deinde nomine Iesu ter pronuntiato, intrepido animo in conspectum hostis prodiit, vbi aduersariae partes maximo cum impetu et furore manum conseruerunt. Quo proelio rex tam singularem fortitudinem, quam prudentiam exhibuit, suoque exemplo omnes duces incitauit, vt exiguis fretus copiis ingentem aduersariorum multitudinem in fugam verteret, vt, antequam nox ingrueret, incredibili interfectorum numero relicto, fugam capesserent.

Rex hostem persequi in animo habebat, sed propositum eius nox interuertit et timor, ne Tartarorum princeps illis auxilio venturus sit. Qua notabili victoria, cuius similis vix vsquam auditum fuisse credibile est, rex, cum reliquam copiarum partem ad Leobergum et anguſtias custodiendas reliquisset, non plures, quam quinque millia militum secum habuit; vt tam exigua manu trecenta millia militum superata et in fugam coniecta esse, vix credibile videatur. Nihilominus tamen verum est, Tartaros tanto terrore perculsos fuisse, vt, quot antea milliaria tridui spatio iter fecerant, totidem vna nocte fugiendo absoluerent.

Nondum tamen hoc proelium erat confectum. Princeps enim Tartarorum et Ismaël Turcarum dux se hac clade non perculsos esse vt ostenderent, regi denuo obuiam ire decreuerunt. Quem in finem agmen duorum millium Ianitzarorum, quos vocant, selegerunt, arcem quandam, prope Brezezianium sitam, quam sexaginta tantum Poloni tenebant, vt aggrederentur, qui autem tam fortiter restiterunt, vt hostem magna cum iactura depellerent. Paulo post agmen decem millium Tartarorum propius Leobergum accessit, contra quod Harcowniscium forti turma armatum rex delegit. Qui illos acerrima decertatione facta, in fugam coniecit, postquam millia ex eorum commilitonibus ceciderant. Quo certamine multi etiam strenui Polonorum nobiles perierunt.

Postea cum Lithuani denuo regis exercitui se associassent, isque manum quindecim millium secum haberet, hostes inquirere instituit, quorum copiae septuplo saltem numero maiores erant, quam suae. Cum autem Podhaisum ab hoste oppugnari audisset, eo se contulit, vt illam vrbem oppugnatione liberaret. Sed in itinere, hanc vrbem hostibus traditam, ab iisque concrematam esse et direptam, et duodecim millia hominum captiuos abductos esse, intellexit, quanquam praesidiarii milites cum hoste pacti essent, vt se illaesos cum armaturis et impedimentis ex vrbe abire sineret.

Moestus ille nuntius regis animum admodum fregit, id inprimis aegre ferentis, quod tam multi Christianorum in seruitutem redigerentur, suaeque prouinciae deuastarentur. Quapropter aut illis confestim opem ferre, aut ipse occumbere statuit. Eodem enim die hostes adoriri tentauit, qui ad Bulzatium castra mouerant, aduentu autem eius cognito obsidione discedebant, et cum omnibus copiis Trembowlam recedebant eamque oppugnabant. Vbi saepius magna clade facta repulsi sunt, nihilominus tamen incepto suo perstiterunt, donec tandem rusticum, epistolam a rege ad praefectum vrbis perferentem interciperent, in qua epistola rex eum de suo aduentu ad vrbem obsidione quam citissime liberandum, certiorem fecit. Id quod tantum hostibus iniecit terrorem, vt tormentis bellicis, quorum centum erant, ab aggeribus, quos exstruxerant, deuectis, maxima cum perturbatione Caminecium peterent. Quod? quod tantopere erant perculsi, vt ne Caminecii quidem se satis tutos putarent. Cum Polonis enim acie decernere quoniam non audebant, Tyram traiicere et in Wallachiam iter suscipere decreuerunt. Hoc autem propositum cum tanta, qua opus erat, celeritate exsequi non possent, princeps Lubomirscius cum parte copiarum regiarum a tergo eos adortus est, magnamque eorum multitudinem fudit. Quo facto Turci metuentes, ne vlterius fugarentur, rursus Danubium traiecerunt, vti etiam Tartari per Bialogrodum domum repetierunt. Rex itaque, copiis suis in hyberna locatis domum proficisci statuit, quo omnibus ciuibus suis magnam laetitiam attulit.

Nunc tempus instabat, quo rex coronandus erat. Quem in finem die decimo septimo Ianuarii corpus nuper defuncti regis Michaëlis Varsouia in traha octo

equis iuncta, omnibus regiis ministris multisque illustribus viris comitantibus Cracouiam deportatum, ibique cum regis Casimiri funere, paulo ante ex Francia allato, omnibus consuetis coeremoniis rite peractis terrae mandatum est.

Quibus ritibus finitis, Iohannes Sobiescius cum vxore Maria anno post Christum natum millesimo sexcentesimo septuagesimo sexto in arce Cracouiensi maxima cum pompa coronatus est.

Quo facto rex honores viris, qui eos gererent, carentes consueto more, aliis committere operam dedit, ita vt Lubomirscium summum regni Mareschallum, Siniawscium Mareschallum aulae regiae et principem Wisnowiscium, ducem Belzensem crearet. Honores autem summi ducatus regni duci Russiensi, Iablonowscio, concessit, qui nunc summi Imperatoris regni Polonici munus gerit.

Insequente mense Iunio Turcarum dux, Nuradinus cum duobus filiis principis Tartarorum magno cum exercitu Tyram traiecit; emissis antea factionibus quibusdam ad prouinciam depopulandam. Eodem tempore Ibrahimus, Turcarum dux in stationes quasdam prope Caminecium sitas, impetum fecit. Quo facto rex omnes copias, quas apud Leobergum contrahere poterat, conuocauit, ibique eas lustrauit, et nobilitatem ad prouinciam defendendam, coëgit.

Eodem anno Hydius, Comes Rossensis, a rege Magnae Britanniae Carolo secundo ad aulam Polonicam missus est, vt regi Iohanni regnum impetratum gratularetur, et loco principis sui regis Britanniae filiam regis Poloniae, quae nunc Electori Bauariae nupta est, e sacro fonte susciperet. Dantiscum mense Augusto cum peruenisset, reginam Poloniae inuenit, quae interea, cum ipsius maritus expeditioni vacaret; illic se contulerat. Qui legatus, cum aditus ad reginam ipsi esset patefactus, filiam eius recens natam re valde pretiosa, adamantina cruce, donauit. Deinde in Poloniam profectus, a rege in castris apud Leobergum in Russia honorificentissime, vt par erat, exceptus est, eique iussu regis vnus ducum primariorum exercitum, et quomodo eius castra essent locata, ostendit.

Turcae et Tartari quanquam ingenti cum exercitu Poloniam rursus inuadebant, iacturae tamen illius, quam proxime superiore anno fecerant, memores, nomen regis Sobiescii ita metuebant, vt nihil nisi pacem optare viderentur. Quem in finem Imperator Turcarum per principem Moldauiensem pacis conditiones Polonis proponi iussit, quae denique, postquam Poloni proelio superiores discesserant, et vtraque pars hostilem animum interdum aperuisset, acceptae sunt et comprobatae.

Pace itaque ad Polonorum salutem inita, rex Nouembri Zolkieuiam, quam vrbem a patre per haereditatem acceperat, reuersus est, quo etiam Comes Rossensis se contulit, vbique multo magnificentioribus coeremoniis, quam vnquam contigerat, potestas regem adeundi ipsi facta est. Primum enim in regis carpento adductus, et deinde a Mareschallo aulae, seu cubiculario regis apud scalam palatii exceptus et ad regem perductus est, qui sub pretioso regmine stans eum salutauit. Denique, cum legatus duos menses ibi commoratus esset, regi valedicto per Silesiam, Austriam et Germaniam in Angliam rediit.

Poloni pace cum Turcis contracta vsque ad annum Christi millesimum sexcentesimum octogesimum tertium erant fruiti; cum barbari illi Cara Mustapha duce Viennam adoriebantur, cuius praefectus Comes Starenbergius erat, eamque obsidione claudebant. Quo audito rex Poloniae, cum filio suo, Iacobo, et principe Lubomirscio, multisque aliis Polonorum magnatibus, ad illam vrbem obsidione liberandam, et quidem, vt relatum mihi est, non pluribus nisi viginti quatuor millibus militum constante exercitu armatus accessit. Ad quod faciendum rex Poloniae ex ea, quam anno millesimo sexcentesimo octogesimo tertio cum Imperatore inierat, societate obstrictus erat. Electoribus itaque Saxoniae et Bauariae, Duci Lotharingiae, multisque aliis Romani Imperii principibus associatus cum Imperatori succurreret, exercitumque quinquaginta fere millium secum duceret, tanta virtute et prudentia Turcas aggressus est, vt duodecimo Septembris die quamuis (vt ex catalogo, qui in magni ducis Turcarum tentorio repertus est, cernere erat) centies nonagies semel mille et octingentis militibus instructi, incredibili tamen strage affecti, obsidione soluta, in Hungariam redire cogerentur.

Poloni, vexillo, quod dicitur magno, et equina, quam appellant, cauda, potiti, Turcas persecuti sunt, quod tamen, iam nimium defatigati, diu continuare non valebant. Magna praeda in Turcarum castris reperta est, quae ita sunt exspoliata, vt ne summi Ducis quidem tentorio, quod auro, argento, aliisque multis pretiosis rebus impletum fulgebat, parceretur. Ita etiam Christiani omnia eorum impedimenta et apparatus armaturasque, in quibus plura, quam centum tormenta bellica erant, ceperunt.

Hac pugna christianorum non plures, quam millia circiter militum ceciderunt, in quibus admodum pauci viri illustres erant. Quae praeclara victoria inprimis magnae prudentiae et fortitudini regis Poloniae adscribenda est, qui in summum periculum et in confertissimos hostes irrumpere audebat, suoque, quem diximus, filio, quoniam ipsum semper secum habebat, maturum fortitudinis specimen edendi locum dabat. Verumtamen neque Electores Saxoniae et Bauariae cum Duce Lotharingiae et Principe Waldeccensi gloria, quae illis debetur, sunt defraudandi, quippe qui omnes et singuli hac occasione oblata singularis fortitudinis documenta edebant.

Quo facto rex maximo cum applausu populi Viennam per muri fissuram ingressus magnum illud, quod Turcis eripuerat, vexillum sibi anteferri iussit, et deinde pontifici Romano misit, qui illud postea in templo Lauretano suspendit, vbi ego ipse illud vidi. Proximo die post eius in vrbem introitum Imperator ad eum inuisit, verbisque humanissimis gratias ipsi egit, vbi rex Polonorum Iohannes mirificam modestiam prae se tulit, virtute illa, qua in bellis gerendis valebat, non minorem. Tum Imperator regis filio Iacobo pretiosum adamantibus distinctum gladium offerri iussit. Quo facto filius regius Imperatori valedixit; Poloniae autem rex cum exercitu suo itineri se accinxit, Wisenamque, Hungariae vrbem profectus est, vnde vigesimo quinto Septembris die pontem naualem, quem in Danubio milliarium fere infra Posonium fecerant, transiit; quo insequenti vigesimo septimo eiusdem mensis die Imperatoris copiae eodem fluuio traiecto sunt secutae.

Octobris die vndeuigesimo cum manum Turcicam quatuordecim circiter millium, quae reliquarum copiarum erant lectissimae, sub ducum quorundam imperio apud Barcanum castra posuisse intelligeret Polonorum rex, ipse cum imperialibus quibusdam copiis eo mouit. Turcae, vix illis conspectis, statim castra mouerunt, maximoque cum impetu eos sunt adorti, simili autem furore excepti et acerrima dimicatione facta in fugam conuersi sunt. Vnus ex eorum ducibus interfectus, alter captus est, reliqui autem eorum aquis sunt demersi. Cum enim pontem apud Strigonium transirent, ille ruptus est, adeo vt ex ea, quam diximus satis magna manu aegre quater mille salui euaderent.

Porro Setschinum, vrbem Hungariae perinsignem, expugnauit. Rex enim cum a Duce Lotharingiae secessionem fecisset, Turcarumque magnum praesidium ibi locatum esse intellexisset, quod suarum Imperatorisque copiarum coniunctionem impedire posset, filium suum, ducemque Lublinensem ad eum locum obsidendum misit, arcemque, quo praesidium confestim confugerat, sine mora oppugnare iussit. Tum vexillo albo exserto, Turcicus huius arcis praefectus cum aliis ducibus egressus a rege petiit, vt sibi Budam proficisci permitteret. Quod impetrarunt. Profecti itaque magnam commeatuum atque impedimentorum pone se reliquerunt. Quo facto rex Imperialibus hanc vrbem in potestatem dedit. Tum duas arces, Brigh et Holoch ad deditionem excitauit, quae mox pacto se dediderunt. Dein Litthuanicis copiis in hybernis relictis, ipse in regnum suum reuersus est. Vigesimo primo igitur Decembris die Crocouiam peruenit, vbi laeta omnium ciuium cum acclamatione exceptus est, cum confestim laetus nuntius de insigni victoria afferretur, quam Kinisius, dux Cosacorum in Vcrainia de Turcis et Tartaris reportarat.

Posthac societatem offensiuam et defensiuam, quae dicitur, cum Imperatore, qui adhuc Romano imperio praeest, Papa et Venetis contra Turcas iniit, quae adhuc durat, quanquam nulli parti singulari fuit emolumento. Post Viennensem oppugnationem Poloni a Germanis, quos a Turcarum incursionibus liberauerant, male habiti et diuexati sunt; vnde etiam ille eorum (Polonorum) rex annos aliquot Gallicae factioni admodum fauisse creditur.

Eum pecuniae cupidissimum fuisse, vere dicitur: ipsi enim Poloni auarissimum et ditissimum omnium, quorum imperio paruissent, regum eum fuisse, mihi narrauerunt. Sic eum quotannis quingentis thalerorum millibus fiscum suum auxisse compertum est, quod viginti duos illos, quos regnauit, annos ad immensam pecuniarum magnitudinem excreuisse, nemo dubitare potest, quas omnes bello impendere ex antecessorum consuetudine debebat. Polonicorum nobilium aliqui me aliquando certiorem fecerunt, fore, vt, si filius Iacobus in eius locum sufficeretur, ille optimam thesauri illius partem, ad residua octo annorum exercitui debita soluenda rursus erogare necesse habiturus sit.

Externam regis Iohannis Sobiescii formam quod attinet, corpore erat magno et crasso, pingui facie et magnis oculis, eodemque, quo ciues eius, vestitu vtebatur; quem vestitum, quoniam a reliquorum Europaeorum amictu discrepat, breuibus hic describam, quod, vti spero, Tibi, clementissime Comes, auditu non iniucundum erit.

Poloni itaque circa aures ex monachorum more detonsi, mitris pellitis capita tegunt, barbas alunt superiores, collaribus non vtuntur, togam talarem gerunt, et sub ea tunicam eiusdem magnitudinis, quae cingulo corpori est alligata. Manicae eorum, sicuti remigum, perangustae sunt, et vsque ad pugnum prominent, quibus manicis alia quaedam annexa est lacinia, quam reuoluere possunt, et quae ad cubitum vsque extenditur. Eam aestate reuoluunt, hyeme vero demittunt, siquidem chirothecis non vtuntur. Toga talaris ea, quam diximus, panno crasso confecta, hyeme pretiosis pellibus, aestate autem leuibus pannis sericis subsuta est.

Verumtamen viros quosdam generosa stirpe ortos vidi, qui pellibus, etiam per aestatem erant induti, quoniam singulare ornamentum pellitae illae togae afferunt. Sub tunica indusia gerunt ampla, sicut mulierum indusia esse solent, quae circa collum leuiter connexa manicas amplas habent, quae ad manus vsque dependent. Eorum braccae etiam admodum laxa et cum tibialibus idem sunt. Calceorum loco domi forisque paruas ocreas Turcico corio confectas gestant, soleis admodum tenuibus, cauisque et ferreis calcaneis instructas, quae calcanea dimidiae lunae formam prae se ferunt. Praeterea magno acinace sunt instructi, qui pro hominum varia conditione, multis adamantibus distinctus esse solet. Insuper in toto regno non modo inter nobiles, sed inter plebeios quoque mos secures pugnae adaptatas in manibus secum ferendi obtinuit, quas mirifice fulgentes conseruant, et circa manubrium argento obducunt, imo interdum gemmis distinguunt. Duces, aliosque consiliarios regios eiusmodi securibus armatos in regis conspectum veniisse vidi, primoque, cum in eorum aulas venirem, valde miratus sum, quanquam ornamentum illud esse putant. Postea vero securitatis causa primo illud fieri solitum esse certior factus sum, vt, quoniam populus ille ad motus et seditiones excitandas valde procliuis esset et adhuc sit, in eiusmodi turbis, vbi acinacum vsus nullus sit, eae secures vsurparentur.

Omnis ille, quem diximus, ornatus speciem viris eximie decentem praebet, et in primis quidem equitibus, estque hic vestitus omnium quos in Europa vidi, quam pretiosissimus. Eorum enim pelles, quas vestibus subsuunt, perpulchrae et sumtuosae sunt; quandoquidem solae illae mitrae, quarum mentionem fecimus, pellitae viginti interdum imo triginta scutatis constant. Caeterum in formulis vestium nihilo minus variabiles sunt, quam nostrae occidentales nationes.

Alias

Alias ille Rex affabilis erat, vnicuique aditus ad eum patebat, et praeter miram comitatem multis aliis praeclaris virtutibus erat ornatus. Praeterea non modo omnium, quae ad bellum spectabant, negotiorum, verum etiam bonarum literarum omnium erat peritissimus, et praeter suam Sclauonicam, etiam Latinam, Gallicam, Italicam, Germanicam et Turcicam callebat linguam. Inprimis historia naturali omnibusque artis medicae partibus magnopere delectatus est. Igitur de eiusmodi argumentis colloquia instituebat libentissime audiuit, eosque, quorum consuetudine vteretur, perlepide ad disceptationem irritauit, vt me praesente saepius factum est, inprimis semel, cum alia omnia cogitarem. Rex enim cum prandendi causa mensae assideret, et episcopos Posnanienses, Plocenses, aliosque clericos plures, praecipue vero Patrem Votam, prudentem Iesuitam, secum haberet, latino sermone me interrogauit, in qua corporis parte animae sedes esset? Cuius argumenti inquisitionem a me declinaturus regi respondebam, mihi, vt medico, structuram corporis inprimis inuestigandam esse, et a rege, vt Theologis praesentibus hanc quaestionem discutiendam proponeret, petebam. Cui rex: Verumtamen inquit, quoniam animae cum corpore multa sunt negotia, suasque operationes in illo exserit, animique affectus, ira nimirum et metus, febres aliosque morbos gignunt, necesse esse videtur, vt eius rei causa medici tam animae, quam corporis naturam inquirant. Cui ego his verbis respondi: Medici, natura affectuum seu commotionum animi inuestigata, animam cum corpore et corpus cum anima ita coniunctum esse intellexerunt, vt altera pars in alteram nunquam non operetur, quo et animae cogitationes et corporis operationes perpetuo mutationem subeant. Quoniam vero anima extensionis expers sensum oculorum fugiat, fieri nullo modo potest, vt medici eius naturam et indolem recte perceptam aliis explicent, sicut cum corpore faciunt, quod per anatomiam in minutas partes dissectum per chymiam in subtilissima et minima resoluunt elementa. In eo tantum omnes consentiunt, quod magnus omnium rerum conditor inter animam et corpus eiusmodi leges sanxerit, quarum beneficio mutua negotia exerceant, et illa in hoc operetur. De sede vero (pergebam) animae determinanda praesentibus theologis fortasse non consentiam, sed a vulgari et in scholis trita sententia recedam. Animam enim in toto corpore totam et etiam in singulis corporis partibus totam esse, cum Aristotele fingunt. Id quod mente assequi haudquaquam possum. Anima enim, si in singulis corporis partibus tota est, tot animas in corpore esse consequitur, quot partibus illud constat; fieri enim nullo modo potest, vt substantia quaedam, quamuis in oculos non cadens spiritus, duobus locis simul sit. Praeterea nusquam alio, quam vbi cogitat, esse potest anima. Cogitationes vero neque in manibus, neque in pedibus, sed in capite locum habere, experientia constat; vnde animam tantum in cerebro esse colligo, sede sensationum neruorumque origine, quippe qui nerui sensationum motuumque instrumenta sunt.

Quae in hac Europae regione noua et inaudita doctrina cum videretur, Patrem Votam non parum irritauit, vt his verbis responderet: Anima si in capite modo sedet, cumque eam totius corporis vitam esse, vulgaris sit opinio, ideoque ad totum corpus animandum, in vnaquaque eius parte praesentem eam esse necesse sit, totum reliquum corpus vita carere necessario colligitur.

Id quod multo ampliori et vberiori disceptationi ansam dedit; hoc enim responsum mihi addendum esse intelligebam: Rationalis anima, inquam, non est corporis vita, quae vita in sanguine tantum et spiritibus, qui ei insunt, animalibus cernitur. Ille sanguis et illi spiritus, quos vocant, animales, totum corpus perpetuo circueunt, eique calorem et motum naturalem, in quo vita corporis proprie sita est, suppeditant. Qui sanguinis spirituumque animalium circuitus fieri nullo modo potest, vt ab anima rationali proficiscatur, cum sine hominis voluntate hic motus exsistat, et mechanica corporis structura impulsuque cordis naturali efficiatur, quippe quod primum mobile totius est structurae. Et quamuis in tota Polonia, vti etiam in aliis terris omnia vel vilissima corporis negotia ab anima rationali

nali perfici existiment, haec tamen sententia cum libero, quod omnes concedunt, animi arbitrio consistere nequit. Animam enim ea, quae agat, omnia non modo nosse, verum etiam sua sponte et sine coactione agere affirmant. Atqui vitales nostri corporis motus, cordis nimirum et respirationis agitationes, vna cum motione stomachi atque intestinorum peristaltica tam artificiose et mechanice, natura impellente fieri constat, vt eas anima neque impedire, neque accelerare, neque retardare vllo modo possit. Insuper eorum omnium anima prorsus est ignara. Siue enim de re aliqua cogitemus, siue a cogitationibus vacui simus, vt in somno et animi deliquiis fieri solet, illi, quos diximus, nobis insiti motus vitales vno eodemque tenore permanent.

Episcopus Posnanienſis, qui adolescens medicae arti operam dederat, nec non alii, qui huic conuentui intererant, illi sententiae assentiri cum viderentur, ille Iesuita non parum irritatus, iraque accensus, aequum esse dixit, neque regem, neque alium quemquam huic disputationi, quae receptae in ecclesia sententiae repugnans, si palam esset instituta, multum noxae inferre potuisset, diutius aures faciles praebere. Anima enim, inquit, nisi per totum corpus diffusa omnia vitalia peragit opera, nulli rei prodest, nostramque a brutorum vita plane non discrepare consequitur.

Cui ego sic: Omnino verum est, inquam, naturalis vitae effecta in nobis haud secus atque in bestiis mechanice fieri: siquidem eadem cum illis organa seu instrumenta, atque fluida, quae nos animant, habemus. Animae tamen, quoniam cum vnoquoque corporis naturali opere negotia non intercedunt, deteriores esse partes, haudquaquam existimemus. Cum enim anima naturalium, quae sua sponte eueniunt, corporis motuum causa non sit, liberas tamen actiones omnes, loquendi scilicet et eundi, omnes alios motus corporis spontaneos efficit. Omnes a quinque sensibus impressiones recipit; omnes ab oculis sibi obiectarum rerum notiones sibi format, de iisque iudicat, et corpori quid prosit, quidque obsit, demonstrat. Vt verbo dicam, anima cum nauis gubernatore haud inepte comparatur, ita, vt, etsi corpus ea, vt ventus nauim, non moueat, omnes tamen eius actiones libere flectat atque dirigat.

Quibus verbis non omnes corporis partes ab anima rationali animari et moueri rex satis instructus, quidnam mors esset, sciscitatus est. Tum ego: Theologia scholastica mortem ita describit, vt sit corporis ab anima rationali separatio. Animam igitur in morte a corpore separari reuera, facile quidem concedo, hanc tamen separationem mortis causam esse, nullo modo ad credendum adduci possum; sed potius mortem corporalem nihil nisi motuum cordis, sanguinis spirituumque animalium cessationem esse puto. Quae cessatio ab animae separatione non oritur, quae anima, cum ea, quam dixi, motione nihil negotii habet, vt supra demonstrauimus; sed vitiis quibusdam organorum et fluidorum, quorum mentionem fecimus, corporis ea efficitur; si nimirum illa organa et fluida debitum ordinem et dispositionem excedunt, eorumque societas et coniunctio cessat, omnes etiam eorum operationes exspirant, in qua cessatione mors, quae dicitur, corporalis, proprie cernitur. Anima itaque cum eas, quas commemorauimus, res sui auxilii non capaces et a se non amplius gubernari posse intelligit, corpus mortuum deserit. Ex quo apparet, animae a corpore secessionem non proprie causam mortis, sed multo magis mortem corporis causam esse illius separationis.

Quam opinionem rex ipse trita quadam ab instrumento musico illo, quod vulgo organum vocant, illudque pulsante artifice seu, vt appellant, organico, petita similitudine illustrauit. Organum, inquit, quamdiu debita symmetria et ordine permanet, tamdiu organicus id pulsare potest. Cum vero illud vetustate detritum, confractum aut concentus eius corruptus est, organicus id tractare necessario desinit.

Illa, de qua diximus ab hora tertia pomeridiana vsque ad septimam circiter durauit, quo clerici, qui aderant, non parum exacerbati sunt. Quid? quod non-

nonnulli eo audaciae procedebant, vt a rege postularent, ne haereticas eiusmodi opiniones (sic eas appellabant) coram tanto coetu in medium proferri pateretur, doctrinae in ecclesia receptae plane contrarias. Id quod de nonnullis aliis argumentis differendi locum dedit, de quibus, quoniam Tibi, illustrissime Comes, auditu nimis molestum foret, dicere supersedeo.

Interim luculentissime ex eo patet, quam pertinaciter Pontificii clerici inueteratas suas opiniones defendant, et quanta cum constantia Aristotelis dogmatibus inhaerescant, quem tamen humani corporis structuram, principia et motus cum aliis omnibus causis naturalibus aeque bene atque nostri huius aeui physici et medici perspexisse et intellexisse coniicere non possumus. Nihilominus tamen illa clericorum consuetudo non modo in Polonia, verum etiam in Hispania, Italia, et in aliis plurimis regionibus obtinet, vbi potentia multum valent adeo, vt nullas, quae Aristoteli repugnare videntur, opiniones, inualescere patiantur. Cum enim suae theologiae systemata huius paganici philosophi fundamentis inaedificauerint, non sine causa verentur, ne, si experientia et sana ratio fundamentum adoriatur et concutiat, totum ipsi superstructum aedificium labefiat atque corruat, id quod etiam procul dubio plerumque esset euenturum.

Ille rex insignes quasdam domos et in Russia et in aliis regni prouinciis exstrui curauit; et in his amoenissimum topiarium, quod tria milliaria Warsouia abest, et Villa Noua dicitur, cuius splendidissima est exornatio. Spurios quosdam liberos susceperat, quorum nullam gessit curam; siquidem in Polonia non aeque ac in aliis terris fit, curari illi solent. Ex legitimo autem matrimonio susceptis liberis magnas reliquit diuitias, et quinque circiter sexve annos, antequam vita decederet, filiorum suorum aliquem regni successorem constituere laborauit. Quem in finem imperii ordinibus turbas in memoriam reuocauit, quae post regum obitus in nouis regibus eligendis vulgo exoriri solerent.

Praeterea illis proposuit, qua ratione Turci et Tartari illis temporibus oblata occasione irruptiones in Poloniae regnum faciendi, et maxima mala inferendi vterentur; porro regni nobiles iis temporibus discordem in varias factiones scissum esse, suisque priuatis commodis consulere affirmauit; sibi itaque singulari fore laetitiae, si impenso patriae ciuiumque amore ductus grauibus illis et pestiferis motibus et turbis praeuenire valeret.

Verum cum imperii ordines, consilia ipsius clanculum eo spectare intelligerent, vt vnum filiorum suorum ad regiam extolleret dignitatem, se sperare responderunt, fore, vt aliquanto superstes sit rex, interea opus esse de re tam graui diligentius deliberari asseuerarunt.

Rex itaque hoc nihil nisi humanam desiderii sui denegationem esse cum sentiret, nunquam in posterum in eo consequendo operam posuit, sed eius loco magnam pecuniarum multitudinem relinquere, quantum poterat, curauit, vt, si forte se defuncto, nullus filiorum in regno succederet, haberent, vnde alerentur.

Annorum viginti amplius spatio eum quotannis quadraginta fere thalerorum millia reposuisse pro certo compertum est, quam pecuniam partim nummulariis Dantiscanis, Hamburgensibus et Amstelodamensibus, partim Iudaeis, quorum in Polonia permagnus est numerus, foenori dedit. Insuper etiam magnas possessiones coëmit, quamquam regni statutis id repugnat; ita vt tres eius filii, Iacobus, Alexander et Constantinus, si rem familiarem bene gerant, laute viuere possint: siquidem vnusquisque eorum quotannis quinquaginta millia librarum Anglicarum, quae Sterling appellantur, habet, quae rei familiari insumat. Sciendum enim est, legem Polonis esse, cuius beneficio bona relicta liberis aequali portione distribuantur.

Regina decem modo duodecimue annos erat nata, quum ipsa et Ducis de Gordon propinqua, quae postea Comiti Morstin, summo aerarii praefecto nupta est, cum regis Vladislai Sigismundi vxore ex Gallia in hoc regnum veniret, quae ambas secum habuit, vt essent sibi a cubiculo, praecipuam autem virginis Arquie-

nensis, insigni prudentia et venustate ornatae, gessit curam; ideoque eam primum principi Zamoiscio in matrimonium dedit, qui cita morte abreptus quotannis ducenta millia librarum Anglicarum ipsi reliquit. Postea Casimiro regnante Iohanni Sobiescio, qui tum tribuni custodum corporis regii fungebatur, matrimonio iuncta est, qui eam non prius ducere volebat, quam amplos honorum gradus ipsi rex promitteret, quos etiam posthac, regina impellente obtinuit. Rex enim summum Mareschallum et summum Poloniae Ducem eum constituit, quod tantam ei conciliauit auctoritatem, vt postea ad regiam eueheretur dignitatem. Suam itaque exaltationem maxima ex parte coniugio debebat, quod ipse optime agnouit, vt, cum imperii ordines eum, vt diuortium cum vxore faceret, adhortarentur, iis non pareret.

Illa regina, Iohannis Sobiescii coniux, quanquam annum aetatis quadragesimum excessisse non videtur, tamen circiter quinquaginta quinque annos nata est, Gallico vtitur vestitu, vt omnes Polonicae mulieres illustri stirpe ortae, facere solent, et ita Polonicam linguam loquitur, vt qui in Polonia sunt nati. Cum praeterea mirifica comitate, prudentia, regiaque forma sit praedita, maximam sibi Polonorum gratiam conciliauit, plurimumque apud regem et imperii ordines valuit. Omnia, quae obibat, negotia, magna cum prudentia gessit, et, quamdiu maritus superstes erat, plerumque patriae saluti consuluit; quae etiam causa esse creditur, ob quam rex Iohannes annis imperii extremis bellum aduersus Turcas et Tartaros non tanto, quanto antea vsus fuerat, ardore et impetu persequeretur. Secum habuit patrem, Cardinalem d'Arquien et fratrem, Comitem Maligny, cuius opes valde tenues erant. Praeterea duas habuit sorores, quarum altera nuperrime defuncti Comitis de Bethune vidua est, qui regis Franciae legatus in Poloniam et postea in Sueciam missus est, vbi diem obiit supremum. Altera Polonici viri nobilis vidua est.

Regina omnes regni honores pro pecunia vendere poterat. Cum enim Rex ex legis cuiusdam praescripto hoc facere non posset, omnibus, qui honores peterent, clanculum praecepit, vt apud reginam nomen suum deferrent, quae tum pro omnibus et singulis honoribus pecuniam quandam postularet, praetereaque nobiles iureiurando obstrinxit ad promittendum, se rege mortuo, operam daturum, vt vnus filiorum eius ad regiam dignitatem extollatur. Poloni iusiurandum illud dare quamuis non dubitarent, id tamen non diutius seruare instituerunt, quam rebus suis prodesset. Id quod ex proxime superiore electione apparuit, cum perpauci a Iacobi, filii regii partibus starent. Ea enim, quam diximus, erga nobiles iniquitas, cum inexplebili regis auaritia, eiusque filii Iacobi erga amicos inconstantia fecit, vt nobilitas ab eo penitus abalienaretur.

Iacobus, regis filius ore nigro, facie tenui et gracili et statura breui, Gallo aut Hispano, quam Polono, similior est. Societatis amans et comis. Cum annum aetatis trigesimum non multum excessisse videatur, sat multis tamen iam cum patre expeditionibus, inprimis Viennensi interfuit. Si tanta eius esset cautio, quanta alacritas, proculdubio multo maiorem sibi parturus fuisset auctoritatem. Admirabili est liberalitate, in qua vna virtute patrem antecellit. Cum ditissima familiae Radziuilis in Lithuania haerede sponsalia inierat, Electoris Brandenburgici, qui nunc imperat, fratris, qui sine prole decedebat, vidua: Legatus itaque Berolinum missus est, qui de hoc matrimonio contrahendo deliberaret, cui et Elector, et ea, quam diximus, foemina consensit. Tum ipse regius filius, ad nuptias celebrandas, magna cinctus caterua eo venit. Eodem tempore etiam Electoris Palatini et Imperatricis frater, Carolus, princeps Neoburgensis Berolinum profectus est, quo harum nuptiarum coerimonias modo intueretur. Sed illa foemina vehementiori amore, erga illum principem, quam regis Poloniae filium, incensa est, eumque incitauit, vt se ambiret. Id quod Carolus fecit, eoque praeter opinionem rem perduxit, vt nocte superiori ante nuptias cum Poloniae regis filio celebrandas, eam matrimonio sibi iungeret, vt Iacobus cum pudore et ignominia domum

mum reuerti cogeretur. Id quod pater eius ita aegre tulit, vt ab Electore Brandenburgico satisfactionem exigeret, quod filium suum in aula sua tanta ignominia affici passus esset. Elector autem priuati huius negotii ignarus innocentiam suam patefecit, et denique omnis simultas ita sublata est, vt Iacobus corriualis sui sororem, Ducis Neoburgensis filiam, vxorem duceret, quae ipsi in Poloniam missa est, et duas filias penerit. Id quod non modo in Polonia audiui, sed etiam haud ita pridem in hac ipsa vrbe a viro generosissimo Dankelmanno, qui ab Electore Brandenburgico ad aulam nostram missus erat, mihi confirmatum est.

Iacobo duo erant fratres, Alexander et Constantinus, qui mea aetate non magni aestimati sunt, quorum maior duodeuiginti, minor autem sedecim annos natus erat. Quapropter quae de illis dicam, multa non habeo. Alexander forma eximia et adolescens statura procera, facieque Polonis erat simillimus. Eum mosissimus erat

quam in vllo alio loco a me visas esse, fateri cogar. Viri nobiles et foeminae generosa stirpe ortae multa dona magnifica, in quibus erant vasa quaedam argentea, adamantibus distincta horologia, et aliae res pretiosae, filiae regiae ex Polonorum more offerebant, quibus vnusquisque gratulationem addebat. Haec dona centum propemodum thalerorum millia constitisse dicuntur. Praeterea princeps Moldauiensis par inaurium pretiosarum muneri ei misit. Ea vero consuetudo sponsis munera offerendi non modo in filiarum regiarum, verum etiam omnium illustri genere natarum foeminarum nuptiis obtinet, quae non tum doti, quam a parentibus accipiunt, quam consanguineorum et amicorum, a quibus dona exspectant, multitudini confidunt.

Nuptiarum die Iacobus, sponsae frater, Rege et Electore Bauariae consentiente legati munus in hunc diem obiit, quoniam aula Polonica, vt fama ferebat, Electoris Bauariae, cuius imperium non absolutum, sed Imperatoris potestati subiectum esset, legatos admittere ad se recusaret. Quem in finem tempore matutino tria milliaria ab vrbe recessit, horaque secunda pomeridiana magnificentissimo cinctus apparatu et equo vectus vrbem repetiit. Iuxta ipsum duo fratres, Alexander a dextra, et Constantinus a sinistra equitarunt. Ante eum multa carpenta, quibus seni equi erant iuncti, ferebantur, quae celebris Polonicorum nobilium caterua, binorum vectorum sequebatur.

Hoc modo arcem ingressus, ibique a rege et regina exceptus est. Hora dimidia praeterlapsa summi regis ministri cum Ducibus aliisque imperii consiliariis, nec non incredibili nobilium multitudine ab arce in coccineo panno vsque ad templum Sancti Iohannis, quod trecentos circiter passus ab arce distabat, expanso pedites bini in templum modo dictum incedere coeperunt. Postea Iacobus cum sponsa venit; gallicus vero legatus, Mr. de Polignac, reginam duxit; et tandem rex ipse solitarius admodum imperatorio vultu incessit. Copulatio per Cardinalem Radziowscium, regis propinquum, qui nunc episcopus regni primarius est, peracta est. Quo facto in arcem sunt reuersi, vbi quatuor dies conuiuiis, saltationibus, ignibus oualibus, et carmine pastorali Italice scripto, et in formam ludi comici, quae vulgo *opera* audit, composito, quod a Pontificii Nuntii Secretario his nuptiis accommodatum erat, delectati sunt. Quibus ritibus peractis, regis filia eaque Electoris Bauariae sponsa discessum Varsouia Bruxellam parauit. Episcopus Plocensis legatus, et Ducis Vilnensis coniux, principis Czartoriscii filia, sponsae Electoralis Comes optati sunt.

Praeterea Zolowscius, episcopi frater, eiusque coniux, cum permultis nobilibus, et quadraginta fere de regii corporis custodibus, Electoris sponsae viae comites dati sunt. Legatus regi et reginae necesse esse proposuit, vt in itinere tam longinquo, praesertim hyemis acerbitate instante sponsae medicus socius adderetur, si forte in itinere valetudine aduersa affligeretur. Quod munus Reuellius Italus, cum aliis quibusdam medicis ambiit. Regina vero, quod horum nullum magni faceret, omnibus repulsam dedit. Tum ego cum Mr. Albertio, Tuo, Comes illustrissime, fratre, sereniſſimae reipublicae Venetorum ad aulam Polonicam legato, qui apud regem et reginam plurimum valebat, collocutus sum, eumque, vt ad hoc munus me promoueret, rogaui, quoniam ex remota illa terra (quanquam nondum integrum annum ibi fueram) discedendi et in Angliam redeundi maximo flagrabam desiderio. Etsi enim tam rex quam regina gratia magna et fauore me amplectebatur, et inprimis filius regis, Iacobus, (quem factio aulica regni successorem fore credebat) mihi post regis mortem magna salaria promittebat; ego tamen nihilominus, cum regem, iam tum sexaginta quatuor annos natum, admodum crassum, variisque casibus aduersis, aqua intercute, podagra, grauedine et phthisi vexatum, non diu victurum, et Iacobum regni primoribus minus gratum esse optime intelligerem, et in terra peregrina sedem figere nunquam desideraſſem, illud regnum relinquere constitui. Rex itaque et regina cum clandestinum meum in Angliam reuertendi propositum ignorarent, munus filiam regiam in itinere comitandi et valetu-

letudinem eius curandi mihi demandarunt, quod mihi placuit, quanquam id non nimis gratum mihi esse simulabam. Id quod multo citius, quam speraueram, e Polonia discedendi occasionem mihi dedit, quod alias non nisi rege defuncto commode fieri potuisset.

Hoc Ms. Albertii solius amicitiae et curae debeo, qui nationis Anglicanae est amantissimus.

Vndecimo itaque Nouembris die filia regia, ducentorum ferme hominum cincta agmine viam ingressa est, qui omnes Bruxellam eam sunt comitati. Insuper permulti nobiles vsque ad fines Brandenburgicos eam secuti sunt. In omnibus, quas transibat, vrbibus, a prouinciarum principibus magnificentissime tractabatur. Primum, quo excepti sumus, hospitium erat Louitii, in Cardinalis, primarii Episcopi, arce, vbi Electoralis sponsa pernoctauit, et splendidissime tractata est. Proximum hospitium erat Posnaniae, in vrbe insigni prouinciae Posnanensis, vbi duas noctes egit, et a prouinciae principe et vrbis incolis donata, cum vniuerso comitatu bene excepta, ignibusque oualibus cohonestata est. Vnde Francofurtum ad Oderam, vrbem in Marchia Brandenburgica sitam, perreximus, quo Elector Brandenburgicus primarios aliquos ministros misit, qui sponsae praesto essent et gratularentur. Hinc Berolinum profecti sumus, vbi Elector et eius vxor magna cum caterua duo milliaria ei obuii venerunt, ad eam excipiendam. Simulac ad illam peruenerant, in eam, qua ipsi vehebantur, rhedam exceperunt, et ita in arcem festinarunt, cum interea tormenta exploderentur, campanae pulsarentur, et, vt breuibus rem complectar, omnibus, qui excogitari possunt, honoribus ipsa afficeretur. Ibi duas noctes permansit; et ministri aulici maxima cum pompa et frequentia apparuerunt. Porro Elector in eius honorem ignes quosdam ouales accendi iussit, qui Electoris Bauariae, eiusque nuptae nomina, nec non regis Poloniae et eius vxoris repraesentarent. Polonici regis filia non modo Electoris Brandenburgici vxorem, sed etiam primariorum ministrorum aulicorum plerosque magnis muneribus donauit. Quod Electoris vxor remuneratura sponsam Electoralem carmine, multis et pretiosis adamantibus distincto donauit, primariis autem eius ministris alia munera distribuit.

Tum iter prosequentes duodecim dies in Electoris terra commorati sumus, qui omnes principes viros et foeminas, quamdiu intra fines Marchiae Brandenburgicae versantur, suis sumtibus alere solet. Cum autem Poloniae regis filia ex eius terra in aliorum Electorum prouincias venisset, suis impensis vitam sustinuit. Verumtamen quoque duae primariae vrbes, Magdeburgum et Minda, nec non Elector Hannoveranus, Episcopus Hildesheimensis et Episcopus Monasterienſis, quorum prouincias etiam perlustrauimus, eam in conuiuium arcessiuerunt.

Tandem sub finem Decembris Vesellam peruenimus, quae vrbs munitissima ad Rhenum sita sex fere dierum iter Bruxella abest et Electoris Brandenburgici imperio paret. Eo Elector cum omni apparatu aulico ad sponsam suam excipiendam venit. Fluuium vero, magnis adhuc crustis glacialibus repletum cum bidui spatio traiicere non posset, ex nimio sponsam suam videndi desiderio indignabundus cum Principe de Chimey, Barone Simeoni et duobus tribusue ministris aulicis parua scapha vectus eum transire ausus est. Ego in sponsae conclaui eram, cum Elector solitarius per scalam posticam intraret, et sponsam suam maxima cum laetitia et multis blanditiis salutaret. Postquam dimidia fere hora illis consalutationibus esset consumta, Elector ad legatum et ad reliquam cateruam conuersus nobis omnibus pro eo, quem in tam longinquo itinere pertulissemus, labore et molestia gratias egit. Dein ipse et sponsa cum legato in aliud conclaue se contulit, vbi sesquihoram commorabantur.

Interim multi alii de Electorali caterua accedebant, ita vt circa horam nonam vespertinam permagnus congregatus esset aulicorum coetus. Elector vsque ad horam decimam cum apud sponsam fuisset, ad coenam prodiit. Simulac coenauerat, ad sponsam rediit, demumque circa horam primam matutinam ei valedi-

cto in conclaue suum cubitum iuit. Proxima aurora rursus eam inuisit, veniamque nuptiarum proxima nocte perficiendarum ab ea petiit; quam et impetrauit.

Tum post mediam noctem cursor publicus ad socrum eius missus est, vt de ea re nuntium illi afferret. Altero die regis Poloniae nomine pretiosa vestis Hungarica Electori Bauariae donata est, quam hoc die gestaret, quae triginta scutatorum millibus constare existimabatur. Haec erat toga prolixa panno holoserico coccineo confecta, in qua ea, quibus nodi ad vestem colligandam assuti inseruntur, foramina vncis ex auro solido erant distincta, cum tunica filis aureis confecta, cui nodi adamantini, et cingulum ex corio Turcico confectum assutum erat, quod cingulum auro intertextum vncisque seu fibulis, auro solido confectis, atque gemmis distinctis instructum fulgebat. Praeterea oblata est ipsi acinaces, cuius capulus multis adamantibus et carbunculis ornatus erat, cum annullo smaragdino, cuius magnum erat pretium, et manica mustelis scythicis confecta. Post meridiem nos omnes flumen traiecimus, quo postera die impedimenta sequebantur. Omnia carpenta cum exercitu regio, et plerique ex ea, quae nos comitata erat, caterua in Poloniam sunt reuersi. Nam ex iis, quae in nuptiis contrahendis pactae sunt, conditionibus nemo apud eam manere debebat, praeter duos pueros nobiles, duas ministras aulicas et pumilionem foeminam. Electoris satellites et carpenta in aduersa fluminis ripa stabat, ad nouam nuptam excipiendam. Postea per Antuerpiam, Mechlinum et inde Bruxellam profecta est, quo, cum duos menses in itinere fuissemus, duodecimo Ianuarii die peruenimus. Necesse non est, Tibi, clementissime Comes, omnes apparatus, quos Elector sereniſſimus nouae coniugi suae instruebat, aut munera, quae eius comitatui dabat, multo minus in eius honorem instituta hilaria recensere: hoc tantum dicam, nusquam aulam elegantiorem, meliorem ordinem plures coerimonias, et diligentiorem vnicuique debitae reuerentiae obseruationem a me visam esse, quam Bruxellae. Per totam primam hebdomadem variis delectationum generibus fruebantur, donec aula moestum nuntium de reginae nostrae Mariae obitu acciperet.

Aliquanto post, cum Mr. Pistorini, Electoris medicus primarius, etiam vxoris eius valetudinem curandam suscepperat, ei valedicto, Hollandiam profectus sum, et inde mense Februario anni millesimi sexcentesimi nonagesimi quinti Londinum perueni.

Rex Poloniae nullos, qui consanguinitate magis coniuncti ipsi essent, habebat, nisi vnam sororem, ei Duci de Radziuil desponsam, qui a se in terram sanctam susceptum iter vna cum Aegyptiacis pyramidibus descripsit, et iam ante aliquot annos mortuus est. Ea, quam modo dixi, eius vxor, mea aetate Varsouiae vita decessit. Me tam parum gloriae a medicina facienda in Polonia reportasse, eius, quam commemoraui, regiae sororis mors in causa fuit. Varsouiam enim cum peruenissem, rex a me petiit, vt cum omnibus medicis, qui in vrbe erant, et quorum numerus ad decem fere extendebatur, de eius morbo deliberarem. Regis medicus primarius erat D. Ionas Italus, et quidem sacris Iudaicis addictus. Sciendum enim est, in Polonica et praecipue in aula regia, sacra nemini, et inprimis medico honoribus capessendis obstare; siquidem rex, dum coronatur, se quatuor religiones defensurum promittit, Catholicam puta, cui ipse addictus esse debet Protestantium, Graecam atque Iudaicam.

Morbum itaque sororis regiae cum inuestigassem, eum febrem esse intellexi, ex iecoris exulceratione ortam, quae efficeret, vt omnes, quos caperet cibos, rursus euomere cogeretur. Sicut ego conditionem eius periculosissimam esse credebam; ita contra reliqui medici eam contemnentes per continuum sic dicti pulueris Iesuitici vsum ipsam dubio procul sanari posse arbitrabantur. Ego autem internam morbi causam non satis cognitam illis esse demonstrabam, quod anatomicam artem non intelligerent, et, vt eruditorum ministrorum aulicorum plerique praesto essent, et tam eorum, quam mea argumenta audirent rogabam. D. Ionas, cui primae dicendi partes erant, nullum periculum adesse affirmabat, poscebatque vt

vt eius, quem modo dixi, pulueris vsum continuaret, quo iam tres menses eam excruciauerant. Cui sententiae cum reliqui omnes accessissent, ego dicere incepi, eiusque morbum plane aliter se habere, atque iactarent, ostendi, eorum sanandi modum reieci, eamque, quamuis medici, vt adhuc fecissent, omnem in illa sananda operam impenderent, non diu victuram esse contendi.

Id quod intra quadrantem horae magnas turbas in aula mouit. Illi autem medici Polonici contrarium affirmantes neque huius prouinciae naturam et indolem, neque sororis regiae morbum cognitum esse mentiebantur. Quid? quod se breui tempore effecturos promittebant, vt sanitatem pristinam recuperaret; licet aliqui de eo dubitare inciperent. Interim morbus eius indies magis magisque inualuit, vt intra mensem rebus humanis excederet, cum annum aetatis sexagesimum secundum ageret.

Regina statim eam dissecari iussit, vbi tres episcopi, nemo autem medicorum, praeter me aderant. Quo facto non modo vlcus in eius hepate, verum etiam permultos quadratos et tesseris similes in felle et vesica, nec non alios lapides in renum altero, et magnum arenae pondus in iecore, quo illud penitus putrefactum fuerat, deprehendimus.

Haec regis soror vnum modo filium vnamque filiam reliquit. Filius eius, dux Radziuil, consanguineam principis Sapieha vxorem duxit; filia vero principi Lubomirscio desponsata est. Dux ille Radziuil mihi narrauit, se, cum rex Iacobus secundus coronaretur, in Anglia fuisse, sibique a Poloniae rege, auunculo suo legati honores tum fuisse delatos, vt regi Iacobo imperium susceptum regis Polonorum nomine gratularetur. Ille Anglicanam imperii formam valde admirari, omnesque totius Europae reliquas, Polonica excepta, ab ea superari dicere solebat. Praecipua vero causa, cur Polonicam reipublicae gerendae formam Anglicanae praeferret, ea erat, quod regi Angliae ministros imperii honoribus suis priuandi esset potestas et plebs beneficio iuris fruens haud secus possessiones emere posset, atque illustrissima stirpe orti.

Ille dux etiam Romanum gladium vetustum, a patre suo Hierosolyma allatum mihi ostendit, eundemque esse asseuerauit, quo sanctus Petrus Malcho aurem abscidisset. Multi tam superstitiosi erant, vt hoc verum putantes, hunc gladium magno honore prosequerentur.

Anno altero postquam in Angliam reuersus eram, regis Poloniae aduersa valetudo magis magisque inualuit; quapropter is, cuius supra mentionem fecimus, legatus, Zalowscius, Episcopus Plocensis, Varsouia literas ad me Londinum misit, in quibus de singulari regis et inaudito morbo me consuleret. Quarum literarum exemplum infra scriptum est.

Domino D. Connor Londini Episcopus
Plocensis S.P.D.

Varsouiae d. 2 Iunii
A. MDCXCVI.

Quas rogasti, ad regni Polonorum, nostrique regis historiam spectantes relationes Tibi, amice carissime, quam primum fieri poterit, mittam, quod adhuc praestare otium mihi defuit. Interim pergratum regi exhibebis officium, si huic epistolae subscriptam narrationem de eius valetudine attente perleges, quid Tibi de ea videatur, aperies, et cum viris tuae artis, quorum in Anglia permagnus est numerus, peritissimis de ea deliberabis. Quae cum feceris, et maximo Tibi regem obstringes beneficio et tuae famae non parum consules, quod sincero animo Tibi apprecor. Vale.

Regis Polonorum constitutio corporis ita se habet:

Pedes, crura, et coxendices, vti etiam inferior ventris eius pars sat magnum temporis spatium magno tumore infestati fuerunt. Qui tumor cum hac

aestate inceperit, quotidie succreuit, licet intrinsecus et extrinsecus, ad eius succrementum impediendum, eumque plane pellendum praesentissima adhibita sint remedia. Cui tumori si quis digitum imprimat, eum ne minimum cedere, sentit, duritie enim ferrum et pondere plumbum fere aequat. Rex si obambulat, magnum pondus pedibus suis alligatum esse videtur. Huius tumoris durities nullo modo emolliri potest. Et quanquam, si tumidae corporis partes calido linteo leniter perfricantur, tumor aliquantulum dispelli videtur, paulo post tamen ad pristinum statum redit. Color tumidarum corporis partium non pallidus, sed rubicundus est et fere purpureus.

Proxima hebdomade post has literas acceptas fama de obitu huius regis increbuit; quod aliter euenire non posse ego conieceram, siquidem morbus eius fere inauditus erat atque periculosissimus. Erat enim aqua intercus, in scirrhum siue durum et sensationis expertem tumorem mutata. De eiusmodi casibus perraro audimus; siquidem haud ita pridem senes quidam medici, cum quibus ea de re disputarem, sibi nunquam eiusmodi aegrotos oblatos esse confessi sunt. Mihi quidem fatendum est, talem morbum sanandum meae curae nondum esse commissum. Vnde initio quidem maxime obstupui, cum ex epistola cognoscerem, regis pedes, qui tum, cum aula Polonica adhuc versarer, totius pollicis altitudinem comprimi possent, postea tam duros et ponderosos esse factos, cum tamen considero, sanguinem nostrum multis terrenis et crassis particulis natura repletum esse, quae in pedes se demittere videantur, et propter grauitatem ad cor adscendere cum fluidis, quae in circulum rotantur, sanguinis partibus non possint; multo potius, eiusmodi casus non saepius accidere, miror inprimis in senibus iisque obesis hominibus, qualis ille rex fuit. Durus ille pedum tumor impediuit, quo minus sanguis in inferiores corporis partes circulum agere posset, omnesque humores in caput compulit, qui humores, cum totum cerebrum occupassent et inundassent, apoplexiam excitarent, qua decimo septimo Iunii et decimo quinto post literas ad me missas die, anno post Christum natum millesimo sexcentesimo nonagesimo sexto aetatis sexagesimo sexto et imperii vigesimo secundo correptus obiit. Omnium, qui tum imperabant, regum christianorum aetate maximus erat. Ciues suos maximo sui timore continuit, vt etiam ab illustrissimis regni viris summus ei honos haberetur; quippe qui cum in aula essent, nunquam eadem, qua ille, mensa coenarent. Prandium semper in omnium conspectu fecit, vbi proceres imperii ei apparebant et pocula offerebant. Ciuium nemo ipso praesente caput obtegere ausus est. Vnde maxime sum miratus, cum alio tempore, si rex conuocatis regni senatoribus, in solio sederet, nobiles viros tanta libertate in dicendo aduersus eum vti animaduerterem, ac si cum aequalibus sibi agendum esset; cum tamen, vti diximus, alias summa reuerentia eum colerent. Sed non est, cur mireris. Senatores enim regni Polonici ea vtuntur libertate, vt sine vllo regis timore loqui, quae cogitent, et cogitare, quae velint, ipsis liceat.

Rege itaque rebus humanis exemto, Cardinalis Radziowscius, Archiepiscopus Gnesnensis et Primas regni, regni administrationem ex more consueto suscepit, extraneis regibus, nec non omnibus prouinciarum ducibus regis mortem patefecit, et cum iis, qui eo tempore Varsouiae praesentes erant, imperii Senatoribus de proprio modo et opportuno tempore nouum regem eligendi deliberauit. Tum magna comitia in diem vndetrigesimum Augusti anni millesimi sexcentesimi nonagesimi sexti sunt indicta. Cum vero plures principes hoc regnum appeterent, quorum factiones potentia multum valerent, ea comitia aliquantum differri illis visum est, vt interim nobilium discordiae componerentur. Comitiorum itaque initium in decimum quintum Maii diem insequentis anni est indictum.

Bielinscius orator electus est, quem suum Marescallum appellitant. Praecipui, qui illud regnum ambirent, erant primo Iacobus, regis Polonorum defuncti filius, eiusque frater Alexander filius Ducis de Conti, Don Liuio Odescalchi, et Ludouicus, Ducis Badensis filius. Tandem vero Elector Saxoniae inopinato octo

octo millibus militum cinctus ad fines Polonicos accessit, et se quoque imperii candidatum professus est, postquam anno proxime superiore a Lutheranorum sacris clanculum defecerat, eoque Pontificem et clericos in suas partes traxerat.

Nulla itaque factio potens supererat, nisi Electoris, Principis de Conti, et Iacobi, filii regii. Primarius regni Episcopus cum magno Ducum Polonicorum numero a partibus Principis de Conti stabant; siquidem Franci iam aliquot annis ante (vt ego, cum in hoc regno essem, animaduerti) Polonis magnam de eius prudentia et fortitudine opinionem iniecerant; vnde rex Franciae, se prae reliquis candidatis omnibus, regni Polonici potiturum esse certo credidit. Quod etiam sine dubio factum fuisset, si ipse ei loco, vbi electio instituenda erat, tam propinquus fuisset, quam Elector Saxoniae erat. Vigesimo sexto enim Iunii die, qui Electioni destinatus erat, imperii ordines cum in campum prodiissent, contigit, vt Princeps de Conti plura suffragia haberet, quam Elector Saxoniae et filius regis, Iacobus; quo factum est, vt primarius regni episcopus eiusque factio, simulac illud animaduerterent, eum statim regem salutarent. Sed reliquae duae partes hoc sine communi comitiorum consensu iure fieri non posse cum bene intelligerent, illi electioni, vt illegitimae, statim contradixerunt. Iacobus itaque cum partes suas potentia minimum valere sentiret, et praeterea, quoniam Imperatricis eiusdemque reginae Hispaniae sororem in matrimonio habet, cum familia Austriaca semper fecisset, omnia sua suffragia ad Electorem Saxoniae detulit, a cuius partibus etiam Imperator staret. Vnitae itaque hae duae factiones Principis de Conti factionem potentia multum superabant, eoque rem adducebant, vt, cum posstero die in campum exiissent, episcopus Cuiauiensis (cum primarius regni episcopus id facere recusaret) Electorem Saxoniae

Fridericum Augustum Poloniae regem declararet; quo statim legati aliquot ad eum missi sunt, qui ei id nunciarent, eumque rogarent, vt regnum sibi delatum capesseret.

Nihilominus tamen primarius regni episcopus cum Principis de Conti partibus priori electioni constanter adstipulantes cursores publicos in Franciam misit, qui eum Principem rogarent, vt festinato in Poloniam veniret. Sic etiam exercitus duces in diuersas abiere sententias. Comes enim Iablonowscius, supremus regni Imperator, Electoris Saxoniae partibus fauebat; princeps Sapieha autem summus Litthuaniae Imperator, cum Principe de Conti facere videbatur. Praefectus autem vrbis Cracouiae Electorem, a cuius partibus stabat, vt eam vrbem prouinciae Cracouiensis primariam cum exercitu suo occuparet, rogauit, vbi insequenti decimo quinto Septembris die coronatus est; id quod effecit, vt omnia eius in hoc regno suscepta negotia prospere succederent. Licet enim primarius regni episcopus multique alii illustri stirpe orti viri suam electionem rite et legitime factam esse pertinaciter contenderent; licet Princeps de Conti ipse magna classe, grandibus pecuniis, copiisque quibusdam bene exercitatis instructus Dantiscum veniisset; licet legatus francicus Mr. de Polignac singulari quadam astutia non exiguam exercitus partem multosque regni Senatores suae partis fecisset; licet Turci et Tartari, ad Principis illius electionem confirmandam, irruptionem in Poloniam minitarentur; et licet Hungari seditionem domi excitarent, vt Saxonicas copias e Polonia elicerent; cum tamen Poloni, Electorem iam coronatum esse; Cracouiam locum Poloniae munitissimum, ab eo occupatam esse; octo millia lectissimarum eius copiarum in regno versari; maximam exercitus partem in eo creando consensisse, et Moscouitarum Imperatorem inuasionem sibi minitari intelligerent, si Principis de Conti rebus succurrere pergerent, ab eo desciscere, quam bello intestino locum dare sactius duxerunt. Saepe enim eos audiui, cum dicerent, se facili negotio reges accipere posse, nec opus esse, vt pro vllo sanguinem effunderent, et sic quoque se eos munere regio rursus exuere facile posse, si maiorem, quam ex legum praescripto ipsis liceret, potentiam sibi arrogarent.

Illud igitur prudentiae ciuili optime congruere existimant, quod, cum eos, qui regnum ambiunt, pecunia emunxerint, eum tandem eligant, qui primus cum factione sua coniunctus armata manu in campum prodit. Id quod melius esse putant, quam vt illegitimam electionem pertinaciter vrgentes, cuius exitus semper dubius est, terram suam praedae et deuastationi dent. Nam ex statutis regni, quibus parent, nulla electio legitima haberi neque lex legitime sanciri sine communi congregatorum imperii et prouinciarum ordinum et Poloniae et Lithuaniae consensu potest.

Cum itaque Princeps de Conti plane perspiceret, quae facies esset rerum Polonicarum, procerum pollicitationibus diutius se fidem adhibere vtile non duxit, quippe qui natura inconstantes magis suae saluti, quam principis commodo prospiciunt. Principes enim et reges nihil nisi fortunae suae instrumenta esse putant, quibus locupletati emergant. Ille itaque princeps cum ad finem propositum se nullo modo peruenire posse intelligeret, siquidem Dantiscum quoque Electoris Saxoniae partibus accesserat, in Franciam redire, quam famam suam maiori periculo exponere maluit, si noui regis auctoritate confirmata, in patriam redire ipse vi cogeretur.

Cum igitur Friderico Augusto, qui se Augustum secundum vocat, regnum soli relictum sit, statum eius corruptum ab eo emendatum et pristino splendori restitutum iri credibile est. Cum enim satis magnas prouincias haereditate acceptas possideat, quae ipsi et milites et pecunias praebere possint, cum praeterea natura bellicosus sit et populo admodum feroci imperet, qui populus cum Imperatore, Moscouitis, Pontifice et Venetis societatem nunc iniit; illud regnum augendi, et vsque ad fines suos, ad Pontum Euxinum vsque, vrbe Caminecio et Vcrainia expugnata, ampliandi satis habet occasionis.

Hoc loco facere non possum, quin admoneam, hunc primum esse principem Germanicum, quem Poloni sibi regem crearint, et Iacobum primum fuisse regis filium, qui regno excluſus sit. Nam ab anno Christi quingentesimo quinquagesimo, cum haec monarchia initium cepit, semper filii regii sunt electi; et quamuis reges Poloniae omnes et singuli electione imperium nacti sint, octingentos tamen amplius annos regnum penes vnam familiam semper mansit. In posterum vero res aliter videtur se esse habitura. Polonica enim nobilitas regibus suis tantopere aemulatur, et per principes extraneos diuitias quaerendi tanto flagrat desiderio, vt in posterum regem inquilinum Poloni aegre videantur electuri.

Tibi itaque, Comes illustrissime, tam prolixam de Iohannis tertii vita et de rebus, quae mea aetate Varsouiae euenerunt, memorabilibus, narrationem tradidi, quam de terra tam procul a nobis remota scitu necessarium est, aut ego tam anguſtis temporis spatiis, quod in eius, quem descripsi, regis aula consumsi, experiri potui; siquidem propter negotia, quae in medicina facienda obire necesse habui, omnes res ad regnum administrandum pertinentes annotandi et occasio et tempus defuit, quod alius, nullis occupatus negotiis, et virorum aulicorum et illustri stirpe natarum foeminarum consuetudine vtens, facili forte negotio facere potuisset.

Quapropter etiam (vt alias fieri solet) de regis amicis aliisque, qui eius consuetudine vtuntur, praeclaris viris nihil memoriae prodere, multo minus diuersas huius aulae factiones et priuatas res possum describere. Hoc enim non medico, qui ego sum, sed viro, rerum ciuilium perito conuenit. Te itaque, Comes illustrissime, huius epistolae naeuos optime deprehensos bonas in partes accepturum esse certissime spero, cum scriptor eius sit medicus, nihilque spectet, nisi vt declaret, se esse et manere Tuum,

Comes illustrissime

submissum et obedientissimum
seruum
B. C.

EPISTO-

EPISTOLA QVINTA.

AD

ILLVSTREM DOMINVM

CAROLVM TOWNSEND,

DE

MAGNITVDINE IMPERII POLONICI, IISQVE REBVS, QVIBVS DEVS HOC REGNVM DITAVIT, ADIECTA DESCRIPTIONE POTIORVM VRBIVM ET PROVINCIARVM HVIVS REGNI.

ILLVSTRIS DOMINE,

Regis Poloniae ditiones in duas partes principales, nimirum in regnum Poloniae et magnum Ducatum Lithuaniae diuisae sunt. Leges, elocutio, consuetudines et ingenium harum nationum, ita vt Anglorum et Scotorum, sunt diuersa. Ambae autem vnicum tantum efficiunt regni Senatum, qui bis in Polonia, tertio in Lithuania congregatur, ita vt vtriusque nationis Consiliarii et legati, tum in Polonia, tum Lithuania conuenire debeant. Nam sine vtriusque partis vnanimi consensu nulla lex condi potest. Quia Polonia separata a Lithuania regio, eiusque incolae aliam constituunt nationem, suppeditabo Tibi breuem de Polonia tantum descriptionem.

Cum Lechus anno Christi 550 fundamenta principatus Poloniae iacuisset, idem illi ac aliis regnis et nationibus in incunabilis accidit, nempe ex longe minori, respectu praesentis magnitudinis, terrae tractu constabat. Ab initio enim Polonia superior et inferior, nec non Silesia, sub hoc nomine continebatur, postea vero partim per matrimonia, partim per expugnationes maximum et potentissimum in Europa regnum deuenit, adeo, vt vicini eius inuidis oculis id adspicere coeperint.

Prima huic regno adiecta prouincia erat Pomerania, quam Lechus occiso Regulo occupabat. *Boleslaus Chrabry* Bohemiae, Morauiae, Russiae, Borussiaeque tributa imperauit. Casimirus II. autem an. 1183. totam Borussiam sub regni Poloniae potestatem redegit, et Casimirus magnus an. 1338. totam Russiam expugnauit, quo anno et *Maslaus*, Dux Masouiae se Poloniae imperio subiecit.

Post aliquod intervallum temporis Valachia et Moldauia vi armorum, magnus vero Ducatus Lithuaniae per nuptias Iagellonis cum Principe Hedwige Poloniae coniungebantur. Magna et fertilis Liuoniae prouincia circa an. Christi 1500 expugnabatur. Postea Poloni Moscouitis magnos Ducatus Smolensciae, Seueriae, Czernichouiaeque iure belli auferebant, et *Vladislai* VII temporibus totam late patentem illam regionem occuparunt. Tandem dominationem ad mare nigrum vsque, occupata tota Vkraina, comparare sibi sciuerunt.

Praeter ea Poloni et per hoc potentiam consequuti sunt, cum vicinos potentes Reges sibi elegerint, et hoc verbi gratia modo cum Bohemia, Vngaria, Suecia, et Transyluania conciliatione coniungebantur. Breui, Polonia a Seculo decimo tertio, vsque ad dimidiam Seculi decimi septimi partem, ita in potentia erat, quippe quae omnes inter Moscouiam et Austriam regiones, nec non intra mare balthicum et nigrum sitas prouincias possederet, vt illius vicini, Turcae, Tartari, Moscouitae, Sueci et Germani non sine ratione nimiam Polonorum potentiam metuerent. Inde cruenta Polonorum his cum nationibus nata sunt bella, per quae regnum eorum valde minuebatur. Imperator enim Hungariam, Bohemiam, Transyluaniam, Silesiam, et Morauiam occupauit. Valachia et Moldauia nunc a suis

principibus, quanquam Turcis tributariis, regitur. Turcae et Tartari possident Podoliam *) optimamque Vkrainae partem, quas regiones *Michaelis Korybuti* temporibus sub suam redigerunt potestatem. Moscouitae vero alteram huius prouinciae partem, nempe Kiouiam, nec non Ducatus Seueriae, Smolensciae et Czerniechouiae possident: Sueci totam fere Liuoniam, excepta Curlandia, quae et nunc Poloniae est feudum, tenent: Et Borussia ducalis omni ex parte ad Electorem Brandenburgicum pertinet, qui nuper summum etiam ius dominii super eam obtinuit. Pomerania itidem ad Suecos et Electorem Brandenburg. pertinet. Gedanum est vrbs hanseatica sub Regis Poloniae protectione.

Ex his apparet, Poloniam a vicinis potentiis ita fuisse imminutam, vt respectu pristinae magnitudinis vix tertiam illius efficeret partem, et quanquam tam multae deperditae fuerint regiones, eiusdem tamen putatur cum Gallia magnitudinis, sed Tartariam versus prouinciae pene desertae sunt, quia maxima incolarum pars a Turcis et Tartaris in captiuitatem fuit abducta.

Polonia in octo prouincias principales diuidi potest, nempe in Poloniam minorem et maiorem, Prussiam Polonicam, Russiam, Masouiam, Samogitiam, Volhyniam et Podlachiam.

Opus autem esse videtur, nonnulla prius generatim de ratione et natura huius regni disserere.

Fines Poloniae vna cum magno ducatu Lithuaniae septentrionem versus ad Moscouiam vsque, Liuoniam et mare Balthicum pertinent; versus meridiem Moldauiam, Transyluaniam et Vngariam attingit, versus orientem Vkrainae, Ducatibus Smolensciae, Seueriae, Czernichouiae et Kiouiae contermina; occidentem versus Pomeraniae, Marchiae Brandeburgicae, Bohemiae et Silesiae confinis. A meridie versus Septentrionem, hoc est a montibus Carpathiae ad Rigam vsque ad ducenta computantur milliaria, a gradu 45. min. 36. vsque ad gradum 55. min. 29. latitud. ab oriente vero versus occidentem, hoc est, a Smolensio et Vkraina vsque ad fines Pomeraniae, Bohemiae et Silesiae vltra 240 milliaria.

In Polonia terra plerumque est plana, sed versus Hungariae fines multi sunt montes et siluae. In media Polonia minori vnicus est mons, *caluus* dictus, in cuius cacumine claustrum est situm, a *Sancta cruce* nomen ducens, seruatori nostro dicatum. Reliqui qui reperiuntur montes, collibus quam montibus sunt verisimiliores. Orientalis huius regni pars multis Siluis, paludibus et fluuiis repleta, id quod e libero campo pulcherrimum suppeditat prospectum.

Antea Poloniam fere nihil quam Siluam fuisse perhibent, nunc vero incolarum labore culta, et varia pomorum, frumentorum herbarumque genera producit, neque victui necessaria et pisces deficiunt; in primis est magna animalium tam domesticorum quam ferorum abundantia. Variis in locis et vites reperiuntur, quarum vuae haud sunt insipidae, maxime aestate atque autumno calidioribus. Vinum vero ex istis vuis Poloniae post fermentationem valde est acre. In montibus inueniuntur argenti, cupri, plumbi, et ferri fodinae, vna cum aliis mineris; nec non Sal commune, quod plerumque e salisfodinis in forma magnorum lapidum extrahitur. Occidentalis huius regni pars frumento abundat, quod magna in copia ad exteros mittitur, nec non melle, cera, canabi, omnique suppellectili velari, quae omnia Gedanum, et inde alia in loca, deuehuntur.

Vrbes maxima ex parte, pagi vero omnes, hoc in regno ex ligno aedificantur, confectis ex stramine tectis, id quod etiam de nobilium sedibus in prouinciis, paucis exceptis, intelligendum. Numerus maiorum minorumque vrbium, vicorum pagorumque in Polonia est 170, 000. in quo non vltra viginti reperiuntur, quae muris circumdatae sunt.

Duo vrbium genera in hoc regno sunt, quarum aliae ad rempublicam pertinent, quarum praefecti et aliis honoribus in iis fungentes a rege creantur; aliae vero

*) AVGVSTVS II. Rex vero iterum hanc vastam fertilissimamque prouinciam recuperauit et Poloniae coniunxit, quae et nunc in tranquilla illius est possessione.

vero inquilinorum principum potestati parentes non nisi domesticis ducibus vti possunt.

Huius prouinciae aër climati eius conueniens interdum tanto frigore horret, vt aqua, antequam in terram decidat, condersetur. Lacus et fluuii per hiemem glacie ita constringuntur, vt per quinque sexve menses ad finem Martii vsque carpenta et plaustra onusta transuehi eos possint.

Huius prouinciae flumina maxime notatu digna sunt: Vistula, Varta, Borysthenes, Tyra, Dwina seu Duna, Bohus, Bugus et Nemenus.

Vistula in Silesiae ducatu Teschenensi ex monte Carpatho oriens, varias vrbes et oppida, et in iis nominatim Osiecum, Cracouiam, Sendomiriam, Casimiriam, Lublinum, Varsouiam, Plescouiam, Vladislauiam, Thorunium, Culmam, Brombergam, Grudentum, Neoburgum, Elbingam, Mariaeburgum et Dantiscum praeterfluit. Qui fluuius Sarmatiam Europaeam a Germania olim separauit. Centum amplius milliaria Polonica voluitur, et tandem in duos amnes diuiditur, quorum alter in lacum recentem dictum, alter autem in mare Balthicum effunditur.

Varta in Polonia minori ortum habens, Siradiam, Calissium, Posnaniam, Olstiniam, pluraque oppida alluit, et in Oderam, Silesiae fluuium, exit.

Borysthenes Smolenscum irrigat, partem Lithuaniae quandam et Kiouiam perluit, tum in Vkrainam descendit, et tandem prope ab Oczakouia in Pontum Euxinum effunditur.

Tyra prope ad lacum Leopolienſem oriens Haliciam et Camenecium aliasque vrbes praeterfluit, et tandem apud Bialogrodum etiam in Pontum Euxinum influit.

Duna seu Dwina prope ad Biatam in Moscouia scaturiens, Vitepscum, Polociam, Duneburgum, Kokenhausum, et plures vrbes praeterlabitur per centum triginta milliaria in longitudinem extenditur, et denique in sinum Rigensem in Liuonia effunditur.

Bohus ex lacu quodam in finibus Podolicis oritur, Constantinouiam, Barum et Braclauiam praeterfluit, et haud longe ab Oczacouia in Borysthenem illabitur.

Bugus in Russia rubra nascens, prope ab Olesco vel Zborouia, Glituanum, Belzam, Socolouiam, Vlodimiriam, Chelmam, Brestiam et Varsouiam praeterfluit, et apud Wischegrodum cum Vistula confunditur.

Nemenus prope Sloninum aut potius Nesuiziam oriens, palatinatum Nouogrodensem, Bielicensem, Grodnensem, Trocensem, et Vilnensem perluit, et tandem prope Tilsam in mare Balthicum se effundit.

In Polonia inferiore seu maiore, Cuiaua et palatinatu Lublinensi nonnulli lacus notabiles reperiuntur, iique varii generis piscibus repleti. Quorum lacuum praecipuus est Goplus, longitudinem per quinque milliaria, et latitudinem per dimidium milliare extendens. Post eum locum primarium occupat Biale, alias etiam per antiphrasin, vt videtur, albus lacus dictus, quoniam pelles Aprili et Maio in se intinctas, fuscas reddit.

In regno Polonico diuidendo Starouolscium secuturus a prima eius prouincia ordiar, quae est

Polonia maior aut inferior. Quae prouincia septentrionem versus ad Pomeraniam et Prussiam, meridiem versus ad Poloniam superiorem seu minorem, orientem versus ad Masouiam, et occidentem versus ad Silesiam et Marchiam Brandenburgicam vergit, ideoque Polonia maior dicitur, quoniam regni huius auctor, Lechus, primas ibi sedes fixit, eamque prouinciam in duas partes distribuit, quae sunt:

1) Polonia maior stricte sic dicta; et
2) Cuiauia.

Quae duae partes septem palatinatus, Posnanienſem puta, ad quem etiam Wſchouienſe territorium pertinet, Caliſſienſem, Siradienſem, ad quem Vielunenſe territorium pertinet, Rauenſem, Lancicienſem, Breſtenſem et Iunouladislauienſem in ſe continent.

In quibus palatinatibus duae poſteriores tantum ad Cuiauiam pertinent. Praeterea horum ſeptem palatinatuum primarium locum obtinet.

Posnanienſis, in quo eae, quae ſequuntur, vrbes et oppida ſunt: Posnania, ſedes epiſcopalis, palatinatus et Caſtellanatus; Gnesna, Archiepiſcopatus et Caſtellanatus, Coſtenum, Vſchouia, Sremſcum, Medirecium, Nacum, Curnicum, Slupcia, Pysdra, Kcina, Coninum, Premecum et Ragozno.

Quarum vrbium metropolis eſt

Posnania, ſiue, vt a Germanis nominatur, Poſen ad fluuium Vartam ſub vndequadrageſimo gradu longitudinis et quinquageſimo ſecundo latitudinis ſita eſt. Septem milliaria occidentem verſus a Gnesna, viginti milliaria Germanica ſeptentrionem verſus a Breslauia, et quinquaginta milliaria occidentem verſus a Cracouia diſtat. Circumcirca paruis aliquot montibus cingitur.

Muro duplici eoque forti, foſſaque admodum profunda haec vrbs munita eſt. Caeterum perexigua quidem, pulchra tamen et admodum ſplendide eſt aedificata; ſiquidem pleraque huius vrbis aedificia lapidibus quadratis ſunt exſtructa. In aedibus publicis inprimis arx, in paruo colle, inter fluuios, Vartam et Prosnam ſita, conſpicua eſt, variisque munimentis inſtructa, et neque fortitudine neque pulchritudine caret. Nihilo minus reliqua aedificia publica perelegantia ſunt; quanquam ſplendidiſſima in vlteriore Vartae ripa in ſuburbio, et eo quidem permagno, conſpicuuntur. Ibi templum cathedrale eſt cum collegio canonico, et aula Epiſcopi, circumcirca paludibus incluſa. Quod aedificium, Valiſouia vulgo dictum, tam munitum eſt, vt non ſecus, atque vrbs ipſa, obſidionem a ſe arcere valeat.

Iohannes Lubranſcius, huius loci epiſcopus, Collegium, cuius cura et inſpectio Cracouienſi Collegio commiſſa erat, ibi inſtituit. Adamus Conarius vero, qui in eius locum ſucceſſerat, illud ampliauit et mirifice exornauit, alius vero, cui nomen erat Cosraſeuio, vberioribus auxit reditibus. Quamuis igitur et Ieſuitae in vrbe ipſa habeant collegium, in quo literarum ſtudia egregie exerceantur, illud tamen in ſuburbio collegium adoleſcentibus nobilibus nunquam deſtituitur, quotidie propemodum certatim eo concurrentibus, vt artibus mathematicis, et iure inſtruantur. Illud, quod diximus ſuburbium locis paluſtribus et magno lacu circumdatum, ſaepius, Varta ſuperfluente, inundatur, vt interdum in vicinis pagis per aliquot milliaria, faſtigia tantum domorum appareant. Quae inundatio vrbem ipſam, excelſis quanquam moenibus cinctam, interdum inuadit, vt per plateas cymbis circumuehi interdum neceſſe habeant. Sed diu non durat, quandoquidem aqua trium quatuorue dierum ſpatio plane rurſus defluere vulgo ſolet. Praeterea in hac vrbe tres mercatus admodum celebres florent, ad quos plurimi mercatores aliique praeclara ſtirpe nati homines ex Germania proficiſcuntur. Quorum mercatuum primus ſub initium ieiunii per integrum menſem durans; ſecundus circa feſtum diem Michaelis, per quinque hebdomadas, tertius media aeſtate per aequum temporis ſpatium agitur. Plerique huius vrbis incolae pontificiis ſacris ſunt addicti; quanquam multi quoque Iudaei in iis degunt. Vrbis imperium a praefecto quodam adminiſtratur, qui quotannis ex ſenatoribus eligitur, et quamdiu hoc munere fungitur, Poloniae maioris dux appellatur.

Septem milliaria ab hac vrbe remota eſt Gnesna, inter paludes et colles ſita; et a Germanis Gnieſen dicta. Haec vrbs ſedes Archiepiſcopalis eſt, cuius Archiepiſcopus Primas totius Poloniae eſt. Tria milliaria Polonica ſeptentrionem verſus a Varta fluuio, ſeptem milliaria ſeptentrionem verſus a Caliſſio, totidem ortum, verſus a Posnania, et tredecim circiter milliaria a Thorunia, et triginta a Dantiſco, meridiem et occaſum verſus, et triginta tria milliaria ſeptentrionem et occaſum

ſum verſus a Varſouia diſtat. Totius regni olim erat metropolis, a Lecho, regni Polonici auctore, exſtructa, et nomen Gnesnae, vti in regis modo dicti vita commemorauimus, ab aquilae cuiusdam nido ſortita eſt.

Haec vrbs anno poſt Chriſtum natum milleſimo ſexcenteſimo decimo tertio igni penitus fere abſumta ideo inprimis notabilis eſt, quoniam Archiepiſcopus et Primas Poloniae magnis vtens priuilegiis ibi ſedem habet. In eo, quod ibi eſt, templo cathedrali theſaurus inaeſtimabilis reperitur, quem plerumque Diui Adalberti ſepulcro debent. Quod ſepulcrum in medio templo conſpicuum a Sigismundo tertio incluſum argento eſt. Porro id templum ab Archiepiſcopo proxime defuncto, Henrico Firleio, locupletatum eſt, qui in aliis rebus pretioſis etiam tiaram ſuam epiſcopalem, viginti quatuor millibus florenorum Polonicorum aeſtimatam ei donauit. Fores templi omnes ex aere Corinthiaco ſumma arte elaborato conflatae ſunt, quae primum ex monaſterio Corſunenſi in Cherſoneſo Tauricae petitae, inde Kiouiam, tandemque Boleslai ſecundi iuſſu huc ſunt deportatae. Hic quoque aliquot nundinae ſeu mercatus, in quibus Diui Adalberti mercatus praecipuum tenet locum, frequentantur.

Coſtenum, oppidum mediocre in planitie inter paludes ſitum, duplici muro cinctum, amplaque et profunda foſſa circumdatum, ſeptem fere milliaria a Posnania diſtat.

Vſchouia, vrbs moenibus circumdata, et itidem in planitie ſita, vndecim circiter milliaria a Posnania abeſt.

Sremſcum, Premecum et Ragozno, tria ſunt ex mero ligno exſtructa oppida, ad palatinatum Posnanienſem pertinentia.

Medirecium, vrbs plerumque ex ligno exſtructa, in planitie, riuulis et paludibus cincta, vt et nomen indicat; in Sileſiae et Pomeraniae confinio ſita, arcem et arte et natura munitiſſimam habet, quam non niſi ſame ſubigi et occupari poſſe iactitant. Id quod nonnulli Germanici principes maximo cum detrimento ſunt experti, quippe qui poſt diuturnam et irritam obſidionem tandem infectis rebus recedere coacti ſunt. Praeterea hic locus quindecim milliaria a Posnania diſtat.

Slupcia, vrbs ad Vartam ſita, moenibus fortiſſimis, aliisque minime contemnendis munimentis eſt inſtructa.

Pysdra itidem moenibus concluſa vrbs, ad Vartam in planitie ſita, ſiluoſis locis vndique ſepta, nouem milliaria a Caliſſio diſtat.

Reliquae huius Palatinatus vrbes itidem partim moenibus circumdatae, et plerumque ligno exſtructae ſunt, exceptis aedificiis publicis, vt exempli cauſa, arcibus, templis, monaſteriis, abbatiis, curiis, quae omnia aut lapidibus exciſis aut lateribus aedificata ſunt.

Senatores huius palatinatus ſunt: Archiepiſcopus Gnesnenſis, Epiſcopus, Palatinus et Caſtellanus Posnanienſis, Caſtellani Sremenſis, Mediricenſis, Praemetenſis, Rogosnenſis, Criuinenſis et Santocenſis.

Inſuper etiam in hoc palatinatu ſunt alii officiales tam terreſtres, quam caſtrenſes. Praefecti ciuitatum alii cum iurisdictione, alii ſine iurisdictione, qui mos in toto etiam regno obtinet.

Huius palatinatus inſigne eſt aquila expanſa argentei coloris in campo rubro.

Secundus Poloniae maioris palatinatus Caliſſienſis eſt, in quo ſequentes vrbes magnae et mediocres ſunt: Caliſſium, Colum, Landa, Naklo, Odolanouia, Chocia, Stauum, Coſminum, Dobra, Grabouia, Opatorecia et Pleſouia.

Caliſſium huius prouinciae metropolis, inter paludes ad fluuium Prosnam ſita, muro ex lateribus confecto et turribus quibusdam humilibus munita, in qua aliquot ſunt monaſteria, nec non ſplendidiſſimum Ieſuitarum Collegium, quod Stanislaus Karncouius, Archiepiſcopus Gnesnenſis, inſtituit. Hic etiam rudera veteris cuiusdam eiusque fortis caſtelli adhuc cernuntur, quod per ordinis Teutonici equites olim deſtructum eſt.

Colum, vrbs ligno exstructa, moenibus ex limo et coeno factis cincta, certis temporibus a fluuio Varta, ad quem sita est, tota includitur, et octo fere milliaria a Calissio remota est.

Landa, oppidum mediocre, Vartae adiacet, et quatuor propemodum milliaria a Gnesna distat.

Naklo ex ligno aedificata vrbs, prope lacum Goplum sita, muris circumdatam habet arcem, quae in mediis paludibus delitescit.

Odolanouia, oppidum cum arce, itidem paludibus cinctum est.

Chocia, vrbs, in qua Andreas Lipskius, Episcopus Cracouiensis, templum cathedrale magnis sumtibus exstrui curauit.

Reliquas huius palatinatus vrbes, cum parui momenti illae sint, recensere supersedemus.

Senatores huius palatinatus sunt Palatinus et Castellanus Calissiensis, Castellani Landensis, Nacielsensis et Camenensis.

Huius palatinatus insigne est nigrum bubali caput, inter cornua coronam gestantis, in campo in modum latrunculorum albo et rubro.

Tertius palatinatus Poloniae maioris est Siradiensis, iuxta Vartam fluuium posita, qui in quatuor territoria, Siradiense, Schadcouiense, Radomscense et Petricouiense, diuiditur.

In illo palatinatu hae vrbes sitae sunt; Siradia, Rosprza, Spicimiria, Petricouia, Conaria, Varta, Lascum, Vidauia et Pabianice.

Quarum omnium metropolis est Siradia, in planitie sita, forti muro instructa, quae arcem habet ad Vartam. Ad huius vrbis iurisdictionem ea, quae sequuntur, oppida pertinent.

Rosprza, ligno exstructa vrbs, paludibus est circumdata.

Spicimiria, itidem non nisi ligneas habet domos.

Petricouia moenibus circumdata vrbs, et satis splendida, inter riuulos et paludes profundas sita. In huius loci suburbio quotannis semel magnum Regni tribunal, et quidem in palatio quodam regio celebratur. Haud procul inde aliud quam elegantissime exstructum regis est palatium, quo ille, cum modo dictum tribunal habetur, delectandi animi ergo se interdum confert. Praeterea hanc vrbem alia quaedam aedificia magnifica circumiacent, quae Episcoporum, aliorumque virorum principum potestati parent, quorum aedificiorum celeberrima sunt Abbatia Vitrouiensis et palatium Crusmense, ad modum Italicae architecturae exstructa.

Conaria, vrbs non admodum magni momenti.

Varta, vrbs magna, ad fluuium eiusdem nominis sita.

Lascum, vrbs, in qua olim Iohannes Lascus, Archiepiscopus Gnesnensis, templum cathedrale aedificauit, largisque reditibus ditauit.

Ad hunc palatinatum pertinet quoque

Vielunensis terra, quae Castellanum, alios plures magistratus habet, et in duo territoria, Vielunense puta et Ostressouiense, diuiditur. In vtroque territorio sunt aliquot vrbes, et permulti pagi.

Vrbs praecipua est Boleslauecia, munitissima arce praedita.

Velunia moenibus excelsis et fossa admodum profunda est inclusa, et itidem arcem habet, ad Prosnam fluuium. Domus huius vrbis pleraeque latericiae sunt, quarum nonnullae magnificentia et splendore mirifice excellunt.

Ostresouia, vrbs lignea, in Silesiae confinio sita, et quidem in planitie ampliſſima circumquaque propemodum siluis septa est.

In hoc palatinatu nobiles priuilegio epistolas cera rubra obsignandi olim fruebantur, quod alias Senatoribus regni solis in tota reliqua Polonia facere licebat. Quod priuilegium inde adepti sunt, quod vexillum palatinatus Lancicienſis, a Prussis et Teutonici ordinis equitibus ereptum recuperauerant.

Huius Palatinatus Senatores sunt Palatinus et Castellanus Siradiensis, Castellani, Rospirensis, Spicimirienſis et Conarienſis.

Ve-

Vexillum huius Palatinatus est leo rubeus in campo viridi et aquila nigra, qui in medio sibi inuicem e regione positi sunt.

Vielunensis terra proprium habet insigne, agnum Dei videlicet, cum cruce argentei coloris in campo rubeo.

Quartus Palatinatus maioris Poloniae est Palatinatus

Rauensis, qui in tria territoria, Rauense videlicet, Sochaciouiense et Gostinense diuiditur. Hic sunt variae vrbes magnae et mediocres, vt: Raua, Louicium, Volboria, Gombinum, Sochaciouia, Gostininum, Viasdum et Biala.

Raua, metropolis huius Palatinatus, in planitie posita, meris fere domibus ligneis constans, et hominibus satis repleta. Hic locus arcem habet in fluuio, idem cum vrbe nomen gerente, in qua arce viri illustrissima stirpe nati, si quid deliquerunt, captiui asseruantur. Prouentuum huius arcis quarta pars ad stipendia militibus soluenda adhibetur. Eadem constitutio in Podolia erat, quo pristini reges exercitatissimos collocabant milites, qui hanc regionem a crebris Tartarorum incursionibus defenderent. In hac vrbe splendidum Iesuitarum Collegium floret, quod ab hominibus eruditis saepissime frequentatur.

Louicium, multitudine incolarum Rauam longe superat, a qua quinque circiter milliaria remotum est. Haec vrbs ideo inprimis clara est, quoniam Archiepiscopus Gnesnensis seu Primas regni Polonici sedem interdum ibi figit. Cuius palatium, quod ibi est, paludibus cinctum variis aedificiis elegantibus constat. Nihilo secius templum illius vrbis admodum magnifice exstructum, vberrimisque prouentibus ditatum est. Porro hic locus splendidis monasteriis et abbatiis abundat. Variae etiam celebres nundinae ibi instituuntur, quae a nobilibus, plurimis, vndique huc confluentibus, frequentantur.

Volboria, vrbs, vbi Archiepiscopus Cuiauiensis plerumque sedet, qui magnificentissimum ibi habet palatium. Hic locus quoque incolis admodum frequens est.

Gombinum, vrbs magna, quae non nisi lignea aedificia habet, in loco plano sita.

Sochaciouia locus palis acutis circumdatus arcem in rupe quadam sitam habet, quae rupes a fluuio Bsura irrigatur.

Gostininum, ligno exstructum oppidum, in planitie inter paludes situm: eo inprimis inclaruit, quod Demetrius Zuscius, Russorum Imperator, longo tempore captiuus ibi detinebatur, in qua custodia tandem exspirauit.

Viasdum, non procul a Raua ad sinistram situm, munita et pulchra arce instructum est.

Biala, ad Episcopi Chelmensis ditionem pertinet. In hoc Palatinatu etiam Squerneuicia sita est, egregium Archiepiscopi Gnesnensis palatium.

Senatores huius Palatinatus sunt Palatinus et Castellanus Rauensis, Castellani, Sochaciouiensis et Gostinensis.

Huius Palatinatus insigne est aquila nigra, literam R. in pectore gerens, in campo rubro.

Quintus Poloniae maioris Palatinatus est Palatinatus Lancicienſis, qui itidem tria in se continet territoria, Lencicienſe videlicet, Brezinense et Orlouiense. Huius prouinciae vrbes optimae sunt: Lencicia, Orlouia, Bresinia, Piontkum et Vnieiouia.

Lencicia huius Palatinatus metropolis, locus moenibus inclusus, inter paludes, in planitie situs, lataque et profunda fossa circumdatus et optime munita et rupi in aedificata arce instructus, quam arcem fluuius Bsura praeterfluit. Haud procul inde in pago quodam, Coscia dicto, perelegans templum saxis quadratis aedificatum est. In hac vrbe mercatus aliquot celebres frequentantur, vti etiam, rege iubente, comitia quaedam minora.

Orlouia, ligno aedificata vrbs, inter paruos quosdam lacus et magnum fluuium, coeno repletum sita, quatuor milliaria a Lencicia distat.

Bresinia, itidem ligneas tantum habet domus, mediocris est magnitudinis, inter profundas paludes sita et septem circiter milliaria a Lencicia remota est.

Piontkum seu Piatek, in paludibus ad fluuii Bsurae ripam positum est. Hic locus ob cereuisiam praestantem inclaruit, quae inde per totum regnum diducitur. Ibi quoque monasterium est sancto apostolo Paulo consecratum.

Vnieiouia, inclyta arce, ad Vartam sita, est ornata, et vna cum ea Archiepiscopi Gnesnensis ditioni subiecta.

Senatores huius Palatinatus sunt Palatinus et Castellanus Lencicienſis, Castellani, Brezinensis, Inoulodensis et Conarienſis.

Insigne huius Palatinatus est aquila argentei coloris, et leo niger, qui in medio sibi inuicem sunt oppositi in campo rubro. Aquila auream gerit coronam.

Sextus et septimus Palatinatus ad Cuiauiam pertinent. Quorum prior est Palatinatus Brestenſis, quatuor territoria, Brestense nimirum, Crusuicienſe, Coualienſe et Praedecense comprehendens.

In illo Palatinatu variae vrbes sitae sunt, in quibus notantur, Vladislauia, Brestia, Nisauia, Radzieiouia, Coisinouia, Coualia et Sluzeuia.

Vladislauia huius Palatinatus est metropolis in paludibus prope Vistulam sita. Quae vrbs ideo inprimis clara est, quia Episcopus Cuiauienſis ibi sedem habet, qui, si Primas regni aut vita decessit, aut aegrotat, aut electioni non assertitur, regem coronare solet. Ibi quoque pulchrum templum cathedrale est, Gothico more aedificatum, quod templum circumcirca Canonicorum domus cingunt, cum schola magna. Huius vrbis aedificia pleraque lateribus sunt exstructa, vti etiam arx Vistulae adiacens. Vicina huic vrbi regio valde paluſtris est et lutosa, lignique inopia laborat, id quod incolis permolestum est.

Brestia, in loco plano inter paludes sita, fortissimis moenibus et fossa profunda circumdata. Domus, quae hic reperiuntur, etiam plerumque lateribus sunt exstructae.

Nisauia, haud ita procul ab Vladislauia distat, et etiam moenibus cincta est.

Radzieiouia, ligno exstructa vrbs, in plana regione prope lacum magnum sita.

Coisinouia, arcem habet munitam.

Coualia, vrbs ligno aedificata, in paludibus sita.

Hic Palatinatus admodum fertilis est, omnisque frumenti tantam habet copiam, vt incolae non modo ipsi commode ex eo sustentari possint, verum etiam magna eius pars fluuiis aliquot nauigabilibus Dantiscum deuehatur, et inde ex Polonico regno asportetur.

Octauus, isque vltimus Poloniae maioris Palatinatus est Iuniuladislauienſis, qui tria territoria, nempe Bydgostense, Bobrounicense et Iuniuladislauienſe continet.

Hic Palatinatus a lacu Goplo et oppido Crusuicia vsque ad Vistulam et fines Pomeraniae extenditur, et varia habet oppida, quorum praecipua sunt ea, quae sequuntur: Crusuicia, Bydgostia, Gnieucouia, Vratislauia, Solecia, Diboуia et Strelce.

Crusuicia, vrbs, si Gnesnam exceperis, antiquissima, ad fines Brestenſes sita, arcem bene munitam prope lacum Goplum habet, ex quo laco glires adscendisse dicuntur, qui iusto Dei iudicio regem Popielum secundum cum eius vxore, totaque familia deuorarunt. In suburbio huius loci templum est S. Petro consecratum, lapidibus quadratis exstructum, cum Collegio, in quo viginti quatuor sunt Canonici. Caeterum haec vrbs olim regum erat sedes, quae postea Cracouiam translata est.

Bydgostia, vrbs moenibus cincta in planitie ad fluuium Bardam sita, in quo fluuio variae res Vladislauiam deportantur, sex tantum milliaria hinc remotam.

Neque vrbes reliquae sunt contemnendae, quarum pleraeque incolarum frequentia florent.

Sena-

Senatores Cuiauiae sunt Palatinus et Castellanus Brestenſis, Palatinus et Castellanus Iuniuladislauienſis, Castellani, Coualienſis, Crusuicienſis et Bydgostenſis.

Insigne Cuiauiae est aquila rubra et leo niger, qui in medio sibi inuicem sunt oppositi, in campo coloris aurei.

Secunda regni Polonici prouincia primaria est

Polonia superior seu minor, quae septentrionem versus ad Masouiam et Podlachiam, occasum versus ad Poloniam inferiorem, meridiem versus ad Hungariam, et ortum versus ad Russiam extenditur et tam longitudine quam latitudine quinquaginta fere complet milliaria.

Haec prouincia in tres Palatinatus, Cracouienſem nimirum, Sendomirienſem et Lublinenſem, distribuitur.

Primus ergo Poloniae minoris Palatinatus, est Cracouienſis qui quatuor territoria, et tres Ducatus, nec non Comitatum complectitur.

Quatuor territoria sunt Cracouienſe, in duas regiones, Xianzenſem puta et Prossouienſem distributum, Lelouienſe, Biecenſe et Sendecenſe.

Tres ducatus sunt Osuecimenſis, Zatorienſis et Seuerienſis, qui sunt partes Silesiae.

Comitatus est Scepusienſis, qui ad Hungariam pertinens tres vrbes comprehendit, in quibus Luboulia praecipuum locum occupat, et arce munitissima, cui perpetuum praesidium est impositum, instructa est.

Praecipuae huius Palatinatus vrbes sunt: Cracouia, Biecia, Vounicia, Sandecia, Lelouia, Kzyaz, Osuiecimum, Zatoria, Seueria, Prosouia, Czenstochouia, Slanucouia, Ilcussia, Velicia, Bochnia et Dobcicia.

Cracouia, totius prouinciae metropolis vrbs admodum clara, in magna planitie prope Vistulam sita, in quo flumine merces negotiatorum Dantiscum deuehuntur. Nouem milliaria Polonica ortum versus a Silesiae, et vndecim septentrionem versus ab Hungariae superioris finibus, viginti tria occasum versus a Sendomiria, triginta ortum versus ab Olomutio, triginta quinque meridiem et orientem versus a Breslauia, quadraginta ortum et septentrionem versus a Vienna, et quinquaginta circiter milliaria a Buda distat, sub gradu longitudinis quadragesimo secundo et latitudinis quinquagesimo posita.

Haec vrbs a Craco, Graco seu Gracho, vno primorum Poloniae Ducum nomen sortita est; quanquam alii hanc vrbem eam esse affirment, qui a Ptolemaeo Cawdamum dicitur, idque nomen in Cracouiam esse conuersum. Verum vndecunque hoc nomen originem ducat, ille locus, et aedificiorum splendore et magnificentia, et rerum ad victum quotidianum pertinentium, copia et vbertate, paucis Germanicis et Italicis vrbibus nostrae aetatis cedit.

Caeterum si quis illam vrbi Cracouiae a Starouolscio tributam laudem in dubium vocet, eam saltem gloriam ei nemo facile detrahere audebit, quod maxima et optime aedificata vrbs totius Poloniae sit. In quatuor partes, Cracouiam videlicet, stricte sic dictam, Casimiriam, Stradomiam atque Clepariam, diuiditur.

Prima pars Cracouia dicta, muro praecelso circumdata, et rotundis turribus latericiis ornata est. Ita etiam amplissimam et profundissimam fossam, eamque muratam, nec non arcem habet splendidam, quae dimidiam fere horam in circuitu aequans in rupe, Vauelia dicta, ad Vistulae ripam fundata est. Haec arx magnum et lapideum est aedificium, et duobus pinnis constat, circa aulam quadratam magnifice elatis; quae aula porticus, pilis insistentes, nigroque et candido marmore stratas ostentat. Conclauia regia cum aliis aedibus picturis et simulacris lepidis diuersi generis sunt ornata, et regio circumiacens prospectum, quem vsquam in Europa inuenias, praebet quam amoenissimum.

In hac vrbe templum cathedrale S. Stanislai conspicitur, in quo Martinus Szyschouius, qui haud ita pridem Episcopus fuit Cracouienſis, sancti modo dicti sepulcrum, antea penitus argenteum, instaurauit et pulcherrime exornauit. Cui operi perficiendo rex Sigismundus tertius, eiusque filius Vladislaus septimus mul-

ta vasa aurea et argentea contulerunt. Porro Sigismundus primus in huius sancti honorem altare argenteum prope sepulcrum eius exstruxit, et aureas aliquot cruces, totidemque variis gemmis abunde distinctas vestes missales in illud altare donauit. Sigismundi illius filia, regis Stephani vxor, Anna, aliud altare argenteum in sacello Annunciationis Mariae, cuius tectum plane deauratum est, constitui iussit, in quo sacello reges Poloniae sepeliuntur. Illud templum cathedrale ob capitulum et aerarium praecipue notandum est.

Multas, easque inaestimabiles res pretiosas, in hoc templo conspicuas, ne commemorem, id vnum silentio praeterire non possum, quod cultus diuinus nunquam cesset, siquidem vox sacerdotum neque interdiu, neque noctu silet. Huius dioeceseos Episcopus tredecim vrbium, et ducatus Seuerienſis dominus est. Cuius Capitulum, quod triginta fere Canonicis, aliisque quibusdam inferioris ordinis sacerdotibus constat, prouentibus floret vberrimis. Haec vrbs initio statim, cum christiana religio in Polonia primum fundaretur, a Miecislao primo sedes Archiepiscopalis constituta; saeculo autem post, sub Archiepiscopo Gnesnensi, cum Lambertus Zula pallium a Pontifice Romano accipere pertinaciter recusaret, in Episcopatum conuersa est, qui Zula tamen postea, cum Pontifici se submitteret, archiepiscopalem dignitatem recepit, quanquam sibi soli, quamdiu viueret; eius enim successores non nisi Episcopi in posterum fuerunt.

Praeterea quinquaginta alia et in arce et in vrbe sunt templa. Quorum clarissimum est Beatae Mariae Virginis intra moenia Cracouiae, quod ab Archipresbytero quodam gubernatur, decem magnas plateas prospectat, et insuper vndique quatuor seriebus magnificentissimorum aedificiorum stipatur.

Huius vrbis Academia, cuius fundamenta Casimirus Magnus iecit, non prius, quam anno millesimo quadringentesimo primo, Vladislai Iagellonis ope et beneficentia, vi testamenti ab eius coniuge compositi, ad summum perfectionis gradum adscendit. Paulo post huius academiae priuilegia a Pontifice Vrbano sexto sunt confirmata. Anno post Christum natum millesimo quingentesimo vndequinquagesimo studiosi ab hac academia discesserunt, quoniam Andreae Czarnicowscii famulos, qui exorta contentione multos eorum interfecerant, magistratus ad supplicium trahere recusabant. Quo in diuersas Germaniae prouincias dispersi Lutherana sacra receperunt, quae per vniuersam Poloniam propagantes permultos in partes suas pertraxerunt. Nihilominus tamen Romani Pontificis potestati tandem denuo se subiecerunt.

In hac academia varia exercentur studia, vt illa regno Polonico haud secus nostra aetate sit ornamento, atque Athenae olim in Graecia exsplendescerent. Vndecim hic sunt collegia, scilicet:

Collegium maius, quod ad Philosophos modo pertinet.

Collegium Iurisperitorum, in quo Professores Iuris omnes habitant et praelegunt.

Collegium Medicorum, in quo medici, cum plerique vxorati sint, et familiis aucti, non habitant.

Collegium Dlugossi, in quo iuuenes, disciplinae Iuridicae operam dantes habitant.

Collegium pauperum, sedes stipendiatorum.

Collegium Noscouii, aliis disciplinis destinatum.

Collegium Hierosolymitanum, seu Olesnicii.

Collegium Zisinii, nuperrime demum erectum.

Collegium Staringelii.

Collegium Smiescouicii.

Collegium literarum humaniorum.

Praeterea quoque in hac vrbe quatuordecim sunt scholae, in quarum nonnullis etiam academicae disciplinae traduntur.

Omnia

Omnia haec collegia et scholae ab vno Rectore seu Cancellario Vicario diriguntur, qui eorum curam gerit, vt omnes Professores et magistri munia sua rite obeant, et officiis suis sedulo fungantur. Omnes et ecclesiastici et ciuiles regni Polonici honores ab iis fere solis administrantur, qui huius academiae doctrina sunt imbuti.

Similiter etiam in monasteriis et Philosophiae et Theologiae praecepta traduntur, inprimis autem in monasterio Dominicano SS. Trinitatis, in quo quotidie lectiones instituuntur, et varia studiorum genera exercentur.

Insuper etiam diuersae monachorum mendicantium in hac vrbe sunt Confraternitates, quae solennibus diebus festis, iuxta veterem ritum ex ordine per plateas circumeuntes variis coloribus sunt vestitae. Nam exempli gratia:

Confraternitates	harum vestes sunt coloris
Rosarii	rubri
Misericordiae	viridis
pallii	caerulei
passionis	nigri
corporis christi	albi
S. Sophiae	purpurei
S. Annae	cinericei
S. Monicae	coccinei

Huius vrbis domus plerumque lapidibus quadratis exstructae ad quatuor seu quinque contignationum altitudinem adscendunt, verum asserculis tantum aut tabulis ligneis loco saxorum scissilium aut laterum tectae sunt.

Ea vrbis pars, quae Casimiria vocatur, ponte ligneo, eoque satis nitido, reliquis vrbis partibus annexa est, qui pons in fluuio Rudawka, Vistulae brachio, factus est. Reliquae duae partes, Stradomia et Cleparia, inter Cracouiam et modo dictum pontum sitae, a Vistula irrigantur.

Biecia, in prouincia eiusdem nominis, et quidem in loco plano sita, moenibus circumdata, a flumine Rapa alluitur, ex cuius spuma bonum sulphur conficitur. Hic locus quindecim circiter milliaria Polonica a Cracouia, et quinque a Sandecia distat.

Vounicia, ligno exstructa vrbs, ad fluuium Donaiecium sita, et nouem circiter milliaria a Cracouia remota.

Sandecia, vrbs moenibus cincta, in regione amoenissima, in territorio eiusdem nominis, ad fluuium Donaiecium sita, vndecim fere milliaria a Cracouia distat, et templum episcopale et quaedam monasteria habet. Incolae huius loci maxime laborioſi et artium peritissimi sunt homines.

Lelouia, in territorio Lelouiensi, cuius metropolis est, vetustis moenibus, et colli inaedificata, eaque munita arce septa est, in qua arce palatium et horti aliquot Italico more instructi cernuntur. Hic locus ad fluuium Bialam situs vndecim circiter milliaria a Cracouia distat.

Kzyacz, ligno exstructum oppidum, septem circiter milliaria a Cracouia remotum est.

Osuiecimum, metropolis Ducatus Osuiecimensis, domibus ligneis repleta, in planitie inter paludes sita, ligno exstructam habet arcem, cuius parietes ex limo sunt facti. Hic locus septem circiter milliaria a Cracouia distat.

Zatoria, metropolis Ducatus Zatorienſis, ligno aedificata, in loco plano prope Vistulam sita, quinque circiter milliaria a Cracouia distat.

Seueria, metropolis Ducatus Seuerienſis satis ampli, arcem in insula quadam, quae in medio lacu magno sita est, habet munitissimam, aliamque Lipoueciae in alta rupe sitam, quae ideo inclaruit, quia clerici inobedientes Episcopatus Cracouiensis ibi in custodia asseruantur. Cum enim Episcopus Cracouiensis simul princeps huius Ducatus sit, vrbes aliquot, in iisque Lipoueciam apud Cracouiam,

continentis, hic locus, ad eos, qui aliquid deliquerunt, in cuſtodiam ibi includendos, maxime eſt idoneus.

Czenſtochouia, vrbs ob bonam cereuiſiam, quae inde non modo in omnes Poloniae vrbes, verum etiam in vicinas Germaniae prouincias deuehitur, celebrata. Extra hanc vrbem notiſſimum eſt monaſterium, colli inaedificatum, in quo Beatae Virginis Mariae imago exſtat, quam a ſancto Euangeliſta Luca pictam eſſe iactitant, quapropter vndique peregrini huc conueniunt, quo ipſi munera offerant.

Cum iter facientes ex Sileſia Cracouiam proficiſceremur, huius monaſterii contemplandi ergo, vaſa aurea et argentea plurima, pretioſa ad altare pertinentia ornamenta et veſtimenta, variis gemmis et praecipue multis vnionibus diſtincta, ibi monſtrata nobis ſunt. Illuſtriſſimae enim familiae Polonicae et ſibi et poſteris ſuis ſummo id ducunt honori, ſi pretioſum aliquid huic loco donent, et pietatis et liberalitatis ſuae memoriam eo conſeruari exiſtimantes. Monachi multa nobis miracula garriebant, quae ibi facta eſſe oſtentabant, quo in animis ſuperſtitioſae plebis tantum efficiunt, vt coeci illi et miſerandi homines ſummam ſibi egeſtatem contrahere nil dubitent, quo hunc modo locum diuitiis impleant. Non ſolum vero templum huius monaſterii eſt ditiſſimum, ſed etiam monachi magnam regionem circumiacentem poſſidentes ſuis ſumtibus praeſidium trecentorum militum alunt, qui, vt animaduerti, multo meliore, quam omnes reliqui totius regni milites, conditione vtebantur. Nullus eſt locus, cum quo hoc monaſterium aptius compares, quam Lauretum in Italia, ſeu diuitias, quibus ſplendet, incredibiles, ſeu ſuperſtitionem, quae ibi cum imagine Mariae Lauretanae agitur, ſpectes.

Slanucouia, in eodem Ducatu ſita, argentifodinis, quae ibi ſunt, inclaruit, e quibus vberrimi prouentus ad Epiſcopum redeunt.

Ilcuſſia, prope Slanucouiam ſita, vrbs regia, itidem argento et plumbo diues. Incolae huius loci ſplendidiſſime ſe gerunt, magnamque pecuniam luxu dilapidant, nihilominus tamen religioſi ſunt, ſiue potius ſuperſtitioſi et pietatis ſimulatores. Vrbs moenibus circumdata eſt. Domus plerumque lateribus ſunt exſtructae. Optimus hic eſt panis, et eximia caro bubula, qualem in Cracouia, a qua hic locus vix quinque diſtat milliaria, non facile reperias.

Prope Cracouiam ortum verſus ſita eſt Velicia, duo aut tria milliaria inde remota, quae ſale cryſtallino abundat, qui ſal non ita pellucidus eſt, quam is, qui Bochniae, loco quinque circiter milliaria a Cracouia remoto, reperitur; vbi ſalis admodum clari maxima effodiuntur fragmenta.

Proxime Hungariam Dobcicia ſita eſt, vrbs munita cum arce ei adiacente.

Prope Cracouiam ſeptentrionem verſus poſita eſt Proſouia, vrbs ligno exſtructa, in planitie ſita, vbi regium eſt palatium, ad ripam fluuii Slozeniauae, quatuor fere milliaria a Cracouia diſtans, vbi prouincialia, quae vocant, celebrantur comitia.

Alia adhuc in hoc Palatinatu plura ſunt oppida, procerum Polonicorum poteſtati ſubiecta, nec non permulta caſtella, palatia, monaſteria, et eiusmodi loca plura, non ſplendidiſſima, quae breuitatis ſtudioſus praetereo.

Hic Palatinatus, ſi Sendomirienſem exceperis, metallis reliquos omnes ſuperat. Argentum et plumbum circa Ilcuſſiam, Slanucouiam, Seueriam et Nouagoram; cuprum et aurum apud Nouotargum, et in montanis locis circa Sandeciam; ſal metallicus, qui veluti ingentia ſaxa et lapides quadrati, effoditur, apud Bochniam et Veliciam; marmor variorum colorum apud Seleciam, qui locus eſt monachorum diſcalceatorum; ſtibium apud Visliciam; vitriolum apud Bieciam, et carbones metallici apud Tencinum reperiuntur. Ferrifodinae et vaſorum vitreorum officinae apud Olſtiniam, nec non in nonnullis aliis huius regni locis deprehenduntur.

De ſale tantum et vitro adhuc aliquid addam, quod in hac prouincia reperi et accuratiſſime conſideraui.

Cum

Cum ſalis metallici fodinis, circa Cracouiam detectis, ita ſe habet. Per quatuor aut quinque paria ſcalarum lignearum in illas fodinas deſcendunt, quarum ſcalarum ope ex vna ſalis fodina in alteram perueniri poteſt. Per eandem viam equi etiam deducuntur. Tota huius ſalisfodinae altitudo in trecentos fere paſſus geometricos extendi fertur.

In illis fodinis innumeri anfractus, et modo huc, modo illuc vergentes meatus, vti etiam multi vici et plateae, haud ſecus atque in vrbe deprehenduntur, quae plateae per integram hebdomadem permeari vix poſſunt, ſicut ipſe poſſeſſor et praefectus huius ſalisfodinae, quam haereditate accepit, Morſtinus Coualſcius, teſtatus eſt. In nonnullis horum metallorum locis permultum aquae dulcis ſcaturit, quam metalli foſſores bibunt; plurimis autem in regionibus ſalſa eſt aqua, e qua per exhalationem ſal conficitur. Optimus autem ſal eſt naturalis, nulla praeparatione indigens. Venti in his metallis interdum tam vehementes ſunt, vt nihil fere illis reſiſtere valeat. Praeterea tanta frigoris acerbitas in illis ſalisfodinis eſſe ſolet, vt vix tolerari queat. Quamdiu pluit, ſal vulgo inſipidus eſt. Machinis certis ſeu inſtrumentis vtuntur, quorum ope aqua, ne operis moleſtiam creet, ex ſalisfodinis extrahitur.

Prouentus ex hac ſalisfodina redeuntes in octingenta fere aureorum Polonicorum millia quotannis excurrunt, quae pecunia quadringenta circiter librarum Gallicarum millia aequat, quorum aureorum quinquaginta millia ad regem, decem millia ad reginam, aliquot millia ad miniſtros aulicos, nec non ad metalli foſſores et alias operas redeunt. Praeterea vero horum metallorum poſſeſſor vrbes Poloniae et magnas et mediocres omnes, et praecipue earum praefecturas muneribus quotannis proſequi debet. Hae ſalisfodinae anno poſt Chriſtum natum milleſimo quingenteſimo duodequinquageſimo a ſutore ſunt detectae. Hic enim, cum prope ab hoc loco fontem foderet, ſcaturiginem, in qua media murus exilis ex ſale concretus erat, conſpexit. Neſcius itaque, quid cum eo muro ageret, eum confregit.

Quo facto eius prouinciae poſſeſſoribus, familiae ſcilicet Morſtinianae, quae contigiſſent, patefecit. Qui, quoniam in partibus ſuperioribus non multum ſalis offenderent, cum altius foderent, tantam eius copiam inuenerunt, vt centum et quinquaginta annis illum theſaurum exhaurire non potuerint. Salis illius foſſores, fragmenta ſalaria in metallis multo leuiori eſſe pondere, quam in terram euecta, affirmant, quod, cum eius rei ſpecimen non viderim, pro certo dicere haud poſſum.

Varia ſalis genera in hac fodina reperiuntur. Quorum vnum, quaſi chryſtallus, admodum durum eſt et ſaxeum. Alterum genus minus durum et multo ſubtilius. Tertium genus molle et fragile eſt, vti etiam candidum et purum. Quae tria genera omnia acria ſunt. Quartum vero genus aliquanto mitius eſt. In his ſalisfodinis ſaepius in vno latere amnis aquae ſalſae, et in altero amnis aquae dulcis deprehenditur. Tandem loca quaedam in eis ſunt, vbi fodere haud licet, quoniam ſine ſummo diſcrimine lux iis inferri non poteſt, ne vapores, qui ſemper nitroſi facillime ignem concipiunt, incendantur.

In hoc et in aliis quibusdam Palatinatibus ſingulare quoddam mannae genus reperitur, quod menſibus Maio et Iunio colligitur, et ita quidem, vt vna cum rore ab herba excipiatur. Hac manna incolae veſcuntur, variisque ferculis illam adaptare ſciunt. De ea plura dicendi occaſio in ſequentibus mihi offerretur.

Senatores huius Palatinatus ſunt, Epiſcopus, Caſtellanus et Palatinus Cracouienſis, Caſtellani Voinicenſis, Oſuecimenſis, Sandecenſis et Biecenſis.

Caſtellanus Cracouienſis ob eam cauſam, quae in Boleslai tertii, alias Criouoſti dicti, vita eſt indicata, Palatinum dignitate antecedit. Huius Palatini iurisdictio eſt ampliſſima, et non modo in ciues et ruſticos, verum in nobilitatem ſui Palatinatus ipſam extenditur.

Proximum honoris gradum occupat Praetor ſeu Conſul ſupremus Cracouienſis. Hoc munus, inquit Guagninus, ſublatum eſt, poſtquam Praetor quidam

dam Vladislai temporibus, Duci Oppolienſi, Boleslao, per proditionem, vrbem tradiderat, qui poſtea perfidiae dignas poenas cum ſuis complicibus dedit, Praetura vero ipſa ad regem delata eſt, qui iam ipſe aliquem creare ſolet. Mea aetate hoc munus a Scoto aliquo adminiſtratum eſt.

Arx Cracouienſis Palatini imperio praecipue paret, qui decem habet delegatos ſeu Burggrauios, qui et pacis et belli temporibus noctu et interdiu excubias agunt accuratiſſimas. Hi Burggrauii ſemper e nobilibus eliguntur. In hac arce corona cum aliis regni inſignibus cuſtoditur.

Huius Palatinatus inſigne eſt aquila expanſa coloris argentei cum corona aurea in campo rubro, per cuius alas trabs protenditur.

Territorium Sandecenſe inſigne habet peculiare, in campo partim albo, partim caeruleo.

Ducatus Oſuecimenſis inſigne habet aquilam nigram expanſam, quae litteram O in pectore gerit, in campo caeruleo.

Ducatus Zatorienſis inſigne habet aquilam caeruleam expanſam, quae in pectore litteram Z gerit.

Secundus Poloniae minoris Palatinatus eſt

Sendomirienſis, qui octo territoria, Sendomirienſe videlicet, Radomienſe, Stenzicenſe, Corcinenſe, Vislicienſe, Chencinenſe, Opocinenſe et Pilsnenſe territorium continet.

In illo Palatinatu ſunt vrbes eae, quae ſequuntur: Sendomiria, Opatouia, Viasdum, Radomia, Iedlinſco, Solecia, Ilza, Cunouia, Bozentinum, Kielcia, Malogoſtia, Sulouia, Dreuicia, Inoulodia, Sidlouecia, Ianouecia, Slupecia, Lagouia, Racouia, Corzinum, Vislicia, Pilsna, Chencinia, Polouicia, Zauichoſtum, Zarnouia, Zaclicynum, Lezaiſcum, Oſiecum, Staſouum, Polanecia, Stobnicia, Olesnicia, Oſſolinum, Paczanouia, Sendiſouia, Zarnouecia, Socolouia, Praeclauia et Zaclicynum.

Sendomiria, huius Palatinatus eſt metropolis, locus amoeniſſimus, in parvo colle ad Viſtulam ſitus, proſpectum habet iucundiſſimum et a nobilitate ſaepius frequentatur, quoniam ibi ab officialibus huius prouinciae dies aliquot iudiciales inſtituuntur. Haec vrbs ei regioni, vbi Sanus cum Viſtula commiſcetur, vicina, duodetriginta milliaria Polonica orientem verſus a Cracouia, et triginta duo meridiem verſus a Varſouia diſtat. Moenia habet fortiſſima, arcemque inſignem, in parte auſtrali prope Viſtulam ſitam, in qua Palatini ſedes eſt, cum aliis quibusdam ſcite exſtructis munimentis, quae Caſimirus Magnus parari curauit. In aedificiis publicis monaſterium Dominicanorum inprimis eminet, ab Iuone, Archiepiſcopo Cracouienſi inſtitutum. Hic anno milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo contra Stancari haereſin Synodus coacta eſt, quam alia excepit, a qua Auguſtana, Bohemica et Heluetica Confeſſio damnata eſt. Anno Chriſti milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo haec vrbs a Tartaris direpta, et anno eiusdem ſaeculi quinquageſimo quinto a Suecis capta, anno proximo autem Polonis reſtituta eſt.

Opatouia, quatuor milliaria a Sendomiria remota, in regione amoeniſſima ad fluuium Pilozam ſita, celebria quaedam habet monaſteria.

Viasdum, vrbs nuper exſtructa, quae a magna hominum multitudine frequentatur, et optime munita eſt.

Radomia, metropolis territorii Radomienſis, in planitie ſita, fortique muro, et aliis munitionibus ſepta eſt.

Iedlinsco ludum celebrem literarium et bene exſtructum habet templum.

Solecia, ad Viſtulam ſita, arcem habet inſignem, a Duce Chriſtophoro Zborauio inſtauratam et exornatam.

Ilza, vrbs elegans, lateribus exſtructas habet domos, et Epiſcopi Cracouienſis poteſtati ſubiecta eſt. Hic locus ex vaſis teſtaceis, de quibus vniuerſae Poloniae proſpicit, inclaruit. Cui arx, aedificiis plerumque vetuſtis conſtans adiacet. Epiſcopi tamen palatium nuperrime exſtructum magnificentiſſimum eſt.

Ad

Ad hanc vrbem pertinent Cunouia, vbi marmor omnium colorum effoditur.

In hoc Palatinatu multum etiam ferrum reperitur, et inprimis Bozentini, ſede Epiſcopi Cracouienſis. Hic eſt locus pulcherrimus et munitiſſimus, in quo is, quem modo diximus, Epiſcopus palatium habet quam elegantiſſimum, cui ſuauiſſimi adiuncti ſunt horti. Haec vrbs prope radices montis calui, qui omnes fere totius Poloniae montes altitudine excedit, ſita eſt.

Occaſum verſus poſita eſt Kielcia, ex cupri metallis et Lapide Lazulo clara. Haec duo loca in Epiſcopi Cracouienſis ſunt poteſtate, qui luic perelegans templum collegiatum, ſedemque habet epiſcopalem.

Chencinia, tria fere milliaria a Kielcia diſtans, itidem argento, plumbo, et diuerſorum generum marmore eſt ditiſſima. Regis poteſtati ſubiecta eſt. Arcem habet in rupe ſitam, in qua Chencinenſis territorii iudicia exercentur.

Malogoſtia, ſeu, vt alii vocant, Malogſch, oppidum ligno exſtructum, nihil habet memoria dignum, niſi quod Caſtellani alicuius ſit ſedes.

Sulouia inde innotuit, quod loca quaedam vicina ſub eius ditionem pertinent.

Dreuicia et Inoulodia duae ſunt vrbes ob caſtellorum duorum veterum ſplendida monumenta notabiles.

Sidlouecia, comitatus, qui olim Ducum erat Radiuillorum, ferri fodinis, piſciumque et ligni copia eſt vberrimus. Huius comitatus metropolis moenibus vetuſtis cincta, et egregie munita arce ornata eſt. Hic locus, permultis et elegantiſſimis aedificiis repletus, minime contemnendus eſt.

Stenzice, territorii Stenzicenſis metropolis, monaſterium Benedictinorum habet praeſtantiſſimum.

Paulo ſuperius ſita eſt Ianouecia cum arce in ripa fluuii vlteriore.

Slupecia ad Abbatis St. Crucis ditionem, in montis Calui faſtigio ſitam, pertinet, in cuius montis radicibus haec vrbs exſtructa eſt.

Lagouia, vrbs, Epiſcopo Cuiauienſi parens, ob vaſorum fictilium, quae ibi conficiuntur, multitudinem inclaruit.

Racouia, nidus Socinianorum, incolis olim ſatis repleta vrbs, celebrique florebat academia ſeu ſchola, in qua variis diſciplinis iuuentus imbuebatur. Hoc autem poſteaquam edicto publico vetitum erat, religio catholica ibi reſtituta eſt, quanquam hic locus multo deteriore, quam antea, conditione vtitur.

Corzinum, territorii Corcinenſis metropolis, ex ligno recens exſtructus locus cum arce adiacente, ad flumen Vislociam ſitus, et paludibus circumquaque cinctus.

Vislicia, ligno aedificata vrbs, ad flumen Nidam, muro forti inſtructa, et in rupe in limoſa et paludoſa regione ſita. In hac vrbe eſt templum cathedrale ſaxis quadratis exſtructum, cum pulcherrima aedicula, in qua Canonici habitant. In regionibus circumiacentibus varii ſerpentes et inſecta, quae autem hominibus nullum damnum inferunt, quia ſcilicet, vt incolae iactitant, illud a Pontifice Romano iis interdictum eſt, et ſimulac ex hoc loco in alium transferuntur, exſpirant. Haec vrbs Caſtellani ſedes eſt.

Pilsna ligno exſtructa vrbs ad fluuium Vislóciam ſita.

Polouicia vrbs eiusdem ſtructurae, inter colles ſita, eſt Caſtellanatus.

Zauichoſtum, vrbs ligno exſtructa, ad Viſtulam ſita, cum arce, muro duplici munita, ad alteram fluminis ripam, itidem eſt Caſtellanatus.

Zarnouia, eiusdem ſtructurae oppidum et Caſtellanatus.

Zaclicynum, celebres habet nundinas.

Lezaiſcum, inclytum habet monaſterium, in quo variae ſanctorum, vt opinantur, reliquiae aſſeruantur, quapropter vndique itinera religioſa eo ſuſcipiuntur.

Senatores huius Palatinatus ſunt: Palatinus et Caſtellanus Sendomirienſis, Caſtellani, Vislicienſis, Radomienſis, Zauichoſtenſis, Zarnouienſis, Malogoſtenſis, Polanecenſis et Cechouienſis.

Hic Palatinatus insigne habet campum partim album, partim caeruleum; in quorum priore tres pessuli rubri, et in altero tres stellae nigrae, triangulum repraesentantes, conspiciuntur.

Tertius Palatinatus Poloniae minoris est

Lublinensis, quo etiam Lucouiense territorium refertur, quod duo millia propemodum domuum nobilium complectitur. Hic Palatinatus cum duobus superioribus ad dioecesin Cracouiensem pertinet, quae mille et duodeuiginti ecclesias, in iisque tredecim collegiatas, comprehendit.

In hoc Palatinatu variae vrbes sitae sunt, in quibus notantur, Lublinum, Casimiria, Czemiernici, Vrzendouia, Lulouia, Parcouia, Opolia, Curouia, Crasnicia, Leuartouia et Lenczna.

Lublinum metropolis, sub gradum longitudinis quadragesimum quintum, et latitudinis quinquagesimum primum sita, quinque milliaria a finibus Russiae rubrae, duodecim occasum versus a Chelma, quatuordecim septentrionem versus a Sendomiria, viginti quatuor meridiem versus a Varsouia, et triginta sex milliaria septentrionem et ortum versus a Cracouia distat, ad collis cuiusdam radices, apud fluuium Bystricium exstructa, alto muro altaque fossa circumdata, cum arce munitissima, a Russis exaedificata. Haec vrbs magnitudinis est modicae, sed mirificae salubritatis, elegantissimaeque structurae. A Turcicis, Armenicis, Moscouiticis et Germanicis mercatoribus, inprimis quatuor mercatuum celebrium tempore, qui quotannis hic aguntur, creberrime frequentatur. Circumquaque propemodum paludibus cincta, et a Casimiro Magno moenibus inclusa est. Iudaei plerumque in suburbio habitant, vbi etiam Synagogam habent. Templum, quod in hac vrbe est, primarium a Lesco Nigro, postquam ille prope ad hunc locum splendidissimam de Lithuanis reportauerat victoriam, aedificatum, et sancto Michaëli, qui nocte superiore, fortunam prosperam, vt traditur, ei promiserat, consecratum est. Insuper alia quaedam bene exstructa templa in vrbe conspiciuntur, vti etiam magnifica quaedam monasteria, quorum praecipuum ab Vladislao Iagellone conditum est. Haec vrbs iudicia duo tribunalicia totius Poloniae habet, quam ob causam magna nobilium multitudo nunquam non hic versatur.

Casimiria, vrbs admodum bella, ligno exstructa, rupibus vndique septa, ad Vistulam sita, qui fluuius ripas interdum excedens ad medias domos vrbis adscendit. Hic locus septem circiter milliaria a Lublino distat.

Czemiernici, pulchrum habent palatium, a prudente et inclyto Henrico Firleio, Archiepiscopo Gnesnensi, olim exstructum, et venustis aliquot hortis exornatum.

Vrzendouia, vrbs magna, ligno aedificata, in lacu quodam sita, septem circiter milliaria a Lublino distat.

Lulouia, territorii Lulouiensis metropolis, in loco plano sita, ligneas habet domos, et partim palude profunda, partim palis acutis cincta est. Hic locus quatuordecim fere milliaria a Lublino remotus amplam habet ditionem.

Parcouia, ligno exstructa vrbs, in planitie prope lacum admodum magnum sita, nouem circiter milliaria a Lublino distat.

Hic Palatinatus duos tantum habet Senatores, Palatinum videlicet, et Castellanum Lublinensem.

Insigne gerit hic Palatinatus ceruum album currentem cum collari aureo in campo rubro.

Tertia Poloniae prouincia est

Prussia, quae prouincia ex parte tantum a iurisdictione regni Polonici dependet. Leges enim, mores et iudicia habet peculiaria. Satis magna est, vbique fluuiis opportunis irrigata, et in mari Balthico multis et commodis portubus instructa. In longitudinem sexaginta circiter, et in latitudinem quinquaginta milliaria Polonica porrigitur, occasum versus ad Pomeraniam, meridiem versus ad Cuiauiam et Masouiam, ortum versus ad Lithuaniam et Samogitiam et septentrionem versus ad mare Balthicum extenditur.

Haec prouincia metallis quidem non est ditissima, sed variis generibus pecorum, ferarum, piscium atque pomorum fertilissima, et aër eius terrae optime temperatus est.

Haec prouincia merces, quae ex Polonia, Russia et Lithuania huc deducuntur, et quarum magna est copia, in alia loca transfert, et rursus, quas Europa aut India mittit, merces, plerumque permutatione accipit. Quo fit, vt incolae Prussici multo ditiores sint, et conditione multo meliore vtantur, quam prouinciarum reliquarum Polonicarum incolae.

In hac prouincia, ex ligni cuiusdam cinere vitrum conflatur, qui cinis antequam vitro conficiendo fiat aptus, per duodecim horas coquitur. Vitrum si clarius et subtilius esse velint, quam vulgo est, terram quandam cineri immiscent, quae eadem est forma atque duritie, qua tartarum, vnde vitrum varios colores nanciscitur, quo maior minorue huius terrae portio ei immisceatur. Cui vitro si sal admiscetur, multo facilius et commodius artifex illud tractare potest.

Praecipua huius prouinciae flumina sunt, Vistula, Nemenus, Nogat, Elbinga, Vesera, Passaria, Alla, Pregela, Ossa, Drebnicia, Lica et Lauia.

Praeterea quoque permulti lacus in hac prouincia deprehenduntur, quibus pisces varii generis innatant. Quorum praecipui sunt:

Habus, qui lacus quindecim fere milliaria in longitudinem et duo milliaria in latitudinem porrectus, per exiguum tantummodo Isthmum, Neringam dictum, a mari Balthico separatur, quocum commercii aliquid ei intercedit. Ibi incolae paruis et oblongis retibus amplo supra foramine patentibus, infra autem perangustis electrum colligunt. Quae retia perticis longis alligata, fluctibus exortis, in lacum demittunt, quibus frusta, pugnum magnitudine interdum aequantia, extrahunt. Quod electrum seu succinum a multis abietibus, iuxta hunc lacum excrescentibus originem ducere creditur; ab his enim quia multum bituminis seu resinae terebinthinae in hunc lacum destillatur, haec massa in mare Balthicum deuehi, ibique vi et impetu fluctuum in electrum transformari existimatur, id quod muscae et alia insecta, in eo reperta videntur confirmare. Verum temporis progressu melius edoctus hoc electrum per naturam suam succum esse metallicum deprehendi, qui in lacum defluat; quem cum primum extraxeris, mollem reperies, paulo post autem ab aëre indurescentem. Illud electrum etiam in toto Prussico litore maris Balthici reperitur.

Lacus alius est Curouiensis in Prussia Ducali, qui superiorem illum magnitudine aliquantulum superat.

Prussia in Regiam et Ducalem Prussiam vulgo diuiditur.

Haec prouincia primum Ducibus quibusdam, nullius imperio subiectis, parebat, donec equites ordinis Teutonici post bellum diuturnum eam in suam redigerent potestatem. Anno Christi millesimo quadringentesimo quinquagesimo quarto pars occidentalis a Polonis occupata est; et anno millesimo quingentesimo vigesimo fiebat, vt Marchio Brandenburgicus, Albertus, trigesimus quartus, isque vltimus huius ordinis Magnus Magister, iugo Polonico excusso, partem orientalem sub Ducatus nomine obtineret; ex quo tempore ea, quam commemorauimus, diuisio exorta est. Idem Albertus sacris Lutheranis addictus, plurimis equitum suorum, vt matrimonium inirent, persuasit, et sacra puriora in hanc prouinciam introduxit. Incolae huius terrae veteres dudum sunt exstirpati; Prussi autem, qui nunc ibi versantur, mixtus est populus, a diuersis, Suecicis nimirum, Polonicis, Germanicis et aliis coloniis exortus.

Prussia Regia in quatuor Palatinatus, Pomeraniam videlicet, Culmensem, Mariaeburgensem et Varmiensem Palatinatum diuiditur.

Primus horum Palatinatuum, Pomerania scilicet, cum in Polonorum potestate esse desierit, eam hic describere, necesse non habeo.

Secundus Prussiae Regiae Palatinatus est Culmensis, quo etiam territorium Michalouiense, meridiem versus situm, pertinet. Hic vrbes, quae sequuntur, sunt notandae: Culma, Thorunium, Grudentum, Colmensee, Brodnicia, Radinum, Golubia, Rogozna, Brathianum, Lubouia et Copriunicza.

Culma, metropolis huius Palatinatus, locus peruetustus et clarissimus, in colle ad Vistulam situs, quatuor circiter milliaria Germanica septentrionem versus a Thorunio et quindecim meridiem versus a Dantisco remotus. Haec vrbs anno millesimo ducentesimo vigesimo tertio ab equitibus ordinis Teutonici exstructum, et contra Prussorum ethnicorum incursiones munitum est.

Magnus huius loci Magister, Hermannus de Salza, leges quasdam, quae ad feliciorem eius gubernationem aliquid conferrent, instituit. Tempore inuasionis Sueuicae magnam hic locus iacturam fecit, et adhuc incolis parum frequentatum est, adeo vt sedes episcopalis, quae sub Archiepiscopi Gnesnensis ditionem pertinet, in vrbem vicinam, Colmensee, dictam, aliquamdiu translatum sit. Tandem pulchra templa ibi sunt, in quibus multa et splendida ornamenta et alia donaria conspicienda sunt,

Thorunium, ad Vistulam situm, quo flumine haec vrbs in duas partes diuiditur, quatuor milliaria Polonica a Culma, austrum versus, tredecim a Mariaeburgo, viginti duo a Dantisco, quindecim a Lencicia, et vndetriginta a Varsouia distat. Hic locus olim erat ciuitas imperii Romani, a quo postea separata ad hoc vsque tempus permultis fruitur priuilegiis. Nomen vrbis a vocabulo Germanico *Thor*, quod *portam* significat, originem videtur traxisse, quia videlicet haec vrbs ab ordine Teutonico eum in finem exstructa est, vt quasi porta esset seu ianua, qua copiae peregrinae, si iis opus esset, in Prussiam peruenirent.

Vnde etiam haec vrbs castellum cum porta semipatente insigne gerit. Thorunium, quod nunc est, non eo loco, cui antiquum Thorunium inaedificatum erat, positum est, quippe quod milliare integrum occasum versus ab eo, quod nunc floret, distabat, vbi adhuc reliquiae quaedam arcis vetustae cum aliis monumentis exstant. Caeterum haec vrbs elegantissima et optima est totius Prussiae Regiae, quandoquidem platearum latitudine, et aedificiorum magnificentia Dantiscum longe superat. Anno Christi millesimo sexcentesimo nono a Consule, Henrico Stubando, pulcherrime exornata est, qui etiam paruam academiam ibi instituit et reditibus vberibus locupletauit. Idem xenodochium exstrui, et bibliothecam publicam institui curauit, in qua duae Ciceronis epistolae in tabulis cereis scriptae asseruantur. Ita etiam curia, in medio foro posita, ab illo exstructa est. Incolae anno Christi millesimo quadringentesimo quinquagesimo quarto contra equites ordinis Teutonici seditionem mouerunt, et imperio Polonico se submiserunt. In hac vrbe clarissimus ille astronomus, Nicolaus Copernicus, natus est. Ita etiam anno Christi millesimo quingentesimo primo rex Poloniae Iohannes Albertus ibi diem obiit supremum. Anno Christi millesimo sexcentesimo quinquagesimo quinto hic locus a Suecis captus, et tribus annis post a Polonis recuperatus est. Postea Sueci iterum hanc vrbem occuparunt, anno autem millesimo sexcentesimo sexagesimo quinto a Polonis denuo sunt eiecti.

Grudentum, arce et moenibus fortissimis munitum est.

Colmensee seu Culmensee, sedes est episcopalis Episcopi Culmensis, qui a Culma huc se contulit. Hic locus nouem milliaria septentrionem versus a Thorunio, vndeuiginti a Grudento, et duodecim meridiem et ortum versus a Culma distat. Michalouiense territorium exigua est prouincia inter fluuios Brodnam et Drebnicam, quae prouincia bellorum inter equites ordinis Teutonici et Polonos cruentorum causam dedit. Eius metropolis est Michalouia, quae cum aliis huius territorii locis descriptione digna non est.

Tertius Palatinatus Prussiae Regiae est Palatinatus

Mariaeburgensis, in quo vrbes sequentes sitae sunt: Mariaeburgum, Elbinga, Stuma, Mewa, Gnieuum, Nouum, Stargardia et Orneta.

Mariae-

Mariaeburgum, metropolis, ad Nogatum, brachium Vistulae, sita, sex fere milliaria a Dantisco remota, fortia moenia et excelsas habet turres, cum arce permagna, in qua captiui, illustrissima stirpi orti, belli tempore asseruantur. Haec vrbs magno fruitur emolumento ex vicinia insulae Zulauae, quae regio est ditissima, et duas partes complectitur, nempe

1) maiorem, quae proxime Mariaeburgum sita est; et

2) minorem, quae ad Dantiscum spectat, cuius vrbis incolis etiam paret.

Elbinga, vrbs bene munita, et commerciis, quae ibi florent, celebris, in qua Angli Consulem olim habuisse dicuntur. Albertus, primus Prussiae Dux, anno millesimo quingentesimo quadragesimo secundo academiam, quae autem maximi momenti non est, ibi instituit.

Vrbium reliquarum descriptionem nullam reperio.

Quartus Palatinatus Prussiae Regiae est

Varmiensis Episcopatus, cuius nobilitas omni regia potestate plane exempta est, et legibus solis institutisque Prussicis regitur, et ab Episcopo, qui ciuilem exercet potestatem, gubernatur. Vrbes eius sunt: Heilsberga, Fraumberga, Brunsberga, Gutestadia, Allensteinum, Resla, Vormita, Messacum, Vartemberga, Sebergum, et aliae plures.

Heilsberga, huius prouinciae metropolis, sedes Episcopi, moenibus fortibus aliisque munitionibus firmis est instructa.

Fraumberga, templo cathedrali Episcopatus Varmiensis ibi exstructo inclaruit, cuius Canonicus olim erat Copernicus, astronomus ille celeberrimus.

Brunsberga, ad fluuium Passariam sita, hospitibus frequens, optima quaedam in Prussiae vrbibus habetur. Collegium, quod ibi est, Iesuitarum, a Cardinali Hosio aedificatum est.

Reliquarum vrbium descriptionem non inuenio, quas igitur praetereo.

Prussia Ducalis, quae nunc integra Electoris Brandenburgici potestati subiecta est, sequentes vrbes complectitur: Regium montem, Pillauiam, Memeliam, Velauiam, Tilsam, Marienwerder, et alias plures, quarum numerus ad sexaginta vsque excurrit.

Regius mons, metropolis, in tres partes diuiditur, et arcem habet bene munitam. Sub gradum longitudinis quadragesimum tertium, et latitudinis quinquagesimum quartum sita est, et academiam habet, anno millesimo quingentesimo quadragesimo quarto ab Alberto, Magno Magistro Ordinis Teutonici, primoque huius prouinciae Duce, erectam.

Incolae huius vrbis plerumque sacris a Luthero emendatis sunt addicti, vti etiam pars huius prouinciae maxima. Quapropter Rex Sigismundus tertius, cum anno millesimo sexcentesimo vigesimo primo a Duce Prussio homagium reciperet, legem sanciuit, vt Pontificiis sacra libere ibi exercere permitteretur.

Senatores Prussiae sunt, Episcopus Varmiensis, reliquorum princeps, Episcopus, Palatinus et Castellanus Culmensis, Palatini Mariaeburgensis et Pomeranicus, Castellani Elbingensis et Gedanensis.

Praeter illos alii adhuc sunt praefecti, quae in potestate Senatorum Prussiae sunt, a quibus etiam, nisi ad magna regni Polonici comitia conuocati sint, sustentantur. Hi sunt Camerarii vicarii Culmensis, Mariaeburgensis, Pomeranicus, Thorunienſis, Elbingensis et Gedanensis.

Praeterea etiam Prussi Thesaurarium, Praefectos arcium, sic dictos Gladiferos, Iudices et Scabinos habent; quorum nullus in Senatoribus Regni locum occupat.

Palatini Prussici multo maiorem habent potentiam, quam caeterarum Poloniae prouinciarum Palatini.

Insigne Prussicum est aquila nigra expansa cum gladio euaginato, qui ab alba dextra tenetur, in campo coloris aurei.

Quarta regni Polonici prouincia est

Russia rubra, quae cum Russia alba, ad Lithuaniam pertinente, confundenda non est. Haec prouincia a Lithuaniae finibus ad Borysthenis ostium extenditur, qui fluuius in Pontum Euxinum effunditur, et hanc prouinciam ortum versus a Moscouia disiungit, sicuti montes Carpathici meridiem et occasum versus ab Hungaria eam separant. Magnam frumenti habet copiam, variisque generibus pecorum et piscium, nec non melle abundat. Porro in hac prouincia ad ripam fluuii Sani quotidie diuersae arbores reperiuntur, quae duritie et nigritie ebenum aequant. Quos arbores a diluuii vniuersalis temporibus ibi iacuisse incolae tradunt; verum ab vndae praeterlabentis impetu dudum prostratas eas esse multo credibilius est. Haec prouincia meridiem versus ad Hungariam, Moldauiam et Bessarabiam; ortum versus ad deserta Tartarica, et praecipue ad Moscouiam; septentrionem versus ad Russiam albam, a qua fluminibus, Stiro et Pripecio disiungitur, et occasum versus ad Poloniam minorem spectat, a qua fluuiis, Visloca et Vepro, separatur.

Russia rubra septem Palatinatus continet, Palatinatum videlicet Russiae, Podoliae, Braslauiae, Kiouiae, Volhyniae, Belzae et Chelmensem Palatinatum.

Primus huius prouinciae Palatinatus est

Russia, quae quatuor territoria, Leopoliense nimirum, Praemisliense, Halicienſe et Sanocense comprehendit.

In primo horum territoriorum sequentes vrbes memoria dignae sitae sunt: Leopolis, Grodecia, Iauoris, Zolkuia, Gliniani, Zloczouia et Comarna.

Leopolis, a Polonis *Lwow* seu *Luwow*, a Germanis vero *Lemberg* seu *Reussisch-Lemberg* dicta, huius Palatinatus metropolis, sub gradum longitudinis quadragesimum sextum, et latitudinis vndequinquagesimum sita, circumcirca montibus inclusa, ripae fluuii Pettauiae adiacet, et quindecim milliaria Polonica septentrionem versus a montibus Carpathicis, totidemque ortum versus a Praemislia, triginta a Camenecio, quadraginta a Cracouia, et quinquaginta circiter meridiem et ortum versus a Varsouia distat. Ampla est haec vrbs et optima munita, et duas habet arces, vnam intra, et alteram extra moenia, in paulo altius elato fundamento sitam, quae vrbem gubernat. Quas duas arces vna cum vrbe Leo, (seu, vti Russi eum vocant, Loo) Dux Russicus, circa annum Christi millesimum ducentesimum vndenonagesimum aedificauit. Archiepiscopus Leopolienſis et sacras suae dioeceseos et ciuiles res administrat; cuius Archiepiscopi sedes anno millesimo trecentesimo sexagesimo primo, rege Casimiro iubente, ex Halicia huc translata est. Hic quoque Archiepiscopus Armenicus et Episcopus Russicus sedet, qui Patriarchae Constantinopolitani potestati subiecti sunt. Ad vtrumque Episcopatum aliquot ecclesiae pertinent. Armeni, sacris catholicis addicti, diutius, quam cogites, hic habitauerunt, et a peculiari prorsus episcopo reguntur. Haec vrbs variis obsidionibus vexata fuit. Primum quidem a Cosacis et Tartaris terribili exercitu instructis obsessa est; deinde anno millesimo sexcentesimo duodequinquagesimo a Moscouitis et Cosacis, exercitu, qui centum et viginti millibus militum amplius constabat, armatis, qui duos menses cum dimidio eam claudebant; et denique anno millesimo sexcentesimo septuagesimo secundo a Turcis, qui quin eam cepissent, parum aberat, sed tamen inita pactione infectis rebus tandem discedendum ipsis fuit. Id quod imperante Michaële Wiesnowiscio factum est, qui et anno proxime insequente ibi mortuus est. In eadem vrbe viri docti maximi aestimantur, et ab ea, quae ibi est, academia quam humanissime excipiuntur et tractantur. Huius academiae Professores a Cracouiensi constituuntur. Ibidem mercatus admodum celeber hiemali tempore agitur, quo permulti ex Hungaria, Moldauia, et pacatis temporibus, etiam ex Turcia mercatores proficiscuntur.

In aliis fluminibus huius regionis Roxolania eminet, in quo mulli mirificae magnitudinis capiuntur. Ita etiam circa hanc vrbem multae sunt piscinae, diuersis pinguissimorum piscium generibus impletae, quorum piscium ingens multitudo sale condita per totam Poloniam distrahitur. Templa huius vrbis plerumque

que pulcherrima sunt et elegantissime exstructa, multisque pretiosis ornamentis repleta.

Grodecia, vrbs palis acutis septa, arcem habet in planitie sitam, paludibus cincta est, et quatuor fere milliaria a Leopoli distat.

Iauorisuia ex balneo tepido inclaruit, quod in pago proximo, Sclouia dicto, scaturit. Balneum illud multis morbis insanabilibus medetur, vt Sixtus Leo, medicae artis peritissimus in ea, quam de hoc balneo scripsit, dissertatione testatur.

Zolcuia, arcem habet, cum multis et amoenis hortis, vti etiam elegans templum, in media vrbe positum, variisque marmoris generibus exstructum. Qui nuperrime vita decessit, rex Iohannes Sobiescius, saepissime ibi commoratus est, vbi etiam illustrissimus Comes Rossensis ad eius colloquium admissus est.

Hoc territorium insigne habet leonem salientem corona aurea ornatum apud rupem nigram in campo caeruleo.

Secundum huius Palatinatus territorium est Praemislienſe, in quo vrbes notatu dignissimae sunt hae: Praemislia, Samboria, Iaroslauia, Lancutum, Resouia, Fulstinia, Visnia, Zidaczouia, Moscisca, Dubiecia, Canczuga et Praevorscia.

Praemislia, metropolis, ad fluuium Sanum sita, fortia et bene munita habet moenia, et arcem rupi cuidam in aduersa fluminis ripa insistentem. Haec vrbs sex circiter milliaria supra Iaroslauiam sita, et duodecim a Leopoli occasum versus remota est. Duo ibi sunt Episcopi, nempe Pontificius, qui huius territorii curam gerit, et Praelatus Russicus ecclesiae Graecae.

Orichowscius, Canonicus templi cathedralis huius loci, sacerdotibus matrimonium inire licitum esse contendebat. Porro Collegium Iesuitarum ibi est ad educandam iuuentutem. Incolae huius negotiationi admodum dediti memorabiles aliquot quotannis celebrant mercatus. Prope hanc vrbem magnum est theriotropheum, variis ferarum belluarum generibus repletum et firmis muris circumdatum, vt istae belluae nemini damnum inferre possint. Regio finitima multa habet castella, ad incursiones Tartarorum arcendas. Quorum praecipuum est castellum Crasicinum, haud ita pridem ad fluuium Sanum exstructum.

Samboria, vrbs palis acutis circumdata, ad fluuium Tyram sita, castellum habet prope fines Hungaricos.

Iaroslauia, ob mercatum celebris est, qui festo die Purificationis Mariae ibi agitur, et totius Poloniae est clarissimus.

Non solum merces ex Persia, Constantinopoli, Venetiis, Moscouia et Amstelodamo, verum etiam, vt traditur, quadringenta millia amplius pecorum et dimidius fere equorum numerus huc transportantur.

In hac vrbe Iesuitae habent collegium pro studiosa iuuentute. Extra vrbem vero elegantissimum est monasterium monialium, secundum recentissimam structuram aedificatum. Neque arx, huic vrbi adiacens, ortum versus ad fluuium Sanum sita, contemnenda est.

Lancutum, ob varia templa pretiosa clarum, quae Stanislaus Lubomirscius, Palatinus Cracouiensis, condidit, et arce ad Tartarorum incursiones prohibendas munitissima instructum.

Resouia, itidem castello forti et monasteriis nonnullis exornata. Die S. Alberti mercatus ibi celebratur. Haec vrbs inprimis ex linteorum officina, quae a Germanis exercetur, inclaruit, quorum Germanorum maiores a Casimiro Magno capti, et in illum locum vicinasque regiones transportati sunt.

Hoc territorium insigne habet aquilam bicipitem expansam, quae capita ambo coronam auream gestant in campo caeruleo.

Tertium territorium Palatinatus Russiae est territorium

Halicienſe, quod occidentem versus montibus Transyluaniae, et meridiem versus Valachiae siluis faginis circumdatum est, et orientem versus a Tyra, rapidissimo fluuio, qui in montibus Carpathicis ortus in Pontum Euxinum influit,

in duas partes diuiditur. Pars huius territorii auſtralis Pocutia vocatur. Totum vero territorium ſequentes vrbes notatu dignas continet: Haliciam, Sniatinum, Colomiam, Martinouiam, Dolinam, Strium, Podocum, Brezanum, Buczauiam ſeu Busko et Podhaieciam.

Halicia, olim erat metropolis regni Ruſſici, in tetrarchias aliquot tunc diuiſi, quarum tetrarchiarum vnaquaeque a peculiari Duce regebatur. Hic locus eſt vrbs magna, ligno exſtructa, quae flumine Pruto a Moldauia diſiungitur, et ex altera parte a Tyra irrigatur. Arcem habet itidem ligno aedificatam, in loco edito poſitam, Tyrae adiacentem. Incolae huius loci ſunt ſubruſtici, magisque agriculturae, quam aliis negotiis dediti.

Sniatinum, vrbs ligno ſtructa et palis acutis cincta, ad Valachiae fines ſita, et a fluuio Pruto irrigata. Pocutiae eſt metropolis. Nundinae olim hic celebratae ſunt, quapropter Valachi frumentum ſuum et commeatum ibi repoſuerunt. Hinc quoque factum eſt, vt hic locus pecoribus, melle, cera, et genere equorum egregio nunquam non abundaret.

Colomia, vrbs ligno aedificata, ad montis cuiusdam radices prope fluuium Prutum ſita, ob ſalis ſubtilitatem creberrime frequentata, quo de ſale toti reliquae Ruſſiae et Lithuaniae proſpicitur; neque vllus alius locus, ſi territorium Praemislienſe exceperis, in his duabus prouinciis reperitur, vbi ſal conficiatur. In hoc autem tractu vbique fere putei profundi exſtant, ex quorum aqua ſal excoquitur. In regionibus Vkraniae deſertis prope Boryſthenem lacus quidam eſt, cuius aqua ſolis ardore itidem in ſolida ſalis fruſta condenſatur, quo ſale non niſi incolae huius regionis vtuntur.

Martinouia, vrbs Pocutiae, arcem habet in mediis paludibus ſitam.

Dolina ſeu Dobrilouia, oppidum ligno exſtructum et inter montes ſitum.

Strium itidem ligno ſtructum, fluuio eiusdem nominis adiacet.

Podocum, in aduerſae Tyrae ripa ſitum, caſtello bene munito inſtructum, et pulchro monaſterio exornatum, quod monaſterium Stephanus Potucius, Palatinus Braclauienſis, condidit, qui etiam hic vita deceſſit et humatus eſt.

Brezanum vrbs incolis frequens, ligno aedificata, arcem habet muratam, quae prope vrbem in colle ſita eſt.

Buczauia ſeu Busko, inter paludes ſita. Prope ab hac vrbe fluuius, Bugus oritur, in quo variae merces negotiatorum Leopolin transferuntur.

Podhaiecia, muro aliisque munitionibus inſtructa. Haud procul inde Zaualouia, arx illa celebris, ſita eſt.

Quartum Palatinatus Ruſſiae territorium eſt territorium

Sanocenſe, quod, cum Hungariae et Tranſyluaniae montibus propinquum ſit, multis collibus, ea, quae ad Crosnam ſpectat, parte excepta, repletum eſt. In quo hae vrbes notantur: Sanocum, Crosna, Brozouia, Rimanouia, Dinouia et Lesko.

Sanocum, metropolis, ligno exſtructa, inter montes prope fluuium Sanum ſita. Arx huius vrbis, rupi cuidam inaedificata, haud contemnenda eſt.

Crosna, incolis magis abundat, quam Sanocum, vti etiam a peregrinis crebrius frequentatur.

In hac vrbe Hungarorum eſt emporium, qui omnes merces ſuas et vina eo transportant. Vnde etiam mercatus, qui ibi frequentantur celebriores ſunt, quam vicinarum vrbium. Hic quoque Ieſuitae Collegium ad iuuentutem eruidiendam habent.

Vrbes reliquae, vt Brozouia, Rimanouia, Dinouia, et Lesko, non ſunt admodum munitae, vt incurſiones Tartarorum prohibere poſſint.

Senatores Palatinatus Ruſſiae ſunt: Archiepiſcopus Leopolienſis, Epiſcopus Praemislienſis, Epiſcopus Kiouienſis, Palatinus Ruſſiae, Caſtellanus Leopolienſis, Praemislienſis, Halicienſis et Sanocenſis.

Secundus Palatinatus Ruſſiae rubrae eſt

Podo-

Podolia, quae creberrimis Turcorum et Tartarorum incurſionibus, multisque, quae ibi cum iis commiſſa ſunt, proeliis inclaruit.

Si incolae huius terrae (inquit Starouolſcius) optata pace poſſent ita frui, vt occidentaliores Europae populi, certe nec Italiae aut Hungariae ſoli vbertatem et diuitias inuiderent. Hic Palatinatus haud paucis in locis diuerſa marmoris et alabaſtri habet genera, et tria territoria continet, nempe Camenecenſe, Tremboulienſe et Laticzouienſe.

In hoc Palatinatu vrbes ſequentes ſitae ſunt: Camenecia, Tremboula, Laticzouia, Barum, Huſiatinum, Czartcouia, Ianouia, Zuanecia, Chmielnicum, Miendzibozia, Zincouia, Ieſupolis, Iaslouiecia, Satanouia, Tarnopolia, Kitaigrodum et Dunaigrodum.

Camenecia, metropolis, in Valachiae confinio inter ſaxa et colles ſita, et natura et arte optime munita eſt, arcemque habet fortiſſimam, quae rupi vicinae inaedificata vrbem gubernat. Aditus ad illam arcem propugnaculo tectus eſt, quod a reliquo loco foſſa profunda ſecernitur. Et vrbs et caſtellum fluuio Smotrica circumdata ſunt, qui fluuius haud procul inde in Tyram effunditur. Rupes, quae huic vrbi circumiacent, vbique tantae ſunt altitudinis, vt ſummarum tantum domorum non niſi faſtigia extrinſecus appareant. Hic locus quindecim milliaria occaſum verſus a Baro, triginta a Leopoli, triginta ſex a Iaſſy, tringinta a Kiouia, octoginta a Varſouia, et centum ſeptuaginta circiter milliaria a Conſtantinopoli diſtat. Epiſcopus huius vrbis Archiepiſcopo Leopolienſi eſt ſubiectus. Anno Chriſti milleſimo ſexcenteſimo ſexageſimo nono ex incendio maximum cepit detrimentum. Turci et Tartari ſummis ſaepe viribus, ſed fruſtra, eam ſunt adorti, donec tandem anno milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo ſecundo illi in ſuam poteſtatem eam redigerent. Anno Chriſti milleſimo ſexcenteſimo octogeſimo ſeptimo hic locus a Motula, Coſacorum Duce, obſeſſus eſt, quo Poloni cum eius copiis ſe coniungere maxime laborabant. Verum Ottomannico exercitu appropinquante, ambo infectis rebus diſcedere coacti ſunt. Anno Chriſti milleſimo ſexcenteſimo octogeſimo octauo hic locus a Polonico exercitu denuo obſeſſus, et anno proximo oppugnatus eſt, quae oppugnatio menſe Auguſto initium cepit. Inſequente autem Septembri finem ei impoſuerunt.

Tremboula, vrbs, ad radices magni cuiusdam montis ſita, arcem habet colli vicino inaedificatam.

Laticzouia, contra barbarorum incurſiones bene munita, arcem adiacentem habet et incolas bellicoſos.

Barum, palis acutis circumdata vrbs, a Buona, Ducis Mediolanenſis, Iohannis Sforzae, filia, eademque regis Poloniae, Sigismundi, coniuge, exſtructa eſt, quae patriae ſuae nomen huic loco indidit. Cui caſtellum adiacet, in colle ſitum et vndique paludibus et lacubus circumdatum.

Huſiatinum, contra hoſtium incurſiones bene munitum.

Czartcouia, itidem firmis munitionibus et caſtello inſtructa.

Ianouia et Zuanecia cum aliis vrbibus compluribus loca ſunt munitiſſima.

Chmielnicum, vrbs ligno aedificata, non niſi palis acutis ſepta, caſtellum habet ligneum, ad fluuium Bohum.

Miendzibozia, vrbs, cum magna ex ligno exſtructa arce, in paludibus ſita eſt, neque alium habet aditum, niſi pontes quosdam. Hic locus multa olim a Tartaris perpeſſus eſt.

Senatores huius Palatinatus ſunt Epiſcopus Camenecenſis, Palatinus Podoliae et Caſtellanus Camenecenſis.

Hic Palatinatus inſigne gerit ſolem in pleno, quo fulget, ſplendore, in campo caeruleo.

Tertius Palatinatus, Ruſſiae rubrae eſt Palatinatus

Braslauienſis ſeu Braclauienſis. Haec prouincia trans Podoliam in finibus Tartaricis ſita, Polonico imperio nunc ſubiecta non eſt. Sequentes vrbes ad eam

pertinent: Braslauia, Vinnicza, Zitomiria, Sarogrodum, Morachna, Iarosouia, Felstinum et Chmielnicum.

Braslauia, ad fluuium Bohum sita, arcem habet ligno exstructam cum aliis munitionibus. Anno Christi millesimo sexcentesimo septuagesimo secundo hic locus a Turcis captus et misere vexatus est.

Vinnicza, ligno exstructa vrbs, ad fluuium Bohum sita, murum habet cum castello. Haec vrbs ex conuentu nobilitatis et iudicio aulico inclaruit. Iesuitae hic habent Collegium ad educandam iuuentutem.

Hae duae vrbes a Tartaris grauiter sunt afflictae. Reliquarum vrbium descriptionem non inuenio.

Senatores huius Palatinatus sunt Palatinus et Castellanus Braslauiensis.

Quartus Palatinatus Russiae rubrae est

Kiouiensis. Haec prouincia ex vno latere ad Tartariam, et ex altero ad Moscouiam porrigitur. In media parte notissimo illo fluuio, Borysthene, diuiditur, et late ad Pontum Euxinum, et ad fines Russiae albae in Lithuania extenditur. Praecipuae eius vrbes sunt sequentes: Kiouia, Caniouia, Circassia, Oczacouia, Stepanouia, Fastouia, Bohuslauia, Pereslauia et Bialocerqua.

Kiouia, seu Kiouf, vt incolae pronunciant, vrbs vetustate et magnitudine clara, incolis admodum frequens, palis fortibus munita, castellum et alia munimenta affabre facta habet, et ad Borysthenem sita est. Kiouia vetus in colle quodam sita erat, ab vlteriore fluminis ripa aliquantulum remota, vbi ad haec vsque tempora multorum fornicum, altorum murorum, templorum et sepulcrorum, in quibus reges aliquot conditi sunt, reliquiae cum inscriptionibus Graecis conspiciuntur. Horum templorum vetustorum duo satis bona conditione adhuc vtuntur, templum nimirum sanctae Sophiae et sancti Michaëlis. Muri templi sanctae Sophiae opere musiuo elegantissime sunt exornati. Fornix vasis fictilibus constat, quae bene ferruminata sunt et calce arenata impleta. Templum sancti Michaëlis inprimis ob tectum deauratum notabile est. Sepulcra veterum Russorum illustri genere ortorum in cauernis aliquot prope hanc vrbem erant, quarum nonnullae octoginta milliaria amplius vsque ad Moscouiae fines extendi dicuntur. Corpora defunctorum, hic recondita, adhuc integra sunt et incorrupta, et in iis corpora duorum principum, vestimentis vetusti habitus indutorum, quae cadauera haud ita pridem iter facientibus a Rusticis monachis monstrata sunt. Locus, vbi haec sepulcra structa sunt, lapis est arenosus et admodum aridus, et eiusdem generis cum Romanorum Catacombis esse videtur. Kiouia vrbs olim erat amplissima, id quod murorum veterum reliquiae, octo milliaria in circuitu complectentes, satis indicant. A Russorum principe, Kio, anno salutis instauratae octingentesimo sexagesimo primo fundata et Scythiae Tauricae metropolis constituta esse dicitur. Tum haec vrbs imperii Russici sedes facta est, postea vero domesticos habuit principes. Anno Christi millesimo sexcentesimo decimo quinto a Tartaris oppugnata et direpta pristinum splendorem indies magis magisque amisit. Intra triginta annorum spatium saepius mox ab his mox ab illis partibus occupata est; his autem temporibus in Moscouitici Imperatoris est potestate, cui a Cosacis oppignorata est. Episcopus Kiouiensis, Archiepiscopi Leopoliensis ditioni est subiectus. In hac vrbe etiam habitat Archiepiscopus Russorum, qui omnium totius Poloniae ecclesiarum, suae religioni addictarum, curam gerit. Hic quoque nonnulla et Catholica et Russica sunt templa cum multis monasteriis.

Caniouia, septendecim milliaria a Kiouia distans incolas habet admodum bellicosos, cuius etiam naturae et indolis plerique huius viciniae habitatores esse solent.

Circassia, ligno exstructa vrbs, ad Borysthenem sita, viginti quinque circiter milliaria a Kiouia distat. Huius loci incolae veteres erant Circassi, gens admodum bellicosa, quorum in historiis crebra fit mentio. Quae natio etiam reliquas regiones ad ripam Borysthenis sitas tenuit.

Ocza-

Oczacouia, ad ostium Borysthenis sita a Tartaris incolitur, a Turcis vero gubernatur.

Stepanouia, arcem habet bene munitam, et moenibus fossaque cingitur.

Fastouia, ideo notanda est, quoniam Episcopus Kiouiensis sedem suam ibi constituit. Similiter etiam Iesuitae Collegium suum a Kiouia huc transtulerunt.

Bohuslauia, Pereslauia, et Bialocerqua, hominibus satis refertae et castellis munitae sunt.

Senatores huius Palatinatus sunt Episcopus, Palatinus et Castellanus Kiouiensis.

Insigne huius Palatinatus est campus partim albus, partim caeruleus. In illo Lithuanicum insigne; in hoc autem vrsus saliens conspicitur.

Quintus Russiae rubrae Palatinatus est

Belzensis, quae prouincia ad territorium Leopoliense, et ad Palatinatum Chelmensem porrecta in media Russia rubra sita est, et territoria, Belzense, Buscense, Grodlense et Grabouiecense complectitur.

In hoc Palatinatu vrbes sitae sunt sequentes: Belza, Buscum, Grodlouia, Grabouia, Socalia et aliae plures.

Belza, vrbs ligno aedificata, satis magna, in paludibus inter Leopolin et Zamoscium sita, quinque fere milliaria a fluuio Bugo distat. Arcem habet ligneam, colli inaedificatam, et circumcirca paludibus profundis cinctam.

Buscum, in palude situm, in ea regione, vbi fluuius Bugus oritur, in quo fluuio merces negotiatorum Leopolin transuehuntur, quinque tantum milliaria hinc remotam.

Grodlouia, vrbs palis acutis circumdata, in colle sita, qui a fluuio Bugo irrigatur.

Grabouia, vrbs ligno exstructa, in ampla planitie sita, arcem et natura et arte munitissimam habet, et fere inexpugnabilem.

Socalia, vrbs, ad paludem sita, et non nisi palis cuspidatis circumdata.

Senatores huius Palatinatus sunt Palatinus et Castellanus Belzensis.

Hic Palatinatus insigne gerit gryphum album volantem in campo rubro.

Sextus Russiae rubraq Palatinatus est

Chelmensis, inter Lublinensem Palatinatum, Lithuaniam et Volhyniam situs, et territoria, Chelmense et Crasnostauiense continens.

In hoc Palatinatu sequentes vrbes sitae sunt: Chelma, Crasnostauia, Zamoscium, Radnouia, Lynbowly, Rozana, Vlodauia, Scebresinum, Turobinum, Tamogrodia, Tomasouia et Ctesouia.

Chelma, vrbs parua, castellum habet, cuius partes exteriores ligno structae sunt, et decem circiter milliaria ortum versus a Lublino, viginti quatuor septentrionem versus a Praemislia, et duodecim a Belza disiuncta est. Hic locus in superioribus bellis a Moscouitis et Tartaris spoliatum et combustum est, quae causa fuit, cur Episcopus huius vrbis sedem suam Crasnostauiam transferret. Verumtamen Episcopus Rusticus seu Graecus ad haec vsque tempora hic habitat.

Crasnostauia, vrbs moenibus cincta, ad Veprum fluuium sita, vbi nunc Episcopi Chelmensis domicilium est in palatio secundum recentem structuram aedificato. Prope ab hoc loco Archidux Maximilianus, cum ad regnum Polonicum occupandum exercitu instructus huc peruenisset, a Iohanne Zamoiscio contumeliose in fugam coniectus est, qui Zamoiscius in illa vicinia vrbem exstruxit, et ex suo nomine eam appellauit.

Zamoscium, altis moenibus, fossa profunda, aliisque munitionibus fortibus recentis structurae ornatum, pulchro templo cathedrali superbum, variisque rebus ad victum quotidianum pertinentibus instructum. Hic quoque praeclara est academia, quae ab academia Cracouiensi Professoribus eruditis ornatur. Ille, quem diximus, Dux Iohannes Zamoiscius tantus doctrinae erat fautor, vt non modo Zamoscium, verum etiam alia quaedam loca Russiae rubrae eius beneficentia fruerentur.

Radnouia, vrbs ligno exstructa, in paludibus sita, arcem habet, hic fluuio Perepet, illic paludibus et Tyra inclusam. Hic locus viginti quatuor fere milliaria a Chelma distat.

Lynbowly, vrbs Bugo adiacens arcem habet non mediocriter munitam.

Senatores huius Palatinatus sunt Episcopus et Castellanus Chelmensis.

Hic Palatinatus insigne gerit vrsum album salientem inter tres arbores in campo aureo.

Quinta prouincia regni Polonici est

Masouia, in media fere Polonia sita, a septentrione Prussiam, ab oriente Lithuaniam, a meridie Poloniam superiorem, et ab occidente Poloniam inferiorem finitimam habet. Principibus olim domesticis vtebatur; sed anno Christi millesimo quingentesimo vigesimo sexto, post vltimorum Ducum, Iohannis et Stanislai, obitum, hic Ducatus cum regno Polonico coniunctus est. Incolae huius prouinciae ad bellum valde procliues sunt. Eodem cum Polonis sermone vtuntur, nisi quod diuersos quosdam accentus gutturales habeant. Ita etiam, si mores, vestes et sacra eorum spectes, cum Polonis omnino conueniunt. Haec prouincia in tres Palatinatus diuiditur, qui sunt Palatinatus Masouiae stricte sic dictae, Palatinatus Plocensis et Dobrinensis.

Primus huius prouinciae Palatinatus est proprie sic dicta

Masouia. Haec prouincia in rebus sacris soli Episcopo Posnanienſi subiecta est; res autem ciuiles quod attinet, duodecim haec territoria complectitur: territorium nempe Varsouiense, Visnense, Cyrnense, Zembrouiense, Nurense, Vissogrodiense, Zacrocimense, Ciechanouiense, Lomzense, Rozanense, Macouiense et Liuense.

Praecipuae eorum vrbes idem cum territoriis nomen gerunt.

Praeterea haec oppida in hoc Palatinatu sunt notandae: Pultouia, Czernienscum, Czersko, Akroczim, Varca, Blonye, Pultowsco, Tarcinum, Grodzyec, Prasnia, Garuolinia, Vengrouia, Stanislanouia, Brocum, Viscouia et Sercicza.

Varsouia, huius prouinciae metropolis, castello, moenibus et fossa instructa, in loco plano in medio regno sita, quam ob causam comitia vniuersalia ibi celebrantur. Haec vrbs ad Vistulam in gradu longitudinis quadragesimo tertio et latitudinis quinquagesimo secundo sita in quatuor partes, in veterem scilicet et nouam vrbem, cum suburbiis, Cracouia et Praga, diuiditur.

Varsouia multis et splendidis aedificiis, et inprimis magno et quadrato palatio ornata est, quod Sigismundus tertius exstruxit, successores autem eius magis amplificarunt et exornarunt. Ibi reges plerumque habitare solent. E regione in aduersa fluuii ripa aliud regium est palatium inter amoena nemora et hortos positum, ab Vladislao septimo exstructum et Viasdouia appellatum, vbi Senatores Regni olim sedere, et de rebus ad rempublicam pertinentibus deliberare solebant. Porro ibi est regis Iohannis Casimiri palatium; vti etiam aliud valde magnificum, quod Comes Morstinus, Magnus regni Polonici Thesaurarius, exstrui curauit. Milliare ab hoc loco Rex Iohannes Sobiescius pulchrum topiarium aedificari iussit, quod Villam nouam appellauit. Neque minus reliqua aedificia publica adspectu digna sunt, vt exempli causa, templum sancti Iohannis, in quo Canonici saeculares munus suum obeunt, armamentarium, castellum, forum, et plura eius generis aedificia. Varia mercium genera ex vicinis prouinciis in fluuio quodam huc transportantur, quae hinc Dantiscum transuectae in peregrinas prouincias distrahuntur. In suburbio Cracouiensi est paruum sacellum, ad sepulturam Magni Ducis Moscouiae, Iohannis Demetrii Suiscii, aedificatum, qui cum duobus fratribus in arce Gostinia captiuus exspirauit. Anno Christi millesimo sexcentesimo quinquagesimo quinto haec vrbs a Suedis occupata est. Vix tria milliaria Polonica a Polonia minori, viginti quatuor fere a Lencicia, totidem septentrionem et occasum versus a Lublino,

no, triginta septentrionem versus a Sendomiria, triginta tria ortum versus a Gnesna, et quadraginta septentrionem et ortum versus a Cracouia et Posnania distat.

Visna, in planitie prope fluuium Narew sita, arcem habet, colli adiacenti inaedificatam.

Vissegrodum, vrbs ligno exstructa, in planitie prope Vistulam sita, arcem habet conspicuam, et duodecim fere milliaria a Varsouia distat.

Ciechanouia, totidem fere milliaria a Varsouia distat, in planitie sita, et arcem habet paludibus circumdatam.

Lomza, vrbs magna, ad fluuium Narew, nauibus frequentem, sita, elegantibus aedificiis constat, et viginti circiter milliaria a Varsouia remota est.

Rozana in planitie prope fluuium Narew sita.

Liuia, vrbs ligno exstructa, castellum habet, ad ripam fluuii Liuecii situm.

Pultouia, vrbs lateribus exstructa, arce munita aliisque aedificiis elegantibus ornata, sedes est Episcopi Plocensis.

Czernienscium, vrbs magna, ligno exstructa, ad Vistulam sita.

Acroczim itidem ligno aedificata, Vistulae adiacens, castello instructa, octo circiter milliaria a Varsouia distat.

Varca, vrbs magna, in loco plano prope fluuium Pilzam sita, itidem octo milliaria a Varsouia distat.

Blonye, quatuor fere milliaria a Varsouia remota est.

Pultowsco, vrbs moenibus cincta, castello munita, ad fluuium Narew sita est.

Tarcinum, oppidum, ligno exstructum, quinque circiter milliaria a Varsouia distat.

Grodzyec, septem milliaria a Varsouia, et duo a Tarcino distat.

Prasnia, vrbs magna, multis aedificiis lapideis elegantissime exstructis ornata est.

Senatores huius Palatinatus sunt Palatinus Masouiensis, Castellani, Cyrnensis, Varsouiensis, Visnensis, Visogrodensis, Zacrocimensis, Ciechanouiensis et Liuensis.

Hic Palatinatus insigne gerit aquilam albam expansam in campo rubro.

Secundus Palatinatus Masouiae est

Plocensis Palatinatus, qui ortum versus inter Vistulam et Prussiam situs, territoria, Plocense, Zancrense, Mlauense et Stenense complectitur.

Praecipuae vrbes eius sunt: Ploscum, Siepercia, Srensco, Mlaua et Radzanouia.

Ploscum, metropolis Palatinatus Plocensis, in edito aggere seu ripa Vistulae sita, vnde in amoenissimam et fertilissimam regionem prospicitur. Hic locus fluuio nauigabili instructus, admodum dives est et incolis frequens, et iam dudum sedes fuit episcopalis. Praeter templum cathedrale multa alia ibi sunt templa et monasteria splendida, largis reditibus locupletata, quo inprimis Abbatia Benedictinorum in suburbio pertinet, vbi inter alias sanctorum reliquias etiam caput Sancti Sigismundi deauratum asseruatur, quod a Rege Sigismundo tertio illi Abbatiae donatum est.

Siepercia, vrbs ligno aedificata, in colle sita, paludibus circumquaque cincta, quinque circiter milliaria a Plosco distat.

Srensco, vrbs ligno exstructa, in planitie sita, arcem habet paludibus profundis circumdatam. Hic locus decem circiter milliaria a Plosco remotus est.

Mlaua, vrbs in Prussiae confinio sita, Prussiae, fluuio, adiacens, decem fere milliaria a Plosco distat.

Radzanouia, oppidum, ligno exstructum, ad fluuium Vcram, arcem habet, in rupi quadam structam, et inter paludes sitam, et octo circiter milliaria a Plosco disiunctum est.

Senatores huius Palatinatus sunt Episcopus, Palatinus et Castellanus Plocensis, Castellani Siepercensis et Racianzensis.

Hic Palatinatus insigne gerit aquilam nigram expansam, quae in pectore literam P gestat in campo rubro.

Tertius Palatinatus Masouiae est

Dobrinensis, occidentem versus inter Cuiauiam et Prussiam situs, qui variorum fructuum et piscium magnam habet vbertatem, et territoria, Dobrinense, Ripinense et Slonnense, continet.

Praecipuae vrbes eius sunt: Dobrinum, Ripinum, Slonsk et Gorzno.

Dobrinum, seu Dobrzin, metropolis, ligno exstructa, rupi cuidam prope Vistulam inaedificata, castellum olim habebat, ab equitibus ordinis Teutonici destructum.

Ripinum, vrbs itidem ex ligno constructa, in planitie ad fluuium Odleck sita, et quinque circiter milliaria a Dobrino remota est.

Slonsk, in planitie ad Vistulam sita, duo fere milliaria a Dobrino distat.

Gorzno seu Gurzna, vrbs ex ligno confecta, et tam naturae beneficio quam artificis manu munitissima, sex fere milliaria Polonica a Dobrino distat.

Hic Palatinatus creberrimis bellis inter Polonos, equites ordinis Teutonici et Prussos gestis causam olim praebuit.

Senatores huius Palatinatus sunt Castellani, Dobrinensis, Ripinensis et Slonnensis.

Insigne huius Palatinatus est caput humanum duplici corona aurea et argentea ornatum in campo rubro.

Sexta prouincia regni Polonici est Samogitia, in qua nulli Palatinatus, sed multae sunt Praefecturae. Principem in hac prouincia locum obtinet Toparcha, in Senatoribus regni sedem occupans, in qua dignitate nullus alius praefectus totius regni ei similis est, nisi excellentiore munere praeterea fungatur. Haec prouincia sic satis magna et fertilis est, quanquam multis siluis obsita. A septentrione ad Curlandiam et mare Balthicum, ab occasu ad Prussiam Ducalem et mare Balthicum, a meridie vero et ortu ad Lithuaniam extenditur. Varias habet vrbes, quae partim regis partim nobilium potestati sunt subiectae et plerumque ligno exstructae. Nomen Samogitiae a situ nacta est, haec prouincia, quippe quae humilis est et paludibus referta. *Samogitz* enim ex lingua incolarum huius terrae est *humile* et *palustre*. Multi ibi sunt lacus et montes inaccessi. Caeterum haec prouincia melle abundat, quod Lithuanicum et Liuonicum mel puritate longe superat. Ita etiam singulare quoddam equorum genus profert, qui ob celeritatem maximi aestimantur. Plebs huius prouinciae in paruis casulis habitat, quae plerumque lacubus aut fluuiis adiacent, et vel stramento vel tabulis ligneis tectae sunt. Agrum non ferreis, sed ligneis vomeribus proscindunt, quamuis tellus ipsorum admodum pinguis et densa esse soleat; quam consuetudinem ita constanter et pertinaciter seruant, vt ab ea nullo modo abduci queant. Cum enim, praefectus quidam huius prouinciae vomeres ferreos introducere constituisset, et messis minus prospera esset subsecuta, hanc calamitatem mutationi vomerum soli tribuerunt; veterem ita consuetudinem illis concedere necesse habebat, ne forte seditio in iis commoueretur. Ipsorum equi plerumque tam parui sunt, vt, quomodo eius, cui adhibentur, laboris difficultates et molestias exantlare possint, mirandum sit. Incolae huius prouinciae plerique moribus, vestimentis, et lingua a Lithuanis parum discrepant. Verumtamen eorum aliqui idolorum diuersorum cultus firmiter confirmant, idque inprimis in locis desertis, vbi serpentem quadrupedem sub nomine Giuosit diuino honore prosequuntur. Similiter etiam in his regionibus aegre domum reperias, in qua non sint aliqui penates. Quid? quod in multis et Lithuanicis et Prussicis pagis ad hunc vsque diem ab agricolis pauperibus, quamuis christianis, viperas quasdam in ipsorum domibus foueri deprehendimus, quas summa reuerentia colunt, maximo detrimento sibi fore existimantes, si quid aduersi his penatibus accideret.

Do-

Domus ipsorum, si nobilium aedes exceperis, humiles sunt et oblongae, in quarum media parte focus est, et vnum tantum conclaue seu spatium, in quo et homines et pecora cohabitant. Homines illustriori genere nati ex poculis corneis bibunt, et ex patinis ligneis edunt. Mel, quod hic reperitur, est praestantissimum, cerae autem non multum habet. Cuius mellis genus quoddam perfecte candidum est, quo omnes fere arbores in siluis obductae sunt. Ratio sacrificiorum et dierum festorum gentilium, quae in Samogitia circa finem Octobris ad haec vsque tempora celebrantur, ita se habet. Primum itaque locus certus conuentui destinatur. Deinde mariti cum vxoribus, liberis et famulis hora indicta sine cunctatione ibi conueniunt. Congregati igitur panum in stramento expandunt, eique panes aliquot ex ordine imponunt, quibus panibus singulis vrceum magnum cereuisia impletum interponunt. Quo facto varia animalia vtriusque sexus adducta ex antiquo ritu ita immolantur. Primum vates seu sacerdos ad ea accedens pauca quaedam verba mussitat. Tum virgula, quam in manu tenet, horum animalium terga et aluos percutit, quo omnes praesentes eius exemplum secuti exclamant: O Zimiennick (ita enim deum suum vocant) haec sacrificia ideo tibi offerimus, quia tam propitius adhuc nobis affuisti; et vt in posterum quoque eadem clementia erga nos vtaris et ab igni, bello, pestilentia et hostibus nostris nos defendas, saluosque et incolumes nos conserues, supplices rogamus atque obsecramus. Quibus verbis effatis, ab vnoquoque ferculo frustulum desecant, et in medium proiiciunt, exclamantes: O Zimiennick, a victimis nostris haec benignus accipias, tuisque famulis misericors adsis, oramus. Tum cibo et potu largiter se ingurgitant, et ita huic ritui finem imponunt. Quae sacrificia in multis Lithuaniae et Russiae locis ad hanc vsque aetatem ab agricolis conseruantur.

Samogitia tria territoria, Rosiense videlicet, Mednicienſe et Poniuiſienſe territorium complectitur.

Praecipuae vrbes huius prouinciae sunt: Rosienae, Mednicia, Poniuisia et Cauna.

Rosienie, vrbs parua, male aedificata, attamen primarius Samogitiae locus ad fluuium, Dubisium, situs, duodecim circiter milliaria Polonica septentrionem versus a Cauna, triginta meridiem versus a Riga, et viginti septem occasum versus a Vilna distat.

Mednicia, aliquanto melioris est structurae, quam Rosienie, et Episcopum habet, qui ad Archiepiscopi Gnesnensis dioecesin pertinet. Haec vrbs ad fluuium Viruicium sita est.

Poniuisia est metropolis territorii Poniuisiensis.

Cauna ad fluuium Nemenum sita, celebri Iesuitarum Collegio, vti etiam monasteriis quibusdam ornata est. A Germanicis mercatoribus creberrime olim frequentabatur, qui magnifica quaedam aedificia lateribus et saxis confecta exstruxerunt, quos incolae imitati sunt, et quodammodo superarunt.

Senatores huius prouinciae sunt Episcopus, Praefectus et Castellanus Samogitiae.

Septima prouincia regni Polonici est Volhynia, quae duo illa magna territoria, Luceorienſe et Cremenecenſe territorium comprehendit.

Vrbes huius prouinciae insigniores hae sunt: Luceoria, Volodimiria seu Woldziemiers, Cremenecia, Brodi, Olica, Constantinouia, Zbarauia, Ostropium, Visniouecia, Zaslauia, Balsica, Miedireczum, Rubesouia, Dubna, Czartorisicum, Olescum et Crilouia.

Luceoria, metropolis, non tantum territorii Luceorienſis, sed etiam totius Volhyniae, ligno exstructa, ad fluuium Ster sita, lacui cuidam propinqua, qui lacus partem arcis circumdat. Haec vrbs vix septem milliaria ortum versus a finibus Russiae rubrae, et viginti septentrionem et ortum versus a Leopoli distat. Magnus est hic locus et sedes Episcopi, qui ad Dioecesin Archiepiscopi Gnesnensis pertinet. Templum cathedrale et Capitulum in alterutra arce exstructa sunt,

quae arces apud hanc vrbem in collibus propinquis sitae sunt. Hic quoque Episcopus Russicus sedet.

Volodimiria, ligno exstructa et munitionibus ligneis instructa vrbs, in paludibus prope Luceoriam sita, sedes est Russici cuiusdam Episcopi, cui territorium haud exiguum subiectum est.

Cremenecia, locus primarius territorii Cremenecensis, vrbs magna, ligno constructa, castellum ligneum et moenia lutea habet.

Brodi, vrbs a Stanislao Conicepolischio, Castellano Cracouiensi, exstructa, fortes munitiones, templum collegiatum et academiam habet publicam.

Olica, vrbs familiae Radivillanorum potestati subiecta, pulchrum habet templum cathedrale, cum academia, in qua variae artes et disciplinae traduntur.

Constantinouia arcem habet bene munitam.

Zbarauia, ciuitas olim erat libera, et territorium quoddam ad eam pertinebat, nunc autem territorio Cremenecensi annumeratur.

Senatores huius prouinciae sunt Episcopus Luceoriensis, Palatinus et Castellanus Volhyniae.

Haec prouincia insigne habet campum partim album, partim caeruleum, in quorum priore insigne Lithuanicum gerit.

Octaua regni Polonici prouincia est

Podlachia, ampla prouincia et Palatinatus, qui ab occasu Masouiam, et ab ortu Lithuaniam habet, cuius Lithuaniae etiam pars olim fuit, donec Sigismundus Augustus anno millesimo quingentesimo sexagesimo nono cum Polonia eam coniungeret. In rebus sacris haec tota prouincia Episcopo Luceoriensi est subiecta, sed in rebus ciuilibus in tria territoria, in Bielscense videlicet, Drohiczynense et Mielnicense territorium diuiditur.

Praecipuae eius vrbes sunt, quae sequuntur: Bielsco, Drogiczynum, Mielnicum, Ticocinum, Knisinum, Augustouia, Mordi, Wasilcouia, Narew, Bransco, Visokie et Holouacze.

Bielsco, vrbs magna, ligno exstructa, primarius huius prouinciae locus est, ad fluuium, Bialam, situs, qui fluuius hanc prouinciam a Lithuania disiungit. Arx, ad hanc vrbem pertinens, fulmine incensa, et postea nunquam instaurata est.

Drogiczynum, metropolis territorii Drohiczynensis, in fundamento editiori prope fluuium Bugum sita. Haec vrbs inclyto iudicio aulico insignis est, in quo lites nobilium diiudicantur. Decem circiter milliaria a Bielsco, et triginta a Varsouia distat.

Mielnicum, vrbs, itidem ad fluuium Bugum sita, territorii Mielnicensis est metropolis, et quinque fere milliaria a Drogiczyno remota.

Ticocinum, in planitie ad fluuium Narew sita vrbs, arcem habet et arte et natura optime munitam, magnis paludibus circumdata, et vbique grauibus tormentis instructa. Pars thesauri regii hic asseruatur. Ibidem Sigismundus Augustus numismata cudi iussit. Hic locus decem circiter milliaria a Bielsco, et quadraginta duo a Vilna distat.

Knisinum, vrbs ligno aedificata, meris paludibus et siluis interiacet. Ibi regis est palatium, et permagnum theriotropheum, variis ferarum generibus repletum, nec non magnae piscinae, diuersis piscium pinguissimorum generibus abundantes.

Augustouia, vrbs ampliſſima, a Sigismundo Augusto exstructa, viginti circiter milliaria a Bielsco distat.

Mordi, vrbs ligno exstructa, ad lacum permagnum sita, quinque fere milliaria a Drogiczyno remota.

Wasilcouia, vrbs ex ligno constructa, ad fluuium Narew sita, sedes est Praefecti regii.

Narew,

Narew, in media silua ad fluuium cognominem sita, quatuor circiter milliaria a Bielsco distat.

Bransco, ad fluuium Nar sita, iudicium habet aulicum, et tria circiter milliaria Polonica a Bielsco disiuncta est.

Surasia, vrbs ad radices montis cuiusdam sita, fluuio Narew adiacens, castellum habet, quod vrbem gubernat.

Senatores huius prouinciae sunt Palatinus et Castellanus Podlachiae.

Insigne huius prouinciae campus est partim albus, partim ruber; in illo Lithuanicum est insigne, in hoc autem aquila expansa.

Totam igitur Poloniam ex ordine descripsi, resque notatu maxime dignas, quae mihi cognitae factae sunt, enarraui; e quibus, Clementissime Princeps, regnum Polonicum non tam parui aestimandum esse cognosces, quam nos, occidentales Europae prouincias incolentes opinari consueuimus. Omnibus enim necessariis rebus, quibus et bello et pace opus est, abundat, vt vicinorum auxilio ne indigeat. Quod si mercatura cum aliis negotiis ita, vt in aliis prouinciis, ibi floreret, sine dubio nulli Europae regno in aliqua re cederet, praesertim cum a natura admirabili praedita sit fertilitate.

Quae Rex Franciae probe sentiens, cum aliis principibus, magnis pecuniis aut in suam, aut in propinquorum suorum potestatem hoc regnum redigere aggressus est, quanquam hoc ausum minus prospere iis cesserit; sibi enim, voti compotibus, omnes, quos in hoc regno sibi comparando fecerint, sumtus vberrime restitutum iri optime intelligunt. Siquidem Rex Poloniae tantum exercitum, praesertim equestrem, quantum vix vllus alius Christianorum princeps, contrahere valet. Polonorum reges apud principes orientales magna semper praediti fuerunt auctoritate; siquidem in narrationibus de regibus Polonicis, haud secus atque in aliis historiis, res notatu dignissimae reperiuntur.

Inficias quidem ire non possumus Polonos reipublicae bene administrandae non tam peritos fuisse, suaeque saluti non ita prudenter consuluisse, quam nonnulli ex eorum fecerunt; quandoquidem peruersis moribus et negligentia, non fortitudinis penuria, partem prouinciarum praestantissimam amiserunt. Nostra vero aetate alienarum rerumpublicarum statum suaque ipsorum, quibus in imperio administrando vtuntur, statuta inuestigare incipiunt, quo multo cautiores rerumque ciuilium peritiores fiunt. Illos itaque sub eius, cui nunc parent, regis imperio et amissam famam et prouincias recuperaturos esse, omnino coniici potest.

Multa alia, quae vel ad geographiam, vel ad historiam naturalem spectant, de hac terra commemorare potuissem, si aut ipse ea vidissem, aut aliorum relationibus indubitate credere liceret. Verum id potius intermittere, quam in Te, Clementissime Princeps, credulitatis suspicionem a me admissae excitare decreui. Finem itaque his literis impono, et permaneo

Princeps Clementissime

obedientissimus Tuus et humillimus
seruus

B. C.

EPISTOLA SEXTA

AD

DOMINVM

GEORGIVM STEPNEIVM,

MAGNAE BRITANNIAE REGIS LEGATVM EXTRAORDINARIVM

AD ELECTORES ET PRINCIPES IMPERII ROMANI.

DE

ORIGINE ET MAGNITVDINE MAGNI DVCATVS LITHVANIAE,

VTI ETIAM DE SVCCESSIONE DVCVM LITHVANIAE, CVI PRAECIPVARVM HVIVS PROVINCIAE VRBIVM ET REGIONVM ADIVNCTA EST.

DOMINE CLEMENTISSIME

Magnus Lithuaniae Ducatus, ab incolis Litwa dictus, Regi Poloniae, ſicuti Scotia Regi Angliae, cum ſit ſubiectus, populus tamen eam prouinciam incolens natio eſt a Polonis plane diuerſa, aliis moribus et alia dialecto vtens, nec non aliis priuilegiis gaudens, quanquam ab eodem, quo Polonia, imperii Senatore gubernetur. Haec prouincia ab ortu Moſcouiam, a ſeptentrione Liuoniam, mare Balthicum, et Moſcouiae partem, ab occaſu Samogitiam, Pruſſiam et Podlachiam, et a meridie Ruſſiam, Volhyniam, Podoliamque habens confinem, nonaginta circiter milliaria a finibus Palatinatus Lublinenſis ad confinium Liuoniae in longitudinem, in latitudinem vero octoginta fere milliaria a fluuio Nemena ad Boryſthenem patet. Verum ſub Magno Duce Vitoldo multo amplior erat; ſiquidem a Ponto Euxino ad mare Balthicum fere extendebatur.

Haec prouincia plana regio eſt et aequa, quamuis olim ſiluis plane obducta, quarum multae ad hanc vsque aetatem ſuperſunt. Quoniam vero a Sigismundi temporibus inde pace exoptatiſſima vſa eſt haec terra, eiusque incolae agriculturam ſummo labore et induſtria exercere coeperunt, varii frumenti nunc admodum ferax eſt. Inſuper etiam mellis, picis, et ligni, aedificiis exſtruendis apti magnam habet vbertatem, piſciumque et carnium copia abundat. Aëre autem admodum inſalubri cum infeſtetur, multa eius loca parum culta, alii plane deſerta ſunt.

Anno poſt Chriſtum natum milleſimo trecenteſimo octogeſimo ſexto per Iagellonem haec prouincia cum Polonia coniungi coepta eſt. Quae coniunctio quamuis viginti ſeptem annis poſt Grodnae renouaretur, Lithuania tamen adhuc identidem inquilinis paruit ducibus vsque ad primum ſaeculi decimi ſexti annum, cum, Magno Duce Alberto Poloniae Rege creato, haec terra ſub regni Polonici ditionem penitus redacta eſt. Id quod duodeſeptuaginta annis poſt, Sigismundo Auguſto regnante, in comitiis Lublini habitis confirmatum, ſtatutumque eſt, vt Lithuania, ſaluis legibus et priuilegiis domeſticis Polonicae Reipublicae pars haberetur, ita, vt ſine Lithuanicorum ordinum conſenſu nihil in poſterum agi et decerni licitum eſſet.

Duas partes primarias haec prouincia complectitur, nempe

1) Lithuaniam proprie ſic dictam, et
2) Ruſſiam Lithuanicam ſiue albam.

Quae duae partes in diuerſos Palatinatus, hique rurſus in territoria nonnulla diſtribuuntur. Quarum partium vnamquamque Ducatum ſingularem dicas, quippe etiam territoria ſingula ſuos habuerunt duces.

In Lithuaniae inſigni campus eſt partim ruber, partim caeruleus. In illo equus albus citato impetu currens conſpicitur, cui vir armatus, gladium ſuper capite

capite vibrans, inſidet. In hoc autem campo, in caeruleo puta, virgo Maria cum Chriſto recens nato, iubare circumfuſa apparet.

Hanc prouinciam vero antequam ſecundum loca, quibus floret, deſcribam, de Ducatus Lithuanici origine, nec non de Ducum et Magnorum Ducum Lithuaniae et Samogitiae vita et rebus geſtis inſignioribus, pauca quaedam mihi ſunt dicenda, quod, vti ſpero, ingratum non erit.

Lithuania, vt Guagninus exiſtimat, nomen inde ſortita eſt. Cum Palaemon, primus Lithuaniae princeps, propter Imperatoris Neronis crudelitatem Italiam reliquiſſet, longum iter dimenſus cum popularibus aliquot in hanc regionem confugit. Qui cum aliquamdiu poſt ab incolis huius terrae princeps electus eſſet, ex patriae ſuae nomine La Italiam eam appellauit, quod vocabulum poſtea (vt is, quem modo diximus, ſcriptor tradit) ab incolis huius regionis, linguae Latinae rudibus facili negotio in Lithuaniam mutari potuit. Alii vero huius prouinciae appellationem a *Litore*, Latino vocabulo ortam eſſe contendunt, quoniam nimirum princeps ille, antequam in mediam Lithuaniam peruenerit, in litore maris Balthici primam ſedem fixerit. Hunc principem in illam regionem peruenisſe, indicio ſunt multa verba Italica et Latina, ad hanc vsque aetatem linguae Lithuanicae commixta. Quod et inde probabile fit, quod nobiles prouinciae huius omnes propemodum familiae nominibus vtuntur Romanis; quanquam homines plebeii ex gente Sclauonica originem ducere omnino videantur. Nihilominus tamen Hartknochius cum aliis quibusdam, hanc terram a Littuo, ex Alanorum gente orto, nomen ſortitam eſſe pro certo affirmare non dubitat, qui Littuus iamdudum ante Palaemonis aduentum Dux huius prouinciae fuiſſe traditur, adeo, vt illa a Littuo Alano dicta ſit Littualania, quod vocabulum poſtea in Littuaniam contractum ſit.

Palaemon primus Lithuaniae Dux a Romanis Patriciis ortum ducens multum periculi perpeſſus eſt, et multis rebus praeclare geſtis tempore pacato deceſſit, tresque nepotes, Borcum, Cunoſſum et Speram reliquit, qui omnes et ſinguli in territoriis eius ei ſucceſſerunt.

Borcus partem Samogitiae, cui praeeſſet, accepit, vbi arcem prope fluuium Iuriam, qui fluuius Nemeni brachium eſt, exſtruxit, quam ex ſuo fluuiique modo dicti nomine Iurburgum appellauit, quod nomen hucusque retinuit.

Cunoſſus prouincias ſuas amplificauit, itidemque arcem aedificauit, quae adhuc floret, et ex eius nomine Cunoſſouia dicitur.

Spera ad fluuium Swendam, vbi imperium ſuum fundaret, caſtellum exſtruxit.

Borco et Spera vita defunctis, Cunoſſus vtriusque prouincias cepit; ſed paulo poſt et ipſe obiit, duobus filiis, Kyerno et Gybuto, relictis.

Kyernus in Lithuania conſedit, arcemque Kiernouiam a ſe exſtructam domicilium ſibi elegit.

Gybutus autem in Samogitia ſedem fixit, eamque prouinciam gubernauit. Qui duo fratres coniuncti Ruſſiam inuaſerunt, eaque prouincia miſere deuaſtata, magnam praedam ſecum abduxerunt. Sed inde domum reuerſi, Samogitiae ſimilem cladem a Liuonis illatam eſſe intellexerunt. Cuius rei vlciſcendi cauſa protinus Liuoniam ingreſſi ſunt, vbi obuia quaeque incendio combuſta deuaſtarunt.

Kyerno mortuo filius Ziuibundus in Lithuania, Gybuto autem filius Montuilo in Samogitia ſucceſſit. Qui poſterior cum exiguum tempus regnaſſet, vita deceſſit, filio

Vikinto imperii haerede in Samogitia relicto. Sed

Ziuibundus ſat longum temporis ſuperſtes, multas a Ruſſis et Tartaris reportauit victorias. Ruſſicum enim iugum excutere cum geſtiret, fratrem Wikintium Erdziuilum in Ruſſorum terram miſit, qui arcem et vrbem Nouogrodecum captum ſedem ducalem ſibi delegit. Quo altius progreſſus Grodnam, arcem illam munitam ad Nemenum amnem condidit. Tum Podlachiam ingreſſus vrbes aliquot expugnauit, breuique temporis ſpatio totam illam prouinciam ſubegit.

Vicit quoque Curdassum, Tartarorum principem ad vrbem Mozeram, in vicinia fluuii Okuniowkae sitam. Ille tandem Erdziuilus, multis rebus fortiter gestis cum fratri Ziuibundo in imperio successisset, in viuis esse desiit, duosque filios, Mingailum et Algimuntum, qui paternas prouincias inter se diuiderent, reliquit.

Algimuntus itaque Samogitiam possidendam sibi delegit.

Mingailus vero Lithuaniae et terrae Polocensi praefuit, quam prouinciam posteriorem Russis extorserat; quo facto toto etiam Ducatu Nouogrodensi potitus est. Vita decedens duos filios, Skirmundum et Cinuilonem, imperii haeredes reliquit.

Skirmundus itaque, simulac patrem humo mandarat, Magnum Ducatum Lithuaniae et Ducatum Nouogrodensem regendos suscepit.

Cinuilo autem terram Polocensem occupauit, et cum aliquamdiu imperium administrasset, mortuus est, relicto filio

Borisso, qui per longum tempus Polocensem prouinciam gubernauit, vbi clarissimum templum lateribus confectum exstruxit, et Sanctae Sophiae consecrauit. Ita etiam alia quaedam aedificia celebriora, in iisque vrbem et arcem Borissouiam fluuio Berezinae adiacentem condidit. Successorem imperii habuit filium

Basilium Rechuoldum, qui ad summam peruenit senectutem, filiumque, Hlebum, et Porosco piam filiam reliquit.

Hlebus post patris obitum parum temporis superstes fuit.

Porosco pia sacris Graecis plane se addixit; postea vero Romam se contulit, vbi mortua et sanctorum numero adscripta est. Sed vt ad Lithuaniae Duces redeamus, notandum nobis est,

Skirmundum insignes a Tartaris et Russis reportasse victorias; qui vita defunctus cognatum reliquit

Kukouoitum, qui in Lithuania et Samogitia ei successit. Qui cum per sat longum temporis interuallum imperio praefuisset, etiam diem obiit supremum, suasque prouincias concessit genero suo,

Giedrusso, qui suam filiam Poiatam vxorem duxit. Cui vita defuncto successit filius

Ringoldus, qui, simulatque patrem ritibus ethnicis sepeliuerat, Lithuaniae et Samogitiae imperium administrandum suscepit. Contra quem ducem Russi cum Tartaris bellum mouerunt, quo eum vectigalem facerent. Is vero tempore opportuno viribus armatus paribus illis restitit, eosque prope Mohilnam ad fluuium Nemenum sitam, fudit. Quo facto Ringoldus ille alias quasdam victorias memorabiles consecutus est, tandemque mortuus successorem reliquit

Mindogum seu Mendogum anno Christi nati millesimo ducentesimo quadragesimo, qui cum Ducibus, Smolenscensi et Volhynienfi aliquot proelia commisit, et vtrumque tandem prorsus deuicit. Ita etiam cum Boleslao Casto, Polonorum Rege, et Daniele, Moscouitarum Imperatore, acie aliquoties decreuit, vbi Christiani plerumque victi maximisque cladibus sunt affecti. Saepius Masouiam, Dobrinam, Cuiauiam, aliasque prouincias inuasit, magnaque praeda potitus domum rediit. Ita etiam cum Equitibus Ordinis Teutonici in Prussia et Liuonia cruenta bella gessit. Denique anno millesimo ducentesimo quinquagesimo secundo a Magno Magistro, qui tum erat, Henrico de Zalcza exoratus ei, quem diximus, Ordini, ad gratum animum pro variis sibi tributis honoribus et officiis significandum suas prouincias omnes tradidit, et sacra christiana se amplexurum promisit. Quo facto Romam Legatum misit, vt Pontifici obedientiam polliceretur. Quo Pontifex Innocentius quartus commotus per fratrem suum Hemdericum coronam regiam ipsi conferre statuit. Verum Mindogus aut dolore ob amissas prouincias suas ductus, aut aliis quibuscunque causis impulsus, Nuntium illum admittere recusauit, eodemque anno ad pristinam idololatriam reuersus est. Nihilominus tamen Equites ordinis Teutonici regem eum agnouerunt, et sub eius imperio cum Lithuanis et Samogetis Masouiam adorti et atrociissime depopulati

lati sunt. Postea vero Mendogus omnium ab Equitibus in se collatorum officiorum oblitus arma contra terram eorum conuertit, et plurimis ipsorum vrbibus deuastatis ingenti praeda onustus domum rediit.

Deinde Mendogus, magnis copiis collectis, cum Suarnone, Russorum Duce, consociatus, contra Semouitum, Masouiae Ducem, expeditionem suscepit, quem cum filio eius, Conrado, in arce ipsius Iasdouiae inopinatum oppressit, vbi Suarno sua ipsius manu Semouito caput praecidebat. Conradus vero a Mendogo viuus conseruatus, et postea a popularibus suis redemtus est. Paulo post Lithuani et Russi in Masouia crudelissime se gessere, magnaque praeda et ingenti captiuorum multitudine potiti prouincias suas repetiuere. Proxime insequenti anno nationes illae Masouiam iterum infestarunt; sed cum parum praedae ibi offenderent, (siquidem superiore anno omnia corripuerant) nihil egerunt, nisi, vt domum quandam, quae Archiepiscopi Gnesnensis erat, incensam diriperent, et tum in terram suam reuerterentur.

Tandem anno Christi millesimo ducentesimo sexagesimo tertio Mindogus a nepote suo, Stroinato et a Dowmanto, genero suo, iugulatus est.

Stroinatus eo, quem modo diximus, anno, regnare cum incepisset, Towciuilum, fratrem suum, eundemque Ducem Polocensem, protinus interfecit. Haud ita multo post factum est, vt Volstinicius, Mendogi filius, qui tunc temporis Russicus esset monachus, ad patris mortem vlciscendam, hunc Stroinatum pariter trucidaret, eiusque prouincias confestim et sine cunctatione occuparet.

Volstinicius igitur, Ducis nomine sumto, in principio statim imperii sui Poloniam, Masouiam atque Prussiam saepius inuasit. Anno autem millesimo ducentesimo sexagesimo septimo cum Russiam in suam potestatem redigere tentaret, a Leone, Duce huius prouinciae, qui et Leopolin exstruxit, cinctus et in monasterio Wronscensi victus et occisus est.

Postquam igitur cum hoc principe familia Ducum Lithuaniae exspirauerat, Vtenus seu Vcienus a Kitauris, priscis huius terrae principibus, originem ducens, vnanimi omnium consensu primus Lithuaniae et Samogitiae Magnus Dux creatus est. Qui post varia bella cum Russis et Prussis gesta ex hac vita decessit, suasque prouincias filio

Suintorogo reliquit, qui, cum parum quidem temporis, sed optime tamen, imperium administrasset, etiam vita defunctus, successorem reliquit filium

Trahum, qui et pace et bello aliquantum temporis summae rerum optime praefuit, vrbemque et arcem aedificauit, quam ex suo nomine appellauit. Magnus ille Dux quinque filios reliquit, Narimundum puta, Daumantum, Holsanum, Giedrutum et Troidenum, qui omnes et singuli patri in prouinciis eius successerunt.

Narimundus, natu maximus, Magnum Lithuaniae Ducatum et Samogitiam aetatis iure ac beneficio nactus ex Nouogrodeco Kiernouiam sedem Ducalem transtulit. Prima bella cum fratribus suis contra Poloniam, Russiam, Masouiam et Prussiam gessit. Tum fratri Daumanto ob raptam ab eo vxorem bellum indixit, qua vxore mox recuperata fratrem ex ipsius prouinciis eiecit, qui a Russis in terra Polocensi habitantibus, ad quos confugerat, communi omnium consensu princeps constitutus est.

Dux ille, Narimundus, si annalibus Russicis fides adhibenda est, insigne Lithuanicum primus inueniisse dicitur, quod insigne campum rubrum habet, in quo eques, a capite ad calcem lorica nigra armatus, equo albo insidens et gladium supra caput vibrans, conspicitur. Huic successit frater Troidenus, cuius res gestas antequam describam, de reliquis fratribus pauca quaedam dicenda sunt.

Daumantus territorium Cosnienfe regendum accepit, vbi arcem Vclanum condidit.

Holsanus, frater tertius trans flumen Wiliam, ortum versus, territorium quoddam consecutus est.

Giedrutus seu Giedrotus, frater quartus, arcem ad lacum quendam exstruxit, quam ex suo nomine appellatam, sedem Ducalem sibi delegit. Posteri eius in hunc vsque diem inclyti fuere.

Troidenus, frater quintus, Narimundo in Lithuania et Samogitia successit, exercitumque triginta millium collectum in tres partes dispescuit. Quarum vnam in Masouiam, reliquas autem duas contra Equites Ordinis Teutonici in Prussiam misit, vbi vrbibus aliquot dirutis ingenti captiuorum atque pecorum praeda locupletatus domum repetiit. Eodem anno Lithuani in Cuiauiam irruerunt. Paulo post Daumantus, princeps Polocensis, fratrem minorem in solio paterno sedere aegre ferens, tres rusticos subornauit, qui illum in balneum intraturum trucidarent. Tum Daumantus, magnis copiis instructus Lithuaniam inuasit, quo hanc prouinciam occuparet, sed victus atque profligatus est.

Rimundus, Troideni filius, patrem in imperio secutus est, quod cum aliquamdiu administrasset, comitiis Kiernouiae celebratis imperio se abdicauit, vitamque solitariam agere coepit. Quo facto

Vithenes, a Kitauris, Romanorum principum posteris, originem ducens, Magnus Dux creatus est, vir forti et bellicoso animo praeditus. Quapropter Rimundus interrogatus, cur patruorum suorum, Giedruti et Holsani, familias praeteriret, respondit, quoniam nemo ad maturam peruenisset aetatem, principem Lithuaniae vero cum eo, quod patruus suus Narimundus inuenerit, terrarum suarum insigni, equitem, a capite ad calcem loricatum, hostiumque vincendorum spe laetum, repraesentante, conuenire oporteret. Magnus ille Dux, Vithenes, anno Christi millesimo ducentesimo octogesimo primo regnare coepit. Anno proxime insequente Palatinatum Lublinensem adortus est, vbi per quindecim dies crudelissime se gessit, donec tandem Polonorum Rex, Lescus Niger, visione nocturna impulsus, ei obuiam iret, et inter fluuios, Narew et Nemenum, pugna commissa, memorabilem ab eo reportaret victoriam, cuius in memoriam templum parochiale Lublini condidit, sanctoque Archangelo Michaeli consecrauit.

Anno Christi millesimo ducentesimo octogesimo septimo Lithuani, Prussi et Samogitae terram Dobrinensem inuaserunt, cuius metropolim die quadam dominica, cum incolae sacris interessent, inopinatam oppresserunt, et ciues partim interfecerunt, partim in seruitutem secum abduxerunt.

Duobus annis post Lithuani cum exercitu, qui octoginta virorum millibus constabat, Prussiae partem infestarunt, vbi incendiis omnia perdiderunt, et incolis trucidatis, omnibusque, quas incursabant, regionibus deuastatis, antequam ciues illis resistere valerent, magna praeda ditati domum redierunt. Quam cladem Prussi vt vlciscerentur, proximo anno in Lithuaniam sunt profecti, vbi pariter magnum incolarum numerum partim occiderunt, partim in captiuitatem abduxerunt. Porro sub praefecti vrbis, qui Regius Mons vocatur, ducatu Merabdae, arcis munitissimae, potiti sunt. Postea Memerus, Magnus Prussiae Magister, terribili armatus exercitu Lithuaniam inuasit, duoque eius territoria prorsus deuastauit.

Non multo post idem Vithenes Cuiauiam adortus, regionem Bressicensem igni ac ferro corrupit, magnamque hominum multitudinem secum captiuam asportauit.

Anno Christi millesimo ducentesimo nonagesimo tertio Conradus Stangius, vrbi Ragnetae praefectus, Mindogum, Lithuaniae arcem, expugnauit, quam Vithenes, cum in Prussiam venisset, mox recuperauit, ibique per octoginta dies crudelissime saeuiit.

Deinde, anno vertente, Vithenes mille et octingentorum equitum turma instructus cum siluas, et varia diuerticula et ambages peragrasset, ingentem hominum in templo cathedrali Lencicienſi congregatorum multitudinem praeter opinionem suppressit, quorum plerosque interfecit, reliquos autem, qui plerumque clerici erant, captiuos in seruitutem abduxit. Templum exspoliauit; ii vero,

vero, qui eo fugere laborabant, fumo sunt suffocati, tota domo in vicinia templi circumquaque accensa. Tum totam prouinciam peruagatus, pecora incolarum omnia abegit. Inde autem reuertenti Casimirus, Palatinus Lencicienſis obuiam factus est, et aliquamdiu fortissime restitit, donec Vithenes copiis quibusdam auxiliaribus confirmatus Christianos prope Sochacouiam ad internecionem fudit. Quo facto terram suam repetiit.

Caeterum Vithenes iste magistrum equitum habuit, nomine Gedeminum, hominem maxime superbum, qui cum vxore Magni Ducis clandestina consilia iniit, domini sui vita priuandi. Quod cum breui tempore perfecisset, filiam eius vxorem duxit, imperiique potitus est.

Gedeminus itaque anno millesimo trecentesimo Magnus Lithuaniae Dux factus est. Ineunte eius imperio equites Prussici et Liuonici magno cum exercitu in Samogitiam irruerunt, eamque terram, quocunque venirent, crudelissime deuastarunt. Cunossouiam, arcem munitam vi expugnarunt, et summum Lithuaniae imperatorem, qui ibi versabatur, captiuum abduxerunt. Proximo anno Gedeminus, vt intolerabilem illam iniuriam vlcisceretur, magno exercitu ex ipsis ciuibus suis collecto armatus et a Russis atque Tartaris adiutus contra equites ordinis Teutonici expeditionem suscepit. Congressi igitur apud fluuium Okmienam, vterque exercitus per aliquot horas manum conseruit, donec tandem Samogitae ab equitibus descisserent, et ad Gedeminum transirent, quo vires eius mirifice auctae, hostium vero valde attritae sunt. Eos igitur maximo cum impetu adortus facili negotio in fugam vertit. Qua victoria feliciter ab hostibus reportata, Gedeminus in mediam vsque Prussiam penetrauit, vbi nihil illi restitit, duobus castellis, Ragneta et Cilza, exceptis, quae nihilominus tamen breui tempore occupauit. Gedeminus itaque, hac prouincia misere deuastata, Samogitiaeque Ducatu penitus recuperato pacatus domum rediit.

Idem Magnus Dux anno Christi millesimo trecentesimo quarto in Russicorum quorundam principum dissidium incidit, contra quos bellum parauit, et protinus in Russiam profectus cum Duce Volhyniae, Vlodimiro, acie decreuit, quem cum toto eius exercitu profligauit. Tum copias suas aduersus Leonem, Ducem Luceorienſem, eduxit, quem pariter vicit, eiusque metropolin, Luceoriam, cepit.

His itaque duobus principibus caesis, summus Volhyniae Dux Gedeminus factus est. Vere ineunte, receptis viribus, contra Stanislaum, Ducem Kiouienſem, arma mouit, quem cum aliis, quibusdam principibus vicinis, qui ipsi auxilio venerant, profligauit. Qua victoria Gedeminus non parum confirmatus est, adeo vt altius progressus plerasque Russiae vrbes expugnaret, victorque in terram suam reuerteretur.

Postea Gedeminus quinque milliaria trans flumen Wiliam venatum profectus est, id quod arcis prope lacum quendam vna cum vrbe exstruendae ansam ei praebuit, quam vrbem Trocum appellauit, eoque sedem suam a Kiernouia transtulit. Deinde anno millesimo trecentesimo quinto Gedeminus iterum venatum exiit orientem versus, vbi in varios casus aduersos incidit, donec postremo eum huius negotii prorsus taederet. Nocte igitur ingruente, sedem suam in monte quodam figere necesse habuit, cui monti tunc nomen erat Krzyunagorae, iam vero Turzagoria seu Lissa dicitur. Ibi cum mox obdormiuisset, magnum lupum eumque ferreum per somnium vidit, eumque alulare audiuit, cuius venter centum amplius lupos contineret, pariter horribilem edentes vocem. Quo perterrefactus statim euigilauit. Aurora illucescente hoc insomnium aulicis suis narrauit. Quorum quisque suam sententiam de eo cum dixisset, paganus tandem sacerdos, nomine Ledzieicus, (quem in nido aquilae cuiusdam inuentum esse ferunt) hoc visum ita interpretatus est: Lupus ferreus, inquit, vrbem munitam, lupi autem reliqui in eius ventre magnam incolarum multitudinem significant. Statimque Gedemino suasit, vt vrbem munitam cum castello ibi locorum exstrueret. Vnde

hic sacerdos Radziuili nomen sortitus est, quod consultorem Vilnae condendae denotat.

Ex huius hominis (Radziuili puta) prosapia permulti celeberrimi atque fortissimi viri originem duxerunt, qui omnes in bello et pace mirifice inclaruerunt.

Illo itaque suasore Gedeminus commotus in vicinia huius loci duo castella, vnum quidem in colle, alterum vero in planitie exstruxit. Ita etiam vrbem, a fluuio praeterlabente Wilia Vilnam dictam, condidit. Quae vrbs nostra aetate incolis admodum frequens primum locum inter vrbes Magni huius Ducatus obtinet, quo Gedeminus paulo post sedem suam a Troco transtulit.

Anno Christi millesimo trecentesimo sexto Lithuani, cum Polonos securos quasi dormitare intelligerent, per siluas et diuerticula in Poloniam inferiorem profecti sunt, vbi Calissio cum plurimis vrbibus aliis combusto et exspoliato iuuenes et senes trucidarunt, et reliquos captiuos abduxerunt. Eodem anno Henricus Plecensis, natione Saxo, Magnus Ordinis Teutonici in Prussia Magister, Gartinum, Samogitiae arcem, oppressit, omnesque Lithuanos ibi deprehensos gladio interfecit. Tum Germanorum auxilio adiutus hoc bellum amplius persecutus est, et territorio Carsouiensi miserrime deuastato, magna cum praeda magnoque captiuorum numero superbus Prussiam denique repetiit.

Anno proximo Lithuani Siradiensem et Calissiensem terram inuaserunt, iis magnum damnum intulerunt, statimque in suam prouinciam sunt reuersi.

Anno Christi millesimo trecentesimo octauo Olgerdus, Gedemini filius, magno cum exercitu in Prussiam iter fecit, vbi omnia, quo peruenit, igni et ferro vastauit magnaque praeda locupletatus terram suam repetiit. Tanta crudelitate et saeuitia Lithuani et Prussi per annos aliquot in se mutuo grassati sunt. Anno Christi millesimo trecentesimo decimo quinto Lithuani territorium Dobrinense adorti sunt, ibique iterum atrocissime saeuierunt, Dobrinumque, huius prouinciae metropolin, captam direptamque incendio deleuerunt. Septem annis post Liuoniam inuaserunt, et per complura milliaria eam depopulati sunt. Eodem anno tempore hiemali Dauid, Starosta Gartinensis, hanc prouinciam ad Reualiam vsque perdidit, et ampla spolia multosque captiuos secum abduxit. Deinde eadem hyeme Lithuani arce Memelia expugnata in Prussiam iter fecerunt, vbi proelio commisso praefectum Capionensem interfecerunt. Eodem tempore Dauid Gartinensis Masouiam inuasit, multasque eius vrbes et pagos deuastauit.

Anno Christi millesimo trecentesimo vigesimo tertio Lithuani iterum terram Dobrinensem clàm ingressi sunt, eique plurimum damni intulerunt. Anno proxime sequente Starosta Gartinensis iterum in Masouiam profectus est, et vsque ad terram Plocensem penetrauit, vbi triginta et centum amplius pagos cum triginta vrbibus depopulatus, quatuor fere hominum millia in captiuitatem secum abduxit. Dum haec aguntur alius exercitus in Liuoniam irruit, et eandem crudelitatem erga hanc prouinciam exercuit.

Anno Christi millesimo trecentesimo vigesimo tertio Anna, Gedemini filia, Casimiro, Vladislai, Regis Polonorum, filio, nupsit, vbi omnia, quae Polonis antea erepta fuerant, restituta sunt, et inter duas illas nationes Polonos nimirum et Lithuanos, pax conciliata est.

Denique Magnus ille Dux, Gedeminus, in oppugnanda arce Friburgo, quae arx erat equitum Ordinis Teutonici in Samogitia, sagitta vulneratus est, quo vulnere etiam periit. Septem habuit filios, Montiuidum, Narimundum, Olgerdum, Keystutum, Coriatum, Iaunutum et Lubartum, vti et filias aliquot, quarum vna, vti diximus, Casimiro nupta erat. Moriturus prouincias suas inter septem filios distribuit.

Montiuidus, natu maximus, Kyernouiam et Slonimum cum territoriis eo pertinentibus accepit.

Narimundus eas, quas in Russia et aliis terris ceperat, prouincias obtinuit.

Olger-

Olgerdus Kreuum, cum tota regione, quae inde Beresinam vsque extenditur, nactus est.

Keystutus Samogitiam, Trocum, Vitepscum et alias vrbes fortitus est.

Coriatus vrbem Nouogrodecum cum territoriis eo pertinentibus accepit.

Iaunuto vero, quem filium maxime amabat Gedeminus, Vilnam, vrbem Lithuaniae primariam, nec non Osmianam et Braslauiam cum suprema in omnium fratrum prouincias potestate concessit.

Lubartus, filius natu minimus, quod patre adhuc superstite cum Ducis Russiae filia matrimonium inierat, eoque imperium huius Ducatus ad ipsum peruenerat, nullam cum fratribus suis portionem paternae haereditatis accepit.

Quorum fratrum Olgerdus inprimis et Keystutus Iaunutum, fratrem minorem tanta auctoritate et potentia valere indignissime tulerunt. Patre itaque defuncto consilium de fratre ex Vilna expellendo ceperunt. Cui perficiendo tempus certum praefinierunt. Olgerdus autem cum propter euentum quoddam inopinatum non adesset, hoc consilium statuto tempore perfici non poterat. Nihilominus tamen Keystutus propositi sui tenacissimus erat, quod solus sine fratris, Olgerdi, auxilio efficere constituit. Quem in finem clanculum Vilnam petiit, eamque vrbem cum duabus eius arcibus praeter opinionem cepit. Iaunutus in siluam vicinam confugit, vbi a Keystuti militibus captus et ad fratrem perductus est, qui eum in vincula coniici iussit. Paulo post Olgerdus rediit, cui, quippe fratri maiori Keystutus imperii administrationem tradere volebat. Verum Olgerdus eam recusauit, causam interserens, se eam haudquaquam meritum esse, et itaque, quamuis aetatis beneficio imperium sibi vindicare possit, id tamen se non appetere asseuerauit. Denique tamen in prouinciis suis inter se distribuendis consenserunt; vbi Vilna cum suprema potestate Olgerdo concessa est. Porro alterum alteri in territoriis ipsius nullas molestias creaturum esse addito iureiurando sibi mutuo promisere. Fratri Iaunuto Palatinatum Braslauiensem in Russia possidendum tradiderunt.

Olgerdus igitur ad solium Ducalem euectus, ante omnia id egit, quod Prussiam et Liuoniam adoriretur, vbi equites Ordinis Teutonici ei resistere ausi non sunt. Totam itaque hanc regionem peruagatus cum copias suas ingenti praeda locupletasset, victor Lithuaniam repetiit, vbi equites captiuos vmbris patris sui, quem illi telo confossum occiderant, immolauit. Eodem anno Olgerdus clanculum in Marchionatum Brandenburgicum iter fecit, quam terram Francofurtum ad Oderam vsque exspoliatam deuastauit.

Postea Tartaros ex Podolia eiecit, quo tempore a Patruelibus ipsius Camenecium exstructum est. Deinde Ianouitius, Moscouitarum Imperator, ob insignem, qua valebat, potentiam admodum superbus atque elatus ad Olgerdum, tunc temporis in vrbe Vitepsco febri laborantem, misit, seque ante mensem praeterlapsum ita ad ipsum inuisurum esse ei denunciauit, vt in morbum delapsurus sit atque febrem. Cui tam superbae orationi Olgerdus nihil responsit, nisi haec: Se, mente eius intellecta, ei praeuenturum et Moscuae appariturum esse. Tum e lecto exsiliit, vitae famam anteferens, quo factum est, vt paucis diebus interiectis prosperam recuperaret valetudinem.

Olgerdus itaque, magno exercitu quam celerrime collecto, protinus in Moscouiam se contulit, vrbem Moscuam oppugnauit, eaque expugnata Moscouitarum Imperatorem cepit, qui, vt libertatem recuperaret, pacem ignominiosam inire et Olgerdo magnam imperii sui partem concedere necesse habuit. Deinde maximam Russiae partem iterum in suam redegit potestatem, et prouinciis suis adiunxit; cum antea Russi Magno Lithuaniae Duci tantummodo tributum certum soluere solerent.

Hic princeps ex vxore Maria duodecim filios suscepit, e quibus Iagello tantum et Skirgello patrem in Magno Lithuaniae Ducatu administrando exceperunt.

runt. Fratri autem Keystuto sex erant filii, e quibus Vitoldus et Sigismundus ad Magnorum Lithuaniae Ducum dignitatem peruenerunt.

Posteaquam Olgerdus anno Christi millesimo trecentesimo octogesimo primo ex hac vita decesserat, Iagello, patruo Keystuto consentiente, Lithuaniae imperium capessiuit. Dux ille ministrum aulicum, cui mirifice faueret, Voidilum, habuit, qui humili stirpe ortus artem pistoriam primo exercuerat, postea vero Iagellonis Secretarius et primarius minister factus est. Hunc virum Iagello tanto amore beneuolentiaque amplectebatur, vt ei sororem in matrimonium daret, quod patruus eius aegerrime tulit, verbisque grauissimis has nuptias improbauit. Hic Voidilus itaque cum vereretur, ne Keystutus aliquando gratia domini sui se priuaret, Iagelloni persuadere studebat, vt patruum suum pro hoste haberet, neque aliter cum eo, atque cum hoste, ageret. Quapropter cum equitibus Ordinis Teutonici, contra quos antea bellum gesserat, clandestinam iniit societatem, omnique ratione bellum contra patruum parauit. De qua re Keystutus certior factus, in maximam animi perturbationem incidit, donec tandem filius Vitoldus suspicionem eius reprimeret, cum Iagellonem id nunquam facturum esse ei persuaderet. Sed cum tandem Iagello contra Russos Polocenses, qui tunc Keystuti imperio parebant, expeditionem susciperet, res in propatulo esse coepit. Keystutus itaque, tantis, quantas poterat, copiis comparatis, patruelis sui prouincias inuasit, Vilnamque expugnauit, et nisi Vitoldus filius, qui Iagellonis amicitiam nondum deseruerat, ipsum cohibuisset, altius eum perrecturum fuisse, admodum credibile est.

Cum vero postea Keystutus in Corybutho proditore opprimendo esset occupatus, Iagello non modo Vilnam recuperauit, verum etiam Trocum obsedit, et per proditionem cepit. Tum Keystutus, cum ad hanc vrbem recuperandam se accingeret, vna cum filio Vitoldo Iagelloni in manus traditus est, et quidem per fratrem eius Skergelonem, qui se pacem inter hos duos principes conciliaturum esse simularet. Sed cum Iagello patruum semel deprehendisset, firmiter eum tenuit et in custodiam tradidit, tandemque in carcere, in vrbe Creua, iugulari eum iussit. Vitoldum, patrui filium, ingrato animo per longum tempus Vilnae captiuum tenuit, qui postea inde Creuam deductus est. Cum iam tempus certum eius interficiendi esset definitum, ipse vxoris auxilio e custodia euasit, fugaque sibi consuluit. Vxor enim, cui aditus ad maritum nunquam non pateret, ancillae suae vestes aliquando induit, maritumque suis vestimentis vestitum inde abduxit. Hoc modo custodia liberatus ad cognatum sum Iohannem, Ducem Masouiae, confugit. Cum vero se ibi non satis tutum putaret, in Prussiam se contulit, vbi primum equites Ordinis Teutonici ei exprobrarunt, quod tantum temporibus aduersis confugium apud se quaereret; deinde vero quam humanissime eum exceperunt, ipsique in paternis prouinciis recuperandis se opem laturos esse promiserunt. Deinde cum Samogitis, qui a Vitoldo stabant, irruptione in Lithuaniam facta, Trocum expugnarunt; quem vero locum postea rursus relinquere coacti sunt.

Denique Iagello ipse per legatos clam emissos hunc patrui sui filium ex Prussia reuocatum in possessiones per haereditatem a patre acceptas, cum se ei fidum fore promisisset, restituit. Non multo post Ludouici, Hungarorum regis, morte regnum Polonicum regem amisit. Quae causa fuit, cur Iagelloni hoc regnum sub certis conditionibus offerretur, de quo in vita eius satis copiose dictum est.

Iagello igitur magno subiectorum numero stipatus, qui sibi apparerent, cum in Polonia abesset, Magni Prussiae et Liuoniae Magistri opportunam illam Liuoniae adoriendae occasionem auidissime arripuerunt.

Deinde omnia igni atque ferro vsque ad Lucomum, Russiae arcem, deuastarunt, quam captam rebus omnibus ad vim hostilem sustinendam et propulsandam necessariis ornarunt, eique Andream, Iagellonis fratrem, quo impellente haec expeditio suscepta fuerat, praefecerunt. Eodem tempore Suetoslaus, Dux Smo-

Smolenscensis Russiam inuasit, Mscislauiamque cum aliis quibusdam locis vi expugnauit. Cuius rei nuntius simul atque ad Iagellonem esset allatus, fratrem, Skirgellonem, et Vitoldum, patrui filium, in Lithuaniam proficisci iussit; qui cum copias equitum ordinis Teutonici retro cessisse sentirent, Lucomum arcem sine mora obsederunt. Quam cum cepissent, Mscislauiam quoque adorti expugnarunt, Suetoslao, qui hunc locum teneret, interfecto. Postea omnes reliquas, quae defecerant, et ad Andreae Ducis partes accesserant, prouincias ad officium redire coëgerunt, ipsumque Ducem Andream captiuum in Poloniam abduxerunt, vbi Iagellone iubente in carcerem spurcum atque foedum coniectus, sed non multo post, Vitoldo, homine leni et mansueto, deprecante, rursus ex eo liberatus est.

Iagellone defuncto fuere quidem adhuc Magni aliquot Lithuaniae Duces; verum cum illi regibus Poloniae vectigales essent, et deinde Lithuania ipsa cum Polonia coniuncta in eandem imperii formam redigeretur, illis diutius immorari necesse non habeo. Etenim quae illorum aetate memoria digna gesta sunt, ea omnia in vitis Regum ex Iagellonica stirpe ortorum, qui a Iagellonis inde aetate ad Regem Michaëlem Wiesnowiscium imperio Polonico praefuerunt, enarrandis comprehensa sunt. Quapropter ad Geographicam Magni huius Ducatus descriptionem transeamus.

Duae prouinciae Lithuanicae Palatinatus sequentes continent:

Lithuania proprie sic dicta Vilnensem, Trocensem et Brescianensem Palatinatum, qui postremus Palatinatus etiam Polesia vocatur, comprehendit.

Russia Lithuanica Palatinatum Nouogrodensem, Mscislauiensem, Vitepscensem, Minscensem et Polocensem complectitur.

Russia Lithuanica vulgo Russia Alba dicitur, vel quod montes eius semper niue obtecti esse solent, quae ibi multo diutius, quam in vllis huius prouinciae regionibus durat; vel quod animalia huius terrae, ne iis quidem exceptis, quorum color in aliis prouinciis alius est, plerumque alba sunt.

Vtraque prouincia plurimarum rerum ad victum necessariarum, magnam copiam profert, nec non variis negotiatorum mercibus abundat, quae merces partim in fluuio Duna Rigam, Liuoniae vrbem, partim in fluuio Nemeno Regium Montem in Prussia situm deportantur.

Primus Palatinatus Lithuaniae proprie sic dictae est Palatinatus

Vilnensis, cuius Palatinus summus vrbis Vilnae praefectus est. Hic Palatinatus tria magna territoria, Osmianense nimirum, Bratislauiense seu Braslauiense, et Vilcomitiense territorium complectitur.

In hoc Palatinatu sequentes vrbes sunt notandae: Vilna, Osmiana, Bratislauia seu Braslauia, Vilcomitium, Icaznia et Driswiatum.

Totius Magni Ducatus Lithuaniae metropolis est

Vilna, ab incolis Wilenski, a Germanis vero *Wildau* seu *die Wilde* dicta. In ea regione sita est, vbi duo flumina, Vilia et Vilna, a qua vrbs nomen sortita est, confluunt, et centum triginta circiter milliaria Polonica septentrionem et ortum versus a Cracouia, duodequinquaginta austrum versus a Riga, septuaginta septentrionem et ortum versus a Varsouia et centum milliaria occasum versus a Smolensco distat. Est vrbs magna et incolis admodum frequens arcesque duas habet satis munitas, quarum altera planitiei, altera monti inaedificata est. Illa a flumine Vilia, haec a Vilna alluitur. Quorum fluminum prius amplum est et nauigiorum plenum, in quibus incolae merces suas Dantiscum deuehunt; posterius paruum est et angustum. Aedificia huius vrbis plerumque humilia, minime splendida et ligno exstructa sunt, nobilium mercatorumque peregrinorum domibus quibusdam, nec non publicis aliquot aedificiis exceptis, quae omnia vel lateribus vel lapidibus compacta sunt. Inter arces duas ea, quae in monte structa est, peruetusta et propemodum plane destructa, altera vero perelegans et secundum architecturam recentissimam condita est. Templa huius vrbis, tam Pontificiorum,

quam Graecorum seu Russorum, omnino lapidea sunt. Templum cathedrale in arce humiliore exstructum est, vbi sancti Casimiri, a Pontifice Leone decimo in Diuorum numerum relati, funus in argenteo maximi pretii atque splendoris monumento incluſum iacet. Ibi quoque est campana mirificae magnitudinis Cracouiensis instar, a viginti quatuor amplius viris robustis tractanda. Intra hanc arcem est etiam sedes Archiepiscopalis Archiepiscopi Russiae. In aliis aedificiis publicis Magni Ducis palatium praecipue eminet, in quo celeberrimum armamentarium variis armorum generibus instructum conspicitur. Duo circiter milliaria Anglicana ab hac vrbe aliud palatium Ducale structum est, quod a situ Rudnicum, hoc est, *prope aquam*, dicitur. Hoc palatium non nisi ligno confectum, et theriotropheo topiariisque et pomariis amoenis exornatum est. Proxime notanda est huius vrbis Academia, a Rege Stephano anno milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo nono fundata, eodemque anno a Pontifice Gregorio decimo tertio, Veleriani, Episcopi Vilnensis, rogatu, Vniuersitatis nomine insignita et confirmata. In qua Academia publice docendi munere funguntur sex Professores Theologiae, quinque Professores Philosophiae, quatuor Professores Iuris, et septem Professores Literarum humaniorum. In domibus mercatorum inprimis memoria dignum est aedificium quoddam perelegans, a negotiatoribus Moscouiticis societate coniunctis, vt ibi merces pelliceas, aliasque res pretiosas, ex Moscouia huc allatos seponerent et asseruarent, aedificatum. Multa insuper alia, eaque perpulchra, hic conspiciuntur aedificia, quae breuitatis ergo praetereo. Porro in hac vrbe multa tormenta maiora conflantur et alia complura instrumenta bellica insignia et praestantissima conficiuntur. Vilna iudicium habet prouinciale, in quo causae totius Lithuaniae deciduntur. Anno Christi milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo quinto Moscouitae hac vrbe potiti, paulo post autem eam Polonis restituere coacti sunt.

Osmiana, ligno exstructa vrbs, locus primarius territorii Osmianensis septem circiter milliaria a Vilna distat, et magnam ditionem cum vrbibus aliquot haud contemnendis sibi subiectam habet.

Bratislauia seu Braslauia, vrbs ligno aedificata, ad magnum lacum sita, arcem habet colli superstructam. Hic locus viginti fere milliaria a Vilna remotus satis amplum habet territorium.

Vilcomitium, vrbs ligno compacta, ad fluuium Suientam sita, iudicium habet aulicum, in quo nobilium controuersiae dirimuntur, et territorium haud exiguum, vrbes complures continens, quae partim Regi, partim Episcopis, partim nobilitati parent.

Icaznia, vrbs ligno exstructa, fluuio eiusdem nominis adiacens, tria circiter milliaria Polonica a Bratislauia distat.

Driswiatum oppidum, lacui vicinum, iuxta fluuium cognominem situm, quinque fere milliaria a Bratislauia remotum.

Senatores huius Palatinatus sunt tantum duo, Palatinus videlicet et Castellanus Vilnensis. Sciendum enim est, nullos per totam Lithuaniam minores esse Castellanos.

Hic Palatinatus quadruplex habet insigne. Insigne Palatinatus ipsius campum album et caeruleum habet; in illo insigne Lithuanicum apparet; in hoc vero duae columnae conspiciuntur. Sed praeterea vnumquodque territorium insigne habet peculiare. Territorium Osmianense insigni vtitur Vilnensi, nisi quod columnarum loco gladii erecti cernantur. Territorium Braslauiense insigne habet campum rubrum. Territorium Vilcomitiense idem insigne gerit, nisi quod columnarum loco imago sancti Michaëlis in eo appareat.

Secundus Palatinatus Lithuaniae stricte sic dictae est Palatinatus

Trocensis, quatuor territoria magna complectens, quae sunt Grodnense, Lidense, Caunense et Vpitense territorium.

Vrbes

Vrbes praestantiores huius Palatinatus sunt Trocum, Grodna, Lida, Cauna et Vpita.

Trocum seu Troccum, ab incolis Troki dictum, metropolis, vrbs ligno constructa, et in angusto terrae tractu sita, qui tractus in lacum quendam altius excurrit, quatuor circiter milliaria occasum versus a Vilna remota. Haec vrbs fortibus moenibus olim erat circumdata, quae vero iam dudum ab Equitibus ordinis Teutonici, Prussiae rectoribus, sunt destructa. Adhuc tamen habet arcem, in lacu fundatam, naturaeque beneficio et arte hominum bene munitam.

Huius vrbis fundamenta prima iecit Gedeminus, Magnus Lithuaniae Dux, cuius sedes Ducalis erat, antequam Vilnae domicilium sibi constitueret. Anno Christi milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo quinto Moscouitae hunc locum expugnatum exspoliatumque incendio deleuerunt.

Grodna, vrbs ligno exstructa, fluuio Nemeno seu Cronoui adiacens, castellum habet munitum, rupi finitimae a Stephano Rege inaedificatum, qui ob venandi opportunitatem sedem ibi posuit. Sigismundus tertius hic locorum pontem eleganter structum in fluuio Nemeno fecit, cuius similem tota Polonia non habere creditur. In hac vrbe Iesuitae Collegium ad iuuentutem erudiendam instituerunt. Porro varia mercium genera a mercatoribus ex diuersis Lithuaniae regionibus huc allata Dantiscum inde deportantur. Territorium Grodnense satis amplum Ducatus quondam fuit illustrissimus.

Lida, territorii Lidensis metropolis, vrbs ligno compacta, et castello satis munito, vti etiam iudicio aulico, in quo nobilium causae deciduntur, instructa.

Cauna, vrbs clara, ligno quidem aedificata, domibus tamen aliquot lapideis interpositis, in ea regione sita, vbi duo fluuii, Nemenus et Vilia, confluunt, castello vetusto, eoque forti, rupi superstructo, superba.

Vpita, vrbs ligno constructa, locus est primarius magni cuiusdam territorii, vrbes non paucas complectentis.

Senatores huius Palatinatus sunt Palatinus et Castellanus Trocensis.

Hic Palatinatus insigne gerit Lithuanicum in campo caeruleo.

Tertius Palatinatus Lithuaniae proprie sic dictae est Palatinatus

Brescianensis, Palatinatui Lublinensi confinis, cuius prouinciae moribus et consuetudinibus omni ex parte consentit. Vnum tantum idque magnum territorium, Pinscense videlicet, complectitur.

Vrbes huius Palatinatus praecipuae hae sunt: Brescia, Pinscum, Biala, Pripetia, Camenecia, Cobrinia, Ianouia, Voinia, Rososia et Vlodaua.

Brescia seu Breſſici, metropolis, vrbs magna, ligno constructa, in Lithuaniae confinio ad flumen Bugum sita, arcem habet ligneam rupi superstructam, quae arx a fluuio Muchaueio irrigatur. Haec vrbs viginti circiter milliaria septentrionem et ortum versus a Lublino, et triginta ortum versus a Varsauia distat. Hic Iudaei Academiam habent totius Europae celeberrimam, qua magnus eorum numerus ex Italia, Germania, Morauia et Silesia, aliisque prouinciis conuenire solet, non modo vt literis operam dent, sed etiam vt ad gradus honorum, qui inter eos vsitati sunt, altiores ascendant. Extra hanc vrbem palatium est regium, ex recentissima structura aedificatum, multisque amoenis hortis exornatum.

Pinscum, vrbs ligno aedificata, magnitudinis haud exiguae, fluuio Pripeto adiacens, qui Russiae vrbes aliquot praeterlapsus in Borysthenem effunditur. Loci huius incolae admodum laborioſi mercaturae ergo in Moscouiam et Germaniam saepius proficiscuntur. Horum plerique sacris Graecis sunt addicti, habentque Episcopum, qui in hac vrbe sedet.

Biala ex palatio quodam, a Ducibus gentis Radivillorum exstructo, inclaruit, in quo Collegium fundatum est, vbi iuuentus instruitur.

Pripetia, castello vetusto munita fluuio Pripeto adiacet.

Senatores huius Palatinatus sunt Palatinus et Castellanus Brescianensis.

Insigne huius Palatinatus cum superiore prorsus conuenit, nisi quod discriminis causa litera B. in medio campo addita sit.

Primus Palatinatus Russiae Lithuanicae est Palatinatus

Nouogrodensis, duo territoria, Nouogrodense videlicet et Slonimense, comprehendens.

Praecipuae vrbes huius Palatinatus sunt eae, quae sequuntur: Nouogrodecum, Slonimum, Volcouiscum, Lachouicia, Mysza, Slucum, Rozana, Nesuicia et Selecia.

Nouogrodecum, vrbs magna ex ligno structa, filiis Magnorum Lithuaniae Ducum natu minoribus olim subiecta erat. Hic loci et in vrbe Minsco alterna comitia celebrantur, in quibus de rebus Lithuanicis deliberatur.

Slonimum, vrbs ligno constructa, cuius territorium Ducatus quondam erat.

Volcouiscum, vrbs magna, iudicium habet aulicum, in quo nobilium controuersiae dirimuntur.

Lachouicia, ex palatio pulchro inclaruit, quod Summus aliquis Lithuaniae Imperator exstruxit, et ex more recentissimo communiuit.

Mysza, vrbs cum castello, ad lacum quendam sita, quam vrbem planities circumdat.

Slucum, maximis huius prouinciae vrbibus annumerandum, non nisi ligneis aedificiis constat, si templum cathedrale et palatium Ducale exceperis.

Haec vrbs non multis temporibus ante suum habebat principem, qui territorium haud exiguum quidem possidebat, sed semper tamen regno Polonico vectigalis erat. Nunc Radiuillorum potestati paret.

Rozana, vrbs bene constructa, plateis pulcherrimis superba.

Nesuicia, multis aedificiis publicis iisque splendidissimis, a Nicolao Radziuillo, Peregrino cognominato, exstructis, ornata, quae breuitatis studiosus hic describere non possum.

Senatores huius Palatinatus sunt Palatinus et Castellanus Nouogrodensis.

Hic Palatinatus insigne gerit Magni Ducatus Lithuaniae in campo caeruleo.

Secundus Palatinus Russiae Lithuanicae est Palatinatus

Mscislauiensis, a meridie fluuium Pripetum, ab ortu vero Borysthenem habens. Hic Palatinatus formam triangularem repraesentans, plerumque partim siluis obsitus, partim aqua perfusus est. Loca plana huius prouinciae admodum feracia esse solent. Variis quoque pecorum generibus, ferisque auibus plurimis atque lautissimis haec regio abundat. Duo territoria amplissima, Mscislauiense nimirum et Modzirienſe territorium hic Palatinatus continet.

Vrbes eius sunt: Mscislauia, Modziria, Dambrownuna, Bychouia, Copiscum, Sclouia, Reczycza, Viszehorodum, Strissinum, Cleccum, Ouruccum, Homlia, Criczouia et Osterscum.

Mscislauia, vrbs ligno constructa, ad fluuium Soszam sita, arcem habet palis ligneis praeacutis cinctam. Haec vrbs cum Moscouiae sit confinis, praesidio firmo instructa est. Territorium illius suos quondam habuit principes, quibus nunc caret.

Modziria, territorii Modzirienſis metropolis, in paludibus sita est.

Dambrownuna, arcem habet munitam in Moscouiae finibus sitam, et quatuordecim fere milliaria a Smolenſco distat.

Bychouia, itidem castello ornata, Borysthenis adiacet, et duodecim circiter milliaria a Mohilouia distat.

Copiscum, vrbs cum castello ad Borysthenem sita.

Sclouia, castello instructa, ad Borysthenem sita, Comitatus nomen gerit, cuius Palatinum haereditarium se appellitat Iohannes Chodkieuilius.

Reczycza, ad Borysthenem sita, arcem habet.

Viszehorodum, Borysthenis adiacens, tria circiter milliaria a Kiouia distat.

Striſ-

Strissinum, vrbs et arx, ad Borysthenem sita.

Senatores huius Palatinatus sunt Palatinus et Castellanus Mscislauiensis.

Huius Palatinatus insigne cum insigni Magni Ducatus Lithuanici conuenit, nisi quod discriminis ergo literam M. in medio campo gerat.

Tertius Palatinatus Russiae Lithuanicae est Palatinatus

Vitepscensis, qui, sicut superior, ortum versus ad Dunam extenditur, et vnum tantummodo, idque magnum territorium, Orsanense puta, complectitur.

In hoc Palatinatu sequentes vrbes notantur: Vitepscum, Orsa, Mohiloiia, Czasnicum, Siennum, Leplum et Voronecium.

Vitepscum, vrbs ligno aedificata, magnitudinis minime contemnendae, ad fluuium Dunam sita, in quo fluuio variae merces negotiatorum in Liuoniae vrbem, Rigam, inde deuehuntur. Duabus magnis arcibus, et arte et natura contra Moscouitarum, qui saepius grauissima clade accepta hinc depulsi sunt, incursiones, optime munitis instructa est. In hac vrbe quatuor cohortes peditum, quarum vnaquaeque quingentis viris constat, perpetuo locatae sunt. Harum vni, inquit Guagninus, ego ipse decem fere annos praefui. Hic locus octoginta circiter milliaria a Vilna remotus est, suumque olim habuit principem.

Orsa, vrbs magna, ligno constructa, quam ex altera parte pali lignei, iique acuti et crassi, ex altera vero Borysthenes fluuius circumdant, cum arce lapidea, quae a flumine Orshicza irrigatur. Hic locus duodeuiginti circiter milliaria a Vitepsco distat.

Mohilouia, emporium amplissimum, quod a Moscouitis, merces suas pelliceas hinc in Poloniam atque Germaniam mittentibus, creberrime frequentatur.

Czasnicum, oppidum ligno compactum, quod Vla fluuius alluit.

Siennum, sex circiter milliaria a Czasnico distans, castello munitum est.

Leplum, lacui adiacens, septem fere milliaria a Czasnico remotum, arcem habet munitissimam.

Voronecium, vrbs castello ornata, ad fluuium Vsaczam sita, tria circiter milliaria a Polocio distat.

Senatores huius Palatinatus sunt Palatinus et Castellanus Vitepscensis.

Hic Palatinatus insigne Lithuanicum gerit in campo viridi.

Quartus Palatinatus Russiae Lithuanicae est Palatinatus

Minscensis, duo territoria, Minscense videlicet et Borisouiense territorium, continens.

In hoc Palatinatu vrbes sitae sunt sequentes: Minscum, Borisouia, Coidanouia, Radoscouice, Loboiscum, Suislocium, Bobroiscum, Odrucium, Smolniany et Turcum.

Minscum, locus primarius huius prouinciae, vrbs magna est, ligno aedificata, muro duplici, arce munita, fossa admodum profunda, aliisque munitionibus instructa. A fluuio quodam, multas molas mouente, irrigatur. Russi, qui, cum haec vrbs exstrueretur, illum Palatinatum tenebant, vrbes suas praestantiores muro duplici et duobus castellis munire consueuerunt. In hac vrbe, vti etiam Vilnae et Nouogrodeci comitia quondam alterna celebrata sunt.

Borisouia, vrbs ligno constructa, fluuio Berezinae adiacens, arcem habet optime communitam. Quadraginta circiter milliaria a Vilna distat, et forti praesidio contra Moscouitarum incursiones firmata est.

Coidanouia, vrbs arce munita viginti circiter milliaria a Vilna distat.

Radoscouice, vrbs castello ornata, vbi anno Christi millesimo quingentesimo duodeseptuagesimo Sigismundus Augustus centum millia militum amplius vno tenore lustrauit.

Loboiscum, vrbs cum arce, octo circiter milliaria a Borisouia distat.

Suislocium, fluuio cognomini adiacet.

Bobroiscum, ad fluuium Berezinam situm.

Odrucium, vrbs et arx, a qua olim Ducatus quidam appellatus est, vnde Russi aliqui illustri stirpe orti nomen sortiti sunt.

Senatores huius Palatinatus sunt Palatinus et Castellanus Minscensis.

Huius Palatinatus insigne cum Lithuanico insigni prorsus conuenit, nisi quod in ora campi litera M. adiecta sit.

Quintus Palatinatus Russiae Lithuanicae est Palatinatus

Polocensis, duo territoria, Polocense nimirum et Vsuiatense territorium complectens.

In hoc Palatinatu hae vrbes notandae sunt: Polocium, Vsuiatum, Disna, Drissa, Druha, Starcicia et Volisia.

Polocium, metropolis, ad flumen Dunam seu Dwinam sita, locus olim erat valde conspicuus, anno autem millesimo quingentesimo sexagesimo secundo a Moscouitarum Imperatore, Iohanne Basilouitio, captus et plerisque incolis priuatus est, quippe qui captiui abducti sunt. Hic locus in Moscouitarum potestate permansit vsque ad annum millesimum quingentesimum septuagesimo nonum, cum Stephanus Batorius eum, cum toto eius territorio recuperaret. Haec regio quondam Ducatus erat, et suos habebat principes. Iam haec vrbs sedes est Episcopi Russici. Hic quoque Iesuitae clarissimum habent Collegium, quod Stephanus Batorius instituit, et reditibus locupletauit.

Vsuiatum, fluuio eiusdem nominis adiacens, tria circiter milliaria Polonica a Polocia distat.

Disna, ad flumen Dunam sita, satis bene munita, sex fere milliaria a Polocio, et quadraginta a Vilna distat.

Druha, ad fluuium cognominem sita.

Senatores huius Palatinatus sunt Palatinus et Castellanus Polocensis.

Hic quoque Palatinatus insigne Magni Ducatus Lithuanici gerit, nisi quod discriminis ergo in medio campo litera P. conspiciatur.

Posteaquam igitur Magni Ducatus Lithuanici magnitudinem praesentem vrbesque praecipuas descripsi, de huius nationis indole quaedam dici necessarium quidem videatur; sed cum de natura, et de moribus atque consuetudinibus tam Polonorum, quam Lithuanorum in altera huius operis parte acturus sim, id tantummodo nunc commemorabo, quod Lithuani vsque ad Iagellonis tempora, hoc est, vsque ad saeculum decimum quartum pagani fuerint, multosque deos, seu potius daemones, adorauerint. Primo ignem coluerunt, (quem sermone suo Znicz, id est, *sanctum* vocabant) eumque in celebrioribus aliquot vrbibus semper ardentem conseruarunt. Quem in finem certos habebant sacerdotes; qui cum forte ex incuria vel alia quadam de causa ignem exstingui sinerent, confestim capite truncati sunt. Deinde etiam fulmen adorarunt, quod lingua Sclauonica Perunum vocabant. Tum quoque lucos quosdam habebant, in quibus omnes rectas et proceras arbores religiose colerent, quas attingere grauissimum scelus putabant. Vbi Diabolus, seu potius sacerdotes illi veteratores tam versuti erant, vt eiusmodi superstitionem omni ratione confirmare et deastrorum cultores a saniore mente deterrere laborarent. Nubilante coelo, solem sibi irasci arbitrabantur; quem precibus, variisque instrumentis musicis reconciliare summis viribus

bus contendebant. Porro etiam serpentes, quos pro Penatibus habebant, diuino honore prosecuti sunt. Quapropter vnaquaeque familia serpentem domi alebat, cui quotidie lac, aues, et aliae eiusmodi res offerrentur. Quem serpentem si qua in re forte laeserant, signum interitus totius familiae hoc esse credebatur. Certum quoque tempus illis erat, quo palam sacra facere solerent, nempe circa initium Octobris. Quo tempore cum vxoribus et liberis congregati triduum epulabantur, sicuti supra de Samogitis narrauimus. E bello reuersi vnum captiuorum illustrissimo stirpe ortorum cum omni praeda, quam ceperant, igni immolare solebant. Funera concremare consueuerant, et quidem cum omnibus eorum vestibus et ornamentis pretiosissimis, quae viui gerere soliti fuerant. Quibus etiam aliquem de seruis fidelissimis defuncti cum eius equis, armis atque canibus addiderunt. Interea, tum haec fierent, omnes propinqui et amici defuncti lac, mel, cereuisiam, et alia cibaria afferebant, maxima cum hilaritate conuiuia agebant, et varia instrumenta musica pulsantes circa rogum saltabant.

Hos omnes cultus idololatricos atque errores Iagello, Christianis sacris addictus, maxima ex parte exstirpauit. Quem in finem cum Hedwiga coniuge, Archiepiscopo Gnesnensi, maximo sacerdotum numero, multisque aliis viris doctis, anno millesimo trecentesimo octogesimo septimo sub veris initium, in Lithuaniam profectus ante omnia ignem sacrum Vilnae accensum, exstinxit, et locum, vbi ille ignis aleretur, in templum, sancto Stanislao consecratum, convertit. Quo facto serpentes interfici, lucos succidi, altaria eorum destrui, aliosque plures ritus ethnicos aboleri iussit. Id quod Lithuani superstitiosi valde mirati dixerunt: Proh dolor! quomodo tandem Dii nostri a Christianis, nefariis illis hominibus haec tolerare sustinent, qui manibus suis profanis eos tantopere violare audent! Nos rebus vel leuissimis illos laedere si tentauimus, confestim et sine omni mora poenam eorum grauissimam experti sumus. Tandem vero cum haec Polonorum scelera tam atrocia, vt putabant, et horrenda non puniri a suis Deastris sentirent, omnes et singuli, vanitate suorum sacrorum perspecta, se baptizari rogarunt, quo factum est, vt vno die tricies mille homines religionem Christianam amplexi fonte sacro abluerentur. A quo tempore Lithuani plerique Christianis sacris addicti fuerunt, quamuis adhuc aliquot idolorum cultores versus Moscouiae et Samogitiae fines in iis reperiantur, qui in magnis siluis degentes varios ritus superstitiosos exercent, serpentesque et alia idola adorant, vt veteres idololatrae facere solebant. Porro in hoc Magno Ducatu triginta fere millia sunt Tartarorum, quibus Turcicam, quam profitentur, religionem libere exercere licitum est. Qua libertate iam per aliquot saecula sub hac lege fruiti sunt, vt mille et ducentos viros in bellum contra Turcos et Tartaros quotannis mittant. Mohametani illi templa sua *Meczets* vocant.

Nulla prouincia Regis Polonorum siluis et locis desertis magis repleta est, quam Lithuania. In quibus silua quaedam notatu digna est, quae centum milliaria in longitudinem patet, a populo admodum fero et rudi inhabitata; quanquam Lithuanici nobiles vrbanitate, agilitate, celeritate et humanitate in societatibus Polonicos longe vincant. Cum in aula regia versarer, ab vrsis, quorum in siluis Lithuanicis magnus est numerus, infantes saepius lactatos et educatos esse certior factus sum, id quod etiam per totum Poloniae regnum verissimum esse existimatur. Eiusmodi infans, cum ego in Polonia versarer, in monasterio quodam alebatur, cuius in dissertatione mea Latina de Suspensione Legum Naturae, mentionem feci. Hic puer decem circiter annos natus, (vt ex eius statura et ore coniici poterat) toruo erat vultu, et neque ratione, neque lingua vti valebat. Manibus pedibusque incedebat,

et, si humanam corporis eius structuram exceperis, nihil in eo, quod homini simile esset, reperiebatur. Cum vero animali, rationis capaci, similis videretur, baptizatus est. Semper tamen inquietus et vultu gestibusque inhumanus erat, et saepissime aufugere moliebatur. Tandem corpore eius erigendo, ita vt parieti inniteretur, pedibus rectus stare doctus est, sicuti canibus facere solemus, quos pedibus posterioribus insistentes, anterioribus erectis, nobis adesse docemus. Sensim itaque ad mensam cum aliis hominibus cibum capere assuefactus et progressu temporis aliquantulum cicuratus, rudi et fere inhumana voce atque oratione sensum suum exprimere coepit. De ea autem, quam in siluis egerat, vita interrogatus tam parum referre poterat, quam nos, quae in incunabalis egerimus, narrare possumus. Hoc Rex ipse cum Senatoribus aliquot aliisque primoribus regni mihi vt rem certam narrauit. Immo in toto regno Polonico nemo de hac re dubitat. Tradunt etiam, vrsum famelicum marem quidem, si infantem ex incuria vsquam relictum inuenerit, illum statim dilacerare; infantem autem ab vrsa lactante deprehensum statim ab ea in speluncam deferri, et cum catulis eius nutriri et educari, et inde fieri, vt saepe aliquanto post eiusmodi infans a venatoribus captus ex vrsarum vngulis eripiatur, vt anno Christi millesimo sexcentesimo vndeseptuagesimo contigit, quod ex epistola apparet, a Viro Excellentissimo Cleuerskerkio, Reipublicae Batauorum ad Regem Poloniae Legato, ad me scripta, quam epistolam hic adiicere non inutile fore duxi.

I. P. van den Brande de Cleuerskerk Domino Connoro
salutem plurimam dicit.

Vt Tuo desiderio, Vir amicissime, satisfacerem, breuem narrationem de puero quodam, ab vrsis educato, quem anno salutis humanae instauratae millesimo sexcentesimo vndeseptuagesimo Varsauiae vidi, Tibi tradidi. Cum in vrbem modo dictam veniissem, vt electioni Regis Polonici, quae, postquam Iohannes Casimirus sua sponte imperio se abdicauerat, instituebatur, adessem, inter alia, quid in hac vrbe aut circa eam visu dignum esset, explorauí. Vbi in aliis mihi relatum est, in suburbio, quod ad Regis Casimiri palatium ducit, et quidem in monasterio monialium puerum asseruari, ab vrsis educatum, et ante tempus aliquod in vrsorum venatione captum. Quo audito, cum statim ad hunc locum me contulissem, puerum ante portam monasterii sub tecto ludentem vidi. Duodecim circiter aut tredecim annos natus esse hic puer videbatur. Ad quem cum propius accessissem, ad me assiliebat, quasi vestitum meum admiraretur, eoque delectaretur. Primo nodorum argenteorum, quibus vestes meae ornatae erant, vnum maximo cum impetu arreptum naribus admouit. Tum repentino cursu in angulum quendam se coniecit, clamoremque insolentem, vrsorum voci non absimilem, excitauit. Domum ingressus ancillam offendi, quae mihi fuse quidem narrauit, quomodo ferus ille puer captus esset, sed cum librum, in quo res notabiliores in itinere mihi obuias consignare consueueram, penes me non haberem, hanc narrationem Tecum communicare non possum. Haec ancilla puero illi ad se vocato magnum frustum panis ostendit. Quod simul atque conspexit, manibus atque pedibus in scamnum, quod ad parietem domus positum erat, assiliit. Tum maxima cum concussione se erexit, et panem ambabus manibus comprehensum naribus admouit, et cum postea a scamno in pauimentum saltu se recepisset, vocem aeque toruam, atque antea edidit. Porro eum nondum loqui posse dicebant, quod tamen fore, vt mox disceret,

sceret, se sperare affirmabant, quoniam auditu valeret. Cicatrices quasdam in vultu gerebat, quae ab vrsorum vngulis ipsi inflictae credebantur.

Haec sunt, quorum ex iis, quae ante tempus tam longinquum vidi, adhuc recordor. De cuius narrationis veritate nemo habet, qui dubitet, cum exempla quaedam similia in historiis reperiantur. Immo in Polonia quoque et Lithuania haec fieri posse, iis, quae adiungam, verisimile redditur. Tartaros regnum Poloniae saepissime inuadere constat. Id quod incredibili celeritate faciunt, vt breui temporis spatio permagnam terrae partem quasi inundent, cum equi ipsorum, quamuis cibum non capiant, per totam diem sine cessatione currere possint. Qui Tartari vbi ad locum quo volebant, peruenerunt, statim circulum formant, et omnes illi circulo inclusos, tanquam magno reti, capiunt, et in seruitutem secum abducunt. In quod periculum si mares aut foeminae inciderint, et illud effugere laborant, liberorum saluti prospicere illis saepe non vacat. Eum itaque, quem dixi, puerum in eiusmodi discrimine a parentibus neglectum, et deinde ab vrsis, quorum tam in Polonia, quam in Lithuania, magnus est numerus, repertum et enutritum esse, vero admodum consentaneum est. Cuius rei narrationem vberiorem Tibi me impertiri non posse doleo; haec tamen, vti spero, sufficiens erit ad meam beneuolentiam in Te declarandam et amicitiam nostram confirmandam atque stabiliendam. Vale.

Ad hanc rem magis confirmandam, multum conferet testimonium scriptoris fide dignissimi, M. Christophori Hartknochii, Passenhemio, Prussiae Ducalis vrbe, oriundi, qui de regni Polonici statu duos libros conscripsit. Hic narrat rem sequentem, quae anno Christi millesimo sexcentesimo vndeseptuagesimo sub Regis Iohannis Casimiri imperio euenit, posteris autem vix credibilis videbitur. Hoc tempore, inquit, a cohorte quadam militum duo pueri in silua prope Grodnam inter vrsos fuisse reperti. Quorum vnus, simulac vrsos maximo cum impetu inuadi cerneret, in vicina palude se protinus occultauit. Alter, cum quoque fugam moliretur, a militibus exceptus et vsque Sauiam deductus est, vbi baptizatus nomen Iosephi accepit. Duodecim fere aut tredecim annos natus videbatur, vti ex eius statura colligi poterat. Gestus eius et actiones vt brutorum erant; siquidem non modo carne cruda, vero baptizatus erat, rectum illum incedere, quamuis maximo cum labore, docebant. Linguam vero Polonicam vt aliquando caperet, nullo modo fieri posse videbatur. Nam si quid poscoret, voce terribili, qua vrsi vtuntur, id significauit. Aliquamdiu post Rex Casimirus Cancellario Vicario prouinciae Posnanienſis, Petro Adamo Opalinscio eum donauit, qui Opalinscius pro Seruo ipsum habuit, vt ligna et aquam in culinam afferret, aliisque muneribus seruilibus fungeretur. Indolem suam feram illam et inhumanam nunquam exuit, sed ad mortem vsque retinuit. Saepius siluas petiit, et vrsis se associauit, minime timens, se ab illis violatum iri, vtpote qui ipsum alumnum suum adhuc agnoscere videbantur.

Huic exemplo alia quaedam adiicere possem, quae in Polonia audiui. Quid? quod ipsum Gibsonium, Parlementi nostri assessorem, nonnulla huiusmodi exempla in hoc regno quondam vidisse, certior factus sum. Verum ex iis, quae protuli, iam satis apparebit, narrationem de Romulo et Remo non tam fabulosam esse, quam vulgo existimatur, et sicut ipse, an-

tequam in Poloniam veneram, putaui. Cum enim animalia bruta, quibus Philosophi et Theologi animam ratione praeditam tribuendam esse negant, prolem suam non nisi ex instinctu naturali curent et alant, quod hic explicare non necessarium esse iudico: infantes quoque et alius generis animalia ab iis lactari et enutriri posse, non incredibile mihi videtur, praesertim cum eius rei tam multa exempla, quae negari non possunt, experti simus. Sed disceptationibus istis philosophicis non diutius immorabor, neque hoc loco inquiram, num his exemplis sententia de sic dictis innatis ideis refutari aut confirmari possit, vt in Medicina Mystica feci; sed finem literis meis impono, et permaneo Tuus

PRINCEPS CLEMENTISSIME

seruus obedientissimus

B. C.

STATVS

STATVS PRAESENTIS

REGNI POLONICI
ET
MAGNI DVCATVS LITHVANICI
ALTERA PARS.

EPISTOLA PRIMA
AD
VIRVM EXCELLENTISSIMVM ET SVMME REVERENDVM
ARCHIEPISCOPVM CANTERBVRIENSEM.
DE
IMPERII FORMA REGNI POLONICI, DE REGIS POTESTATE, NEC NON DE EIVS MINISTRIS AVLICIS ET REDITIBVS.

Tam summi honores, quibus Rex merita Tua, Vir Excellentissime et maxime Reuerende, remunerauit, quam grauissima reipublicae administrandae negotia, quae Rex absens Tibi committere non dubitauit, Te non minus reipublicae, quam ecclesiae gubernandae peritissimum esse, satis declarant. Cum Tibi itaque, Vix Excellentissime, ante tempus aliquod pars regiae auctoritatis concessa, et potestatis Regis nostri cum emolumentis eius accuratius, cognoscendae occasio facta sit, de Regis Polonorum potestate eiusque commodis narrationem quandam Tibi tradere, meum esse puto, non alium in finem, nisi vt, vtroque regno inter se comparato, formae imperii, quae apud nos obtinet, Praestantiam eo luculentius perspicias, ex qua imperii forma regia maiestas et auctoritas cum ciuium salute arctissime coniuncta est: siquidem, seu singularem prudentiam, qua imperii nostri statuta ordinata sunt, spectes, seu incredibilem seueritatem atque constantiam, qua illa obseruantur, Tecum perpendas, regno Anglicano longe maiorem, quam reipublicae Polonicae et aliis, quae in Europa florent, imperiis omnibus felicitatem tribuendam esse, nullo modo dubitabis.

Quamuis igitur in aula Regis Poloniae proxime defuncti ne integrum quidem annum commoratus notitiam huius regni perfectam et omnibus numeris absolutam minime iactare possim: in Polonia tamen haud secus atque in aliis plerisque imperiis, reipublicae administrandae formam quod attinet, varias identidem, praecipue vero a medio saeculo sexto inde, quo tempore natio illa ab aliis separari coepit, obortas esse mutationes deprehendi, quamdiu nempe duae illae familiae celeberrimae, Piastidarum et Iagellonidarum, dignitatem regiam gesserint.

Ex quo tempore hoc regnum Lechus fundauit, Reges haud secus, ac si imperii possessio a parentibus ad liberos haereditatis iure descenderet, creati sunt. Imperium habuerunt absolutum atque perfectum, et voluntas eorum pro lege fuit. Bella enim gesserunt, et pacem fecerunt, quando ipsis placeret; tantum copiarum, quantum ipsis videretur, et necesse esset, aluerunt, poenis affecerunt,

quos vellent, veniam dederunt, quibus vellent, praemiis donarunt, quos vellent, et, vt breuibus rem complectar, omnia et publica et priuata ita ex suo arbitrio gerere consueuerunt, vt Sigismundum secundum, vltimum regem de stirpe Iagellonica, in imperio administrando tam libere egisse, quam nostra aetate Regibus Franciae atque Daniae vix agere liceret, Polonos ipsos dicentes audiuerim.

Reges itaque Poloniae quamdiu potestatem tam liberam et absolutam obtinerent, fines imperii sui admodum dilatarunt; ab extraneis formidati, a domesticis amati sunt; exercitus numerosissimos et validissimos in aciem producere potuerunt, et consilia eorum pleraque non minore felicitate, quam celeritate expedita sunt. Quae omnia iis tam prospere cesserunt, quoniam tunc temporis diuinis ordinum deliberationibus et molestis comitiorum turbulentorum decretis, vt nunc fieri solet, obsequi necesse non habebant. Cum vero mortuo Sigismundo secundo Iagellonidarum stirps exspiraret, a quo Rege Senatui cum nobilitate Polonica plena legum potestatem, cui vellet, et quem optime imperio praefuturum speraret, post suum obitum conferendi libertas concessa erat, Polonicorum Regum successionem per electionem, non per haereditatem, fieri debere, denuo constitutum est, ita vt omnibus principibus Christianis, dummodo virtutibus necessariis ornati essent, hoc regnum ambiendi copia daretur.

Id quod ab illo tempore plerisque Europae principibus, gentem Polonicam post Regum eius mortem maximis, quos excogitare poterant, honoribus afficiendi ansam dedit, vt vel ipsi, vel saltem vnus ex ipsorum propinquis ad tantam dignitatem eueheretur; qua in re plerique sua magis commoda, quam emolumenta et laudes eius, quem eligi suaderent, respexerunt; quod a familiis, Austriaca et Bourbonensi, semper tentatum est.

Cum vero nobilitas Polonica Regibus defunctis regnum illud a tanta principum multitudine appeti animaduerteret, et praeterea, nemini eorum plus iuris esse, quam alteri, in imperio sibi vindicando, secum perpenderet, siquidem prorsus penes nobiles erat, cui regni administrationem committere vellent, vnanimi omnium consensu neminem creandum decreuerunt, nisi qui certas sibi praescriptas leges atque conditiones se seruaturum non modo promitteret, verum etiam iureiurando confirmaret.

Hac igitur ratione Poloni pristinam regum suorum potentiam paulatim diminutam iis finibus incluserunt, quibus adhuc, praesertim per comitia, circumscripta est. Id quod facillimo negotio perficere poterant, cum nullum principem tam inconsiderate acturum probe scirent, vt conditiones quasdam, quae regni tam potentis, cuius postulandi ius neque generosa stirps, neque vllae aliae causae ei concedant, possessionem ipsi conciliare possint, accipere dubitet; praesertim cum hae conditiones neque durae, neque contumeliosae appellandae essent, sed potius ita se haberent, vt cum Regis persona optime constare possent.

Nobilitas itaque Polonica pristinam Monarchiam abolerit, et in eius locum perfectam rempublicam, tribus ordinibus, Rege videlicet, Senatu et sic dicta Nobilitate constantem, substituit.

Sed antequam vlterius pergo, necesse est, vt Tibi, Vir Excellentissime, sub Polonica gente duo hominum genera comprehendi, exponam, nobiles scilicet, seu ingenuos, qui vix decimam regni partem conficiunt, et clientes, qui non nisi nobilium mancipia sunt; quandoquidem leges ne minimam quidem praerogatiuam iis concedunt, ipsique tam parum, quam Aethiopes in India occidentali, praedia redimere, aut peculia possidere possunt. Quod malum sibi ipsi contraxerunt: nam ante longum tempus plebs aduersus nobiles, sub quorum potestate erat, seditionem grauissimam excitauit, eosque e terra eiecit; verum nobiles viribus extraneis instructi redierunt, hominesque seditiosos in multo duriorem redegerunt seruitutem, quod iugum ab eo inde tempore detrectare illi nullo modo valuerunt. Polonici igitur imperii administratio non nisi penes regem est atque nobilitatem. Polonicus autem nobilis is dicitur, qui aut ipse, aut eius familia

familia agri portionem quandam et peculium possidet, vbi, a nobilibus et hominibus plebeiis matrimonia mutua contrahi haudquaquam solere, est notandum. Omnes autem nobiles a filiis inde regiis vsque ad eos, qui praedium vix vnum tenent, et stirpis generositate et imperii statutis pares sunt; siquidem nullus eorum Palatini, Senatoris aut Dynastae nomen natiuitatis beneficio accipit, sed illi honores muneribus certis nunquam non coniuncti sunt, quos honores Rex iis tantummodo decernere consueuit, qui ad maturam iam peruenerunt aetatem, et meritis gratiam eius sibi conciliarunt.

Comitia Polonorum cum Parlamento nostro, vt vocatur, quodammodo conueniunt. Ordinum enim conuentus in duobus conclauibus separatis celebrantur, quorum vnum *conclaue Senatorum* dictum cum domo superiore nostra, quam vocant, non immerito comparatur, et alterum *Legatorum prouincialium conclaue* appellatum domui nostrae inferiori non absimile est. Senatoribus annumerantur Episcopi, Palatini, Castellani et decem Supremi totius Regni Officiarii, qui omnes centum quadraginta duorum circiter virorum numerum conficiunt. In domo superiori seu Senatorum conclaui Senatores neutiquam literis publicis designatoriis, quae vocantur, vt in Anglia mos est, sed non nisi honorum a Rege in se collatorum, quos per totam vitam obtinent, beneficio locum nanciscuntur; vt prorsus penes Regem sit, quibus sedem in Senatorum conclaui concedere velit. In altero conclaui nobilium Legati sedent. Hi Legati in prouinciis singulis a nobilibus solis deliguntur, sine plebis suffragio, cuius in hoc delectu nulla prorsus ratio habetur; ex quo apparet, a decem partibus Polonicae gentis nouem saltem ne minimam quidem cum imperio communionem habere.

Sub Comitiorum vniuersalium Polonicorum nomine nihil, nisi Regis, Senatorum et Legatorum nobilitatis conuentus intelligitur, qui conuentus in loco quodam regni a Rege indicto instituitur. Sine celeberrima illa ordinum congregatione legem neque sancire, neque abrogare, neque bellum indicere, neque pacem componere, neque cum exteris principibus societatem inire, neque copias parare, neque tributa imperare, neque nummos cudere, neque, vt breui dicam, quicquam quod alicuius momenti est, in negotiis publicis sine horum Comitiorum, quorum assessores *ordines Poloniae liberos* appellitant, vnanimi consensu atque suffragio statuere, Regi licitum est.

Variae sunt causae grauissimae, quae Polonos temperatam eiusmodi imperii formam in prouinciis suis constituere mouerent, in qua omnium, quibus Monarchiae, Aristocratiae et Democratiae diuersae in orbe terrarum essent ornatae, laudum atque virtutum perfectam mixturam comprehendi existimarent. Quarum causarum, quantum partim ex huius regni historiis, partim ex virorum prudentia in hac gente excellentium narrationibus intellexi, hae sunt grauissimae:

Primum eo caueri arbitrantur, ne perturbationes eae, quae in imperiis, vbi rex omnia ex sua libidine gerit, oriri solent, in suo quoque regno succrescerent et inualescerent; idem cum Aristotele, Philosophorum principe, sentientes, qui, quamuis Monarchiam omnibus aliis imperiis praeferat, eandem tamen, si quis ea abutatur, omnium fore nocentissimam fateri non dubitat.

Id quod considerantes Poloni imperio Monarchico cum ex reliquis duabus imperii formis aliquid immiscuerint, nimiam regum suorum potentiam non parum temperarunt, quo ornamentum suum carissimum et pretiosissimum, libertatem putà, optime conseruatum, et ab arbitraria principis dominatione defensum iri existimant, qui, si nullis legibus se adstrictum putaret, omnia ea, ad quae a turbulentis animi commotionibus raperetur, iusta et aequa habiturus, imo veram suam salutem felicitatemque in eo sitam esse facile sibi persuasurus esset, quod homines suae potestati subiectos seruilem in modum tractaret atque vexaret. Cuiusmodi imperii deuitandi quam iustas et idoneas causas habeant, lamentabile populorum vicinorum, Turcarum videlicet et Moscouitarum, exemplum satis declarat; quapropter a gente Polonica perfectae antea et absolutae Regum suorum po-

tentiae fines certos esse constitutos, minime est, cur mireris, siquidem hi reges maiore modestia et aequitate clauum imperii sibi creditum tenere illis coguntur.

Deinde Aristocraticum quoque imperium non parum incommodi afferre solere, tam ex suo, quam vicinorum exemplo Poloni didicerunt. Quid? quod absolutae vnius viri potestati se subiectos esse, quam multorum imperio parere multo satius duxerunt; cum multorum illorum arrogantia et inuidia salutem et tranquillitatem publicam haud raro miserrime perturbet. Inprimis flebilis illa conditio Polonis ante oculos versabatur, quam Palatinorum imperio parentes perpessi erant, quorum dissensiones continuae conspirationibus pernicioſissimis ansam dederant, vt saepissime eodem tempore, quo ab hostibus extraneis laetissimas reportarant victorias, factiones intestinae, domesticis viribus suffultae, interitum ipsis minitarentur. Id quod Aristocratiam quoque Polonis non parum infensam reddidit, ita vt eam in prouinciis suis iterum obtinere se nunquam passuros esse firmiter decernerent.

Tertia causa ciuilis, qua Poloni impulsi Democratiam quoque constantissime reiecerint, haec est, quod omnium imperii formarum illam esse periculoſissimam, facillime degenerantem, veraeque nobilitati maxime aduersariam animaduerterent. Populo enim principatum tenente, prima regula haec esse solet, quod omnes omnino ciues potestate et auctoritate pares sint, quo fit, vt sub nomine communis libertatis omnes ii, quibus totius nationis gubernandae et defendendae neque prudentia, neque facultas deest, omnibus, quae excogitari possunt, modis opprimantur et affligantur. Qua ratione autem fieri potuisset, vt posteri virorum illorum praeclariſſimorum et fortiſſimorum, quos gens Polonica maximo honore auxit, et qui famam suam rebus fortiter gestis per tam longum tempus stabiliuerunt, qua ratione, inquam, fieri potuisset, vt tales viri animum suum ita deprimi et humiliari passi essent, vt cum hominibus infimae plebis ipsi confunderentur.

Sic et facile intelligitur, libidinem nobilium Polonicorum in ciues dominandi, quam semper affectarunt, nimis fractam debilitatamque fuisse, si in republica absoluta tyrannicis legibus parere necesse habuissent. Eadem fuit causa, cur Graecas respublicas nunquam non clanculum detestati sint, quae viros clariſſimos rerumque ciuilium peritiſſimos nulla alia de causa, nisi quod eos populi beneuolentiam insigniorem sibi conciliare aegre ferrent, exsilio multare consueuerant.

Si quis autem incommoda ea grauiſſima, ex eiusmodi imperii forma, vbi populi arbitrium plurimum valet, seu potius, vbi non tam ratio, quam violentia, non tam leges, quam effrenatae animorum commotiones principatum tenent, oriri solita, in dubium vocet, is consideret modo, quoties imperium Romanum ob nimiam populi licentiam perniciei proximum fuerit, quam perniciem, nisi Senatus praesentiſſima medicina adhibita ei statim occurriſſet, euitare non potuisset. Quanquam exempla tam vetusta in medium proferre non opus est, cum ea, quae non multum ante tempus accidit, Cosacorum seditio, et nuperrimus Bohemorum tumultus idem satis confirment. Quid? quod vel nostra gens Regis istius infelicis, Caroli primi, temporibus grauiſſimum huius rei argumentum reliquit, cum indomitae plebis furor eo vsque procederet, vt manus nefarias sacrato sui Regis sanguine polluere non dubitaret.

Omnes rerum ciuilium periti in eo consentiunt, quod plebem ferae belluae comparent, quae sine maximo periculo manumitti non possit, qua comparatione quam luculentiſſime significarunt, quam periculosum sit, sub plebis potestate versari.

Anarchiam quod attinet, seu eam imperii formam, vbi quisque sui iuris est, et omnia pro lubitu facit, illam vno die maiorem pestem reipublicae, quam tyrannum per totum imperii sui tempus inferre posse, nemo est, quin facillime perspiciat. Tyrannus enim quamuis seuerus sit et crudelis, saeuitiam tamen sub iustitiae praetextu exercet; plebs autem si furere incipit, omnia commiscentur et frenis solutis in exitium ruunt, cui furori reprimendo et sedando nullum remedium supereſt.

Rebus ita se habentibus, Polonica natio neque Monarchia, neque Aristocratia, neque Democratia vti, sed eam imperii formam optare vtile duxit, quae ex tribus illis omnibus aliquid haberet, et inter illas media quasi via incederet. Quo imperio libertatem publicam optime conseruari et reipublicae suae felicitatem perfecte constabiliri Poloni autumant; quandoquidem, sicuti humani corporis vires et valetudo prospera ex variorum, quibus constat, humorum iusta et aequa temperie oriantur, ita quoque corporis politici seu ciuilis salutem et incolumitatem non nisi a iusta harum trium imperii formarum mixtura proficisci, arbitrari videntur. Imo, quemadmodum corpus humanum diuersis praecipue iisque contrariis viribus in suo vigore conseruetur, ita quoque Regem, Senatum et Nobilitatem Polonicam, res diuersas et commoda diuersa quodammodo spectantes, non modo se inuicem impedire, quo minus aliquis res nouas et reipublicae perniciosas moliatur, verum etiam generosa aemulatione incitatos, salutem publicam summo studio curare, existimant.

Polonia vero in duas respublicas, in regnum Poloniae nimirum, et Magnum Ducatum Lithuaniae distribuitur. Quae tamen, cum eundem Regem, eosdem ordinum conuentus publicos, easdem leges, eadem priuilegia, et eadem sacra habeant, et proinde iisdem commodis fruantur, vna tantum republica contineri videntur. Quapropter etiam tam arcte coniunctae sunt, vt sine communi vtriusque consensu neque Rex creari, neque leges sanciri, neque vlla res ciuilis tractari possit. Cuius reipublicae cum Rex caput sit, et primum locum teneat, vberiorem Tibi, Vir Excellentiſſime, de eius, qua nunc vtitur, potentia, et commodis, quibus fruitur, narrationem tradam.

Poloni spiritu sunt elatiore, quam vt cum viris quibusdam, rerum ciuilium peritis Regis magnitudinem et reipublicae prosperitatem ex infinita principis potentia metiantur. Quapropter pestifera illa tyrannorum effata, si libet, licet; oderint, dum metuant, et alia huius generis, apud illum populum, qui prudentia et fortitudine libertatem tamdiu obtinuit, minime probari videntur. Africanis autem et Asiaticis nationibus, nec non Moscouiticis atque Turcis, qui bestiarum fere, ratione carentium, more se regi patiuntur, et in principum iussis vel iniquiſſimis et absurdiſſimis quibusque acquiescunt, eiusmodi seruitutem satis bene conuenire facillime concedo.

Reges Poloniae quid attinet, eadem, qua in palatiis suis fruuntur, securitate in medio armorum strepitu gaudere possunt, neque habent, quod vel a domesticis, vel ab extraneis hostibus vllum periculum metuant, cum amor ciuium erga Reges suos efficiat, vt maxima cum cura atque diligentia ab illis obseruentur et custodiantur; id enim ad Regum Polonicorum felicitatem plurimum confert, quod iidem, quibus libertas illorum voluntati resistendi non desit, vltro et sua sponte obedientiam illis praestent. Hoc loco nobilis cuiusdam viri, Polignaci, Legati Francici dictum mihi subit, quod Varsauiae saepius ex eo audiui: *Se Regem Poloniae, si vitam et conditionem eius spectaret, multo feliciorem aestimare, quam Regem Franciae.* Illa tamen Regis Poloniae auctoritas imperii statutis ita temperata est, vt nobiles maiorem, quam eum mereri existiment, reuerentiam ipsi non debeant; illi enim quamuis admodum reuerenter ipsum colant, eam tamen, cui fines certos ipsi constituerunt, potentiam interdum plane in dubium vocare, idque, quod in rege creando ipsi promiserunt, officium ei recusare videntur.

Discrimen iuris, quod Regi competit, ab eo, quod Senatus et nobilium Legati sibi vindicant, nobilitati Polonicae plane ignotum est. Sicuti enim ex his tribus ordinibus tota ipsorum respublica constat, ita quoque, idem esse, num Regi, an Senatui, an Nobilium Legatis boni aliquid, maliue accidat, et proinde in illis remunerandis et in his puniendis perfectam adhibendam esse aequabilitatem statuunt.

Sed eadem Regis Polonici limitibus tam angustis concluſa auctoritas et modica vltro aliquid agendi libertas effecit, vt hoc regnum vicinorum incurſionibus et ſuorum incolarum furori et quaſi direptioni omni tempore patuerit. Id quod bella inteſtina cum Coſacis geſta, vti etiam Confoederatorum ſic dictorum factiones ſatis confirmant, quorum vires haudquaquam tantopere creuiſſent, ſi Regi idonea huius ſeditionis ſtatim opprimendae non defuiſſet facultas. Neque Supremus exercituum regni Polonici Praefectus Lubomirſcius, nunquam eo proceſſiſſet audaciae, vt Regi Caſimiro palam reſiſtere, et contra aulam eius tam multiplices factiones congregare non dubitaret, niſi impune ſe abiturum certo confiſus fuiſſet. Quam ob cauſam Regem Poloniae Regem Regum et Dominum Dominorum non incommode dixeris, ſiquidem eius imperio parentes non multo deteriores poteſtate, quam ipſe, eſſe cupiant.

Interea tamen ſingularis Polonorum erga Reges ſuos amores varia exſtant argumenta. In quibus hoc maxime memorabile et clarum eſt huius amoris exemplum, cum Sigismundo tertio ius regni Sueciae poſſidendi tam ſeuere adiudicarent, vt bella aliquot cruenta ideo mouere non dubitarent, item cum Vladislaum ſeptimum in Moſcouia appetenda maxima cum conſtantia adiuuarent, vt multa alia eaque vetuſtiora exempla praeteream. Eadem reuerentia, quam Poloni Regi ſuo praeſtant, ſaepius cauſa eſt, vt omnem rem familiarem in aula verſantes conſumant, exiſtimantes, prodigalitate ſua et magnificentia principis ſplendorem augeri. Id quod ex errore, qui in Georgii, Regis Bohemorum, et Caſimiri Magni, Regis Polonorum, conuentu quondam commiſſus eſt, quodammodo colligi poteſt. Cum enim hi Reges Glogauiae maioris (quam vrbem prior terminum Sileſiae conſtitui volebat) coram colloqui futuri eſſent, factum eſt, vt Bohemorum Rex virum nobilem inferioris conditionis quidem, ſed ſplendidis veſtibus ſuperbientem, Regem Polonorum eſſe ſuſpicaretur, et eius loco ſalutaret.

In Regibus ſuis venerandis eo vsque procedere ſolent, vt omnia, quae poſſideant, et quantum in ipſorum viribus poſitum eſt, ad eorum ſalutem vltro negligant; quid? quod ipſam vitam et omnem ſuam felicitatem ſummis periculis pro illis exponere non dubitant, cuius praemium non aliud deſiderant, niſi laudem eam, quod Regi gratum officium praeſtare apti fuerint. Regem itaque Poloniae, fortem quidem illum et prudentem, iuſtum et frugalem, liberalem et religioſum, legum et ſtatutorum regni obſeruantem, et, vt verbo dicam, nihil aliud ſpectantem, niſi vt reipublicae ciuiumque ſaluti conſulat, eum Regem, inquam, tantum amorem, tantam reuerentiam, tantamque ſuorum obedientiam et bellicis et pacatis temporibus ſibi conciliare non immerito dixeris, vt eorum auxilio fretus omnibus hoſtibus tam terribilis ſit, quam vllus Europae princeps.

Bellum igitur quod attinet, nullus Monarcha habet, cur maioribus commodis glorietur, quam Rex Poloniae; quippe cui non opus eſt, vt de conſcribendis et ſuſtentandis exercitibus ſit ſollicitus, quibus curis omnibus comitia a Rege indicta ſatis medentur. Bellum decretum Rex vel ipſe coram, vel per duces ſuos perſequi, copias pro lubitu diſponere, et iubere poteſt, vt iis ex aerario publico ſtipendia debita, vt par eſt, perſoluantur. In expeditionibus a ſe ſuſceptis habet, quod ſucceſſum ſperet exoptatiſſimum: bellum enim cum non ipſe per ſe decreuerit, neceſſe eſt, vt ii, qui illud ſuaſerunt, et ſine quorum conſenſu ne minima quidem res eo pertinens inſtitui gerique poteſt, illi, quantum in ipſorum viribus ſit, conſiliis ſalutaribus impertiendis et rebus fortiter gerendis, opem ferant mutuam.

Rex ipſe ſi exercitui coram adeſt, ſummum in eum exercet imperium. Proelia committit, cum ipſi libet, et obſidionibus ſe accingit, cum ipſi vtile videtur. Omnes nobiles primo fere nutu equis et armis inſtructi apparent, et eum in aciem ſequuntur. Domi omnium munerum ſacrorum pro arbitrio diſtribuendorum liberam habet poteſtatem, et in omnibus prouinciis, quantum ditio eius patet, honores omnes, et ciuiles et militares, quibus vult, tradere ipſi licet, vt

multa

multa munera regalia ſilentio praetermittam, quae vna cum dignitatibus ciuilibus de ſe bene meritis confert. Honores tam ſplendidos et magnificos diſpertire poteſt, quam vllus Europae Princeps, et pro arbitrio ſuo, quemcunque vult, dignitatibus auget ampliſſimis. Summo Cardinalium honore, haud ſecus, atque alii Reges, Catholicae religioni addicti, quos dignos putet, ſignificare, et eorum electionem ſuadere valet. In rebus ſuis priuatis legatos pro lubitu admittere et dimittere poteſt, in rebus autem, ad rempublicam pertinentibus, Senatus ab hoc negotio excludi non licet. Comitiorum vniuerſalium ex arbitrio indicendorum, prorogandorum aut plane diſſoluendorum poteſtate Rex pollet. Et, vt breui dicam, *legum ſuarum atque priuilegiorum defenſorem, honorum omnium diſtributorem, reipublicae ſuae caput, et ſupremum exercituum ſuorum imperatorem Poloni eum vocant.*

Iidem Poloni nunquam non nudato capite coram Rege apparere ſolent, et Senatores primarii ipſi menſae aſſidenti praeſto adeſſe, et poculum non niſi a ſe praeguſtatum praebere conſueuerunt. Eius imperio parentes, ipſo praeſente, non niſi in comitiis ſedent, neque caput obtegunt, quanquam haec libertas in comitiis obtecto capite ſedendi non niſi Senatoribus conueniat, cum nobilium legati mitras manibus tenentes retro ſtare debeant. Rex nuperrime defunctus, Iohannes Sobieſcius, in propatulo prandere quotidie ſolebat; quod ſi in domeſtico ipſius palatio fieret, neminem vnquam, praeter Reginam, liberos regios, extraneosque miniſtros ei in menſa aſſidentem vidi. In venatione autem vel in itinere cum verſaretur, multi nobiles viri inferioris dignitatis, quos ipſe noram, hoc honore digni ſunt habiti. Ipſi adeo eius miniſtri, quorum opera tunc temporis vtebatur, menſae regiae participes facti ſunt. Id quod ille Rex maxime neceſſarium eſſe exiſtimauit, verens, ne omnes nobiles, ſi vni eorum illam gratiam negaret, indignaturi ſint.

Illum timorem vanum atque irritum non fuiſſe, ex Imperatoris Sigismundi, Luxenburgenſi familia oriundi, exemplo ſatis apparet, qui eandem ob cauſam, quod Polonicos nobiles conuiuio adhibere recuſaret, a Polonico regno adminiſtrando, quod ſocer eius, Ludouicus, Rex Hungariae atque Poloniae, ipſi dudum deſtinauerat, omnino excluſus eſt.

Poloni Regem ſuum compellantes, Moſci Krullo, ſeu Milociwy Krullo ipſum vocant, quod Latine vertas *Regem Magnum* ſeu *Clementiſſimum*. Ea vero, qua legati extranei ipſum ornare ſolent, et quae tam in actis imperii publicis, quam in aliis vel ab ipſo vel ipſius nomine conſcriptis literis vſurpatur, appellatio haec eſt: *Fridericus Auguſtus ſecundus, Rex Poloniae, Magnus Dux Lithuaniae, Dux Ruſſiae, Pruſſiae, Maſouiae, Samogitiae, Kiouiae, Volhyniae, Podoliae, Podlachiae, Liuoniae, Smolenſci, Seueriae et Czernichouiae.* Omnis moneta, et aurea, et argentea et cuprea ipſius imagine et nomine inſignitur. Omnia iudicia ſub ipſius nomine exercentur, et in templis pro Rege et familia regia continuae preces publice fiunt.

Cum coronatur, ordines in comitiis congregati ſexcenties quinquagies mille circiter Imperialium ſummam ad reditus annuos concedere ipſi ſolent; e quibus, vti ex bonis, quae a parentibus per haereditatem accepit, ſplendidiſſime viuere poteſt. Polonicos, Germanicos, et Hungaricos ſatellites corporis ſui cuſtodes habet, et haud ſecus, atque alii reges, miniſtris vtitur. Quamdiu Regis defuncti vidua ſuperſtes eſt, Regina imperans mariti ſui impenſis illam et eius domeſticos alere debet. Simulac vero Regina vidua fato fungitur, aut alii principi nubit, aut etiam poſt Regis obitum, Reginae ſuperſtiti reditus quidam deſtinantur, ſicut infra vberius narrabimus.

Illis igitur reditibus, quos vti diximus, ordines concedere ſolent, Rex Poloniae in ſuis prouinciis, vbi omnia pretio viliſſimo conſtant, tam lautam et magnificam vitam degere poteſt, quam noſtri Reges Anglicani prouentibus multo ſplendidioribus. Verum praeter eam, quam diximus, pecuniae ſummam Rex Poloniae multo amplioribus ex patrimonio ſuo reditibus fruitur: nunquam enim

Poloni Principi, cuius opes sunt modicae, imperii sui administrationem committere solent, verentes, ne ipso mortuo, liberi eius reipublicae oneri sint futuri. Deinde ex iis muneribus, quorum curam gerit, vt viris idoneis ea distribuat, pergrandes pecuniae ad ipsum redeunt; siquidem Rex superior illa munera vendere minime dubitaret, quanquam illud imperii statutis e diametro repugnet. E qua Regis licentia ne sacra quidem munera, quae singularis erant momenti, sunt exemta, quanquam mirificis artibus et dolis in iis vteretur, ne res nimis clara et manifesta fieret. Exempli loco tantum commemorabo, quid annis aliquot ante in Episcopo Cracouiensi creando euenerit, cuius annui prouentus in quadraginta fere Imperialium millia excurrunt (quibus tam splendide viuere potest, quam in Anglia vix centum Imperialium millibus.) Hunc igitur Episcopatum, superiore Episcopo vita defuncto plurimi per longum tempus appetebant, quorum vnusquisque amicorum suorum, quibus in aula regia vtebatur, fide ac beneuolentia se adiutum iri sperabat. Plerique ad Reginam confugiebant, (quanquam hae res nullo modo ad eam pertineant) cuius deprecatione amplissimam illam dignitatem consequi studebant. Tandem tempore satis longo interiecto, Regina Abbatem Malakowscium arcessiuit, eique dixit, a plurimis quidem hunc Episcopatum appeti, ipsum autem omnibus illis antelatum iri, se quinquaginta millibus Coronatorum cum ipso esse certaturam. Abbas hac sponsione se nullum detrimentum accepturum cum cerneret, firmiter persuasus fore, vt ipse vel Episcopalem dignitatem nanciscereturr, vel quinquaginta Coronatorum millia lucraretur, hanc pecuniam sine dubitatione Reginae pignus opposuit, pro qua sine mora Episcopatum adeptus est, quamuis pretio satis grandi ipsi constaret.

Regis superioris, si pecunias, quas ex suo patrimonio collegit, cum prouentibus a regno ipsi concessis, aliisque donis extraordinariis conferas, reditus ad millena millia cum quingentis millibus Imperialium excurrisse, rationibus colligendis compertum est. Quorum non nisi tertiam circiter partem expendit, siquidem neque militibus singulis, neque exercitibus totis stipendia soluere, neque eos sustentare, sed solos sui corporis custodes suosque domesticos curare necesse habuit. Quo factum est, vt omnem fere totius regni pecuniam in suam rem familiarem conuerteret, adeo vt ditissimis Europae Principibus ipsum non immerito annumerares. Nihilominus tamen ipso defuncto portionem horum thesaurorum satis amplam recuperandi viae atque consilia Polonis non deerant, quippe quorum suffragia, alii Regis electione instante, redimere filii illius relicti summopere contendebant.

Reditus regni Polonici portoriis, quae negotiatorum mercibus imponuntur, et censibus, qui a Iudaeis exiguntur, nec non vectigalibus Dantiscanis, et salis fodinis, quae apud Cracouiam et in aliis regionibus reperiuntur, constant.

Reditus Reginae aut iis, quae consentiente republica ex prouentibus regiis a marito suo accipit, aut annuo a republica ipsi destinato salario constant. Quae a marito accipit, ea ipsi simul pro possessione propria atque perpetua esse debent, quam Poloni eo vocabulo designant, quod Latinorum *Reformationi* fere respondeat. Dynastiarum nimirum quarundam possidendarum spem Rex ipsi facit, quibus post praesentium possessorum mortem sit fruitura. Quod si autem Rex ante hanc promissionem factam moriatur, annuam quandam pecuniam a regni prouentibus desumtam respublica Reginae viduae destinat. Qua vero diutius non vtitur, quam innupta in regno permanet. Nam simulac alterum init coniugium, aut regno decedit, haec pecunia vel Reginae imperanti conceditur, vel ad rempublicam redit. Quo notandum est, huius pecuniae Reginam imperantem participem fieri nullo modo posse, nisi ordinum in comitiis congregatorum consensu ipsi constitutum sit, quem consensum iis extorquere, haud exigui est laboris, cum omnia fere huius conuentus pecuniarum cupidissimi suffragia magno pretio sint redimenda. Id quod Regis proxime defuncti viduae exemplo satis confirmare possum: Cum enim Regis superioris, Michaëlis, relicta coniux secundas cum Lotharingiae Duce iniret nuptias,

nuptias, eaque, quam primum commemorauimus, Regina decretum de salario Reginae superioris sibi concedendo perfectum ad proxime insequentia comitia vt differretur facillime fieri posse intelligeret, necesse sibi esse vidit, quod amplissimam pecuniae summam imperii ordinibus donare ne grauaretur, quo praesentibus comitiis res componeretur; id quod vtique satius erat, quam si per totum triennium (tot enim temporis inter singula comitia intercedit) his prouentibus fuisset exclusa, qui prouentus ad quingenta aureorum nummorum Polonicorum millia, seu centum et quinquaginta circiter Imperialium millia plerumque excurrunt. Quo salario quamdiu Regina vidua fruitur, Reginae imperanti illud postulare haudquaquam licet. Poloni enim, si duas Reginas simul alant, opes suas nimis diminui existimant.

Rex Poloniae quamuis multorum munerum, eorumque splendidissimorum, curam habeat, quae viris idoneis tradat, illius tamen, qua in his distribuendis valet, potestas nimis angustis limitibus est inclusa. Liberorum enim suorum nulli munus aliquod, neque sacrum, neque ciuile committere potest. Neque magis in illis muneribus distribuendis Reginae prospicere ipsi permissum est. Cum igitur Sigismundus tertius duas Dynastias, post Annae Reginae obitum, qui anno millesimo sexcentesimo vigesimo quinto accidit, possessore carentes, coniugi suae, Constantiae, donare constituisset, nobilitas vniuersa maxima cum vehementia restitit, grauissime asseuerans, Polonorum Regi minime licere, sine ordinum consensu munus vllum pro lubitu credere, cui velit. Neque Rex Poloniae in vlla regni sui prouincia praedium aliquid pro suis redimere debet, nisi in comitiis sit comprobatum. Verumtamen Rex superior sub aliorum nominibus amplissima quaedam in Russia et Prussia sita, seu potius ex omnibus regni prouinciis sibi comparauit praedia; et praeterea pro Iacobo, filio suo natu maximo, ab Imperatore Silesiae principatum emit. Haec omnia vero sicuti Polonis occulta manere non poterant; ita illos, cum Varsauiae commorabar, expresse dicentes audiui, haec praedia omnia et singula, Rege defuncto, ad rempublicam necessario esse reditura. Quid? quod nonnulli Reges Polonorum potestatem suam tantopere neglexerunt, vt libertatem, qua in rebus ecclesiasticis administrandis pollerent, sibi paullatim detrahi paterentur, vt nostra aetate nihil, nisi officiorum sacrorum distributio, ipsis sit relictum.

Monasteriorum institutionem quid attinet, haec quoque nostris temporibus fieri nequit, nisi de hac inter Senatum nobilitatemque et Regem conuenerit. Sic quoque in rebus aliis, iisque permultis Regis Polonorum potestas vinculis, vt ita dicam, nimis arctis est constricta. Numerum enim officialium regiorum et auliconum neque augere, neque diminuere potest, neque vlli peregrino, nisi a republica in Polonicae nobilitatis ordinem sit receptus, munus aliquod aut imperium militare committere debet, si dignitates quasdam in exercitu pedestri inferiores exceperis, in quo alienigenae Centurionis, aut ad summum Tribuni militaris locum tradere, Regi concessum est. Id quod ex Regis Stephani Batorii exemplo apparet. Huic Hungari in bello contra Moscouitas operam praestiterant tam praeclaram, vt illorum quosdam remunerationis ergo ad altiores honorum gradus extollere suum putaret esse officium. Verum Poloni illud aegerrime tulerunt, et inprimis Supremus Exercituum regni Polonici Imperator, qui indignatione impulsus munere suo, se statim abdicauit. Rex itaque eos tantum, qui in regno Polonico nati sunt, muneribus augendi habet potestatem; quanquam ne hos quidem omnes sine discrimine: omnes enim ciues, mercatores, opifices, horumque filii, vti etiam omnes agricolae, manuarios labores exercentes et artifices, ex imperii statutis non modo ab omnibus muneribus, quorum distributio penes regem est, sunt excluſi, sed ne possessiones quidem aut praedia sibi redimere illis licet.

Generosi vero seu nobiles, ex regno Poloniae, ex Magno Ducatu Lithuaniae, aut aliis prouinciis regno Polonico insertis oriundi, soli publicorum munerum et honorum consequendorum spem habere possunt. Eandem ob causam Rex

modo dictus, Batorius, cum ipse liberis careret, ab ordinibus imperii, in comitiis, quae decimo tertio Decembris die anni millesimi quingentesimi octogesimi sexti initium ceperant, congregatis rogare instituerat, vt propinquos suos nobilitatis Polonicae ordini adscriberent, quo ipsis postea vnum et alterum commodum pararet; cuius instituti exsecutionem eius mors paulo post insecuta impediuit. Omnes autem illos nobiles seu ingenuos, quorum supra mentionem feci, si ad illos honores peruenire velint, aut in Regno Poloniae, aut in Magno Ducatu Lithuaniae, aut in alia Poloniae inserta prouincia, ad quam munera singula pertinent, fundos aut praedia possidere necesse est. Polonus itaque nobilis, licet in Regno Polonico praedium teneat, praefecturam vrbis alicuius in Lithuania sitae haudquaquam capessere, neque ad alium honoris gradum in illo Magno Ducatu ascendere potest, nisi praedium ibi possideat. Haec autem libertas in vnaquaque prouincia, Regis Poloniae imperio subiecta, praediorum redimendorum omnibus nobilibus in Polonia natis conuenit.

Hoc loco facere non possum, quin consuetudinem quandam, non modo Regis auctoritati, verum etiam totius reipublicae saluti perniciosissimam, paucis verbis perstringam. Quae consuetudo in eo cernitur, quod Polonus nobilis, qui munus publicum aggressus est, eiusque possessione fruitur, quamuis scelus in regnum aut rempublicam admiserit atrocissimum, neutiquam tamen honoribus suis priuari seu loco moueri sine communi omnium in comitiis congregatorum ordinum consensu possit; imo si vel omnes, vno homine excepto, qui ex tanta multitudine solus a scelerati partibus staret, si omnes alii, inquam, eius remotionem approbarent, vnius tamen illius intercessio tantum esset valitura, vt reliquis omnibus inuitis munus delegatum ad finem vsque vitae retinere ipsi liceret. Vnius enim assessoris comitiorum Polonicorum recusatio tantum pollet, quantum Regis nostri Anglicani auctoritas, cum Parlamenti sic dicti decreto refragatur.

Quod institutum pestiferum varias seditiones et exacerbationes excitat; quoniam factiosa et ad res nouas moliendas procliuis plebs reipublicae variis modis perturbandae occasionem inde capit.

Quibus munera publica commissa sunt, ii saluti reipublicae consulere negligunt; ii, quibus publicorum reddituum cura tradita est, ad fraudes et malas artes exercendas eo incitantur; duces militares et praefecti, tam prouinciarum, quam vrbium omnia pro arbitrio gerunt, suis potius, quam reipublicae commodis prospicientes. Vt breui dicam, hoc institutum quamuis Poloni notam suae libertatis iactent luculentissimam, id tamen totius ipsorum reipublicae fundamentum plane euertit, vt, quam malos et pestiferos fructus haec vniuscuiusque praefecti nimia libertas, seu potius licentia edere non modo possit, verum etiam omnino edat, nemo non facile intelligat.

Splendidissimum illud, quod officialibus regiis competit, priuilegium, causa est, cur, antequam ad eiusmodi honores peruenerint, mirificam et solito maiorem Regi praestent reuerentiam; et cum eas, quas capessiuerint, dignitates, ipsis Rex denuo auferre non possit, officiis humanissimis ei exhibendis aditum ad illas sibi parare eo acrius contendunt. Rex itaque cum ad honores amplissimos euehere possit, quoscunque velit nobilium, iidem nobiles, gratiam eius, quantum in ipsorum viribus sit, sibi conciliandam esse, probe intelligunt; eum enim in finem praecipue Regi munerum, quorum possessores vita decesserint, donationem respublica tradidit, vt bello aut pace bene meritos prae aliis extolleret, contumaces autem et seditiosos, atque reipublicae salutem, officio suo neglecto, non curantes, omnibus excluderet honoribus. Cui reuerentiae, Regi a Polonis exhiberi solitae, non parum confert, quod amplissimos honores appetere, illis quasi innatum sit. Quos honores alio modo consequi nequeunt, quam vt ad munus publicum euehantur: sine quo munere Polonorum nobilium pauperrimus ne minimam quidem vel ditissimo concedit praerogatiuam, (nisi meris verborum blanditiis id fiat) cum ex imperii statutis perfecta et omnibus numeris absoluta aequa-

aequalitas inter nobiles sit sancita. Munere aliquo autem qui fungitur, is illius beneficio et ex legum constitutione, alios, eiusmodi munere carentes, dignitate quodammodo excellit.

Regi autem Polonorum cum tot et tantae dignitates, et honorem et diuitias parantes, sint curandae, cum tot praedia sub certis legibus donanda et cum denique tot et tam varia munera sacra ipsi sint distribuenda, de eorum, qui hoc modo a se exaltati sunt, seu ornati, amore et beneuolentia certus et persuasus ipse sit, necesse esse, forte sint, qui existiment. Verum contraria omnia accidunt. Primum enim Poloni omnes omnino animo sunt minus grato, et deinde Regi, alios praeter se illis honoribus augere, minime concessum esse, probe sciunt. Ipsi igitur, si munus aliquod aut dignitas a Rege sibi traditur, aliquid sibi dari autumant, quod iure meritoque sibi debeatur, et quod ex Regis parte non beneficium, sed officium potius sit appellandum.

Regi Polonorum, vrbem aliquam ingressuro, portarum huius vrbis claues sine mora offerre, incolarum est, qui etiam, si ipsi libet, in portis vrbis corporis sui custodes collocare potest. Dantiscum solum singulari ea fruitur potestate, quod portarum suarum claues retineat, et Regis appropinquantis copias, exiguo illarum numero excepto, introitu arceat. Sic in aliis quoque rebus Dantiscum multo pluribus gaudet immunitatibus atque priuilegiis, quam vlla vrbs Poloniae, ita vt haec vrbs non regno Polonico subiecta, sed potius parua respublica esse videatur, quae regni Polonici fidei et tutelae tantum se commiserit; siquidem, omnia perfectae et absolutae potestatis insignia in illa deprehendi, non male dixeris, adeo vt nobiles Polonos ipsos, si quod scelus capitale intra territorium suum perpetrarint, venia ad iudicia superiora prouocandi non concessa, ad vltimum supplicium condemnare illi liceat.

Neque Rex suis impensis, nisi huius rei faciendae potestas ipsi in comitiis facta sit, copias parare potest, ne forte, nimia auctoritate comparata, Senatus nobiliumque libertatem opprimere studeat. Ita Rex Vladislaus Septimus ex coniugis suae, Mariae Ludouicae, dotibus copias quasdam instruere ausus quidem est, Senatus vero tam aegre id tulit, vt illas rursus dimittere paulo post necesse haberet. Neque Regi sine reliquorum imperii ordinum approbatione extra regni sui fines iter, cuiuscunque tandem momenti causa illius sit, instituere licet. Ita Rex Henricus Valesius, cum post fratris obitum profectionem in Franciam pararet, ex regno Polonico clam se subducere necesse habuit. Sigismundus tertius, Iohanne, patre, Sueciae rege, vita defuncto cum ad regnum illud, paterna haereditate sibi relictum occupandum eo proficisci constituisset, mense Maio anni millesimi quingentesimi nonagesimi secundi comitia Varsauiae indicere coactus est. Quid? quod Ludouicus, Rex Hungarorum, anno millesimo trecentesimo septuagesimo etiam Rex Poloniae creatus, regni sui, quod haereditate nactus erat, semel tantum inuisendi potestatem non prius a Senatu obtinuit, quam huius priuilegia multiplicaret.

Regis liberis maximus honos et reuerentia exhibetur, et quamuis vnusquisque nobilis vel inferioris sortis, se ex imperii statutis non deteriore, quam illos, esse conditione, et eandem, atque illis, spem regni Polonici potiundi sibi patere, existimet, illi tamen omnibus locis et temporibus, vt liberi, stirpe regia nati, tractantur. Natu maximus Regis filius Principis Poloniae nomen gerit, reliqui eius filii itidem Principes vocantur, nominibus iis, quae, cum sacro fonte abluebantur, acceperunt, additis, vt Alexander, Princeps Poloniae, et Constantinus, Princeps Poloniae. Filia Regis natu maxima Princeps Poloniae dicitur, et reliquae etiam Principes appellantur, nominibus iis, quae in baptismate nactae sunt, adiectis, vt Maria, Poloniae Princeps. Cum vero Rex, ipsorum pater, ex hac vita decedit, et alius in illis locum sufficitur, (siue ex eadem familia, siue ex alia ortus sit) etiam liberos habens, illi, nominibus Principum Poloniae reiectis, ex gentis suae nominibus, aut ex ditionibus et prouinciis suis appellantur, exempli causa, Princeps Sobiescius, Princeps Czartorienſis. Illos tamen Senatus inprimis perpetuo sulpicit, cuius est, eorum curam gerere, salariis eos sustentare,

et prouidere, vt vitam conditioni et origini ipsorum consentaneam degant, quod adhuc quam diligentissime est obseruatum. Immo Poloni tantum amorem et reuerentiam erga stirpem regiam semper ostenderunt, vt, quamuis ius regni capessendi haereditarium illi concedere constantissime recusarint, semper tamen vnum ex ea, quamdiu aliquis supereset, regem crearent.

Hanc consuetudinem, ex qua dignitas regia in vna eademque familia permansit, et a patre ad filium per ordinem successionis descendit, a tempore principis ipsorum, Piasti, inde vsque ad electionem Regis superioris, Iohannis Sobiescii, id est, ab anno octingentesimo trigesimo vsque ad annum millesimum sexcentesimum septuagesimum quartum, obtinuisse reperio, vt Tu, Vir excellentissime, ex prima huius historicae descriptionis parte pluribus intelliges.

Quid? quod haec consuetudo non modo ad Regum filios, verum etiam ad ipsorum filias et viduas pertinuit, vti annales Polonici copiose declarant. Quantopere Poloni stirpem regiam respexerint, id inprimis ex eligenda Hedwiga conspicitur, cuius propositum de matrimonio ineundo summa cum tolerantia exspectarunt, quamuis interea non parum incommodorum a Duce Masurensi perferrent, qui Casimiro Magno cognatione coniunctus ius regni Polonici possidendi affectaret.

Filii Regis spurii maximo contemtu laborant, et in numerum nobilium inferioris ordinis aegerrime excipiuntur, et nobiles ipsi nimis superbi sunt, quam vt illorum consuetudine vtantur; quandoquidem spurius quidam Regis superioris filius in vectigali salis Thoruniae in Prussia munere quodam fungitur, vnde vix centum et quinquaginta Imperiales quotannis ad ipsum redeunt. In vniuerso autem omnino Poloniae regno male audiunt liberi spurii, quanquam ipsis natura totidem virtutes et tam praeclaras animi dotes, quam ex legitimo matrimonio susceptis, plerumque impertire soleat.

Vna via, quam Rex Poloniae, imperii administrationem in familia sua conseruari optans, ingredi debet, ea est, quod animo sit forti et bellicoso; quod imperii sui fines dilatet; quod suis meritis et Clericorum beneuolentia populi sui amorem et gratiam sibi conciliet; quod liberos suos mature in militiam proficisci iubeat, quo auctoritatem in exercitu fidemque sibi comparent; quod omnes reditus suos munifice in vulgus emanare sinat; et tandem, quod ante obitum grauissimum aes alienum contrahat, neque illud dissoluat, quo Poloni, si quidem debita, ab ipso conflata, solui velint, filiorum ipsius aliquem regem creare necesse habeant. Ante omnia vero ipsi cauendum est, ne Polonicae gentis immunitates labefactare studeat, nec vllo modo Polonicum regnum haereditarium facere conetur. Poloni enim, eiusmodi consilio intellecto, ad periculosissimam, omnibusque illius Regis posteris nocentissimam, seditionem commouendam statim parati sunt; id quod Regis superioris filii maximo cum detrimento satis experti sunt.

Gentis suae perfecte sibi subiiciendae consilium regi Polonorum aeque prospere, ac regi Danorum, succedere posse, nullo modo inducor, vt credam; longe enim alia reipublicae Danicae, atque nunc Polonicae est, tunc erat facies. In Dania enim Rex, Clerici et plebeii homines nobilium potestati erant subiecti, vt Regis partibus accedere et impotentem nobilium dominationem refringere, Clericorum et plebeiorum salus requirebat; qui cum non modo summa cum alacritate hoc opus susciperent, verum etiam nobiles multitudine superarent, institutum suum facillime perfecerunt. Poloniae vero prorsus alia est, conditio, dum Clericorum non minus quam nobilium interest, vt tam Rex, quam plebeii iis, quibus adstricti sunt, frenis retineantur.

Clerici eximiis ornati priuilegiis, et diuitiis locupletati sunt splendidissimis. Episcopi enim plerumque seu Principes sunt, seu Duces, et omnes omnino Senatoribus annumerantur, virosque primarios omnes, Laicos quidem, in comitiis sedis dignitate antecedunt. Illi itaque in plebe, cuius conditio a seruorum conditione parum differt, cum tam singularem auctoritatem, et tam insignem reuerentiam sibi conciliauerint, facillimo illam negotio a rebus nouis, perniciem reipublicae quae spectant, moliendis cohibere possunt. Cum etiam penes Senatores et no-

et nobiles solos adhuc fuerit, cui dignitatem regiam credere constituerent, Regi ab illis electo praecipue opera danda est, vt liberorum suorum causa illorum amicitiam conseruet, neque illorum priuilegia limitibus angustioribus includere temere audeat. Immo si qua occasio tam periculosi instituti exsequendi opportuna forte oblata ipsi fuerit, prudentiae tamen esset, vt eiusmodi molimina reiiceret, quibus sine dubio in plebis odium incideret, eoque non modo exitium sibi acceleraret, verum etiam omnibus propinquis suis spem dignitatis regiae post fatum suum consequendae penitus adimeret. Regi itaque Polonorum, qui imperium regium in sua familia conseruari exoptat, maxime conducit, quod rebus nouis, quantum fieri potest, abstineat.

Interea Poloniae Regem ideo, quod filiorum suorum aliquem, se defuncto, ad honores regios aliquando adscensurum esse, nunquam certo sperare possit, infelicem appellandum esse, persuaderi nullo modo possum. Eandem enim ob causam singulis Regibus necesse est, vt liberos ita educari curent, vt illi quondam parentibus mortuis, non quod regia stirpe nati, sed quod regiis virtutibus ornati sint, digni existimentur, qui populum tam potentem gubernent. Cum igitur parentes et filii regii, aditum ad imperium administrandum vnicuique non nisi rebus praeclare gerendis patefieri posse, probe sciant, aliquid, quod honorum tam insignium consequendorum ansam praebeat, ab illorum quopiam neglectum iri, neutiquam coniiciendum est.

Postquam igitur de ea, quae in Polonia obtinet, imperii forma, vti etiam de Regis rempublicam Polonicam administrantis potestate et de eius reditibus hactenus quaedam dixi, de illius quoque apparatu aulico pauca mihi narranda essent, nisi ille apparatus et externo, quo superbit, splendore atque magnificentia, et ministrorum, quibus vtitur numero atque frequentia, cum eo, qui in aliorum Regum aulis conspicitur, apparatu conueniret. Nam praeter Officiales regni maiores, qui sunt duo Marschalci superiores et duo inferiores, totidem Cancellarii, superiores et totidem inferiores, duo Imperatores militares, cum duobus Thesaurariis superioribus et totidem inferioribus Rex insuper quoque Camerarium supremum, Marschalcum aulicum seu Praefectum aulae supremum, Praefectum stabuli, Secretarios, Vexilliferum, Praefectum Venatorum supremum, Camerarios, iis fere, qui a nostratibus *Lords of the Bed-chambre* appellantur, respondentes, porro Medicos, Capellanos, quos vulgo dicunt, pueros nobiles, Pincernas, Dapiferos, Musicos et corporis custodes habet.

Pueri nobiles, Regi ministrantes, semper equis insidentes ipsum sequuntur. Ad quod ministerium ex nobilissimis regni generibus pueri tenerrimae aetatis deliguntur, e quibus multi ad amplissimos honores et aulicos et ciuiles aliquando euehuntur; quamdiu vero id, quod dixi, ministerium Regi praestant, omnes et singuli Marschalco aulico sunt subiecti. Sunt vero etiam in illis, qui pedites Regem sequantur, qui tam, longis itineribus susceptis, curribus pone Regem vehuntur. Horum puerorum certus numerus noctu et interdiu Regi praesto esse debet. Qui posteriores etiam Regem, cum palam aut curru aut equo vehitur, securibus longis pugnae adaptatis humeros, et acinacibus latera armati comitantur, ita tamen, vt Senatoribus et primariis ministris aulicis proximum apud Regem concedant locum. Regina autem cum Regem in via comitatur, Senatores et alii viri illustres illis praeire solent.

Regis satellites equestres ex imperii statutis non nisi Polonos, Lithuanos, et ex prouinciis regno Polonico insertis oriundos, complecti debent. Verum huius constitutionis seueritate mitigata, Regi superiori concessum est, vt Germanos quoque et Hungaros in satellitium suum reciperet. Horum satellitum numerus vltra mille et ducentos viros ne excurrat, lege sancitum est, et Dux supremus, qui illis praeest, quatuor Marschalcorum imperio subest.

Ministros non pauciores in Lithuania, quam in Polonia, Rex habet; quandoquidem Lithuani eodem feruore pristinum Magnorum suorum Ducum splendorem, quo Poloni Regum suorum maiestatem tuentur.

Pari modo Rex ministros aulicos quosdam in aliis prouinciis, in Prussia nimirum, Masouia et Russia, sibi deligere potest, quae prouinciae domesticos olim habuerunt principes, postea vero cum Poloniae regno sunt coniunctae. Rex itaque Poloniae ministros aulicos tam multos, quam vllus Europae Princeps, sibi constituere

poteſt. Quorum plerique quamuis nullis fruantur reditibus, ſed honore contenti eſſe debeant, illum tamen honorem nobiles auidiſſime appetunt, quoniam ex eo, quod ipſis innatum eſt, gloriae deſiderio alios excellere maxime ſtudent et optant, cuius voti honoribus illis acceptis participes fiunt.

Reginae apparatus aulicus triginta circiter viris conſtat, quorum praecipui ſunt Marſchalcus et Cancellarius ipſius. Quorum amborum officium id eſt, quod totius apparatus Reginae curam gerant. Inprimis autem ipſius Marſchalcus ſeu Praefectus aulae ſcipionem ipſi praefert; Cancellarius autem ſeu Secretarius omnes ipſius epiſtolas conſcribit, ſubſignat, accipit et ad eas reſpondet. Deinde peculiarem ipſa habet Theſaurarium, qui ipſius reditus adminiſtrat, Praefectum ſtabuli, Pincernas, Dapiferos, Praefectos culinae et alios miniſtros. Muliebris ipſius apparatus foeminis aulae praefectis, foeminisque et puellis iis, quae ipſi a cubiculo ſunt, aliisque conſtat. Cum ipſa palam in curru vehitur, a numero hominum ſui ſexus non mediocri circumdari ſolet.

Hoc loco Interregis, ſeu Primatis Regni, qui eſt Archiepiſcopus Gneſnenſis, apparatum paucis modo verbis attingam. Hic Archiepiſcopus donec poſt Regis obitum imperio praeeſt, totidem fere, quot Rex ipſe, miniſtris vtitur. Cum autem rempublicam, alio Rege creato, adminiſtrare deſiit, miniſtri ipſius ſunt ii, qui ſequuntur: Marſchalcus, cuius iam ſupra mentio facta eſt, Cancellarius, qui in iudiciis ſuae poteſtati ſubiectis praeſidet, Quaeſtor, literis ſupplicibus accipiendis Praefectus, Crucifer, Praefectus aulae, Theſaurarius, Capellani, Bibliothecarius, Praefecti culinae, et alii plures.

Hic Archiepiſcopus, cum totius regni Polonici ſupremus ſit Senator, ſolus eo gaudet priuilegio, quod ipſi, antequam ad menſam accedat, ſiue intra ſiue extra palatium ſuum verſanti, tympana pulſentur. Idem, ſi Regem adire vult, non neceſſe habet, vt hunc aditum precibus ſibi aperiat, ſed quando et quoties libet, ad illum intrare ipſi licet.

Antequam his literis finem imponam, id modo pace Tua, Vir illuſtriſſime, adiiciam, quod Rex Poloniae peculiares conſiliarios non habeat, ſed illorum vice omnes Senatores fungantur, quorum quotquot in eo, vbi Rex commoratur, loco verſantur, ii in conſilia regia veniendi et ſuffragia ſua ferendi poteſtate fruuntur. Ne tamen huic negotio exſequendo pauciores quam ſufficiant Senatores in palatio regio reperiantur, Senatus ex ſuo collegio quaternos identidem delectos eo mittere ſolet, qui a Rege nunquam diſcedant, non ſolum, vt conſiliis ſalutaribus dandis illi adſint, ſed etiam vt omnem eius vitam et mores obſeruent, et impediant, quo minus aliquid contra leges deſignet; Omnium enim in imperio adminiſtrando contra ius et aequum commiſſorum cum Rex tum Senatus rationem in comitiis reddere debet. Vt breuibus rem complectar, Polonicae nationis indoles et vniuerſa ſtatutorum eius ordinatio eo vtique ſpectat, vt poteſtas regia certis limitibus contineatur, neque ipſorum leges atque immunitates nec aſtutis principum extraneorum conſiliis, nec domeſticis regibus, eorumque miniſtris plurimum in republica pollentibus labefactata corruant.

Res quidem aliae ſingulares, eaeque complures, de Polonorum Rege commemorari poſſint, verum ego notabiliora tantum, quae per anguſtum, quo in hac terra egi, temporis ſpatium experiri potui, litteris mandare decreui.

Tandem veniam a Te, Vir Excellentiſſime, etiam atque etiam peto, quod longa quidem, incondita tamen et imperfecta narratione patientiam Tuam tantopere defatigarim. Saltem ex iis, quae dixi, cognoſcas velim, quantopere Tuo rerum nouarum et exterarum percipiendarum deſiderio ſatisfacere et ſignificare cupiam, quantum ſit officium meum, vt conſtantiſſime permaneam Tuus,

Vir excellentiſſime et ſumme reuerende

ſeruus fideliſſimus
Bernardus Connorus.

* * *

Eae, quae ſequuntur, Epiſtolae, non a Doctore Connoro, vt quidem animus ei fuit, ſunt conſcriptae, ſed a Savagio compoſitae; ſiquidem modo dictus Doctor negotiis ſuis tantum temporis, quantum illis ſcribendis neceſſarium videretur, detrahere nullo modo potuit.

EPISTO-

EPISTOLA SECVNDA

AD

VIRVM ILLVSTRISSIMVM,

HENRICVM, NORTFOLCIAE DVCEM,

SVPREMVM ANGLIAE MARSCHALCVM.

DE

SENATV ET SENATORIBVS POLONIAE, ET CLERICIS ET LAICIS; DE EA, QVAE IN POLONIA ET LITHVANIA OBTINET, RELIGIONE, NEC NON DE OFFICIALIBVS REGIIS ET LOCORVM QVORVNDAM PARTIM IN REGNO POLONIAE, PARTIM IN MAGNO DVCATV LITHVANIAE SITORVM PRAEFECTIS.

Et generoſa ſtirps, et ampliſſimum, quod Tibi, Vir illuſtriſſime, in adminiſtranda republica noſtra cum Rege intercedit, conſortium, et is, qui Tibi ſingulari iure conuenit, in domo Parlamenti noſtri ſuperiori locus, efficiunt, vt ante omnia a Te, petere audeam, vt has literas a me ad Te miſſas accipere velis. Quamuis autem pergratum mihi ſit, tam opportunam officii mei Tibi, Vir illuſtriſſime, declarandi, occaſionem eſſe oblatam; illud tamen alio libro componendo, cuius operam mihi maiori iure vt propriam vindicare poſſim, non autem in prouincia, quam nunquam vidi, deſcribenda, fieri potuiſſe optandum mihi videtur.

Ne autem, Vir illuſtriſſime, rebus ita ſe habentibus, huic meae narrationi parum fidei adhibendum eſſe putes, me nihil retuliſſe aſſeuero, niſi quod vel ex ipſius Doctoris Connori ore audiuerim, vel ex iis libris excerpſerim, quos partim ille Doctor, partim alii prudentes viri, fide digniſſimos et ſumma cum diligentia elaboratos exiſtimarunt.

Senatum Poloniae melius deſcribere non poſſum, niſi quod ſit genus hominum illuſtri ſtirpe natorum, inter Regem et nobilitatem vulgarem mediorum, quorum functio eo praecipue ſpectat, vt ex legum praeſcripto Regi in imperio adminiſtrando opem ferant mutuam, ſimul autem illius vitam quam diligentiſſime obſeruent. Eiusdem Senatus eſt, omnem curam adhibere, quo ſalus publica adiuuetur, et populi priuilegia conſeruentur. Noſtra aetate multo pluribus, quam olim, viris conſtat.

Omnes Senatores a Rege creantur; et qui ſemel ad hanc dignitatem euectus eſt, is per totam vitam ſuam ea fungitur. Si quem Rex his auget honoribus, publice ipſi iurandum eſt, ſe reipublicae iura et priuilegia illaeſa et intacta eſſe conſeruaturum, ita, vt, ſi qua libido poteſtatis ſuae vltra fines ex legum praeſcripto conſtitutos extendendae Regem ipſum forte inceſſat, cuiusuis ex iureiurando praeſtito ſit Senatoris, Regem ea, qua par eſt, reuerentia ad officium reducere. Quid? quod in comitiis vnusquisque legatus prouincialis hanc libertatem ſibi arrogat, quorum comitiorum haec eſt regula: Dicunt, quae ſentiunt, et ſentiunt, quae velint. Eiusmodi contumelia Regi ſuperiori, Iohanni Sobieſcio, quondam accidit, quem legati prouinciales, alii tyrannum, alii alterum Neronem appellabant, alii aliis ignominioſis nominibus proſcindebant. Quod cum perferre non poſſet, ſed irato vultu ſurgeret, manumque gladio admouens haec verba diceret: *Si adhuc eſſem Supremus exercituum regni Imperator, aliquid facere conſtituerem*, aliquis e coetu ſurrexit, manuque gladio impacta his verbis vſus eſt: *tum profecto hic meus gladius quoque aliquid facere conſtitueret.* Simile fere exemplum de Ludouico, Hungarorum et Polonorum Rege, legi. Qui cum ſimili contumelia in comitiis affectus ſede ſua ſurgeret, et dicere coepiſſet: *ſi non eſſem Rex* - - - - is,

cui Senatus nomine verba facienda erant, admodum superbe respondit: *si non fuisses Rex - - - -*

Iisdem Senatoribus curandum est, vt sua priuilegia illibata conseruent. Quem in finem quaterni Senatores identidem deliguntur, qui consiliis salutaribus impertiendis Regi adsint. Praeter illos quaternos, quippe perpetuos et veros Regis consiliarios, reliquis omnibus, quotiescunque ipsis visum est, deliberationibus regiis interesse licitum est.

Horum Senatorum praesentia Polonis ad salutem reipublicae tuendam tam necessaria videtur, vt nulli eorum, quacunque tandem de causa, sine reipublicae consensu in prouinciam extraneam proficisci liceat. Quam consuetudinem a Romanis didicerunt, qui Italiae fines excedere non modo Senatoribus, verum etiam illorum filiis non concedebant (*).

Senatoris nomen per se consistere non potest, sed semper cum vna quatuor harum dignitatum coniunctum est, Episcopi nimirum, Palatini, Castellani seu vnius de decem supremis regni Officialibus, quae dignitates omnes et singulae a Rege distribuuntur. Palatini praefecti sunt prouinciarum quarundam; Castellani itidem praefecti sunt, sed non nisi temporibus bellicis in prouinciae cuiusdam partem imperium exercent. Vnde etiam, non autem, vt facile putes, a castello seu arce, nomen sortiti sunt.

Decem supremi Regni Officiales sunt Marschalci, Cancellarii et Thesaurarii imperii. Episcopos autem quid attinet, illi in diuersis dioecesibus suis rerum sacrarum curam gerunt.

Munus Episcopi, Palatini, Castellani, aut vnius de decem supremis Regni Officialibus si quis adeptus est, simul quoque Senatoris honores accipit, nec opus est, vt illi honores ipsi seperatim conferantur.

Ipsorum negotia ea sunt, quod in Senatu Regi atque reipublicae auxilia fideliter ferant, domi iudicia, vt Regis vicarii aut aliis modis administrent, foris autem, vniuersis ordinibus consentientibus, in aulis extraneis legatorum munera obeant, aliisque officiis fungantur.

Hi Senatores Polonici dignitatem suam tanti faciunt, vt prae illa caeteros honores omnes contemnant. Cum igitur Sigismundus primus Viennam profectus esset, et Imperator Senatores aliquot, itineris socios, in ordinem principum Imperii Romani honoris causa recipere vellet, illi hanc dignitatem constanter repudiarunt, dicentes, sibi generosa Polonorum stirpe natis cum ius de rebus ad pacem et bellum spectantibus cum Rege agendi competat, parum abesse, quin sibi contumeliosum videretur, quod dignitas principis Imperii Romani suae dignitati praeferenda existimaretur.

Hic Senatus partim Clericis, partim Laicis constat. Clericorum alii Archiepiscopi, alii Episcopi sunt, qui Senatorum caeterorum principatum tenent. Horum hodie numero sedecim sunt. E quibus Episcopatibus cum tres in hostium sint potestate, nempe Smolenscum et Kiouia, quae loca Moscouitae tenent, et Camenecium, quod Turcis paret(**), tamen tres viri creantur, qui horum locorum Episcopos se appellitent. Re autem vera non plures, quam tredecim Episcopatus ad regnum Polonicum pertinent, in quibus duo sunt Archiepiscopatus, Gnesnensis videlicet et Leopoliensis. Trium illorum, quos antea dixi, Episcopatuum simulac vnus possessore orbatur, non pauci reperiuntur, qui nomen illorum petant, nulla alia de causa, nisi vt honore in Senatoribus sedendi fruantur.

Hi Archiepiscopatus et Episcopatus ii sunt, qui sequuntur: Archiepiscopatus Gnesnensis et Leopoliensis. Episcopatus Cracouiensis, Cuiauiensis, (qui etiam Vladislauiensis et Pomeranus vocatur) Vilnensis, Posnanensis, Plocensis, Varmiensis, Luceorienſis, Praemislienſis, Samogitiae, Culmenſis, Chelmenſis, Kiouiensis, Camenecensis et Smolenſcenſis. Sub Archiepiscopo Gnesnensi sunt Episcopi Cracouiensis, Vladislauiensis, Posnanienſis, Plocensis, Vilnensis, Varmiensis, Samogitiae et Culmensis; sub Leopolienſi autem Episcopi Chelmensis, Camenecensis, Luceorienſis, Praemislienſis et Kiouiensis.

(*) *Sueton.* c. 42. in vita Iul. Caes. *Tacit.* l. XII. Annal. c. 23.

(**) Hunc posteriorem locum Turci vi pacis, quae anno milleſimo ſexcenteſimo nonageſimo octauo Carlouitii inita est, vna cum Episcopatu reipublicae Polonicae restituerunt.

Archiepiscopus Gnesnensis non modo in Episcopis principem tenet locum, verum etiam omnes Senatores Polonicos dignitate antecedit. Regni Primas est, quam appellationem Concilium Constantiense ipsi tribuit, tum quoque decreti alicuius in Concilio Lateranensi compositi beneficio natum sellae apostolicae Legatum se appellitat. In causis ecclesiasticis ab omnibus Episcopis et ab ipso Archiepiscopo Leopolienſi ad eum prouocari potest. Eius potentia et auctoritas insignis est, vt ipsius Regis auctoritati non multum cedat. Qui ipso praesente gladium stringit, aut certamen incipit, capitis reus est. Cum ad Regem adit, aut ad comitia accedit, crux aurea ipsi semper praefertur, et cum sedet, pone eius sellam Capellanus eius stat. Marschalcum habet peculiarem, eundemque Castellanum Regnique Senatorem. Hic erecto cum scipione ante eius carpentum equo vehitur, quem scipionem coram nemine, nisi coram Rege demittit. Idem aliis Marschalcis absentibus, cum hoc scipione ipsum Regem praecedit. Archiepiscopum Gnesnensem aulam regiam intraturum, vt Regi appareat, Camerarius supremus, aut alius e ministris primarius semper ad scalam excipit, et Rex ipse vsque in conclaue exterius ei occurrit. Ex officio ad neminem, nisi ad Nuntium Pontificium, et semel quidem tantum, inuisere debet. Ad Legatos autem regios non inuisit, quamuis illi ipsum antea adierint.

Post Regis obitum ipse summam reipublicae Polonicae potestatem habet, donec alius Rex creatus sit. Huius interregni tempore sub suo nomine monetas cudere ipsi licet, quod priuilegium a Boleslao Pudico proficiscitur, interea tamen Archiepiscopos Gnesnenses hoc priuilegio adhuc vsos esse, ne vnum quidem exstat exemplum. Donec interregnum durat, reditus regii ad ipsum perueniunt; idem pro arbitrio comitia literis per omnes regni prouincias emissis indicere et rursus dissoluere solet; et extraordinariis casibus obortis, ipsi a republica Senatores aliquot adiutores adduntur. Vt verbo dicam, inter ipsum et inter Regem nihil propemodum interest. Donec Archiepiscopus Gnesnensis viuit, nullus alius Regem modo electum proclamare et postea coronare potest, id quod efficit, vt legati eorum, qui regnum appetunt, illum vnum esse putent, qui ipsorum instituto aut prodesse aut obesse possit, quapropter illius amicitiam sibi conciliare et tueri, omnibus, quae modo excogitari possint, rationibus studeant.

Hoc loco facere non possum, quin, quae in Rege superiore Poloniae, Iohanne tertio, creando anno salutis humanae reparatae milleſimo ſexcenteſimo ſeptuageſimo euenerint, attingam. Archiepiscopatum Gnesnensem tunc temporis tenebat aliquis ex stirpe Czartoresci oriundus, singularis Domus Austriacae fautor, et intimus Cancellarii Patii amicus, partibus autem et Francicae et Sobiesciae inimicus. Vnde nullo modo commoueri poterat, vt Supremum exercituum Regni Polonici Imperatorem, Sobiescium, Regem declararet. Cum autem fieret, vt triduum ante electionem ex hac vita migraret, et partes eius ex more consueto Episcopus Cracouiensis, Trzebiccius, qui ab Imperatore fideliter stabat, vicarias gereret, ille Imperator summa cum laetitia ab ipso Rex declaratus est.

Causa, ob quam homini Clerico tantam auctoritatem respublica crediderit, ea est, quod ab illo, sicuti a Senatore Laico, haudquaquam verendum sibi esse existimet, ne potestate sibi tradita fretus aditum ad dignitatem regiam sibi parare ausurus sit.

Huius Archiepiscopi sedes est Louitium, vrbs in Rauensi Palatinatu sita. Id denique de illo notandum est, quod simul Episcopatus Plocensis Canonicus natus sit.

Secundus Senator Clericus Archiepiscopus est Leopolienſis. Leopolis, Ruſſiae rubrae caput, nomen ſuum Latinum a Leone, Duce abſolutum huius prouinciae Imperium quondam exercente, gerit, quem Ducem anno milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo nono, cum Leſcus ſextus ſummae rerum praeeſſet, Caſtellanus Cracouienſis, in regni Polonici poteſtatem redegit.

In hac vrbe tres habitant Epiſcopi, Archiepiſcopus Catholicus, Archiepiſcopus Armenorum Catholicus, et Epiſcopus Ruſſicus, Graecorum ſacris addictus. Duo, quos modo dixi, Archiepiſcopi eandem religionem profitentur, praeterquam, quod Armenicus peculiares quasdam habeat cerimonias, quibus a priore differat; vt exempli gratia, quod in templo foeminae a viris ſeparatae ſint, et ſi qui plures deprehendantur eiusmodi ritus externi.

Epiſcopis Ruſſicis ſeu Graecis matrimonium inire non licet; nemo enim, niſi monachus ex ordine ſancti Baſilii, hanc dignitatem conſequi poteſt; qui autem huic ordini ſe conſecrant, omnes et ſinguli perpetuam caſtitatem vouere debent. Caeteris autem ſacerdotibus, huic religioni addictis, vxores habere conceſſum eſt, quas quidem, antequam munus ſacerdotale ſuſceperint, duxerunt: illas enim vt repudient, cogi nequeunt. Sed vxoribus vita defunctis, nuptias alteras contrahere haudquaquam illis licet, ne tunc quidem, ſi dignitate ſacerdotali ſe abdicare conſtituiſſent.

Horum ſacra lingua Ruſſica celebrantur, quae haud ſecus atque Polonica, Sclauonicae linguae dialectus eſt. Spiritum ſanctum a Patre per Filium procedere affirmant, et Pontificem eccleſiae vniuerſae caput eſſe negant, cui nihil, niſi primatum inter duos praecipuos Patriarchas concedunt, in quibus Conſtantinopolitanus locum quidem teneat inferiorem, Pontificis autem poteſtati neutiquam ſit ſubiectus. In aliis fidei articulis cum eccleſia Romana conſentiunt. In cerimoniis et ornamentis externis tam a Pontificiis, quam ab Armenicis diſcrepant. Stantes orant, ſaepius tamen genua flectere ſolent. Coenam ſacram ſub vtraque ſpecie accipiunt, et id quidem hoc modo: Sacerdos fruſtula aliquot panis fermentati conſecrat, eaque fracta in calicem inſerit, cui vinum conſecratum infuſum eſt, quo facto, paruo cochleari, in hunc vſum confecto, ad ſacram coenam accedentibus vtramque ſpeciem ſimul porrigit. Qui ſacramento vtuntur, brachiis pectori impoſitis ſtant, deinde brachiis inter ſe coniunctis ſacerdotem altare ter circueuntem ſequuntur. Sacerdos autem illos hortatur, vt ſeptem dies hilarem vitam degant, alteros autem ſeptem dies ieiunent. Ruſſi liberos ſuos, quamuis tenerrima ſint aetate, vna ſecum ad coenam ſacram adducunt. Vini ſacri reliquias ſacerdos ipſe pro lubitu conſumit.

Poſt has paruas ambages in viam priorem redeo et in deſcribendis Senatoribus Clericis pergo.

Tertium itaque locum inter Senatores Clericos tenet Epiſcopus Cracouienſis. Cracouia totius regni eſt metropolis, in Polonia minore ſita.

Principio Archiepiſcopatus hic erat, quem Miecislaus primus anno poſt Chriſtum natum nongenteſimo ſexageſimo quarto fundauit, ſimulac ſacra chriſtiana amplexus erat. Cum vero poſtea aliquis, Lampertus nomine, Archiepiſcopus crearetur, qui ſtirpis nobilitate adeo ſuperbiret, vt conſecrationis ergo Romam a ſe legatos mitti non neceſſe exiſtimaret, decreuit Pontifex, vt non niſi Epiſcopatus ibi eſſet. Vbi notandum eſt, hunc Epiſcopatum, et Archiepiſcopatum ab vno viro ſaepiſſime eſſe adminiſtratos. Hic Epiſcopus Ducem Seueriae ſe appellat, in quam prouinciam eiusque incolas et in ſacris et in ciuilibus rebus ius exercet.

Conſueta ſedes eius eſt Bozentinum, vrbs parua, ad montis calui, qui dicitur, radices ſita, aut etiam Kielcii, qui etiam, ſicut Bozentinum, ad Palatinatum Sendomirienſem pertinet. Mille et duodeuiginti templa in ſua dioeceſi habet, in quibus tredecim templa cathedralia ſunt.

In Se-

In Senatu a ſiniſtra Regis proxime Archiepiſcopum Leopolienſem ſedet, quanquam vt primarius regni totius Epiſcopus a Regis dextra merito ſedere deberet.

Hic Epiſcopatus cum Gneſnenſi quondam coniunctus erat. Denique, cum caeteris Epiſcopis non niſi Reuerendorum appellatio imponatur, Cracouienſem Epiſcopum ſolum Admodum Reuerendum dici, hic notandum eſt.

Quartus Senator Clericus eſt Epiſcopus Cuiauiae et Pomeraniae. Sedes eius eſt Vladiſlauia, ſupra Viſtulam, quatuor milliaria infra Thorunium ſita, in Polonia maiore.

In Senatu a dextra Archiepiſcopi Gneſnenſis ſedet, cuius etiam vices interregni tempore gerere ſolet. Hic Epiſcopatus Cruſuicienſis Epiſcopatus quondam dictus eſt, quoniam templum primarium et parochiale Cruſuiciae erat. Illo autem Vladislauiam translato, idem Epiſcopatus interdum Vladislauienſis vocari ſolet.

Conſueta eius ſedes, cum in Polonia verſatur, eſt aut Volboria, in Palatinatu Lencicienſi, aut Logouia, in Palatinatu Sendomirienſi ſita; cum autem in Pruſſia commoratur, plerumque Sobcouiae agere ſolet.

Quintus Senator Clericus eſt Epiſcopus Vilnae, quae eſt metropolis Magni Ducatus Lithuaniae, ad fluuium Vilnam ſita, qui fluuius infra Caunum in Nemenum effunditur.

Dioeceſis eius per Lithuaniam et Ruſſiam Albam vsque ad Moſcouiae fines extenditur.

Sextus Senator Clericus eſt Epiſcopus Poſnaniae, quae vrbs in Polonia maiore ſita fluuio Vartae adiacet. In templo huius vrbis parochiali nonnullorum Poloniae Regum monumenta conſpiciuntur, magnificentiſſime exculta.

Dioeceſis eius non modo per prouinciam Poſnanienſem patet, verum etiam Palatinatus Maſouiae partem, vt Varſauiam, et plura huius prouinciae oppida complectitur.

Septimus Senator Clericus eſt Epiſcopus Ploſci, quae vrbs parua eſt Viſtulae adiacens, quinque milliaria ſupra Vladislauiam ſita.

Eandem, quam Epiſcopus Cracouienſis in Ducatum Seueriae habet, ille in prouinciam Pultouienſem exercet poteſtatem, et in cauſis huius prouinciis forenſibus ad Regem prouocare neutiquam conceſſum eſt.

Sedes eius Epiſcopalis eſt Pultouia, Maſouiae vrbs, ſupra fluuium, Narew dictum, ſita, qui duo milliaria infra hunc locum in Bugum influit.

Octauus Senator Clericus prouinciae Varmienſis eſt Epiſcopus, quae prouincia ad Pruſſiam regiam pertinet. Huius Epiſcopatus duae partes Epiſcopi ſunt, tertia autem pars Capituli eſt. Perfectam et abſolutam in nobiles huius prouinciae Epiſcopi exercent poteſtatem, cui intercedere Regi nullo modo licet.

Domicilium eius eſt Frauenbergae, quae eſt vrbs parua, non procul a lacu, vulgo recente dicto, remota.

Nonus Senator Clericus eſt Epiſcopus Luceoriae ſeu Luſci, quae ſuperioris Volhyniae partis vrbs primaria eſt.

Ad Dioeceſin eius pertinet pars Maſouiae, vti etiam Podlachia, Breſcia ſeu Poleſia, quae Magni Ducatus Lithuanici eſt prouincia.

Decimus Senator Clericus eſt Epiſcopus Praemisliae ſeu Praemislauiae, qui locus eſt Ruſſiae Rubrae, fluuio Sano adiacens, ſex milliaria ſupra Iaroslauiam ſitus, et duodecim milliaria a Leopoli diſtans.

In hac vrbe Epiſcopus aliquis Graecus habitat. Praeterea notabile eſt, quod non diu poſt ſacrorum emendationem a Luthero inceptam Canonicus quidam templi parochialis huius loci, Oricowſcius, matrimonium contrahere ſacerdotibus licitum eſſe, primus contenderit; qui et ipſe anno milleſimo quingenteſimo vndequinquageſimo ſub Sigismundi ſecundi imperio vxorem duxit.

Vndecimus Senator Clericus est Episcopus Samogitiae, qui Curlandiae quoque Episcopum se appellitandi potestatem a Pontifice Vrbano octauo adeptus est.

Sedem propriam et certam non habet; interdum tamen Medniciae commoratur, quae optimis huius prouinciae vrbibus annumeranda est.

Duodecimus Senator Clericus est Episcopus Culmae, quae est vrbs Prussiae Regiae, ad Vistulam iacens, et sex milliaria supra Thorunium sita.

Hic Episcopus Varmiensi Episcopo ordine quondam fuit superior.

Sedes eius Episcopalis est Lubouiae, vti etiam Stargardiae, seu, vt a Germanis dicitur, Althusae.

Decimus tertius Senator Clericus est Episcopus Chelmae, quae est vrbs Russiae rubrae, vbi alius quoque Episcopus, sacris Graecis addictus, sedet.

Hic Chelmensis Episcopus ante tempus aliquod sedem suam Crasnostauiam transtulit, eiusdem Palatinatus locum, lacui magno adstructum, per quem lacum Borysthenes fluit. Cuius translationis causa fuit, quod Tartari et Cosaci vrbem Chelmam creberrimis incursionibus infestarent, et tandem prorsus depopularentur.

Decimus quartus Senator Clericus est Episcopus Kiouiae, quae Volhyniae inferioris, et totius Veraniae vrbs primaria est.

In hac etiam vrbe Graecus est Episcopus, qui olim totius Moscouiae Episcopus fuit primarius. Incolae huius vrbis omnes et singuli religionem Graecam profitentur, et Moscouitarum Imperatori subiecti sunt.

Decimus quintus Senator Clericus est Episcopus Camenecii, quae vrbs Podoliae metropolis est, sed Turcorum imperio paret (*).

Decimus sextus Senator Clericus est Episcopus Smolensci, quod Vistulae adiacens inter vrbes Ducatus Smolenscensis primum locum obtinet. Hic Ducatus ad Lithuaniam quondam pertinebat, nunc autem Moscouitarum imperio subest.

Hi omnes Episcopi splendidissime viuunt, siquidem vnusquisque eorum peculiarem apparatum domesticum, variosque ministros cum clericos tum laicos habet. Plerique Suffraganeis seu Chorepiscopis vtuntur, quos pro vilissimo pretio omnes Episcopales functiones curare oportet: Ipsi enim, se non ideo, vt negotia cum episcopali munere coniuncta suscipiant, sed ideo tantum, vt ius in Senatu sedendi nanciscantur, Episcopos creatos esse existimant.

In comitiis anno millesimo quingentesimo sexto Lublini celebratis contentionem inter Clericos et Laicos Senatores ortam esse grauissimam Guagninus tradit, his posterioribus sibi conuenire affirmantibus, vt proxime a Regis sinistra considerent. Tandem tamen Episcopos superiores discessisse et antiquum suum primatum obtinuisse, idem Guagninus auctor est.

Krzystanouicus in libro, qui Status Poloniae inscribitur, inter alia tradit, Polonos statim, simulac Christiana sacra amplexi essent, singulari erga religionem Christianam amore incensos, ordinem Clericum Laico praetulisse, eique insignes immunitates et priuilegia splendidissima concessisse, quibus ad hunc vsque diem fruuntur.

Plerique Episcopi reditus habent vberrimos, e quibus non ipsi modo vitam ordini suo consentaneam degere, sed etiam Clericorum inferiorum et aliorum egenorum penuriam subleuare possint.

Nunc de praesente sacrorum statu, qui tam in Polonia, quam in Lithuania floret, a me pauca dici, bonas in partes Te, Vir illustrissime, accepturum esse spero. Cui negotio exequendo res historicas quasdam, cum praesentia, tum praeterita tempora spectantes, interseram, quibus omnibus, quantum fieri poterit, breuitati studebo.

Ante omnia, Vir illustrissime, cognoscas velim, Polonos anno nongentesimo sexagesimo quarto sub Miecislai primi imperio ad fidem Christianam conuersos

(*) Post eam, quae anno millesimo sexcentesimo nonagesimo octauo Carlouitii composita est, pacem, hic locus ad imperium Polonicum rediit.

uersos esse, vti in vita huius Regis legi potest. Principio quidem omnes et singuli cum ecclesia Romana faciebant; postea vero Russi religionem Graecam in prouincias suas induxerunt, cui etiam ad hunc vsque diem multis in locis incolae huius terrae sunt addicti. Illi religionem Pontificiam maxime detestantur, quam qui profitentur, quoniam sermone Latino sacra peragunt, a prioribus Russis puta, quasi per contemtum Latini dicuntur.

Sunt autem in hoc regno duo ecclesiarum Graecarum genera, quarum aliae sunt schismaticae, seu eae, quae etiam in dogmatibus fidei a Pontificiis discrepant, aliae vnitae, seu eae, quae in eo praecipue tantum a Pontificiis dissentiunt, quod non Latino, sed Graeco sermone sacra celebrare soleant. Vtrarumque ecclesiarum sacerdotes Popi vocantur: *Pop* enim lingua Polonica sacerdotem designat.

Olim Polonia Hussitis, Picardis, Anabaptistis, Arrianis, Tritheistis, Photinianis, Ebionitis, Nestorianis et Socinianis inundata quasi erat. Sed priores iamdudum exstirpati sunt, et posteriores Rex Iohannes Casimirus anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo octauo edicto publico e regni finibus exterminauit. Quo edicto sine vlla mora regno discedere iussi sunt, de bonis autem ipsorum spatium trienne (cui postea annus detractus est) ipsis concessum est, intra quod tempus ea distraherent, et pecuniam, quam pro iis accepissent, alio transferrent. Dum vero nonnulli huius sectae edictum illud quamuis seuerum minime curantes in hoc regno clanculum permanerent, nobilium quorundam praesidio freti, Rex superior, Iohannes Sobiescius, simulac ad solium regium euectus erat, aliud, idque multo acrius contra eos edictum promulgauit, quo sine cunctatione regnum relinquere coacti sunt.

Verum etiam permulti Lutherani et Caluiniani in Polonia, et inprimis in Prussia Regia reperiuntur, in qua prouincia ii, quos diximus, perfecta sacrorum, quibus addicti sunt, exercendorum libertate fruuntur, quos etiam tueri Rex eo, quod in coronatione sua praestitit, iureiurando adstrictus est. Lutherani a Polonis Sassowiez, id est, Saxones, vocantur, quia Lutherus in Saxonia vixit et docuit: Caluiniani autem Zborocoi dicuntur, quod vocabulum eos denotat, qui clandestinis et illegitimis conuenticulis vtuntur. (vox enim Polonica *Zbor* conuenticulum prohibitum significat.) Prussi, quod iam supra a me narrari debebat, post Polonos demum religionem Christianam amplexi sunt. Eosdem Lutheri doctrinae tam cito subscripsisse, ex Cromeri sententia inde proficiscitur, quod omnes fere ex Germanis originem traxerint, aut quod Germanorum libros maxima cum assiduitate lectitarint. Illustrissimus ex nobilitate Polonica, qui Caluini doctrinam amplectebatur, erat Nicolaus Radziuil, sub Sigismundi Augusti imperio. Qui Radziuil omnibus iis, qui hanc religionem profitebantur, tutum in domo sua domicilium Vienae concessit, vbi etiam sacra sua lingua Polonica celebrauerunt. Nunc vero haec familia exspirauit; siquidem non nisi foemina ex illa superstes erat, quae Marchioni Brandenburgico nupta est (*) Nihilominus tamen non pauci Caluiniani passim in Polonia deprehenduntur.

Praeter eas, quarum adhuc mentionem feci, religiones, etiam Armeniani, Iudaei et Tartari in hoc regno sunt, quorum singuli opiniones et cerimonias peculiares tuentur. Armeniani quidem in Russiae praecipue atque Podoliae vrbibus quibusdam reperiuntur. Suis Praelatis, Abbatibus Sacerdotibusque vtuntur, sermone vernaculo sacra peragunt, et haud secus atque reliqui aliis in locis degentes Armeniani Pontificem Romanum ecclesiae caput agnoscunt. Iudaei in Polonia vbique sedes fixerunt, liberoque sacrorum exercitio, et aliis immunitatibus fruuntur, neque habent, quod vllas turbas sibi fieri metuant. Id modo ex imperii

(*) Nomen huius foeminae erat Louisa Charlotta; cuius prior maritus fuit Ludouicus, Electoris Brandenburgici, qui nunc imperat, frater; quo defuncto, Carolo Philippo, Comiti Palatino, Electoris Palatini, qui nunc summae rerum praeest, fratri, nupta est: Briegae autem, in vrbe Silesiae, anno millesimo sexcentesimo nonagesimo quinto, die vigesimo tertio Martii ex hac vita decessit.

ſtatutis iis iniunctum eſt, vt duodecim milliaria circa Varſauiam negotiationem ne exerceant. Tantus eſt horum numerus, vt Patricius Oglebyus, qui omnes illas prouincias ipſe oculis perluſtrauit, illorum duo millena millia amplius in hoc regno eſſe, vt rem certam et indubiam affirmet. Quam Iudaeorum innumerabilem fere multitudinem ſingularium priuilegiorum beneficio ordinibus ſupra viginti Imperialium millia ſoluere non debere idem Oglebyus tradit. In magno Lithuaniae Ducatu triginta propemodum Tartarorum millia verſantur, quibus liberum religionis Turcicae exercitium conceditur. Hi ſexcentos fere annos in illa prouincia habitauerunt, et ad bella contra Turcos et Tartaros reipublicae Polonicae mille et ducentos milites quotannis mittere debent, niſi immunitatibus ſuis priuari velint. Non pauci quoque in finibus huius regni reperiuntur idolorum cultores, qui antiquae ſuperſtitioni ad hodiernum vsque diem pertinaciter inſiſtunt. Superſtitioſis, qui apud illos obtinent, ritibus is inprimis annumerandus eſt: Si quis forte moritur, et alius, licet integro anno et diutius poſt, idem fatum patitur, prioris funus e terra ſtatim refodiunt, eique caput diſſindunt, quo prohiberi putant, quo minus plures ex ipſorum familiis in Acherontis poteſtatem deueniant.

Quamuis igitur omnia ea, quae dixi, ſacrorum genera in Polonicis prouinciis tolerentur, ſola tamen Pontificia religio principatum tenet; cui Poloni ſeptingentos annos amplius conſtantiſſime addicti fuerunt, et quam tanto cum feruore profitentur, vt, cum in miſſa Euangelium recitatur, gladios e vaginis extrahere ſoleant, ſignificantes, ſe ad doctrinam Catholicam omnibus, quantum poſſint, viribus defendendam ſemper eſſe promtos et paratos. Quo ſacrorum ſuorum defendendorum ardore eo vsque quondam proceſſerunt, vt cum iis, quos haereticos exiſtimarent, nullo modo matrimonium contrahere, neque foedus pangere, neque eorum auxilio in bello vti vellent, imo imperium in eos ſibi delatum accipere recuſarent. Cuius poſterioris exemplum in Iagellone ſeu Vladislao quinto reperimus, qui regnum Bohemicum nulla alia de cauſa ſperneret, niſi quod tunc temporis ab Huſitis illud inundatum eſſet. Cum etiam imperante Rege Iohanne Caſimiro Sueci totum fere imperium Polonicum in ſuam redegiſſent poteſtatem, ea praecipue de cauſa, quod Lutheri partes ſequebantur, omnia, quae ceperant, loca breui tempore rurſus amiſere.

Cum igitur Poloni in religione Pontificia defendenda tantum ſtudium et ardorem prae ſe ferant, nemo, niſi qui eam palam profitetur, in Senatorum numerum recipitur, neque in comitiis admittitur, neque in vllo iudicio (niſi in Pruſſia) toleratur. Epiſcopi quoque in ordinum conuentibus ius praeſidendi habent, ne quid in illis decernatur, quod ipſorum religioni damnum afferat. Eadem de cauſa ex diuerſis, quae in regno florent, Collegiis et Capitulis nonnulli Clericorum inferiorum deliguntur, qui in ſingulis iudiciis locum capiant, ſuaeque religioni ſumma cum cura atque vigilantia proſpiciant. Neque alia de cauſa fieri ſolet, vt ſupremi regni Officiales Epiſcoporum munus ſaepiſſime gerant, et vt ſupremus Regni Secretarius nunquam non Clericus fuerit.

Sic dicti Clerici Regulares ſeu ordini cuidam conſecrati, in omnibus Poloniae regionibus maioris aeſtimantur, quam Clerici ſeculares, ſeu ii, qui nullius certi ordinis regulae ſunt ſubiecti. Idem Clerici Regulares omnia negotia eccleſiaſtica obire poſſunt, neque eorum adminiſtrandorum veniam ab Epiſcopis ſeparatim petere opus habent. Monachis mendicantibus non modo domos, verum etiam conclauia ſecretiſſima, ſine ſigno aduentus ſui foribus pulſandis dato, intrandi libertas patet. Caeterum, Carthuſiis et Minnis fratribus exceptis, nullus eſt Monachorum ordo, quem in Polonia non deprehendas.

Hi Monachi omnes eximiis opibus atque opibus abundant, ſed vitam diſſolutam et profligatiſſimam degunt; quandoquidem cellas (in quibus Poloni, ſicuti aliae gentes in cauponis potui indulgere ſolent,) creberrime frequentant, e quibus ſaepiſſime tam bene poti reuertuntur, vt pedibus inſiſtere aegre queant.

Id vero

Id vero licet in plateis apertis fiat, attamen neque ab ipſorum praefectis, neque a populi multitudine admodum notatur.

Diebus ieiunio deſtinatis hi Clerici, ſicuti etiam Poloni caeteri, a cibis lacte paratis, ouis, carnibus et elixis piſcibus non niſi nocturno tempore abſtinent: nam ſi hoc tantum tempore ex regulis praeſcriptis viuant, totam reliquam diei partem, quid et quantum libet, edere atque bibere ipſis licet. Attamen diebus Veneris et Saturni a butyri, caſei, lactis atque ouorum eſu per totum diem abſtinent. Diebus ieiunio conſecratis butyrum aut caſeum vt comedant, nullo modo inducuntur, tametſi eccleſia illud concedat: cum igitur aliquando Cardinalis Radzioufcius a Pontifice hanc libertatem illis exoraret, eam omnino reiecerunt, adeo vt Pontificem haereticum factum eſſe, dicere non erubeſcerent.

Hanc ſeueram conſuetudinem a centum annis circiter inde obſeruarunt, cum Pontifex ob grauiſſimum ſcelus admiſſum eos ad ieiunium vniuerſale condemnaret. Cui ſceleri cum ad praeſentem vsque horam non plene ſatisfactum eſſe opinentur, tam inſigni pertinacia a carne abſtinent, vt vel aegroti ne fruſtum quidem eius vt manducent, nullo modo perſuaderi poſſint, quamuis medici illud ipſis ſalubre iudicent, et ſacerdotes ipſi conſentiant.

Clericos ſeculares quod attinet, eos quidem, qui ſunt inferioris ordinis, illi partim in Capitulo quodam verſantur, partim eccleſiis ſingulis vt ſacerdotes praeſunt. Cum illorum tum horum eadem fere eſt conditio, atque apud noſtrates. Canonici functiones ſibi conuenientes nunquam fere ipſi gerunt, ſed Cruciatos pauculos pauperi cuidam diſcipulo in dies ſingulos praebent, qui pro ipſis horas, quas vocant, in choro obeant. Ii, quibus eccleſia ſeu coetus creditus eſt, negotia, quae ex officio ſibi gerenda ſunt, Monachis, aut Vicariis, aut aliis demandant, quos in hunc finem alunt. In cultus publici parte aliqua ſermone Polonico ſemper vti ſolent, id quod plerumque in templis fit parochialibus, dum miſſa primaria celebratur.

Ad Coronam roſaceam in Dominicanorum ſacellis quotidianae preces fiunt, vbi mares in vno, foeminae autem in altero latere conſidere ſolent: e quibus illi quidem *Aue Maria*, hae vero *Sancta Maria* cantant.

Horum Clericorum ſecularium vnus pluribus muneribus fungi poteſt. Sunt enim in iis, non modo qui duos Canonicatus adminiſtrent, verum etiam, qui duobus diuerſis coetibus ſeu eccleſiis praeſint. Nullus autem eas, quas munus demandatum exigit, officii ſui partes implere ſtudet. Epiſcopi ipſi in negotiis ſuis Epiſcopalibus obeundis tam negligenter ſe gerunt, vt Clerici inferiores, ſi illos in hac negligentia imitentur, neutiquam habeant, quod vllam poenam ab iis metuant.

In ſacris peragendis Poloni admodum religioſi eſſe nunquam non videntur; ſiquidem prouentibus ſplendidiſſimis templa ſua locupletare conſueuerunt. Erga pauperes autem nihil minus quam benefici ſunt, et in ſeruos et ancillas, quibus vtuntur, ſi forte in morbum inciderint, admodum tenuia miſericordiae ſpecimina edunt. In templis ſemper clara voce precantur, et in miſſa, cum panis conſecratus extollitur, ſemetipſi percutiunt, et capita pauimento aut ſcamnis, quibus inſident, tanta cum vehementia allidunt, vt praeſentibus non parum moleſtiae plerumque creet, et in diſtantia non mediocri ſonus exaudiri poſſit. Foeminae libros, e quibus precum formulas recitant, cum corona roſacea plerumque ſecum gerunt. Tempore hiberno foeminae primariae, interdum etiam viri ſaccos refertos in templa ſibi afferri curant, vt a frigoris inclementia pedes quodammodo defendant, eundemque in finem palliola pellibus inſtructa, ab humeris dependentia geſtare ſolent.

Hoc eſt, quod de rebus ad ſacra pertinentibus Tibi, Vir illuſtriſſime, narrare neceſſarium eſſe duxi, cui id modo adiungam, quod templa Poloniae ſpeciem praebeant elegantiſſimam, ornamentisque ſuperbiant magnificentiſſimis, in quibus

vestis missalis Iesuitarum Leopoliensium imprimis eminet, vnionibus ita referta, vt propter insignem grauitatem rarissime aut potius nunquam geri possit.

Post has sat longinquas ambages ad Senatum Polonicum redeo, qui assessoribus partim Clericis, partim Laicis constat. Clerici iam supra recensiti sunt; caeteri omnes ad Laicos pertinent, nisi quod in decem supremis regni Officialibus etiam Clerici aliquot reperiantur.

Caeterorum igitur Senatorum numerus ad centum et duodetriginta excurrit, quorum prima diuisio ita instituti potest, vt omnino numerentur:

Palatini triginta duo.

Supremi Regni Officiales decem.

Castellani octoginta quinque.

Starosta vnus.

Deinde etiam in Senatores maiores et minores distingui possunt.

Ad maiores pertinent Palatini omnes triginta duo, Castellani tres, Cracouiensis, Vilnensis atque Trocensis, et vnus ille Starosta.

Caeteri nonaginta duo Senatores minores seu inferiores appellantur, qui sunt supremi Regni Officiales decem, et reliqui Castellani octoginta duo.

Hi Castellani itidem in maiores et minores distribuuntur.

Castellani maiores sunt omnino triginta tres. Minores omnes et singuli in Polonia superiore seu minore, Masouia et Russia versantur, et eorum numerus ad vndequinquaginta extenditur.

Nunc illos singulos ex ordine perlustrabimus, incipientes ab iis, quos maioribus Senatoribus supra adscripsimus.

Primus itaque omnium Senatorum Laicorum est Castellanus Cracouiae, quae est vrbs Poloniae superioris seu minoris. Palatinum Cracouiensem loco antecedit, quoniam anno millesimo centesimo trigesimo, sub Boleslai tertii imperio, cum in proelio aduersus hostes commisso Palatinus Cracouiensis fuga salutem quaereret, Castellanus Cracouiensis pugnando fortissime stetit; aut, vt alii (*) narrant, quia Palatinus contra eundem, quem diximus, Regem, Boleslaum, seditionem mouit, in cuius sceleris poenam decretum est, vt in posterum Castellanus Palatinum eiusque successores loci dignitate nunquam non antecelleret.

Secundus Senator Laicus est Palatinus Cracouiensis.

Tertius Senator Laicus est Palatinus Posnaniae, vrbis in Polonia inferiore seu maiore sitae.

Quartus Senator Laicus est Palatinus Vilnae, quae vrbs Lithuaniae est.

Quintus Senator Laicus est Palatinus Sendomiriae, quae vrbs in Polonia minore sita est.

Sextus Senator Laicus est Castellanus Vilnensis. Nonnullis Palatinis praefertur, quia reipublicae Polonicae operam egregiam praestiterat. Vel ex Hartknochii sententia (**) ab antiquitate potius huius Palatinatus haec dignitas proficiscitur. Iagello enim cum Poloniam et Lithuaniam coniungeret, Vilnae pariter et Troci Palatinum et Castellanum constituit, iisque locum in Senatu concessit, quem postea supra omnes eos, qui temporibus recentioribus ad Palatini aut Castellani honores euecti sunt, constanter obtinuerunt.

Septimus Senator Laicus est Palatinus Calisiensis in Polonia maiore.

Octauus Senator Laicus est Palatinus Trocensis in Lithuania.

Nonus Senator Laicus est Palatinus Siradiensis in Polonia maiore.

Decimus Snator Laicus est Castellanus Trocensis in Lithuania. Causa, cur Palatinis nonnullis anteferatur, iam supra commemorata est.

Vndecimus Senator Laicus est Palatinus Lancicienſis in Polonia maiore.

Duodecimus Senator Laicus est Starosta seu Praefectus Samogitiae. Hic quoque Palatinos aliquot dignitate excellit. Huius Senatoris creandi potestatem habet

(*) *Dugloſſius* lib. 4. Annal. Polon. p. 369.

(**) Lib. 2. cap. 3. p. 504.

habet quidem Samogitiae nobilitas, hanc vero electionem ratam declarare, Regis est. Dignitate illa per totam vitam fruitur, nisi atrocissimum quoddam scelus perpetret, quo admisso in comitiis honoribus illis exui potest.

Decimus tertius Senator Laicus est Palatinus Brestensis in Cuiauia, Poloniae maioris prouincia.

Decimus quartus Senator Laicus est Palatinus Kiouiensis in Volhynia inferiore. Hunc Palatinatum Cosaci per insidias in Moscouitarum potestatem redegerunt, a quibus ad hunc vsque diem possidetur.

Decimus quintus Senator Laicus est Palatinus Inoulodislauiensis in Polonia maiore.

Decimus sextus Senator Laicus est Palatinus Russiae. Hic a tota prouincia nomen gerit, quanquam alii plures Palatini magnae illius prouinciae regiones quasdam teneant. Huius autem ditio vltra fines eius Palatinatus, qui Leopoliensis quondam dictus est, non patet.

Decimus septimus Senator Laicus est Palatinus Volhyniae superioris seu Luceorienſis.

Duodeuigesimus Senator Laicus est Palatinus Podoliae superioris, seu, vti olim dictus est, Camenecienſis. Hic Palatinatus totus Turcorum potestati iam est subiectus (*).

Vndeuigesimus Senator Laicus est Palatinus Smolenscenſis. Hic Palatinatus ab anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo quarto Moscouitis paret.

Vigesimus Senator Laicus est Palatinus Lublinenſis in Polonia minore.

Vigesimus primus Senator Laicus est Palatinus Locenſis seu Polocenſis in Lithuania.

Vigesimus secundus Senator Laicus est Palatinus Belzenſis in Russia Rubra.

Vigesimus tertius Senator Laicus est Palatinus Nouogrodenſis in Lithuania.

Vigesimus quartus Senator Laicus est Palatinus Plocenſis in Polonia maiore.

Vigesimus quintus Senator Laicus est Palatinus Vitebscenſis in Lithuania.

Vigesimus sextus Senator Laicus est Palatinus Masouiae, qui quondam a Czirna, vrbe huius prouinciae Czirnenſis Palatinus appellatus est.

Vigesimus septimus Senator Laicus est Palatinus Podlachiae seu Bielscenſis, a regione quadam Podlachiae sic dictus.

Duodetrigesimus Senator Laicus est Palatinus Rauenſis in Polonia maiore.

Vndetrigesimus Senator Laicus est Palatinus Brescienſis seu Polesiae in Lithuania.

Trigesimus Senator Laicus est Palatinus Culmenſis in Prussia regia.

Trigesimus primus Senator Laicus est Palatinus Mscislauienſis seu Msceislauienſis in Lithuania.

Trigesimus secundus Senator Laicus est Palatinus Mariaeburgenſis in Prussia regia. Vrbs Mariaeburgum sedes olim ordinis Teutonici, id quod inter alia ex sellis ecclesiasticis, quae pro iis exstructae erant, et quarum magna multitudo in sacello arcis adhucdum conspicitur, luculentissime apparet.

Trigesimus tertius Senator Laicus est Palatinus Braslauienſis in Polonia maiore. Hic Palatinus nihil propemodum, nisi nudum nomen habet, quoniam hic Palatinatus creberrimis Turcorum et Tartarorum incursionibus locis desertis et incultis simillimus factus est.

Trigesimus quartus Senator Laicus est Palatinus Pomerelliae seu Pomeraniae in Prussia regia. Maxima Pomeraniae iam in Suecorum et Brandenburgicorum est potestate, vt reipublicae Polonicae non nisi exigua illa, quae in Prussia regia sita est, Pomeraniae pars remanserit.

Trigesimus quintus Senator Laicus est Palatinus Minscenſis in Lithuania.

Trigesimus sextus Senator Laicus est Palatinus Czerniechouienſis. Haec prouincia quondam Ducatus erat, et ad Lithuaniam pertinebat. Nunc Palatinus,

(*) Nunc autem Polonis restitutus est.

qui ab hac terra appellatur, non nisi merum nomen gerit, cum prouincia ipsa Moscouitarum Imperatori sit subiecta.

Postquam igitur maiorum Senatorum Laicorum ordinem et locum descripsi, necesse est, vt etiam, qua in re munus Palatini proprie cernatur, breui dicam. Illud igitur eo praecipue spectat, vt in expeditione vniuersali (quam Poloni *Pospolite Ruszenie* appellare solent) (*) copias ex Palatinatu suo in aciem producat. In pace non omnes eandem habent potestatem: in magno enim Lithuaniae Ducatu sunt Palatini nonnulli, qui tunc quoque ex iure bellico prouincias suas gubernent. In Prussia etiam ex hoc iure iudicia exercent, quae iudicia Palatinalia vocant. Sed omnibus omnino Palatinis ex officio iniunctum est, vt in comitiis minoribus seu nobilium conuentibus in singulis prouinciis singuli praesideant, vt negotiatorum mercibus certum pretium constituant, vt mensuras et pondera obseruent, nec non, vt Iudaeos, si quid commiserint, puniant, aut, si iniqua patiantur, iis opem ferant; quandoquidem Iudaei coram communibus iudiciis haudquaquam accusari possunt; quanquam in Prussia et Volhynia haec res aliter se habeat, vti ex sequentibus clarius apparebit. Quae Palatinorum munera si consideres, non immerito eos principes appellabis.

Horum vnusquisque Palatinum vicarium sibi subiectum habet, nonnulli etiam plures. Qui Palatini vicarii a Palatinis ipsis deliguntur, quibus etiam solis ex iurisiurandi religione obedientiam debent. Palatini autem vicarii munus, nemo adipisci potest, nisi in prouinciis Polonicis tot possessiones teneat, vt ex iis vitam dignitati suae consentaneam degere valeat.

Palatinos et quatuor illos viros, qui potestate Palatinis pares sunt, statim sequuntur Castellani diuersi, qui omnes Senatores, et in bello Palatinorum Legati sunt, siquidem sub Palatinorum ducatu nobiles, qui ipsorum imperio subsunt, in aciem educunt.

Horum Castellanorum in vnoquoque Palatinatu plures sunt, qui in maiores et minores dispesci solent. Maiores (paucis tantummodo exceptis) nomen Castellanatus sui a Palatinatu gerunt; cum minores a certis tantum regionibus denominari soleant, vnde etiam Castellani districtuum interdum vocantur. Deinde in eo quoque discrimen inest, quod Castellani minores pone caeteros Senatores scamnis insideant, et quod non multum temporis praeterierit, ex quo in Senatum recepti sint, et tandem, quod ab eo nonnunquam sint excluſi. In caeteris autem rebus omnibus minores Castellani maioribus pares sunt.

Attributa, quae a Castellano necessario exiguntur, ea sunt, vt primo Polonus nobilis sit, et deinde, vt in ea regione, cuius Castellanatum appetit, domum et praedia possideat.

Temporibus pacatis in Senatoribus sedent, nullam autem, nisi in causis capitalibus iudiciorum exercendorum habet potestatem. Castellani maiores Magnifici seu Wielmozni, minores autem Generosi seu Vrodzeni nominantur. Castellani autem vniuersi Illustrissimi seu Iasnie Wielmozni appellantur.

Castellani maiores secundum nomina et ordinem suum ii sunt, qui sequuntur:

Trigesimus septimus Senator Laicus est Castellanus Posnanienſis.

Duodequadragesimus Senator Laicus est Castellanus Sendomirienſis.

Vndequadragesimus Senator Laicus est Castellanus Calisienſis.

Quadragesimus Senator Laicus est Castellanus Voiniciae, quae est vrbs Palatinatus Cracouienſis.

Quadragesimus primus Senator Laicus est Castellanus Gnesnae, quae est vrbs Palatinatus Posnanienſis.

Quadragesimus secundus Senator Laicus est Castellanus Siradienſis.

Quadragesimus tertius Senator Laicus est Castellanus Lencicienſis.

Qua-

(*) *Hartknoch.* lib. 2. cap. 3. p. 506.

Quadragesimus quartus Senator Laicus est Castellanus Samogitiae.

Quadragesimus quintus Senator Laicus est Castellanus Brestenſis seu Bresciensis.

Quadragesimus sextus Senator Laicus est Castellanus Kiouienſis.

Quadragesimus septimus Senator Laicus est Castellanus Inouladislauienſis.

Duodequinquagesimus Senator Laicus est Castellanus Leopolienſis.

Vndequinquagesimus Senator Laicus est Castellanus Volhyniae.

Quinquagesimus Senator Laicus est Castellanus Camenecenſis.

Quinquagesimus primus Senator Laicus est Castellanus Smolenscenſis.

Quinquagesimus secundus Senator Laicus est Castellanus Lublinenſis.

Quinquagesimus tertius Senator Laicus est Castellanus Locenſis seu Polocenſis.

Quinquagesimus quartus Senator Laicus est Castellanus Belzenſis.

Quinquagesimus quintus Senator Laicus est Castellanus Nouogrodenſis.

Quinquagesimus sextus Senator Laicus est Castellanus Plocenſis.

Quinquagesimus septimus Senator Laicus est Castellanus Vitebscenſis.

Duodesexagesimus Senator Laicus est Castellanus Cernenſis, a regione quadam Masouiae sic dictus.

Vndesexagesimus Senator Laicus est Castellanus Podlachiae.

Sexagesimus Senator Laicus est Castellanus Rauenſis.

Sexagesimus primus Senator Laicus est Castellanus Bresciensis seu Polesiae.

Sexagesimus secundus Senator Laicus est Castellanus Culmenſis.

Sexagesimus tertius Senator Laicus est Castellanus Mscislauienſis.

Sexagesimus quartus Senator Laicus est Castellanus Elbingenſis ab Elbinga, vrbe splendida Palatinatus Pomerelliae sic appellatus.

Sexagesimus quintus Senator Laicus est Castellanus Braslauienſis.

Sexagesimus sextus Senator Laicus est Castellanus Gedanenſis, a Gedano, seu, vt alias dicitur, Dantisco, vrbe Palatinatus Mariaeburgenſis per totum terrarum orbem longe celeberrima nomen habens.

Sexagesimus septimus Senator Laicus est Castellanus Minscenſis.

Duodeseptuagesimus Senator Laicus est Castellanus Liuoniae.

Vndeseptuagesimus Senator Laicus est Castellanus Czerniechouienſis.

Castellanis minoribus annumerantur sequentes:

Septuagesimus Senator Laicus est Castellanus Sandecenſis, a Sandecia, vrbe territorii Sandecenſis in Cracouienſi Palatinatu siti, nomen ducens.

Septuagesimus primus Senator Laicus est Castellanus Medirecenſis, a Medirecio, vrbe Palatinatus Posnanienſis sic dictus.

Septuagesimus secundus Senator Laicus est Castellanus Vislicenſis, a Vislicia, vrbe territorii Vislicenſis, ad Palatinatum Sendomirienſem pertinentis, sic appellatus.

Septuagesimus tertius Senator Laicus est Castellanus Biecenſis, a Biecia, vrbe territorii Biecenſis, ad Palatinatum Cracouienſem pertinentis, sic vocatus.

Septuagesimus quartus Senator Laicus est Castellanus Rogoscenſis, a Rogozno, vrbe Palatinatus Posnanienſis nomen gerens.

Septuagesimus quintus Senator Laicus est Castellanus Radomienſis, a Radomia, vrbe territorii Radomienſis, in Palatinatu Sendomirienſi siti, denominatus.

Septuagesimus sextus Senator Laicus est Castellanus Zauichostenſis, a Zauichosto, vrbe eiusdem Palatinatus, nomen gerens.

Septuagesimus septimus Senator Laicus est Castellanus Landenſis seu Landauienſis, a Landa, vrbe Palatinatus Calisienſis, nominatus.

Septuagesimus octauus Senator Laicus est Castellanus Stremenſis, a Strema, vrbe Palatinatus Posnanienſis dictus.

Septuagesimus nonus Senator Laicus est Castellanus Zarnouienſis, a Zarnouia, vrbe Palatinatus Sendomirienſis nomen ducens.

Octogesimus Senator Laicus est Castellanus Malogostensis, a Malogostia, eiusdem Palatinatus vrbe, denominatus.

Octogesimus primus Senator Laicus est Castellanus Vielunensis, a territorio Vielunensi, ad Palatinatum Siradiensem pertinente, nomen consecutus.

Octogesimus secundus Senator Laicus est Castellanus Praemisliensis, a territorio Praemisliensi, quod in Palatinatu Russiae situm est, nominatus.

Octogesimus tertius Senator Laicus est Castellanus Halicisensis, a territorio Halicisensi, ad eundem Palatinatum pertinente, appellatus.

Octogesimus quartus Senator Laicus est Castellanus Sanocensis, a territorio Sanocensi, quae eiusdem Palatinatus pars est, nomen adeptus.

Octogesimus quintus Senator Laicus est Castellanus Chelmensis.

Octogesimus sextus Senator Laicus est Castellanus Drohiczinensis, a territorio Drohiczinensi, quae Podlachiae pars est, appellatus.

Octogesimus septimus Senator Laicus est Castellanus Polanecensis, a Polanecia, vrbe Palatinatus Sendomirienſis, dictus.

Duodenonagesimus Senator Laicus est Castellanus Praemetensis, a Premecz, Palatinatus Posnanienſis vrbe, denominatus.

Vndenonagesimus Senator Laicus est Castellanus Criuinensis, a Criuino, eiusdem Palatinatus vrbe, nomen gerens.

Nonagesimus Senator Laicus est Castellanus Czechouiensis, a Czechouia, vrbe Palatinatus Sendomirienſis, dictus.

Nonagesimus primus Senator Laicus est Castellanus Naclensis, a Naclo, vrbe Palatinatus Calisiensis, nomen consecutus.

Nonagesimus secundus Senator Laicus est Castellanus Rospirienſis, a Rospiria, Palatinatus Siradienſis vrbe, denominatus.

Nonagesimus tertius Senator Laicus est Castellanus Biechouiensis, a Biechouia, vrbe Palatinatus Lencicienſis, dictus.

Nonagesimus quartus Senator Laicus est Castellanus Bidgostienſis, a Bidgostia, vrbe territorii Bidgostienſis, in Palatinatu Inoulodislauienſi siti, nomen sortitus.

Nonagesimus quintus Senator Laicus est Castellanus Bresinenſis, a Bresina, vrbe territorii Bresinenſis, ad Palatinatum Lencicienſem pertinentis, dictus.

Nonagesimus sextus Senator Laicus est Castellanus Crusuicenſis, a Crusuicia, vrbe territorii Crusuicenſis, ad Palatinatum Brestenſem pertinentis, nomen gerens.

Nonagesimus septimus Senator Laicus est Castellanus Osuecimenſis, ab Osuecimia, vrbe Ducatus Osuecimenſis, quae Palatinatus Cracouienſis pars est, nominatus.

Nonagesimus octauus Senator Laicus est Castellanus Camenensis, a Camено, vrbe Palatinatus Calisiensis, sic dictus.

Nonagesimus nonus Senator Laicus est Castellanus Spicimirienſis, a Spicimiria, vrbe territorii Spicimirienſis, ad Palatinatum Siradienſem pertinentis, sic appellatus.

Centesimus Senator Laicus est Castellanus Inoulodenſis.

Centesimus primus Senator Laicus est Castellanus Coualienſis, a Coualia, vrbe Palatinatus Brestenſis, nomen ducens.

Centesimus secundus Senator Laicus est Castellanus Santocensis, a Santoco, vrbe Palatinatus Posnanienſis, sic appellatus.

Centesimus tertius Senator Laicus est Castellanus Sochaczouienſis, a Sochaczouia, vrbe territorii Sochaczouienſis, in Rauenſi Palatinatu siti, denominatus.

Centesimus quartus Senator Laicus est Castellanus Varsauienſis, a Varsauia, vrbe territorii Varsauienſis celeberrima, in Masouia siti, nomen adeptus.

Centesimus quintus Senator Laicus est Castellanus Gostinenſis, a Gostinino, vrbe territorii Gostinenſis, primaria, in Palatinatu Rauenſi siti, dictus.

Cente-

Centesimus sextus Senator Laicus est Castellanus Visnenſis, a Visna, vrbe territorii Visnenſis, ad Palatinatum Masouienſem pertinentis, denominatus.

Centesimus septimus Senator Laicus est Castellanus Racioſenſis, a Razianzo, Palatinatus Plocenſis oppido, nomen sortitus.

Centesimus octauus Senator Laicus est Castellanus Siepercenſis, a Siepercia, vrbe eiusdem Palatinatus nomen gerens.

Centesimus nonus Senator Laicus est Castellanus Visogrodenſis, a Vissegrado, vrbe territorii Visogrodenſis, quae Palatinatus Masouienſis pars est, appellatus.

Centesimus decimus Senator Laicus est Castellanus Ripinenſis, a Ripino, vrbe territorii Ripinenſis, ad Dobrinenſem Palatinatum pertinentis, appellationem nactus.

Centesimus vndecimus Senator Laicus est Castellanus Zacrocimenſis, a Zacrocimo, vrbe territorii Zacrocimenſis, in Masouienſi Palatinatu siti, nominatus.

Centesimus duodecimus Senator Laicus est Castellanus Ciechanouienſis, a Ciechanouia, vrbe territorii Ciechanouienſis, in eodem Palatinatu siti, nomen habens.

Centesimus decimus tertius Senator Laicus est Castellanus Liuenſis, a Liuo, vrbe territorii Liuenſis, ad eundem Palatinatum pertinentis, appellatus.

Centesimus decimus quartus Senator Laicus est Castellanus Slonscenſis, a Slonsco, vrbe territorii Slonscenſis, quae Palatinatus Dobrinenſis pars est, denominatus.

Centesimus decimus quintus Senator Laicus est Castellanus Lubaczouienſis, a Lubaczouia, vrbe Prussiae regiae, nomen adeptus.

Centesimus decimus sextus Senator Laicus est Castellanus Conarienſis, a Conaria, vrbe Palatinatus Siradienſis, sic dictus.

Centesimus decimus septimus Senator Laicus est Castellanus Conarienſis, a Conaria, vrbe Palatinatus Lencicienſis, appellatus.

Centesimus duodeuigesimus Senator Laicus est Castellanus Conarienſis, a Conaria, vrbe Cuiauiae, sic dictus.

Eo, quem recensuimus, ordine Episcopi, Palatini et Castellani in Senatu sedent. Id praeterea notandum est, nullum Palatinum eius loci, cuius Palatinus est, simul etiam Castellanum esse posse, tum, neque Palatinum, neque Castellanum, munus Staroſtae aut aliud officium in vno eodemque Palatinatu vel Castellanatu administrare, licitum esse; paucis aliquot in Lithuania et Prussia exceptis, vbi Palatini omnia omnino gubernant, et ex iure militari dirigunt. Neque Palatino, Castellano aut Staroſtae duplicem potestatem, siue vnius eiusdemque siue diuersi generis ea sit, simul exercere vllo modo concessum est.

Neque aliquis, donec Castellani munere fungitur, simul Burggrauius arcis Cracouienſis, aliarumue arcium esse potest.

Lingua Polonica Castellani Domini eorum, in quibus Castellanorum officium gerunt, locorum appellantur, cui appellationi non nisi terminatio *ki* vel *ski* addi solet, vt *Pan Poznanski*, id est, *Dominus Posnanienſis*, et sic in caeteris.

Infimum in Senatoribus Laicis locum tenent decem supremi Regni Officiales, seu Ministri regii, qui solium regium vtrinque circumstant. Ita vero ex ordine sequuntur.

Marschalcus Regni Poloniae supremus, seu summus aulae Polonicae Praefectus.

Marschalcus seu Praefectus Magni Ducatus Lithuaniae supremus.

Cancellarius Regni Poloniae supremus.

Cancellarius Magni Ducatus Lithuaniae supremus.

Cancellarius Regni Poloniae inferior seu vicarius.

Cancellarius Magni Ducatus Lithuaniae inferior seu vicarius.

Thesaurarius Regni Poloniae supremus.

Thesaurarius Magni Ducatus Lithuaniae supremus.

Marschalcus Curiae Regni Poloniae seu inferior.

Marschalcus Curiae Magni Ducatus Lithuaniae seu inferior.

Quinque Officiales supremos Magni Ducatus Lithuaniae quinque Officialibus supremis Regni Poloniae potentia et auctoritate prorsus aequales esse, hic notandum est, quamuis hi loco et ordine illis sint superiores.

Centesimus vndeuigesimus igitur Senator Laicus est Marschalcus Regni Poloniae supremus, seu summus aulae Polonicae Praefectus.

Functio eius est, vt in comitiis vniuersalibus, siue a Rege ipso, siue a Primate Regni ea indicta sint, omnia necessaria ordinet atque digerat, vt iis, qui comitiis ex officio interesse debeant, vti etiam Legatis extraneis, domicilia distribuat; vt alios, qui praeter officium se comitiis ingerant, excludat; vt omnia in eo, vbi comitia habentur, loco tuta atque tranquilla conseruet; vt omnibus mercibus venalibus pretium constituat; vt luxui immodico atque effuso frenos iniiciat, et si qua plura sint eius negotia.

Hominum sceleratorum et seditiosorum puniendorum, imo capitali supplicio afficiendorum potestate valet, neque ab eo ad iudicia superiora, nisi in rebus maximi momenti, prouocari licet. Senatoribus congregatis, silentium praecipit, quo facto, suffragia ferre permittit. In quibus suffragiis ferendis si quis Senatorum aut Legatorum prouincialium modestiae debitae fines excedat, ipse illud animaduertere debet. Quae in Senatu decreta sunt, ea ab ipso ad populum deferenda sunt; sic quoque officium eius requirit, vt in causis, ad famam et vitam pertinentibus, decreta regia promulget. In omnibus locis, vbi Rex palam proficiscitur, ei scipionem erectum praeferre debet. Omnes Officiales aulici ad officia sua obseruanda ab ipso impelluntur, et in causis capitalibus ipse solus in eos habet potestatem. Si quis vnum ministrorum vulnerat, is ex ea, quae anno millesimo quingentesimo septuagesimo tertio de hac re sancita est, lege, capite poenam luit. Tandem etiam eius partes sunt, vt omnes legatos, qui Regem adire velint, ad eum introducant.

Quod ex officio mercibus venum expositis pretium certum constituat, id maximo illi cedit lucro; vnusquisque enim sui emolumenti ergo dona ampliſſima atque splendidissima ei mittere solet. Caeterum in creando Rege potentia eius multo minor est, quam aliis locis atque temporibus, tunc enim sine Marschalci Magni Ducatus Lithuaniae supremi consilio adhibito nihil agere ipsi licet.

Marschalcus Curiae opem ipsi mutuam vbique ferre debet, et idem, ipso absente, partes eius agere solet. Ipso autem Marschalco Curiae etiam absente, eius functiones ad Marschalcum Magni Ducatus Lithuaniae supremum, et hoc quoque absente, ad Marschalcum eius inferiorem redeunt. Si vero forte fortuna accidat, vt illi omnes praesto non sint, Cancellarii et Thesaurarii, vnusquisque in Regno aut Magno Ducatu suo munus Marschalci Regni Poloniae supremi gerere debent.

Centesimus vigesimus Senator Laicus est Marschalcus seu Praefectus Magni Ducatus Lithuaniae supremus.

Huius et Marschalci Regni Poloniae supremi functiones eaedem fere sunt.

Centesimus vigesimus primus Senator Laicus est Cancellarius Regni Poloniae supremus.

Centesimus vigesimus secundus Senator Laicus est Cancellarius Magni Ducatus Lithuaniae supremus.

Centesimus vigesimus tertius Senator Laicus est Cancellarius Regni Poloniae inferior seu vicarius.

Centesimus vigesimus quartus Senator Laicus est Cancellarius Magni Ducatus Lithuaniae inferior seu vicarius.

Cancellariorum Regni Poloniae, vi legis cuiusdam, quae sub Sigismundi primi imperio Cracouiae sancita est, vnum Clericum, alterum Laicum esse oportet. In Lithuania vero Cancellarius vterque Laicus esse debet, quanquam Hart-

Hartknochius (*) nullam legem exstare tradat, quae impediat, quo minus Episcopus quoque Cancellarii munere ibi locorum fungi possit.

Vterque duo sigilla habet custodienda, et supremus quidem Cancellarius maius, minus autem Cancellarius inferior. Caeterum potestate pares sunt, nisi quod Cancellarius inferior, quamuis Episcopus sit, Cancellario supremo primas concedat, et quod Cancellarius inferior nihil, nisi Cancellario absente, aut saltem sub eo, agat atque decernat.

Cancellarii officium est, vt in omnibus causis ciuilibus ius dicat, et iudicia aeque ac iuste exerceri, leges obseruari, reique publicae neque auctoritatem, neque immunitates callidis principum exterorum consiliis debilitari, curet. Eiusdem est, omnia iussa et decreta regia obsignare, et literas singulas, ad Regem scriptas, accipere, iisque respondere. Tanta est horum Cancellariorum potestas, vt multa inscio Rege obsignare, imo si quid legibus contrarium ille constituere velit, id vetare possit. Cancellarius supremus, vel hoc absente Cancellario inferior, in omnibus causis Regis nomine respondet, et quae in Senatu tractanda sunt, ea proponit. Alter Cancellariorum, Clericus quidem, Secretariis, Capellanis et Concionatoribus regiis praeest, omniumque eorum, qui quodammodo ad Regem pertinent, rituum ecclesiasticorum curam gerit. Omnes leges literis consignare et promulgare, omniumque earum, quae a iudiciis inferioribus ad Regem fiunt, prouocationum aequitatem iniquitatemue inquirere atque diiudicare, eosdem Cancellarios oportet.

Cancellarius inferior seu vicarius in Cancellarii supremi vita defuncti locum plerumque sufficitur, quanquam in Lithuania aliter fieri nonnunquam soleat. Cancellarius Regni Poloniae supremus, aut vicarius eius, qui quidem Clericus est, inferiorum vulgo aliquis est Episcoporum, Culmensis videlicet, Praemisliensis, Chelmensis, seu alius huius ordinis Episcopus.

Ad Cancellarii munus viri prudentissimi, doctissimi et integerrimi requiruntur, illo enim qui funguntur, Regem in imperio administrando et consiliis salutaribus et monitis sapientibus adiuuare obstricti sunt.

Centesimus vigesimus quintus Senator Laicus est Thesaurarius Regni Poloniae supremus.

Centesimus vigesimus sextus Senator Laicus est Thesaurarius Magni Ducatus Lithuaniae supremus.

Hi Thesaurarii reipublicae thesaurum et reditus custodiunt. Quos reditus a quatuor Quaestoribus primariis accipiunt, qui Quaestores omnes et singuli plenum illorum redituum indicem conficiunt, cuius indicis exemplum cum Regi, tum Thesaurario tradunt. Iidem Thesaurarii res Regis pretiosas, coronam nimirum, sceptrum, malum aureum, quod regiae potestatis est insigne, gladium regium, vestimenta et alia ornamenta, nec non omnia supellectilia et literas Regis custodiunt. Monetae quoque cura ipsis demandata est, omnibusque Officialibus et aulicis et militaribus salaria praebent. Caeterum ea fruuntur immunitate, quod neque Regi, neque vlli Officialium eius, officii bene et legitime gesti rationem reddere necesse habeant. Certis tamen temporibus Commissarii deligi in comitiis solent, qui rationes eorum diligentissime inquirant. Quorum ratio si tunc male constat, Respublica eorum in ius vocandorum et bonorum, quae illi possident, proscribendorum potestate instructa est. Attamen Thesaurarii (qui plerumque officii sui partes summa cum sanctitate non gerunt) Commissarios tanta humanitate excipere, iisque tam munificos se praebere solent, vt absolutionem perfectam, partiumque officii candidissime impletarum testimonium ab iis saepissime facili cum negotio auferant.

Hoc loco mihi subit, quod cum Comite Morsteinio acciderit. Qui cum Thesaurarii Regni Poloniae supremi munere fungeretur, suo potius emolumento, quam

(*) Lib. 2. cap. 3. p. 528.

quam saluti publicae consulens, de Reipublicae thesauro maximam pecuniarum multitudinem in Franciam misit. Cum autem tempus appropinquare sentiret, quo ordines in comitiis congregati rationem a se exacturi sint, ipse cum omnibus iis, quas sibi parauerat, opibus e Poloniae Regno clanculum se subduxit, et in Francia sedem fixit, vbi totum Comitatum, Chateau villain dictum, ex quo Imperialium triginta millia amplius quotannis ad eum peruenirent, sibi redemit.

Centesimus vigesimus septimus Senator Laicus est Marschalcus Regni Poloniae inferior, seu Marschalcus Curiae.

Centesimus duodetrigesimus Senator Laicus est Marschalcus Curiae Magni Ducatus Lithuaniae seu inferior.

Hi Marschalci Curiae sub Vladislai septimi imperio cum Cancellariis de principatu contenderunt. Tandem tamen decretum est, vt infimo in Senatoribus loco acquiescere deberent. Quo factum est, vt in editione Colonienſi libri Starouolscii, qui descriptio Poloniae inscribitur, Marschalcos supremos Marschalci Curiae statim sequantur, in Dantiscana autem editione infimum locum occupent.

Praeter illos decem supremos Regni Officiales tria alia adhuc sunt Officialium genera, qui ad Senatorum numerum non pertinent. Hi sunt Officiales vel totius Regni Poloniae et Magni Ducatus Lithuaniae, vel aulae regiae, vel territoriorum et Palatinatuum quorundam.

Ex primo genere sunt praecipui, Imperator exercituum Regni Polonici supremus, et Imperator exercituum Magni Ducatus Lithuaniae supremus. Hi Regis ipsius absentis personam gerunt, et quaecunque Rex ipse, si coram adesset facere posset, ea facere illis quoque licet. Quamuis autem hoc Imperatoris exercituum supremi munus amplissimis et splendidissimis Reipublicae Polonicae honoribus annumeretur, non tamen efficit, vt, qui eo fungatur, locum in Senatu, aut vllam sedem in comitiis nancisceatur, nisi supremus exercituum Imperator, vt plerumque fieri solet, simul Palatinus aut Castellanus sit.

Imperator exercituum Regni Poloniae supremus, et Imperator exercituum Magni Ducatus Lithuaniae supremus, ille in Regno, hic in Magno Ducatu suo, potestatem habent parem, neque vnus ab altero pendet. Imperator exercituum Magni Ducatus Lithuaniae supremus Imperatori exercituum Regni Poloniae supremo primas quidem concedit; alias autem imperium in exercitum Lithuanicum exercet, neque Imperatoris exercituum Regni Poloniae supremi iussa exspectare opus habet, nisi ambo exercitus societate coniuncti acie cum hoste decernere constituerint.

Rege absente duo illi supremi Imperatores summa in Regno Poloniae potestate sunt instructi. In exercitu enim omnia ex eorum arbitrio fiunt; proelia committunt, et obsidionibus se accingunt, neque Regis arbitrium in iis rebus exspectant. Iidem pro lubitu copias sua in hibernacula disponunt, vbi ipsis visum est. Et haec causa est, cur nobilitas vniuersa Imperatorem exercituum supremum violare et infensum sibi reddere maxima cum diligentia caueat.

Horum Imperatorum officium est, vt in exercitu disciplinam militarem bene administrent, vt tam copiarum duces, quam gregarios milites, contumaciter et seditiose se gerentes, legitime puniant; vt omnibus rebus, ad victum et apparatum bellicum pertinentibus, quae in castra venales inferuntur, certum pretium constituant; vt hostes adoriri, aut a praelio discedere, cum necesse est, milites iubeant, vt denique ea omnia gerant, quae Regi ipsi, si exercitui adesset, essent gerenda.

Regis itaque Polonorum interest, vt ipse exercitibus suis identidem coram praesit, vt etiam filios suos expeditionibus militaribus adesse iubeat, et vt fortitudine atque prudentia et beneuolentiam sibi conciliandi, et clarum nomen sibi comparandi occasionem illis praebeat. Rex enim quanto maiorem sibi aut filiis suis acquirit laudem et gloriam, tanto magis Imperatorum suorum auctoritatem

atque

atque potentiam debilitat, a quibus in toto regno maxime ipsi timendum est, quoniam in nouo Rege creando vniuersa nobilitas eos praecipue suspicere solet.

Imperator exercituum Regni Poloniae supremus iam est Comes Iablonouscius, qui cum parte Francica facit; Imperator autem exercituum Magni Ducatus Lithuaniae supremus est Princeps Sapieha, qui ab Austriacorum parte stare dicitur.

Si Imperatoris alicuius exercituum supremi locus vacat, Imperator exercituum inferior ius ei succedendi habet.

Duo Imperatores exercituum inferiores, et Regni Poloniae, et Magni Ducatus Lithuaniae, in omnibus Marschalcorum iudiciis praesident, et curare debent, vt vbique castrorum excubiae apte disponantur. Eorundem est, exploratores, quotiescunque necessitas exigit, emittere, et tandem animaduertere debent, vt milites peregrini plena stipendia temporibus statutis accipiant.

Munus eius Ducis, qui in expeditionibus supremum in corporis regii custodes exercet imperium, tamdiu tantum durat, quamdiu Rex praesto est. Post huius obitum vero illius quoque potestas cessat.

Praeter illos alia munera non pauca in exercitu dantur, eaque satis splendida, quorum praecipua sunt, munus Vexilliferi supremi, Praefecti instrumentorum bellicorum seu armorum, Notarii militaris, (qui Notarii militares cum tribunis aerariis supremis iidem sunt, cum in Polonico, tum in Lithuanico exercitu) Praefecti excubiarum, qui Praefectus in finibus collocatur, vbi Tartarorum Crimensium, aliorumue imperii Polonici hostium irruptio metuenda est, vt eorum motus quam diligentissime obseruet, et opportuno tempore exercitui de iis nuntium afferrat.

Sed satis de his. Transeamus ad Officiales Regni ciuiles, in quibus primo loco notandi sunt duo Secretarii supremi, vnus Regni Poloniae, alter Magni Ducatus Lithuaniae. Arcana Regis consilia intrandi, et omnia Cancellariorum, cum supremorum, cum vicariorum negotia et instituta attendendi potestas illis est. Ambo Clerici esse debent, et ab hoc officio ad Cancellarii honores plerumque euehuntur. Sigilli Regis custodiendi curam gerunt, et cum hoc munere dignitates Episcopales, easque amplissimas saepissime administrant, sicuti etiam loco et ordine Officiales plerosque in Regno vel in palatio regio versantes, antecedunt.

Secretarios sequuntur Magistri Supplicationum seu Referendarii, et Regni Poloniae, et Magni Ducatus Lithuaniae. Horum functio in eo cernitur, vt singulas literas supplices ad Regem perferant, iisque nomine illius respondeant. Iidem Referendarii in iudicio aliquo regio locum tenent. Eorum omnino quatuor sunt, Clericus nempe et Laicus in Regno Poloniae, et sic quoque in Magno Ducatu Lithuaniae.

Proximum in his Officialibus locum occupant bini Pocillatores vtriusque nationis.

Bini mensarum Structores, et } itidem ex vtraque
Bini Gladiferi, } natione.

Thesaurarius Curiae Regni Poloniae, et Thesaurarius Curiae Magni Ducatus Lithuaniae. Hi Thesaurariorum supremorum, aut absentium, aut muneribus defunctorum vices gerunt.

Thesaurarius Prussiae, cuius functio ea est, vt a prouentuum ex hac prouincia redeuntium Quaestoribus acceptas rationes ad Thesaurarium supremum mittat.

Assessores Tribunalis regii, ad quos pertinent Magistri Supplicationum, Cancellarii vicarii, et alii plures.

Bini Protonotarii in iudiciis aulicis, et Regni Poloniae, et Magni Ducatus Lithuaniae. Horum opera in ciuilibus tantummodo causis adhibetur.

Bini Registratores in Curia vtriusque nationis.

Sequitur Officialis aliquis, cuius partes sunt, vt omnes possessiones atque praedia, quae in Reipublicae Polonicae potestatem deuenerunt, exigat et occupet.

Praefecti vectigalium, qui Thesaurariis supremis, quotiescunque illi desiderant, rationes scriptas tradere debent.

Praefecti metallorum argenteorum plumbeorumque, et salisfodinarum. Hi in operas illorum metallorum potestatem exercent; attamen ab illorum iudicio ad tribunal regium prouocari licet.

Praefecti monetarum, quorum munere Thesaurarii regni supremi plerumque funguntur. Horum officium in eo continetur, vt monetae inspectionem gerant, et inquirant, num genuinae massae et iusti ponderis ea sit.

De primariis aulae regiae Officialibus in epistola proxime superiore, ad Virum summe Reuerendum, Archiepiscopum Canterburiensem, scripta, actum est.

Officia prouincialia in ciuilia et militaria munera distribui possunt. Qui ciuilibus muneribus funguntur, ii sunt:

Camerarius inferior, cui omnes regionis sibi subiectae lites, ex fundorum praediorumque possessionibus ortae, inquirendae componendaeque sunt. Ei subsunt alii nonnulli, qui sine alius verbi additamento Camerarii dicuntur. Hos ex nobilibus, suo imperio parentibus, deligit, et ad officium diligenter et fideliter obeundum iureiurando obstringit. Eosdem vero, cum sibi visum est, a munere pro lubitu rursus amouere potest.

Iudex prouincialis, qui cum assessoribus suis omnes causas et controuersias ciuiles dirimit.

Protonotarius seu Scriba prouincialis, cui pariter ex officio conuenit, vt in his iudiciis sententiam suam aperiat.

Quaestor supremus, cui reditus publici accipiendi sunt, eorumque ratio reddenda est.

Caeteri Officiales, vt Mensarum structores, Pocillatores, Gladiferi, et alii, minoris sunt auctoritatis. Causa vero, cur in vnoquoque Palatinatu eiusmodi Officiales reperiantur, ea est, quod prouincia Poloniae quaelibet suum principem olim habuit, qui in palatio suo his Officialibus vteretur. Haec munera adhuc quidem manserunt; verum qui illis ornati sunt, ii nihil nisi merum nomen gerunt, cum paucis quibusdam priuilegiis, in quibus id praecipuum est, quod, cum Rex in ipsorum Palatinatum venit, ordinarii eius Officiales auli officia sua Regi ad mensam ministrandi, gladium praeferendi, et si quae plures sint eorum functiones, ipsis concedant.

Prouinciarum Officiales ii, qui militares vocantur, sunt Starostae, alii cum iurisdictione, alii sine iurisdictione. Illi, Starostae nimirum cum iurisdictione, sunt praefecti arcium, vrbiumque regiarum. De causis priuatis, quae quidem exigui sunt momenti binis quibusdam hebdomadibus iudicia exercent; grauiores autem causas senis quibusque hebdomadibus diiudicant, nisi forte causae intercedant, quae impediant, quo minus dies illi legibus definiti exspectentur.

Hi Starostae Starostas vicarios, iudices inferiores, scribas, et lictores habent, qui, si quis iudicibus resistere audeat, vi eum coërceant.

Horum Starostarum iurisdictio non modo ad plebem, verum etiam ad nobiles pertinet. Eorundem est, intra ditionem suam prouentus regios cogere, in cuius operae praemium quartam horum prouentuum partem sibi vindicare possunt.

Starostae sine iurisdictione non nisi administratores seu quaestores sunt, qui in leuissimis tantummodo causis ius dicunt.

Burggrauii castellorum et locorum munitorum curam habent, vbi vel per semetipsos, vel per legatos suos excubias disponere debent, et Starostis subsunt.

Reditus prouinciarum, quae sub Starostarum sunt imperio, partim ex agricultura, partim ex artibus manuariis et opificiis redeunt. Quarum prouinciarum nonnullae, eae praesertim, quae Starostis iis parent, qui sine iurisdictione sunt, interdum sunt oppignoratae, quo prouentus regii eo celerius cogerentur.

Hoc loco montanos etiam Officiales, sermone Polonico *Zuppars* dictos, commemorare licet, quibus multi alii Officiales sunt subiecti.

Caete-

Caeteros Officiales Regni Poloniae inferiores, ex ordine tam Clerico, quam Laico, quid attinet, tanta his cum iis, qui in aliis regnis reperiuntur, Officialibus intercedit similitudo, vt diutius illis immorari non sit necesse.

Haec sunt, Vir illustrissime, quae de Senatoribus et Officialibus Regni Poloniae splendidioribus literarum monumentis consignare volui. Non mediocris quidem est arrogantia, quod nomen Tuum illustrissimum narrationi tam imperfectae praemittere ausus sim: Te tamen, Vir illustrissime, ex ea, qua clarus es, humanitate, bonas in partes illud accepturum, eamque mihi praestiturum esse beneuolentiam spero atque confido, vt patiaris me appellari Tuum,

Vir illustrissime,

seruum fidelissimum atque obedientissimum

I. S.

***

Legatus omnibus Palatinatus sui Castellanis, Staroſtis aliisque nobilibus illud Regis institutum sine mora indicat, certumque tempus constituit, quo omnes et singuli conueniant, tam vt de consilio regio, aliisque rebus in comitiis pertractandis deliberent, quam vt Legatum prouincialem sibi deligant, qui ipsorum sententias et decreta inita omnium nomine ordinibus congregatis proponat. Eae, quas paulo ante dixi, ad omnes et singulos Palatinos circumcirca missae epistolae per praeconem, lingua Polonica *Wozny* dictum, proclamantur, et postea omnibus portarum atque templorum foribus affiguntur. Hos ordinum vniuscuiusque Palatinatus conuentus Poloni Comitiola seu comitia minora, lingua autem vernacula *Seymiki* appellant. Verum in casibus extraordinariis hanc comitiorum minorum indictionem sex hebdomadas integras ante comitia vniuersalia fieri necesse non est, vti ex statuto quodam, quod anno millesimo sexcentesimo duodequadragesimo sancitum est, apparet.

Loca, vbi haec comitia minora aguntur, ea sunt, quae sequuntur.

In Polonia inferiore seu maiore.

In Palatinatu Posnanienſi et Calisſienſi Srodae. In Palatinatu Siradienſi Schadcouiae. In Castellanatu Velunenſi Veluni. In Palatinatu Lencicienſi Lenciciae. In Palatinatu Brestenſi et Inouladislauienſi Radzinouiae.

Haec loca anno millesimo quingentesimo decimo legibus publicis (*) huic vsui destinata sunt.

In Palatinatu Dobrinenſi ex decreto quodam, quod anno millesimo quingentesimo sexagesimo septimo compositum est, comitia minora in vrbe Ripino fiunt.

In Palatinatu Plocenſi Razianzi. In Palatinatu Rauenſi Rauae, Sochacouiae et Gombini. In Podlachienſi prouincia his tribus locis, Drogiczyni, Mielnici et Branſci. In prouincia Masouienſi decem locis sequentibus, Cirnae, Varsauiae, Visnae, Vissegradi, Zacroli, Ciechanouiae, Lomzae, Rozani, Liui et Nuri.

In Polonia superiore seu minore.

In Palatinatu Cracouienſi Zatoriae, propter Ducatum Osuiecimenſem, et Prossouiae propter Palatinatum ipsum. In Palatinatu Sendomirienſi Opatouiae. In Palatinatu Lublinenſi Lublini.

In Magno Ducatu Lithuaniae.

In Palatinatu Vilnenſi Vilnae, Osmianae, Vilcomitii et Braclauiae. In Palatinatu Trocenſi Troci, Grodnae, Cownae, Lidae et Ponienuitii. In Palatinatu Polocenſi Polocii. In Palatinatu Nouogrodenſi Slonimi et Volcouiscae. In Palatinatu Vitepscenſi Vitepsci et Orszae. In Palatinatu Brescianenſi seu Polesia Bresciae et Pinsci. In Palatinatu Mscislauienſi Mscislauiae. In Palatinatu Minscenſi Minsci, Modziriae et Reczyczae.

In prouincia Prussia.

In Palatinatu Pomerelliae Inprimisi et Stargardiae. In Palatinatu Mariaeburgenſi Stumae. In Palatinatu Culmenſi Michalouiae et Grudenti. In Palatinatu Elbingenſi Elbingae.

In prouincia Russia.

In Palatinatu Russiae Leopoli, Praemisliae, Sanoci, Haliciae et Chelmae. In Palatinatu Belzenſi Belzae. In Palatinatu Podoliae Camenecii.

Ex quo tempore Camenecium in Turcarum potestate fuit, comitia illa minora Leopoli habita sunt.

In Pa-

(*) Vid. *Herburt.* voce comitia, p. 92. et in edit. Polon. p. 257.

In Palatinatu Kiouienſi et Braclauienſi Zitomiriae, postea vero Volodomiriae, quae vrbs in Volhynia sita est.

In prouincia Volhyniae.

In vrbe Vinnicza, deinde autem Volodomiriae.

In Ducatu Samogitiae.

In vrbe Rosiene.

Vnusquisque nobilis, seu diues, seu pauper, dummodo tria agrorum iugera possideat, e quibus decem Imperialium saltem quotannis capiat, comitiis illis minoribus assidendi libertate fruitur, et eorum, qui illis interſunt, nemo plus altero valet, qui autem ad Poloni nobilis dignitatem non adscendit, ei in his comitiis suffragium ferre non conceditur. Cum quondam in eiusmodi comitiis Marschalcus Comitiorum seu Commissarius supremus creandus esset, accidit, vt horum nobilium aliquis, qui pedibus prorsus fere nudis in iis apparebat, huic electioni tamdiu resisteret, donec is, qui hoc munus petebat, par ocrearum Polonicarum illi donaret. Quas simulatque acceperat, electionem approbauit, eique pro hoc beneficio in se collato suum quoque dedit suffragium.

In horum comitiorum minorum deliberationibus, eodem modo, atque in comitiis maioribus, plerorumque suffragia olim non valebant, sed, antequam aliquid decerni poterat, omnium et singulorum consensus requirebatur. Verum illud innumeras turbas peperit, adeo vt comitia, priusquam de minima re inter ordines conuenerat, saepissime dissoluerentur, idque nulla alia de causa, nisi quod vnicuique, qui huius conuentus socius appellari poterat, libera caeteris omnibus resistendi potestas data esset, vbi hi aduersarii ab vna aut altera factione largitionibus plerumque corrumpi solebant. In his comitiis nobiles inferiores, quorum tenuis est res familiaris, semper praefecti sui partes sequuntur, et, quod ille dicit, sine vlla dubitatione comprobant, quanquam interdum, quae agantur, plane ignorent. Cuiusmodi exemplum sua aetate in prouincia Masouienſi in tali comitiorum congregatione contigisse, Doctor Connorus tradit. De rebus aliquot ad hanc prouinciam pertinentibus ibi deliberabatur. Vbi cum aliquis nobilium primariorum arbitrium reliquorum repudiaret, ii, qui ab huius factione stabant, quamuis ad sententiam propositam ne animum quidem attendissent, haud secus atque insani clamare coeperunt, hanc rem nullo modo fieri posse, cui resistere sorti atque constante animo ipsi decreuissent. Vnus autem e coetu, cum probos illos homines ignorare sentiret, quid tanto cum feruore ac vehementia impugnarent, surrexit, et haec verba locutus est: *Ne tam temerarii estote, fratres, vt huic rei aduersemini; nihil enim poscitur, nisi vt frumentum et vinum adustum aequiore pretio in posterum vendatur.* Quo vix audito, illi statim omnes assensi sunt, atque Dominum suum vt impostorem, a quo per insidias circumuenti essent, increparunt. Quid? quod in eo non acquieuerunt, verum etiam gladiorum suorum periculum in eo facere minitati sunt.

Quamuis igitur vnusquisque nobilis vel infimae conditionis, cuicunque velit, suffragium suum conferre possit, plerumque tamen locupletem ex nobilitate electum Legatum sibi constituunt, qui splendidius se gerere, vitamque muneris eius, quod adeptus est, grauitati et magnificentiae consentaneam possit degere. In singulis Palatinatibus binos plerumque ternosue Legatos creant, quorum vnus vir aetate et prudentia grauis esse, caeteri autem ex nobili iuuentute deligi solent, qui posteriores honoris tantum causa, eumque in finem huic muneri praeficiuntur, vt, quomodo prouinciarum suarum saluti consulere debeant, mature discant. Qui Legati cumprimum creati sunt, a prouinciarum suarum nobilibus, quas conditiones in comitiis maioribus approbare, et quas reiicere debeant, diligentissime instruuntur. Quae mandata excedere nulli Legatorum licet, nisi in praesentissimum

vitae periculum incurrere velit; quo fit, vt, si vnus tantummodo contradicere iussus sit, caeterorum omnium consensus nihil valeat.

In comitiis his minoribus ante omnia Marschalcus Comitiorum deligitur, quem in his conuentibus eadem, quae Marschalco Legatorum prouincialium in comitiis maioribus exsequenda sunt, agere oportet.

(*) In Lithuania qui semel Comitiorum Marschalcus constitutus est, is per totum vitae tempus his honoribus fruitur. Comitiorum Marschalcus quamprimum electus est, Legatus Regis a Legato prouinciarum primario excipitur, et in primo loco ponitur. Hic Regis Legatus primum mandata regia literis consignata ostendit, et deinde conditiones, de quibus ordinibus congregatis deliberandum sit, nomine Regis proponit. Nonnullis horum comitiorum minorum Rex mandata sua per Staroſtam mittit.

Tum ad Legatorum prouincialium optionem acceditur, quae iam ad omnes turbas atque molestias deuitandas ex plerorumque suffragiis institui solet.

(**) Horum Legatorum prouincialium omnium, si Prussicos exceperis, numerus ad centum septuaginta quatuor vulgo excurrit. Quorum posteriorum, Prussicorum videlicet, quantus sit numerus, non satis constat. Anno millesimo sexcentesimo octogesimo quinto eorum erant septuaginta.

Ad Legatorum prouincialium munus Senatores peruenire non possunt; plerumque vero ii deliguntur, qui minoribus magistratibus funguntur. Neque ii, qui in iudiciis superioribus iudicis officium gerunt, cum assessoribus et prouentuum regiorum quaestoribus, aliisque pluribus Legatorum prouincialium munus obire possunt.

Hoc loco, statuti cuiusdam anno quingentesimo quadragesimo sanciti beneficio his Legatis prouincialibus, salaria certa esse destinata, notandum est.

Hi Legati prouinciales primum sub Casimiri tertii imperio in comitia missi sunt. Qui cum tredecim annos aduersus equites ordinis Teutonici bellum gessisset, postremo, vnde copiis suis stipendia solueret, ignorabat. Quem in finem cum tributa publica essent exigenda, ab vnaquaque prouincia certos viros mitti iussit, qui de ea re inter se deliberarent. Id quod tunc temporis factum est, et exinde haec Legatorum mittendorum consuetudo perpetuo mansit.

Postquam eo, quo dixi, modo Legati prouinciales in comitiis minoribus creati sunt, illi cum Senatoribus alia adhuc comitia generalia separatim agunt, antequam in comitiis maioribus apparent. Quae comitia generalia sequentibus locis habentur:

Pro Polonia maiore Coli in Palatinatu Calissiensi.

Huc pertinent Palatinatus, Posnanienſis, Calissiensis, Siradiensis, Lanciciensis, Brestensis, Inoulodislauiensis, Plocensis, Dobrinensis, et Rauensis cum prouincia Vielunensi.

Pro Polonia minore Corcini in Palatinatu Sendomiriensi.

Huc pertinent Palatinatus, Cracouiensis, Sendomirienſis, Russiae, Podoliae, Belzensis et Lublinensis; vi legis cuiusdam anno millesimo sexcentesimo decimo tertio sancitae.

Pro Prussia Grudenti vel Mariaeburgi.

Huc pertinet tota Prussia regia, seu Palatinatus, Culmensis, Mariaeburgensis et Pomerelliae cum Episcopatu Varmiensi.

Pro Magno Ducatu Lithuaniae Slonimi in Palatinatu Nouogrodensi.

Huc pertinent Palatinatus, Vilnensis, Trocensis, Bresciensis, Nouogrodensis, Minscensis, Polocensis, Vitepscensis, Mscislauiensis, Slucensis et Braclauiensis; vi statuti cuiusdam anno millesimo sexcentesimo trigesimo primo compositi.

Caeteri

(*) *Hartknoch.* lib. 2. cap. 6. p. 682.

(**) Vid. Constitut. An. 1581. p. 375. *Hartknoch.* lib. 2. cap. 6. p. 689.

Caeteri Palatinatus, quorum in hac diuisione mentio nulla facta est, comitia quidem generalia etiam habent; quibus autem locis ea celebrentur, nusquam reperire potui.

Cum omnes Legati prouinciales in comitiis congregati sunt, semetipsi in tres nationes, in Poloniae scilicet maioris, Poloniae minoris et Lithuaniae Legatos distribuere solent.

Ex his tribus nationibus Legatorum prouincialium Marschalcus semper eligitur, et primum quidem ex Poloniae minoris, deinde ex Poloniae maioris, et tertio denique ex Lithuaniae Legatis. Interdum dies aliquot acerrimis rixis et contentionibus consumuntur, antequam de Legatorum prouincialium Marschalco deligendo inter ordines congregatos conuenit. Quid? quod nonnunquam accidit, vt in hac re inter se consentire prorsus nequeant; id quod in comitiis anno millesimo sexcentesimo nonagesimo quinto habitis factum est. Tunc enim omnes Senatores et Legati prouinciales (qui tamen, vt apparatum ostentarent splendidissimum, maximos sumtus fecerant, et partim sexaginta fere milliaria Germanica profecti erant) prorsus infectis rebus domum redire coacti sunt, nulla alia de causa, nisi quod nullum firmum de Legatorum prouincialium Marschalco creando decretum confici poterat.

Ad eiusmodi Marschalci dignitatem qui ascendere cupit, grauissimos sumtus impendere necesse habet, quo nobiles magnificentissime excipiat: nisi enim hoc facit, eorum suffragiis hoc munus sibi collatum iri nullo modo sperare potest. Plerumque etiam in Legatorum prouincialium Marschalco deligendo nobiles nullum alium in finem cunctantur, nisi vt eo diutius ex eorum, qui hoc munus ambiunt, sumtibus victitare possint.

Hanc vero dignitatem tanto cum studio atque contentione quaeri, minime est, cur mireris. Ea enim non solum eximio cum splendore est coniuncta, sed etiam maximum affert lucrum. Eam igitur vt consequantur, Legatorum nonnulli omnibus, quae modo excogitari possunt, artibus contendunt. Cum etiam Legatorum prouincialium Marschalcus in comitiis plurimum valeat auctoritate, et sua eloquentia, cui prudentia non deest, res omnes, quo velit, flectere atque dirigere possit, eius amicitiam donis amplissimis sibi conciliare et Regem, et extraneos principes, et viros Regni Polonici primarios studere cernimus.

Simul atque comitiis destinata dies illuxit, Rex cum Senatoribus et Legatis prouincialibus concionem sacram audit, qua recitata, in conclaue Senatorum se confert, vbi ab omnibus Senatoribus salutatur. Legati prouinciales vero in conclaue peculiare (quod Poloni *Izba Poselska* appellant) se recipiunt, et de Legatorum prouincialium Marschalco constituendo deliberant. Interea is, qui in comitiis proxime superioribus Legatorum prouincialium Marschalcus fuit, omnia ad hoc munus pertinentia negotia, donec alius creatus est, exsequitur. Quo facto statim scipionem Marschalco recens electo tradit, qui, antequam officium suum init, iureiurando fidem debitam se constanter seruaturum esse, polliceri debet.

Post hanc electionem confectam hic Marschalcus cum omnibus Legatis prouincialibus in conclaue Senatorum intrat, vbi cum iis a Rege, qui in solio in hunc vsum singularem erecto ad manum sibi osculandam admittitur. Deinde Regis nomine conditiones, de quibus deliberandum est, promulgantur, et ordinibus vniuersis exquisite commendantur. Ne autem Regis praesentia illis impedimento sit, aut timorem iniiciat, ille, postquam ea, quae commemoraui, facta sunt, confestim e conuentu discedere solet, et tum Senatores atque Legati prouinciales, et quidem vtrique in conclauibus separatis de propositis conditionibus consultare incipiunt.

Hoc loco mihi subit lepida illa annotatio, quam Hauteuillius Regnum Polonicum describens de Comitiis Polonicis literis consignatam reliquit. Dicit enim, ordines congregatos in potationibus et comessationibus plus temporis, quam in causis reipublicae consumere, neque vnquam, priusquam pecuniae, quibus

vinum Hungaricum emere possint, se deficiant, de causis, ob quas conuenerint, cogitare.

Conditionibus, de quibus in comitiis agendum est, eo, quo diximus, modo, a Cancellario Regis nomine propositis, Legatorum prouincialium Marschalcus horum Legatorum vniuersorum nomine, quae illi a Rege fieri velint, itidem declarat. Quae postulata ea sunt, quae sequuntur:

Primum, vt, quibus respublica vel populus se grauatum sentiat, ea omnia tollantur.

Deinde vt omnia munera vacua idoneis et bene meritis viris tradantur.

Huic Marschalco in comitiis in Legatorum prouincialium conclaui eximia est auctoritas. Hic Legatos prouinciales silere iubet. Quae ab illis decernuntur, ea omnia Regi Senatuique proponit. Rebus itaque sic se habentibus, maximo eum vbique honore affici, et ministros aulicos, vt gratiam eius retineant, omni ratione laborare, facillime credas.

In Legatorum prouincialium conclaui eadem fere, quae in comitiis minoribus, consultationum est ratio. Nullus, nisi prius a Marschalco veniam petierit, sententiam suam dicere debet. Idem Marschalcus solus eos, qui aut a Rege, aut a Senatoribus, aut ab exercitu, aut ab extraneis principibus ad Legatorum conuentum missi sunt, in conclaue introducere et orationi eorum respondere solet. Si forte inter Legatos prouinciales rixa, aut inter spectatores tumultus oriatur, nihil aliud nisi scipione officii sui signo pauimentum pulsat, et omnes turbae atque discordiae sedantur.

Quamuis igitur Senatores et Legati prouinciales loco a se inuicem separati sint, consilia tamen identidem inter se conferre consueuerunt, sicuti apud nostrates inter Parlamenti domum superiorem et inferiorem fieri solet. Legati prouinciales ab omnium iudiciorum assessoribus aliisque Officialibus rationis exigendae potestatem habent. Immo vel Regem ipsum, quotiescunque necesse videtur, de eo, quod tunc, cum coronabatur, dedit, iureiurando admonere iis concessum est. Praesertim vero eorum potestas inde apparet, quod nulla, nisi in ipsorum conclaui sancita et confirmata sit, imperii lex valeat. Quid? quod eorum Marschalcus omnes leges primus literarum monimentis consignare, et si quid de iis constitutum est, illud Senatui recitare ille solus debet. Quam ob causam anno millesimo sexcentesimo duodeseptuagesimo legem quandam Marschalcus impugnauit, quoniam prima eius compositio in Senatu facta erat. Quod autem maxime mireris, illud est, quod vnius Legati prouincialis sententia contraria vniuersorum ordinum decreta infirmare et efficere possit, vt comitia prorsus dissoluantur.

Huic tantae Legatorum prouincialium auctoritati non parum accessit incrementi, cum anno millesimo quingentesimo decimo Sigismundus primus legem condidit, vt, si quis Senatorem aut Legatum prouincialem violasset, id pro crimine laesae maiestatis haberetur. Quam legem licet idem Rex anno millesimo quingentesimo vndequadragesimo de Rege tantum valere iuberet, eam tamen Iohannes Casimirus anno millesimo sexcentesimo vndequinquagesimo quodammodo instaurauit.

(*) Horum Legatorum prouincialium si quis aliquid deliquerit, a nemine, nisi a sociis suis, hoc est, a caeteris Legatis prouincialibus ad poenam trahi potest. Quod prouincialium Legatorum priuilegium mense vno ante comitia incipit, et eiusdem temporis spatium post finem eorum durat.

Ex his Legatis prouincialibus aliquot Marschalcus nonnunquam deligit, qui conditiones quasdam separatim inquirant atque componant.

Legati prouinciales in conclaui suo permanent, donec comitia durant; quinque autem dies ante finem eorum omnes et singuli in Senatorum conclaue se recipiunt, id quod *comitia ad patres transferre* dicunt. Quod si autem statuto tem-

(*) Constitut de a. 1649.

tempore omnia pertractari non potuerunt, a Rege petunt, vt comitia longius velit producere.

Interea, dum Legati prouinciales in conclaui suo saluti publicae consulere studeant, neque Senatores in conclaui suo cum Rege tempus otiose transigunt. Cum enim post conditiones, quae in comitiis tractandae sunt, a Cancellario propositas Legati prouinciales e Senatorum conclaui discesserunt, per integram hebdomadem de rebus capitalibus et forensibus in Senatu agitur. Quo temporis spatio praeterlapso, alias quasdam res, quibus singulis certi dies destinati sunt, tractandas Senatores sibi sunt, donec alia e conclaui Legatorum prouincialium deliberanda in medium proferantur.

Paulo ante, quam Senatores et Legati prouinciales in vnum conclaue coëunt, Legatorum prouincialium Marschalcus bene structam et elaboratam habet orationem, in qua Legatis prò singulari eo honore, quem sibi in tradendo Marschalci insigni exhibuerint debitas persoluit gratias. Cui Legatorum prouincialium aliquis omnium nomine respondet, et pro ea, qua muneri suscepto praefuerit, fide ac diligentia gratias agit mutuas.

Cum Legati prouinciales in Senatum veniunt, in Marschalcorum supremorum, qui ad Senatorum numerum pertinent, sella, Legatorum prouincialium Marschalcus considet. Reliqui Legati stant pone Senatores caeteros ex ordine sedentes. Quamdiu igitur hoc modo congregati sunt, leges pristinas confirmare, nouas sancire, aut etiam atiquas abrogare solent. In hoc conclaui nemini nisi eius potestas Marschalco supremo ei data sit, verbum facere licet.

Simulac Senatores et Legati prouinciales in vnum conuenere locum, potestas Marschalci Legatorum prouincialium desinit. Munus autem eius tunc administrat Marschalcus supremus Regni Poloniae aut Magni Ducatus Lithuaniae, aut illis absentibus, alius ex iis Regni Officialibus, qui in Senatu locum obtinet.

Marschalci supremi est, non solum Legatos prouinciales, verum etiam Senatores ipsos, si forte in oratione fines praescriptos excedant, ad debitam modestiam adhortari. Et si qua discordia seu tumultus oriatur, scipione suo pauimentum pulsare solet, quo signo silentium imperat.

Rex sententiam suam non prius dicit, quam de conditionibus controuersis inter Senatores et Legatos prouinciales conuenit. Id quod se diligentissime obseruaturos esse, Reges, Henricus et Stephanus, promiserunt, vti ex libro, in quem leges eorum conscriptae sunt, pag. 254. apparet.

Si in comitiis lex noua aut statutum nouum sanciri debet, Legatos prouinciales primo per Marschalcum suum illud proponere oportet, et tum penes Regem et Senatores est, num id approbare velint. Antequam vero eiusmodi lex vllum valorem habere potest, a Marschalco supremo et duobus Legatis prouincialibus, aut a tribus Senatoribus et sex Legatis prouincialibus denuo eam recognosci oportet. Quo facto Legatorum prouincialium Marschalcus vniuersis ordinibus praesentibus eam publice recitat, et tum Cancellarius clara voce interrogat: Num Regi, Senatoribus Legatisque prouincialibus sigillum ei inprimi placeat? Qui cum eam sibi placere dicunt, sine mora obsignatur, et simulatque conuentus discessit, eam Varsauiae in eo conclaui, vbi imperii statuta asseruantur, reponi Legatorum prouincialium Marschalco curandum est. Tum eam a typographis excusam in vulgus edi, et in omnes Regni Polonici prouincias et in omnia tribunalia mitti, regiorum Secretariorum aliquis videre debet.

Quod si comitia propter vnius et alterius pertinaciam dissoluantur, nullam legem in vulgus edi licet. Quapropter anno millesimo sexcentesimo sexagesimo quinto Legati prouinciales Marschalcum suum verbis grauissimis et acerbissimis obiurgarunt, quod comitiis dissolutis decreta in medium prolata tantummodo describi passus esset.

Cum caeteris comitiorum decretis omnibus eodem modo agi solet. Haec enim cumprimum Referendarius publice recitauit, literarum monumentis man-

dantur, subscribuntur, obsignantur, et prelis typographicis subiiciuntur. Decreta autem ad aerarium et fiscum pertinentia non nisi Protonotarius aliquis ad hoc officium singulare constitutus subscribere solet.

Ex imperii legibus non diutius, quam sex hebdomadas comitia durare concessum est, quod tempus nobiles tam diligenter obseruare solent, vt eo praeterlapso sine vlla cessatione Marschalcum suum ad Regem mittant, qui Marschalcus eorum nomine Regi valedicat, et manus eius osculandae copiam ab eo petat, quod et statim impetrat. Quam consuetudinem tam pertinaciter conseruant, vt, quamquam comitiorum productionem vel summa necessitas exigat, constantissime tamen repugnent; sicuti anno millesimo sexcentesimo vndequinquagesimo factum est, cum totum fere regnum a Tartaris et Cosacis inundatum quasi erat.

Causa, ob quam huic consuetudini tanta cum constantia insistant, vt ego coniicio, ea est, quod illo tempore tam ipsorum pecunia, quam vinum, cereuisia, et alia ad victum pertinentia, quae domo secum opportarunt, omnia absumta sint; id quod nemini, qui satellitum aliorumque, quos secum ducunt, Officialium multitudinem atque frequentiam secum perpendit, mirum videri existimo.

Quae in comitiis tractantur, ea aut noui Regis electionem, aut eius nuptias, aut Legatorum quorundam ad principes exteros missionem, aut bellum et pacem, aut tributa vniuersalia ad bellum persequendum, aut foedera cum aliis principibus pangenda, aut alia denique negotia publica spectant. In omnibus causis forensibus, quae ab hominibus priuatis aguntur, postrema a iudiciis prouocatio ad hanc publicam ordinum congregationem dirigitur; vti ex ea, quae equitum Maltensium Ordini cum Principe Demetrio Wiesnowiscio, qui ea, quae affinis eius, Dux Ostrogensis, huic Ordini destinauerat, sibi retinuerat, intercessit, controuersia luculentissime conspici potest. Etiam de rebus capitalibus in comitiis iudicia exercentur et dirimuntur. Exempli causa, Gonczescio, Imperatore exercituum Magni Ducatus Lithuaniae inferiore, interfecto, percussoribus ea in comitiis adiudicata est poena, vt omnes et singuli per carnificem capitis supplicio afficerentur.

In causis ad laesae maiestatis crimen pertinentibus Regem iudicio coram adesse, concedere Poloni nolunt. Vnde etiam Marschalcus Lubomirscius de Rege Iohanne Casimiro conquestus est, cum se condemnasset, quod ex obedientiae Regi debitae negligentia comitiis non interfuisset. Quid? quod in eiusmodi causis diiudicandicis ne Legati quidem prouinciales admitti solent, quamuis Rex Stephanus Batorius efficeret, vt in comitiis anno millesimo quingentesimo octogesimo secundo Varsauiae habitis, cum Sborowscio proditionis accusato poena statueretur, illi Legati iudicio adhiberentur, vt omnes et singuli iniuriae sibi illatae testes essent.

Porro in comitiis fieri solet, vt extranei in Polonorum nobilium numerum recipiantur, et domestici, ignobili stirpe nati nobilitentur. Quem honorem nemo olim consequi poterat, nisi qui per sat longum tempus praeclare ac fortiter in bello se gessisset, aut alio modo egregiam reipublicae nauasset operam. His autem temporibus nulla alia merita, nullae aliae laudes, nullae aliae virtutes ab iis, qui hunc honorem appetunt, requiruntur, nisi vt diuitiis satis instructi sint, quibus aulicorum beneuolentiam, aut virorum primariorum deprecationem sibi concilient. Qui igitur Indigenatum, vt ipsi vocant, id est, nobilitatem ambiunt, iis nihil opus est, nisi vt apud Legatorum prouincialium Marschalcum nomen suum profiteantur, cuius est, eorum, qui in Polonorum nobilium ordinem referri volunt, nomina in indicem conscribere. Deinde breuem relationem de ipsorum stirpe, nominibus, cognominibus, genere atque rebus gestis, literis consignatam ordinibus congregatis tradere eos oportet, insignibus, quibus vtuntur, in medium positis. Si preces eorum in comitiis ratae fuerunt, et literas ipsi acceperunt, in quibus publice nobilibus adscribuntur, Legatorum prouincialium Marschalco, se Regi atque patriae suae fidem et obedientiam perpetuam esse praesti-

praestituros, iureiurando promittere eos oportet, quo facto scriptum dati huius iurisiurandi testimonium a Marschalco accipiunt.

Licet igitur illi viri communi ordinum consensu nobilitati sint, attamen non nisi mediocris momenti muneribus praeficiuntur, et in aliis nobilibus suffragiorum ferendorum potestatem nanciscuntur. Verum ad amplissimos honorum gradus ne Rex quidem, neque eos ipsos, neque liberos eorum euehere potest, nisi post tertiam demum generationem, cum eorum fides, probitas et patriae amor, reipublicae satis cognitus sit atque perspectus.

Etsi praeter Regem, Senatores Legatosque prouinciales nemini in comitiis aliquid agendi dicendiue potestas conceditur, aliorum tamen hominum innumerabilis fere multitudo eo confluere solet. Principes extranei Legatos eo mittunt, quibus Dominorum suorum salus et emolumenta in comitiis sunt curanda. Nobilium plerique, quibus magnifice viuendi facultas non deest, ii nullum alium in finem, nisi vt aliquid spectent, et vt ipsi spectentur, cum vxoribus et liberis eo se conferunt. Filii eorum tunc temporis cum aliis nobilibus adolescentibus familiaritates ineunt, et cum foeminis iuuenibus ac generosis aequas saepissime nuptias contrahunt, quas foeminas quoque non nisi innotescendi et virorum illustrium amorem sibi conciliandi ardor in eum locum compulit, vt illis matrimonio iungantur. Vt breuibus rem complectar, in ea vrbe, vbi comitia aguntur, vniuersalis quasi omnium, per totum regnum dispersorum, ordinum, sexuum atque aetatum est congregatio, adeo vt in singulis comitiis triginta, imo quadraginta hominum millia consueto numero incolarum accedere soleant.

Nihilominus tamen, cum vnusquisque nobilium ea, quibus sibi opus est, domo secum afferat, res ad vitam sustentandam necessariae non nimis magno pretio constant. Imo plerique ligna, quibus ad ignem alendum vtuntur, et pabulum equorum in Vistula Varsauiam deuehuntur, qui quidem ex hac regione illuc perueniunt. Porro etiam ex Germania, Suecia, aliisque finitimis prouinciis multi viri illustres huic vniuersali ordinum Polonicorum conuentui interesse solent; id quod vtique splendidissimum praebet adspectum, dignumque, quem diligentissime contempleris.

Eodem tempore tanta militum, Heyduccorum, quos vocant, et pedissequorum turba vrbis plateae nunquam non refertae esse solent, vt singulis fere noctibus rapinae et furta perpetrentur, et qui tutus esse velit, ne rerum suarum detrimentum capiat, aut prorsus omnibus vestimentis spoliatus nudus relinquatur, eum per noctis tenebras domi se continere necesse est. Neque vero aliter fieri vix potest. Nobiles enim Poloni ministris suis tam parum salarii praebent, (quandoquidem, qui equestri ministerio fungitur, singulis quibusque hebdomadibus non nisi septenos circiter grossos cum sex nummis mercedis loco accipit, quibus se et equum suum alat) vt facere non possint, quin aut rapinis viuant, aut molestissimis laboribus suscipiendis victum sibi quaerant.

Eadem causa subest, quod horum nobilium visitatio nemini fere grata sit. Senatores primarii, et inprimis imperatores militares tam frequentem comitatum secum adducunt, vt Rex ipse securitatis ergo excubias suas augere necesse habeat. Quod ni faceret, a nobilitatis audacia plurimum incommodi sibi timendum foret, quae nobilitas minas in os eius coniicere, et verbis asperrimis et contumeliosissimis eum increpare saepissime non dubitat.

Horum nobilium nonnulli satellitibus cinguntur, qui satellites continua, eaque interdum duplicata, serie a suis inde habitaculis vsque ad palatium regium stant, in quo comitia celebrantur.

Ordo locorum, in comitiis obseruari solitus, is est, qui sequitur. Primum locum Rex obtinet, qui sub tegumento in solio sedet, cui vtrinque insignia Poloniae et Lithuaniae superimposita sunt. Vtraque latera solii decem supremi Regni Officiales circumstant, et quidem Polonici a dextra, Lithuanici vero a sinistra.

Tum sequuntur Episcopi in duas series distributi, quarum vna a dextra cum Archiepiscopo Gnesnensi, altera a siniſtra cum Archiepiscopo Leopoliensi considet. Sub Episcopis et pone eos sedent Senatores secundum diuersos ordines, in quos distinguuntur, et pone hos stant Legati prouinciales, omnes omnino capitibus detectis. In Senatu omnes Senatores coram Rege capita obtegunt, et in eius praesentia sedent, aliis autem in locis capitibus apertis coram eo stare solent.

Qui in comitiis locum tenent, et suffragiorum ferendorum potestatem habent, peculiari vestimento ibi vti non solent, sed vestibus, quas alioqui gestare consueuerunt, induti, et gladiis seu acinacibus latera cincti apparent. Idem in omnibus totius Regni iudiciis aliisque muneribus mos obtinet (*). Rex quidem Sigismundus Augustus Palatinos, Castellanos ac Legatos prouinciales amictus diuersitate distinguere voluisse dicitur; verum illud propositum successu caruit.

Ex nulla re nobilitatis Polonicae aequalitas tam manifesto apparet, quam ex ordine, qui in comitiis cum maioribus tum minoribus obseruatur. Etsi enim omnes sic dicti ingenui in maiorem et minorem, seu potius in locupletiorem et pauperiorem nobilitatem a Polonis distribuuntur, parem tamen in comitiis et maioribus et minoribus habent potestatem, et cum nouae leges sanciendae aut antiquae abrogandae sunt, fieri solet, vt maior nobilitas minori cedere cogatur, cum haec posterior non modo priorem multitudine vincat, sed etiam saepissime, si verba vana sunt, acinace decreta sua tueatur. Potentia nobilium inferiorum ob numeri magnitudinem tanta et tam insignis est, vt maior nobilitas quodammodo ex eorum arbitrio viuere et ab eorum violentia metuere necesse habeat. Vnde etiam haec illorum beneuolentiam omnibus modis sibi acquirendam, indignationem vero, quantum fieri potest, deuitandam esse, optime intelligit. Id quod in aliis inde colligi potest. Cum nobiles superiores inferiores compellant, *Mosci Panowie Bracia*, id est, *Clementissimos Dominos Fratres* eos vocant; quae appellatio maximum verae (aut saltem simulatae) amicitiae perfectaeque aequalitatis est testimonium. Et cum anno millesimo sexcentesimo sexagesimo septimo haec nomina essent omissa, non leuis contentio et controuersia super ea re excitata est.

Rex Casimirus cum intelligeret, quantas turbas id pareret, quod vnusquisque nobilis vel infimae sortis in comitiis minoribus loci alicuius obtinendi et suffragiorum ferendorum ius sibi vindicaret, legem tulit, vt in Legato prouinciali deligendo sententiam dicere nemini liceret, nisi is, ad quem ducenti saltem Coronati quotannis redirent. Hanc autem legem cum Palatinus Posnanienſis in suam prouinciam introducere vellet, non modo acerrimis conuiciis laceratus est, sed etiam in praesentissimum vitae periculum incidit, id quod euaderet, maxime habuit, cur sibi gratularetur.

Hi Legati prouinciales, quorum electio non nisi penes minorem singularum prouinciarum est nobilitatem, pari modo in comitiis ob numerum potiorem tanta valent auctoritate, vt horum arbitrio plurimis in rebus parere Rex et Senatores cogantur; siquidem hi posteriores ne minimam quidem rem suscipere neque decernere possunt, nisi horum Legatorum prouincialium libera approbatio atque consensus accedat.

Quod igitur omnes tres reipublicae Polonicae ordines tam arcto societatis vinculo sint coniuncti, ex eo maximam inter illos concordiam oriri oportere facile aliquis existimet, quae concordia efficiat, vt in conuentibus et consiliis suis omnes omnino salutis publicae rationem habeant, eamque salutem coniunctis viribus adiuuare contendant. Verum priuatorum emolumentorum acquirendorum studium, et nimia non modo cuiuslibet ordinis reipublicae, sed etiam vniuscuiusque hominis singularis, cui aditus ad comitia patet, licentia prorsus alia omnia gignit. Nulla enim Europae vniuersae comitia neque maiora neque minora, neque vllam aliam ordinum congregationem grauioribus turbis, periculosioribus

(*) *Hartknoch.* lib. 2. cap. 3. p. 512.

sioribus conspirationibus et pestilentioribus molitionibus obnoxiam esse, quam comitia Polonorum, id vero inter omnes constat. Vnde etiam proficiscitur, quod in iis certa atque stabilia rarissime conficiantur decreta, quamuis res, de quibus deliberatur, vel maximi sint momenti.

Hae turbae et discordiae pernicioſissimae duabus illis factionibus potentissimis, Austriaca et Francica vel maxime aluntur. Nemo enim non nouit, quantum Imperatorum interſit, vt cum Polonis amicitiam colant, et aduersus communes ipsorum hostes, Turcos et Tartaros, arctissima cum iis societate sint coniuncti. Contra vero e re partium Francicarum est, vt hac coniunctione quouis modo diremta Imperatoris vires ad imperii sui fines prorogandos debilitentur. Qua in re Poloni tam imprudenter agunt, vt neque Imperatorem, neque Franciae Regem in ipsorum amicitia quaerenda et conseruanda animo esse sincero atque insucato, nullo modo secum perpendant, cum profecto vterque iis non nisi instrumentis vtatur, quorum ope sua consilia eo felicius expediant.

Has factiones extraneas nihil magis adiuuare iisque manum quasi porrigere potest, quam absoluta illa potestas, quae vnicuique comitiorum generalium assessori conuenit. Regi enim, Senatoribus et Legatis prouincialibus in re quadam approbanda aut reiicienda par est suffragium, par auctoritas. Neque ad plurimorum voluntatem et arbitrium caeteri se accommodant, sed si quid decernendum est, communis omnium omnino trium ordinum consensus et libera singularis cuiuslibet assessoris comprobatio requiritur. Quapropter si vel vnus tantummodo, cuius sententia aliquid valet, consensum suum dare recuset, ea, quae caeteri vnanimi approbatione constituerunt, omnia confestim corruunt. Immo, quod magis mireris, si exempli gratia triginta conditiones approbandae essent, quarum vndetriginta communi omnium ordinum consensu receptae forent, trigesimam vero vnus tantum Legatus prouincialis impugnaret, non solum trigesima haec conditio, sed etiam caeterae omnes omnino irritae haberentur; idque ideo, quia non omnes conditiones, prius propositae, communi cunctorum ordinum atque assessorum consensu essent comprobatae.

Sic quoque nullam legem in comitiis sanciri posse contendunt, nisi ea rite et legitime sint finita. Postulant etiam, vt omnes propositae quaestiones vnanimi cunctorum sententia approbentur, quod rarissime fieri solet. Plerumque enim vnus et alter reperitur, qui largitionibus corruptus aut aliis rationibus inductus reliquorum arbitrio resistat, et commodum priuatum saluti publicae saepissime praeferat. Qua in re deterrima pestis ea est, quod male animati illi comitiorum assessores pertinacis huius repugnantiae causam aperire nulla lege cogantur. Ex consueto enim more nihil dicunt, nisi haec verba: *Nie pos volam*, id est, *hoc mihi non placet*. Quo facto e conuentu protinus discedunt, et plerumque ex ipsa vrbe proficiscuntur, verentes, ne quis ordinum praesentium (id quod saepius factum est) manus violentas sibi iniiciat, quibus vel e medio tollantur, vel aliis saltem modis male excipiantur.

Ex iis, quae adhuc commemoraui, Vir clarissime, Te luculentissime perspecturum puto, quam facili negotio vnusquisque princeps extraneus ea omnia, quae in his comitiis agantur, impedire et labefactare possit, si quodammodo tantum suis obstare commodis videntur. Quod si Polonia pacata est, respublica autem populo cuidam bellum inferre cupit, Francia, si hoc propositum minus sibi placeat, Senatores aliquot aut Legatos prouinciales pecuniis facile eo flectit, vt huic belli gerendi consilio acerrime se opponant. Quod si autem nonnulli e primoribus regni constantia sua animique alacritate efficiant, vt institutum succedat, adeo vt bellum decernatur, attamen Regi Franciae viae non desunt, quibus hanc rem prudenter eo perducat, vt neruus rerum gerendarum, id est, pecunia ad bellum persequendum necessaria nunquam non deficiat; id quod Rex modo dictus in bello, a Iohanne Sobiescio contra Turcos atque Tartaros gesto callidissime perfecit. Neque tamen, Polonis in bello aduersus duos illos, quos modo dixi, Christiani

nominis hostes haereditarios gerendo occupatis, Imperatoris Romani, cuius saluti eo consulitur, palatio Episcopi probi et integri, aliique viri nunquam desunt, qui in comitiis omnem operam et omnia consilia eo conferant, vt bellum tamdiu continuetur, quamdiu domus Austriacae emolumenta poscant, causam interserentes, haec omnia ad Dei gloriam et sellae Apostolicae salutem spectare. Id quod in praesente bello (*) clarissime intelligitur. Poloni enim continuis et perniciosissimis Tartarorum incursionibus per quindecim propemodum annos miserrime vexati, magnaque ex parte ad infimam egestatem redacti sine dubio omnes et singuli ardentissimo cum desiderio pacem exoptant, quod pacis desiderium ab obsidione Viennensi inde omnibus in comitiis patefecerunt. Nihilominus tamen aut intestinis discordiis exagitati, aut factione Austriaca sollicitati nihil adhucdum hac de re decernere potuerunt. Austriaca igitur factio efficit, vt bellum molestissimum illis persequendum sit, Francica autem facit, vt idem bellum iustis et necessariis viribus geri nullo modo queat. Quapropter misera illa Polonia ob has duas factiones vbique fere deuastatur, dum ex vna parte nulla pax componi possit, qua terribiles illae depopulationes auertantur, ex altera autem parte nulla idonea subsidia comparari queant, quibus bellum in hostium illorum saeuissimorum et atrocissimorum prouincias transferatur.

Senator quiuis et Legatus prouincialis, dicendi copia a Marschalco impetrata, orationem, quantum vult, producere potest. Immo quae ipsi libet, dicere licet; quandoquidem saepissime non semetipsi tantum inhumanissimis atque asperrimis verbis proscindunt, verum etiam in ipsum Regem praesentem conuicia iactare non verentur. Vocant eum coram periurum, iniustum, et si quae plures sint eiusmodi contumeliosae et ignominiosae appellationes. Leuissima quaque et futilissima causa commoti cum in Regem ipsum, tum in liberos eius varias minas coniicere minime dubitant. Quae insolentia plerumque inde oritur, quod ebrii in comitiorum conuentu appareant, vbi deinde garriunt, quicquid in buccam ipsis venit, siue ad rem praesentem faciat, siue ab ea abhorreat. Interdum temulenti illi homines duas aut tres horas continuas blaterare solent, et cum tandem desinunt, ea, quae effutiuerunt, omnia absurda, nugisque et ineptiis tam referta fuerunt, vt aliis dedecori atque ignominiae cesserint. Caeteris assessoribus, qui vino minus obruti sunt, incredibili patientia opus est ad eiusmodi conciones audiendas, et nemo tamen eos interpellare audere debet. Marschalco quidem soli illud facere liceret, cui potestas est, silentium illis imperandi; qua vero potestate si vteretur, procul dubio comitia dissoluerentur, is enim, qui hoc modo inuitus tacere cogeretur, e conuentu discederet, reliquorum sententiis refragatus. Tutissima ergo via ea est, quod eiusmodi garrulos orationes suas ad finem perducere sinant, et nugas eorum sibi displicere ne vultu quidem significent.

Interea nemo obseruat, eadem de causa Polonicam reipublicae administrandae formam deterrimae conditionis, legesque et immunitates huius regni admodum periculosas esse, et denique ab vniuscuiusque comitiorum assessoris absoluta et prorsus libera potestate totam rempublicam in seruitutem quasi aut cogitationum stultarum, aut pertinacis singulorum hominum arrogantiae redigi. Iniquius enim aliquid aut absurdius inueniri num potest, quam quod, postquam omnes Senatores et Legati prouinciales ex tam longinquis prouinciis, et tantis sumtibus factis, ad comitia profecti sunt, et cum Rege ad totius regni salutem de rebus tam multis et tam grauibus deliberarunt, quod, inquam, his omnibus factis, cuiuis male animato aut forte largitionibus corrupto homini caeterorum omnium decreta infirmare, et vniuersorum ordinum coniunctionem disturbare, immo comitia prorsus dissociare liceat, idque nulla alia de causa, quam quod ipsis ea non placeant?

Hoc satis indicat, Vir clarissime, grauissima negotia non modo ex diligentibus prudentium et sobriorum virorum deliberationibus, sed etiam ex stultis et temerariis vecordium et male animatorum hominum pendere opinionibus. Immo ex eo, quod priuato cuiuis homini tam immodica et effrenata licentia concedatur, cum nationi Polonicae vniuersae, tum praesertim comitiis libertatem plane deesse, rectissime colligitur.

(*) Cui nunc per pacem Carlouitii factam finis impositus est.

Id vero statutum, ex quo in comitiis sine communi omnium consensu nihil decerni, et plurimorum suffragia neutiquam valere debent, non nisi eo spectat, vt Regi omnes viae atque consilia adimantur, quibus ad perfectam et absolutam potestatem peruenire possit. Nullo enim modo fieri posse Poloni existimant, (in quo neque falluntur) vt Rex omnes et singulos ordinum conuocatorum, nullo homine excepto ad eiusmodi conditionem comprobandam moueat, quae sibi suaeque libertati aliquo modo obesse possit; id autem persacile fieri posse, vt ea, qua valet, auctoritate aut magnis pollicitationibus pleraque suffragia in suas partes pertrahat. Propter effectus pestiferos, quos hoc statutum nunquam non peperit, et qui etiam necessario inde oriuntur, lex quidem aliquando lata est, vt in posterum in consultationibus publicis ea valerent, in quibus decernendis bini ordinum praesentium trientes essent consensuri. Veruntamen plerique libertatis amore ita erant capti, vt hanc legem prorsus reiicerent. Frustraneum itaque et irritum fuit hoc institutum.

Quibus omnibus probe et diligenter ponderatis, merito mireris, quomodo fieri potuerit, vt tam iniquis et exitiosis legibus atque statutis Polonica natio per mille annos floruerit, et non modo regnum tam amplum et spatiosum quiete et tranquille possederit, verum etiam antiqua iura atque priuilegia ad hanc vsque aetatem constantissime defenderit. Tum id quoque singulare aliquid merito dicas, quod Poloni omnium, quas semel consecuti sunt, immunitatum non modo ne vnam quidem sibi detrahi aut diminui non patiantur, sed eas etiam, quotiescunque Rex nouus creatus sit, splendidissime augeant atque amplificent. Poloni ipsi, cum Regis sui potentiam, absolutam et nullis fere legibus adstrictam licentiam, quam vnusquisque nobilis in sua prouincia sibi arrogat, tum comitiorum suorum turbas et seditiones, incuriam denique, quam Officiales in officii sui partibus exsequendis adhibent, cum haec omnia, inquam, Poloni secum reputant, ipsi fateri coguntur, miraculo non absimile esse, quod per tam longum tempus stare potuerint; siquidem Doctor Connorus Polonos ipsos saepissime audiuit, cum dicerent, suam conseruationem Deo soli esse adscribendam, qui ad vniuersae Europae salutem terram ipsorum aduersus hostes nominis Christiani haereditarios, Turcos et Tartaros, inuictum propugnaculum constituere voluisset.

Nos quidem, quod in eo, quo nunc est, statu per tot saecula Respublica Polonica sit conseruata, singulari cuidam et extraordinariae Dei curae ac prouidentiae tribuere necessarium non esse arbitramur; sed potius diuinam prouidentiam, sicut alias, ita hic quoque causis naturalibus succurrisse statuimus. Vnde nationem Polonicam ex naturalibus etiam et rationi humanae non inaccessis causis non solum tam diu constare potuisse, verum etiam tam diu, quam vllum Europae regnum, variis de causis, iisque minime absurdis constiturum esse, contendere audemus.

Primum quamuis Regis potestas per leges sat arctis finibus includatur, eius tamen facultas et auctoritas tanta est, vt res in comitiis tractandas, praesertim eas, quae ad salutem publicam pertinent, ex suo arbitrio disponere queat. Iis enim conditionibus, quibus totius populi commoda adiuuantur, repugnare perpauci (paene dixerim, ne vnus quidem) audebunt, nisi Senatorum et Legatorum prouincialium haud exigua pars eodem sit animo. Causae, ob quas nemo facile hoc moliatur, eae sunt. Primum quoniam qui hoc modo comitia plane dissoluit, non modi sibimetipsi, verum etiam posteris suis maculam inurit foediſſimam. Tum qui conuentui tam illustri absque idonea causa resisteret, is in praesentissimum vitae discrimen incurreret: Poloni enim in eiusmodi rebus ad acinaces stringendos admodum promti atque parati sunt, eosque, qui decretum ad salutem

publicam augendam spectans interpellare conantur, quamuis vel ipsis legibus adiutos, grauissimis vulneribus conficere solent. Si quis ergo in comitiis reperiatur, qui a caeterorum sententia discedat, sine vlla dubitatione existimandum est, aut Regem sua auctoritate non satis vsum esse, qua eum ad saniorem mentem perduceret, aut illum non satis callidum fuisse, quo eum leui munusculo sibi conciliaret, aut illum ipsum eius consensum non optasse, aut denique haud exiguum Senatorum et Legatorum prouincialium numerum cum eo, qui aliorum sententiae resistit, clanculum facere, eiusque opera vti, quo conditionem quandam infirment, quae forte ob commoda priuata ipsis minus placuerit. Si quis enim Senatorum peculiaribus, quibusdam rationibus commotus conditionem aliquam ab omnibus comprobari non vult, ipse cum vitae suae periculo caeteris omnibus refragari minime audet, sed Legatum quendam prouincialem sortis inferioris tantae multitudinis furori immolare solet. Hic igitur Legatus parua pecunia accepta ordinum conuentum intrat, seque conditionem propositam neutiquam approbare posse, nulla causa addita declarat. Quo facto, si potest, fuga salutem quaerit, et quo tutior sit, domum se confert. Cum autem vniuersi populi salus rem aliquam communi cunctorum ordinum consensu approbari requirit, eiusmodi artibus haudquaquam vtuntur. Sic Vienna postremum a Turcis oppugnata, cum huius loci iacturam grauissimo sibi fore damno probe intelligerent Poloni, eum duce Iohanne tertio, qui regnum Polonicum tunc temporis tenebat, oppugnatione liberare vnanimi cunctorum suffragio sine mora audebant, quod propositum cum ipsis prosperrime succederet, immortalem apud posteros sibi pepererunt gloriam. Certum quidem est, rem magni laboris esse, Polonos in aciem producere; cum autem semel sufficiens eorum multitudo congregata est, eos propter animum intrepidum et propter singularem fortitudinem inuictos non immerito dixeris.

Deinde neque imperii Polonici forma, neque alacritas animi Polonorum ad ipsorum rempublicam conseruandam tantum confert, quantum quae inter vicinos eorum intercedit inuidia et maleuolentia. Cum enim Rex Suecorum, Carolus Gustauus, et Elector Brandenburgicus, Fridericus Wilhelmus, cum Polonis bellum gererent, his non solum Tartari auxilio venerunt, sed Rex Daniae quoque ad ipsorum salutem irruptionem non leuem in Sueciam fecit. Tartari autem cum Regnum Poloniae hostiliter inuadunt, ei aut Romanorum aut Moscouitarum Imperator opem ferre solet, aut saltem in illorum prouincias incursionem facit. Quam parum enim vicinorum principum interest, vt Poloniam ad pristinam potentiae magnitudinem eximiam illam reuerti patiantur, tam parum iisdem conducit, vt eam funditus euerti sinant: quandoquidem qui cum prouinciis, quas antea possedisset, Regnum Poloniae coniungeret, is profecto reliquis omnibus terrorem iniicere valeret.

Tum quanquam Poloni loca munita in prouinciis suis non habent, tantum tamen abest, vt hoc interitum ipsis afferat, vt potius eandem ob rem regnum suum eo facilius tueri possint. Ita enim hostes, quamuis in eo occupando haud mediocri fortuna vtantur, tutum tamen non inueniunt receptaculum, in quo satis fortiter resistere valeant. Ab exercitu, quinquaginta militum bene exercitorum millibus constante totum quidem, quam late iam patet, Poloniae Regnum occupari posse non dubito; eidem tamen retinendo atque tuendo vel centum virorum millia non sufficere certus atque persuasus sum. Carolus Gustauus, Rex Suecorum biennio minus quadraginta circiter virorum millibus armatus totam sibi subiecit Poloniam. Cum vero leges nimis perforare et infirmare, Polonosque omnibus, quibus fruebantur, iuribus et immunitatibus, spoliare inciperet, vniuersa nobilitas collectis viribus consociata Suecos e Regno prorsus exterminauit, seque hoc modo in libertatem vindicauit. Sic quoque Tartari terram illam locis munitis destitutam ingenti agmine instructi inuadunt; magna autem praeda locupletati confestim celerrimo cursu praecipites inde se abripiunt. Camenecii iactura Polonos in ea opinione, quod vrbes munitas habere noxium sit, non parum confirmauit:

hunc

hunc enim locum, nisi tantopere communitus esset, Turcis et Tartaris adhuc neutiquam receptaculo fuisse dicunt, ex quo tantis caeteruis armati ad fines suos misere affligendos et deuastandos erumpere potuerint. Ex quo apparet, arces et castella, quibus alias maxima prouinciae alicuius securitas niti existimatur, ineuitabilem Polonis ruinam esse allatura, quippe qui ad oppugnationes suscipiendas minime idonei, et praeterea neque tormentis bellicis firmis neque peritis fabris militaribus, neque armis sufficientibus, neque aliis rebus necessariis satis instructi sunt. Id quod vno Camenecii exemplo confirmabo, quem locum, quamuis insueto et inaudito modo non munitum, Poloni nullis artibus recuperare valuerunt, (quamquam fieri potest, vt non satis serio in eo recuperando laborarint) eosque hanc arcem, si aliquando contingat, vt ea in ipsorum potestatem veniat, sine mora solo aequaturos esse ego equidem existimem (*).

Hactenus tantummodo de Polonicis comitiis et maioribus et minoribus dixi. Nunc de reliquis etiam conuentibus seu iudiciis pauca tradam. Ante omnia praeter comitia et Senatorum conuentus a Clericis Poloniae concilium generale, duasque Synodos prouinciales celebrari solere, Te, Vir Clarissime, scire velim, quae concilia omnia et singula a Pontifice Romano gubernantur. Archiepiscopus quidem Leopoliensis per se Synodos indicere et conuocare potest; attamen in rebus ecclesiasticis Archiepiscopo Gnesnensi, vt Primati Poloniae perfecte subiectus est. Vniuersalis Clericorum conuentus ternis quibusque annis Petricouiae, Lanciciae aut Louitii agi solet, et in hac synodo generali Clerici inferiores, sicut etiam in Anglia fit, per certos Legatos admittuntur.

Iudicia Polonorum quid attinet, illud inprimis notandum est, quod interregni tantum tempore instituitur, et ab iis *Captura* dicitur. Quae Captura duplex est: alia enim vocatur *Captura generalis*, quae tamdiu sedet, quamdiu interregnum durat, eumque praecipue in finem constitutum est, vt omnibus turbis, quae forte suboriri possint, resistatur, quae Captura etiam fontes capitis supplicio afficere potest: alia *Captura particularis* nominatur, quae in singulis quibusque Regni Palatinatibus exercetur. Capturae generalis assessores ex nobilitate superiori, Capturarum autem particularium sic dictarum ex cuiusque Palatinatus nobilitate vniuersa, et quidem statim ab initio interregni in diuersis conuentibus specialibus deliguntur. Quae iudicia omnia tribus hebdomadibus ante diem Regi creando destinatam cessant, et electione facta ea vsque ad diem, quo Rex corona ornatur, renouantur.

Reliqua Poloniae iudicia in rebus aut ecclesiasticis, aut ciuilibus, aut militaribus ius dicunt. Ecclesiastica iudicia vniuersa, sicuti apud alias gentes ab Episcopis administrantur, quorum vnusquisque Cancellarium, Scribam forensem, aliosque ministros habet. Ab Episcoporum iudiciis ad Archiepiscopos, et ab Archiepiscopo Leopoliensi ipso ad Archiepiscopum Gnesnensem prouocatur, quoniam hic sellae Pontificiae natus Legatus, vti etiam Primas et Metropolita totius Poloniae est. Nihilominus tamen ab eo quoque ad Pontificem Romanum prouocationes fiunt. In his iudiciis ecclesiasticis ex ecclesiae statutis et consuetudinibus causae dirimuntur, quibus iudiciis in decretis ipsorum exsequendis magistratus politicus, quotiescunque ab eo poscitur, opem mutuam ferre debet.

Ad iudicia ecclesiastica pertinet etiam *iudicium Nunciaturae*, quod ab eo, qui in Polonia sedem habet, Pontificis Nuncio exercetur. Hic autem non prius vllam iuris dicendi potestatem sibi vindicare potest, quam literas Apostolicas dictas, in quibus Nunciatura sibi delata sit, et Regi, et primariis eius ministris ostenderit.

Iuris in rebus ciuilibus dicendi copia varie distributa partim populo, partim nobilitati conuenit. In his iudiciis sunt quaedam, a quibus ad iudicia superiora prouocari nequit, cum in caeteris prouocationes locum habeant.

(*) Facta huius loci deditione, eum destruere nullo modo Poloni constituerunt; sed potius vt propugnaculum contra Turcos et Tartaros conseruare et magis magisque communire studeant.

Prioris generis sunt tria summa tribunalia, seu suprema Regni iudicia, quorum assessores non nisi ex nobilibus deliguntur. Haec iudicia quondam a Rege Stephano Batorio instituta sunt. Quorum duo pro Regno Poloniae, et vnum pro Magno Ducatu Lithuaniae aguntur. Duo priora sex menses Petricouiae in Polonia maiore, et alteros sex menses Lublini in Polonia minore exercentur. Posterius autem vno anno Vilnae, et altero anno Nouogrodeci aut Minsci alternis celebratur vicibus. Trium horum tribunalium iudices partim Clericis, partim Laicis constant. Hi ex singulis quibusque Palatinatibus, et Clerici quidem quaternis, Laici vero binis quibusque annis leguntur. In sententiis ferendis plurimorum suffragia hic valent; attamen si de causa ecclesiastica agitur, totidem Clericos atque Laicos consensisse requiritur. In causis tractandis ordo quidam obseruatur. Triduum enim ad causas ab vnoquoque proponendas destinatum est. Intra quod temporis spatium qui hoc facere negligit, is diebus sequentibus aditum ad haec tribunalia frustra quaerit.

Qui coram hoc iudicio causas agunt, eos nationem Polonicam vniuersam iudices habere haud absurde dixeris; siquidem cum Clerici, tum Laici assessores ex omnibus Regni prouinciis ad ius dicendum huc mittantur.

Tum Senatus quoque in causis ciuilibus et capitalibus ita iudicat, vt ab eo ad alia iudicia prouocare non liceat. Idem ius Marschalcis quoque supremis in causis, ad Officiales regios pertinentibus, nec non supremis Cancellariis in causis prouocationum, ab aliis locis ad tribunal Regis missarum, competit, quae causae a nemine nisi ab ipsis cognosci et discerni possunt. Marschalcorum iurisdictio ad omnes etiam mercatores et peregrinos extenditur; qui tamen, si qua in re iudiciorum auxilio ipsis opus sit, in Polonia parum patrocinii sperare possunt.

Sunt quoque duo tribunalia thesauri, quibus cum reditibus regiis negotium est. Quorum vnum Radomiae in Polonia minore, et alterum Vilnae agitur. Haec vero iudicia vltra binarum ternarumue hebdomadum tempus rarissime durant.

Ea iudicia, a quibus ad tribunalia superiora prouocari licet, in *iudicia nobilitatis* et *populi* distribuuntur, quorum in vnoquoque Palatinatu plura sunt, et in quibus Clericorum nemini personam iudicis gerere licet. Quae nobilitatis sunt, ea in *iudicia terrestria*, vt vocantur, et *castrensia* diuiduntur, quorum in singulis Palatinatibus, vbi ea exercentur eo plura aut pauciora reperiuntur, quo maiores minoresue sunt Palatinatus.

Iudiciorum terrestrium assessores sunt, Iudex terrestris supremus, Iudex terrestris inferior, et Notarius, seu Scriba forensis supremus, cui in omnibus causis ciuilibus ius dicendum, et inter partes litigantes diiudicandum est. In locis aliquot haec iudicia singulis, in aliis binis, et in aliis denique ternis quibusque mensibus aguntur. Horum iudiciorum terrestrium continuatio perpetua non nisi aut assessoris alicuius morte, aut comitiis aut conuentu Palatinorum et magistratuum generali turbari aut impediri potest. Is, cuius postremo loco mentionem feci, conuentus quotannis tempore autumnali conuocatur, in quo conuentu prouocationes, a iudiciis inferioribus factae, inquiruntur et diciduntur. Locorum, in quibus haec iudicia terrestria exercentur, sunt permulti; vbi adhuc notandum est, neminem, qui sub eiusmodi iurisdictione domos et praedia teneat, cogi non posse, vt coram alio quodam iudicio appareat, sub quo nulla praedia possideat.

Ab his iudiciis proxime ad Camerarium inferiorem singulorum Palatinatuum prouocatur, qui aut ipse, aut per Legatum suum, eundemque Camerarium, regioni tantum exiguae praefectum, omnibus iis, qui bonis suis defraudati sunt, eorum possessionem restituere laborat, praetereaque controuersias de finibus exortas dirimit. His rebus omnis eius potestas continetur. Si autem eiusmodi controuersiae inter possessiones Regis et nobilium moueantur, litigantium rogatu Commissarii aliqui ex Senatu delecti amandantur, qui omnia probe inuestigent et diiudicent. Quod si autem eiusmodi lites inter Regem et Clericum quendam nascantur, etiam quidem Commissarii mittuntur; veruntamen Episcopus eius dioeceseos, cui dictus Clericus subest, eorum vnum, vel etiam plures deligendi ius sibi quoque concedi postulat. Si quis iudicum, qui in his iudiciis terrestribus munere funguntur, ex hac vita discesserit, Rex hoc officium nemini prius concredere potest, quam id territorium, ad quod defunctus pertinuit, quatuor viros ex iis, qui domos et praedia possideant, stiterit. Tum ex his quatuor viris Rex, quem vult, eligere potest. Si quis hoc munus semel consecutus est, id rursus amittere non potest, nisi aut ad ampliorem honoris gradum adscendat, aut ob delictum aliquod perpetratum ab officio remoueatur.

Reliqua ad nobiles pertinentia iudicia ea sunt, in quibus causae capitales tractantur. Haec iudicia *Sudy Grodskie* vocantur, et in vnaquaque Starostae ditione non nisi vnum est. Quod iudicium Starosta aut ipse coram, aut per vicarium suum, quo in causis capitalibus cognoscendis diiudicandisque vtitur, in arce sua, aut in alio quodam loco publico senis quibusque saltem hebdomadibus exercere solet. Ciuiles quidem etiam causae Starostarum iudiciis subsunt, sed eae tantum, quae inter eos oriuntur, qui praedia et agros non possident, aut a locis peregrinis mercaturae faciendae ergo in Starostae alicuius territorium se contulerunt. In rebus capitalibus causa quatuordecim diebus et in ciuilibus octo diebus, antequam iudicium fiat, ad iudices deferri debet.

Starosta quas tulit sententias, eas omnes ipse exsequitur, eique soli curandum est, vt in suo territorio quietem atque concordiam conseruet. Cum scelerati supplicio palam afficiuntur, illi aut ipse coram adesse, aut saltem per ministros suos attendere debet, vt illum supplicium legitime fiat.

Iudicia populi partim in vrbibus, partim in pagis exercentur.

In vrbibus per Scabinos, deinde in Curia, et tandem per Iudicem militarem ius dicitur. Scabini in omnibus causis ad poenam delictorum, etiam capitalium pertinentibus iudicant. Ad Curiam pertinent omnes causae ciuiles, coram cuius tribunali nobiles etiam apparere debent. A militibus autem si quid perpetratur, a Iudice militari delicta eorum inquiruntur, et puniuntur. Si qua causa ciuilis minoris momenti agenda sit; eam Praefectus vrbis per se discernere solet; attamen ab eius sententia ad Senatum, et ab eo ad Regem prouocari potest.

In pagis homines plebeii Scabinis, qui regii sunt Officiales, et deinde Praetoribus seu horum pagorum peculiaribus praefectis subiecti sunt, a quibus posterioribus prouocatio ad alia iudicia locum non habet. Hic iudices omnia fere ex arbitrio decidunt, nisi quae ad causas capitales pertinent. Praetores iudicia haereditaria exercent. Omnium omnino iudiciorum exsecutio, cum in vrbibus, tum in pagis, vniuscuiusque loci magistratibus competit, quanquam in quibusdam causis a Starostis rogare ipsis liceat, vt sibi opem ferant mutuam.

Eorum, quae vltimo loco descripsimus, iudiciorum praefecti partim a peculiari loci cuiusque domino, partim a ciuibus suis deliguntur, vna vrbe Cracouia excepta, vbi Palatinus magistratus creandi habet potestatem; illum autem, semel electum, ab officio amouere, ei haudquaquam licet. Munus enim, quod quisque semel capessiuit, id per totam vitam gerit, nisi quis turpi facinore admittendo, aut quod ei bene administrando minus idoneus sit, eius iacturam faciat.

Senatus Cracouiensis quatuor et viginti viris constat, ex quibus Palatinus quotannis octo legit, qui Praesidum nomen auctoritatemque consequantur. Idem Palatinus iudicem quoque ex iure Magdeburgico Scabinosque deligit; in aliis vero vrbibus viri his muneribus fungentes a Senatu creantur. Praetores seu ii, qui in haereditatibus ius dicunt, non nisi in casibus extraordinariis ab officio moueri possunt.

Qui ex his muneribus proficiscuntur reditus, ii omnes admodum tenues sunt, et honorem solum, qui inde ad ipsos redit, sufficientem remunerationem esse Poloni existimant. Interea tamen vnusquisque salaria certa cum corollariis quibusdam extraordinariis accipit, quanquam iis omnino victitare nequeat.

In rebus militaribus iuris dicendi potestas prorsus penes Regem, aut duces eius est; quanquam Palatini et Castellani, qui Regem in bello comitari solent, in eos, qui quodammodo ipsorum imperio subsunt, ius suum retineant. Illi autem si qua in re pertinaces se gerant, Marschalcorum aulicorum est, has controuersias componere.

Cum de *statutis legibusque* Polonicis nobis nunc dicendum sit, sciendum ante omnia est, nullas omnino vsque ad Casimiri Magni tempora Polonis leges fuisse, in quo omnes scriptores mirifice consentiunt, qui Rex quamuis postea leges aliquot sanxerit, eae tamen oppido paucae fuerunt. Interim Polonos multo ante sacra Christiana amplexos esse, et bonarum artium disciplinarumque satis firmum iecisse fundamentum, id vero inter omnes constat, et nihilominus tamen a nullo Rege vlla lex aut vllum statutum scriptis publicis editum sancitumque est, sed mores et consuetudines maiorum, a parentibus ad liberos continua serie propagari solitae populo pro legibus fuerunt. Verum Casimirus tertius, (qui ob singularem in imperio administrando prudentiam Magnus cognominatus est) cum intelligeret, quantas turbas et quam pernicioſas seditiones in omnibus regni partibus haec imperii forma excitaret, a Germanis, qui tunc temporis ad mercaturam faciendam confertim in Poloniam veniebant, ius Saxonicum (quod etiam ab vrbe, ex qua primam originem duxit, Magdeburgicum vocatur) introducere satius duxit. Hoc ius Magdeburgicum quamuis ad hunc vsque diem in Polonia valeat, attamen non modo nobiles peculiaribus quibusdam consuetudinibus vtuntur, verum etiam aliquo tempore post nouae quaedam leges conditae, et sub Sigismundi Augusti imperio a iurisconsultis aliquot in librum congestae sunt. Qui liber primo *Statutorum Regni* inscriptionem gessit. Postea vero, cum in comitiis quibusdam vnum et alterum immutatum, caetera autem confirmata, et ex parte nouis accessionibus aucta sint, nomen *Constitutionum Regni Poloniae* adeptus est. Neque tamen propterea totum Regnum his legibus obedientiam praestat. Etenim Lithuaniae et Volhyniae incolae iuribus vtuntur peculiaribus. Ita etiam Prussia, cum Regia, tum Electoralis, ius singulare habet, quod vulgo Culmense appellatur, a quo tamen tres vrbes, Elbinga videlicet, Brunsberga, et Frauenberga exceptae sunt, in quibus ius Lubecense vsitatum est.

Haec de legibus. Superest, vt de poenis atque suppliciis, quae in Polonia vigent, pauca tradam. Ea sunt varia, et quidem ita, vt haec varietas neutiquam a persona et dignitate eius, qui deliquit, sed a delicti grauitate et atrocitate proficiscatur. Fur enim, nobilissimo licet et illustrissimo genere natus, suspenditur. Alii homines scelerati, cuiuscunque tandem sint honoris atque dignitatis, si quid mortis supplicio dignum perpetrarint, capite plectuntur. Si quis autem facinus nimis atrox et enorme commiserit, ei plerumque rota crura suffringuntur, aut duo lora ex corpore exsecantur. Si quis nobilium delictum quoddam patrauerit, is interdum ita punitur, vt dimidia bonorum eius pars vna ad Regem et altera dimidia pars ad accusatorem eius perueniat: interdum autem non nisi poena carceris illis irrogatur.

Si famuli aliqua in re peccauerint, eorum castigandorum dominus habet potestatem. Quae castigationes hoc pacto fieri solent. Si famulus, qui poenam commeruit, Polonus nobilis est, eum pronum aut in tapetem humi expansum, aut in sellam se prosternere oportet. Tum alius famulus, idemque nobili stirpe ortus, resti aut baculo sine vlla misericordia tot verberibus dorsum eius caedere debet, quot dominus, qui huic castigationi interesse solet, eum meruisse existimat. Quo facto caesus domini, genua amplectitur, eique quasi grato animo commotus praeclarum illud nomen benefici tribuit. Quae disciplina nimis acerba quidem videtur esse; sed huius populi conditio eam requirit. Ii autem famuli, qui nobiles non sunt, eodem quidem modo castigantur, eo tamen discrimine, quod ipsis tapes non substernatur. Sunt in prioribus, nobilibus scilicet, qui ita verberari singulari sibi ducant honori; vnde dominos eorum in hoc honore ipsis, quoties-

cunque

cunque eos illo dignos putent, praebendo tam liberales esse atque faciles, minime mirandum est.

Neque vero mirum cuidam videatur, in Polonia famulos, qui nobili genere orti, tam illiberaliter tractari. Vnusquisque enim quam leuissimis et humillimis ministeriis sine vllo nobilitatis detrimento fungi potest, neque id impedimento sibi fore ei timendum est, quo minus aliquando ad summos honorum gradus perueniat. Ita Hauteuillius sibi plurimos cognitos fuisse affirmat, qui cum adolescentes viris primariis a pedibus fuerint, aut in cohorte quadam militari tympanotribarum munus obierint, tandem tamen ad eam euecti sint dignitatem, vt Senatorum honores ipsis committerentur. In vniuersum illud notandum est, nobilitatem Polonicam non nisi opificio vel labore mechanico exercendo amitti posse.

Haec sunt, Vir Clarissime, quae lectione assidua de comitiis Polonicis, cum maioribus, tum minoribus, iudiciis, legibus atque poenis inuenire potui. Sicuti autem hoc opusculum sub accuratae perfectaeque et omnibus numeris absolutae descriptionis nomine Tuo iudicio subiici non posse, ego ipse facillime concedo; ita illud sub commentarii per festinationem conscripti nomine quodammodo, non dicam approbatione, sed excusatione tantum beneuola Tua dignum visum iri spero. Interim cum debita modestia permaneo

seruus Tuus obedientissimus

I. S.

***

minus per totum interregni tempus aliquis aut in regnum admittatur, aut ex eo emittatur, neque equos e Polonia abducere cuidam licet. Singulae literae extraneae, ad Senatorem aliquem scriptae, intercipiuntur. Omnes viae publicae arboribus stratis clauduntur et excubiis obsidentur. Nulli Senatori neque peregrino ad exercitum literas mittere licitum est. Vniuersae nobilitati praecipitur, vt omnia ad bellum necessaria sibi comparent, ne quid, si vniuersalis militum conuocatio futura sit, deficiat. Communis instrumentorum bellicorum, e quibus globuli plumbei cum puluere nitrato emittuntur, vsus interdicitur; cauponae publicae clauduntur, et simul omnibus instrumenta musica pulsantibus silentium imponitur. Quibus omnibus factis, tandem sic dictum iudicium Capturae instituitur, de quo iudicio in epistola praecedente actum est.

Qui in comitiis comparent, ii sunt, qui sequuntur: Primus est Archiepiscopus Gnesnensis, Regis personam gerens, deinde caeteri Senatores, et denique Legati prouinciales, seu ii, qui a cuiusque prouinciae nobilibus missi sunt, vt comitiis intersint. Quod si fortuito eueniat, vt eo tempore, quo Rex obeat, Archiepiscopi Gnesnensis etiam munus vacet, officium reipublicae Polonicae administrandae Episcopo Cuiauiae competit, et proxime Episcopo Posnanienſi, tum vero caeteris maioris Poloniae Episcopis, prout ex ordine vnus alterum sequitur. Qua in re Episcopi maioris Poloniae, Poloniae minoris Episcopis praeferuntur, quod in aliis rebus longe secus est. Interea tamen illi hoc ius singulare concedere aliis possunt; sicuti in eo, quod superioris Regis electionem anteceſſit, interregno factum est, cum Episcopus Cracouiensis, caeteris Episcopis Poloniae maioris omnibus consentientibus, Rempublicam Polonicam gubernauit.

(*) Nonnulli Senatores et Legati prouinciales ad exercitum amandantur, vt apud duces militares maneant, iisque in rebus ad bellum pertinentibus salutari consilio impertiendo adsint. Pari modo Senatores et Legati prouinciales aliquot ablegantur, qui Thesaurum Regni Polonici, qui in arce Cracouiensi asseruatur, inspiciant, eiusque Thesauri indicem conficiant, in comitiis tradendum. Huius Thesauri inspectio ex more consueto octo Senatoribus, Castellano videlicet Cracouiensi, Palatinisque Cracouiensi, Posnanienſi, Vilnensi, Sendomirienſi, Calisiensi atque Trocensi, et Thesaurario Regni Polonici supremo conuenit. Horum vnusquisque clauem illius Thesauri habet peculiarem, eamque obsignatam, vt, nisi caeteri omnes consentiant, vnus eorum per se nihil in ea re agere possit. Tum quoque Commissarii deliguntur, qui bonorum, ad regias epulas destinatorum conditionem explorent, et ordinibus in comitiis congregatis, quae ad ea bona pertinere deprehenderint, ea omnia sigillatim referant (**). Donec nouus Rex creatus sit, Poloni ab omnibus perfecta absolutaque potentia praeditis principibus atque regibus Sereniſſimae Reipublicae appellationem sibi tribui postulant. Nihilominus tamen, vt Hauteuillius tradit, Rex Franciae literis a se ad Polonos die eligendi Regis instante missis non nisi sequentem appellationem praeponit: Nostris cariſſimis plurimumque dilectis amicis atque sociis, ordinibus Regni Poloniae et Magni Ducatus Lithuaniae.

Quamdiu comitia durant, (quae per leges vltra quatuordecim dies extendi ac prorogari nequeunt) ab eo inde tempore, quo literis ad singulas totius Regni prouincias circumcirca missis ea indicta sunt, vsque ad finem diei Regi creando constitutae, omnia tribunalia clausa sunt, excepto Marschalcorum iudicio, quod adhuc, vt antea, continuat; et praeterea aliud iudicium institutum est, quod omnes turbas et controuersias in comitiis dirimat. Quae autem causae priuatae et lites forenses oriantur, eorum diiudicatio ad noui Regis coronationem peractam differtur. Caeterum quae aliorum comitiorum, eadem horum quoque est ratio.

Ad

(*) *Hartknoch.* lib. 2. cap. 1. p. 291.
(**) Ei. lib. 2. cap. 1. p. 306.

Ad hanc Regis electionem plerique regia dignitate praediti aliique principes Christiani, inprimis autem Imperator Romanorum et Rex Franciae Legatos suos mittunt. Sic quoque Pontifex Romanus Nuncium ablegat, cui curandum est, vt electio principi Catholico conferatur, et ei quidem, a quo Pontifici nihil aduersi metuendum sit. Imperator Romanorum et Rex Franciae, quo priuatis suis commodis consulant, maximopere studeant, vt potentissimas factiones sibi concilient.

Antequam Legati exterorum principum ad comitia perueniant, Archiepiscopum Gnesnensem de aduentu suo certiorem faciunt. Qui Archiepiscopus illis interuallo quodam ab vrbe remoto domicilia distribuit, nobilemque Polonum eorum singulis associat, non tam vt illis ministret, aut honor illis habeatur, sed potius, vt aliquem secum habeant, qui facta ipsorum obseruet, ordinibusque nuntium de iis afferre possit. Haec tamen instituta plerumque negliguntur, cum Legati extranei hac aetate Varsauiae palam versentur. Nihilominus tamen nobilis aliquis socius illis datur, qui eos vbique comitetur, eum praecipue in finem, vt animaduertat, num pecunia aliquem corrumpere conentur. Veruntamen his temporibus cautio illa parum aut nihil prodest; siquidem apud Polonos auaritia ita inualuit, vt fides, quam nobiles patriae debeant, mille Coronatis facillime labefactari et subuerti possit.

Quemadmodum vero Respublica Polonica a Principibus exteris Legatos admittit, eorumque principum literas palam recitari iubet; sic ipsa quoque ad omnes vicinas respublicas viros aliquot amandare solet, qui pro ipsorum legationibus gratias agant, firmamque ac perpetuam amicitiam ab ipsis petant. Quo loco illud adhuc notandum est, omnes eos Legatos, qui ante superioris Regis obitum ad vltimum eius colloquium admissi sunt, quo omnia, quae ipsis tractanda fuerunt, negotia composita sunt atque confecta, rogari, vt intra octo dies discedant.

Extraneorum Legatorum omnium praecipuam curam necesse est eo spectare, vt ex ordinibus, in comitiis congregatis neminem offendant. In quo si peccant, coeptum suum ad felicem exoptatumque exitum nunquam perducent. Id quod in Regis Michaëlis Wiesnowiscii electione accidit; quandoquidem vera causa, ob quam Dux Neoburgensis, finem propositum non consequeretur, ea vna erat, quod Cancellarius Patius offensus esset. Interim hanc electionem admodum turbulentam fuisse non inficiendum est. Nobilibus enim libere suffragia ferre non licebat, verum multitudine quasi oppressi sunt, eoque factum est, vt Prasmowscius ipse, qui tunc Primatis munere fungeretur, Michaëlem modo dictum Regem declarare cogeretur, licet iis, quae tum erant, temporibus cum dignitem, tum fortem Regem necessarium esse probe sciret, quae ambae laudes huic principi deerant. Ei vix proclamato Cancellarius persuadere studuit, suo praecipue beneficio ipsum ad regiam peruenisse dignitatem. Cui asseuerationi ille princeps facillime fidem adhibuit, qui et in aliis rebus nimis credulum se praebebat, semperque meliore animo, quam ingenio esse videbatur.

Hoc vniuersali conuentu finito, Legati prouinciales in suam quisque prouinciam se conferunt, vbi denuo comitia minora celebrantur, in quibus omnia, quae in comitiis generalibus tractata sint, et praesertim, quae dies Regi creando destinata sit, nobilitati accuratissime annunciantur. Quo facto, nobilitas, quae die ad Regem creandum destinato proponenda sint, deliberat, aliosque Legatos deligit. In Prussia Episcopus Varmiensis, cui soli huius prouinciae gubernatio competit, haec omnia comitia minora suo nomine indicere solet.

Nunc ad ipsum electionis diem venimus. Hic Petricouiae quondam celebratus est. Ex quo tempore autem Magnus Ducatus Lithuaniae cum Regno Poloniae coniungi coepit, dimidium milliare a Varsauia, haud procul a pago Vola, in campo aperto identidem institui solita est electio, cui non plures quam sex hebdomades determinatae sunt, intra quod temporis spatium omnia perfici atque componi debent. Eo igitur, quem commemoraui, loco Thesaurarius Regni

Poloniae supremus Reipublicae impensis magnum tabernaculum, seu potius amplum receptaculum asseribus compactum exstrui iubet, tabernis, quae apud nos in nundinis die Bartholomaei agi solitis conspiciuntur, haud absimile. Hunc locum Poloni *Szopa* (*) dicunt, quae vox regionem denotat, vbi a procellis et imbribus tutus aliquis versari potest. Non nisi tres ianuae sunt, per quas aditus ad hunc locum patet, quem locum etiam lata et profunda fossa, vt munimentum quasi cingit. Quo loco Thesaurarii Regni Poloniae supremi opera instructo, cum dies statutus aduenit, Senatores et nobiles solenni pompa in templum Varsauiense, sancto Iohanni dedicatum, se conferunt, vbi Deum rogant, vt eiusmodi Regis ad electionem animos suos flectat, qui omnibus ad ecclesiam tuendam et rempublicam defendendam necessariis virtutibus sit ornatus. Tum omnes et singuli ad Regis superioris vxorem viduam se recipiunt, eique regii sui coniugis obitum deploranti consolationem afferunt. Id quod hoc modo fieri solet. Primas Regni nomine Senatus vniuersi, et is, qui proxime superioribus comitiis Marschalci Legatorum prouincialium munus gessit, eorundem Legatorum nomine Reginam alloquuntur; quae vtrique per Cancellarium suum respondet. Quo facto, in eum locum, quem a Polonis *Szopa* appellari supra dixi, se conferunt. Vbi nobiles ex plurimorum suffragiis Legatum prouincialem creant, qui se munere suo sanctissime functurum, largitiones non accepturum, cum iis, qui regnum Polonicum affectent, clandestinam conspirationem non initurum, et tandem inscia et inuita Republica nulli liberae electionis tabellae subscripturum esse, iureiurando polliceri debet. Quod simulac praestitit, Senatores adit, eorumque approbationem deprecatur. Sciendum autem est, Senatores tantummodo in Szopa considere, Legatos prouinciales vero sub dio versari, quem locum Rotam suam Equestrem (**) appellare consueuerunt.

Primum igitur, quod Senatores et Legati prouinciales die ad Regem creandum destinato post iudicium Capturae constitutum agunt, in eo continetur, vt digitis in manus Archiepiscopi Gnesnensis immissis, genibusque flexis, se firma ac perpetua concordia coniunctos publicae saluti nationis Polonicae consulturos, neminem, nisi qui communi ordinum consensu et legitime electus sit, iuraque et immunitates reipublicae se conseruaturum esse iureiurando promiserit, Regem agnituros, eum denique, qui secus acturus sit, hostem patriae declaraturos esse, iureiurando mutuo affirment. Porro se nulli suffragia laturos, neque eorum, qui regnum Polonicum ambiant, vllum aut eius Legatum beneficio quodam sibi obstricturos esse, mutuis pollicitationibus promittunt, priusquam omnes exorbitantiae, quas vocant seu turbae inueteratae, cum in Regno Poloniae, tum in Magno Ducatu Lithuaniae inuestigatae et exstirpatae fuerint. Deinde quae in iudiciis vel etiam a Regibus ipsis ad libertatis suae detrimentum introducta sunt, ea omnia vana atque irrita declarant. Alia autem decreta iuris ante interregni promulgationem sancita confirmant. Nouum iudicium, *Capturam* dictam, instituunt, cuius praecipua functio in eo cernitur, vt prouinciarum Regni Polonici tuendarum legumque seruandarum curam gerat singularem, monetas cudat, militesque conscribat. Neminem in conuentu, vbi Rex creatur, cum sclopetis apparere, neque peregrinum secum adducere iubent. Imperatores exercituum coram certis Commissariis, se munus sibi concreditum summa cum fide ac diligentia obituros, copiis sibi subiectis aduersus reipublicae hostes fortiter vsuros, fines firmis praesidiis munituros, inprimis autem Regni auctoritatem immunitatesque defensuros esse, ab iisdem Senatoribus et Legatis prouincialibus iurare coguntur. Eosdem Imperatores iureiurando polliceri oportet, se, proditione vel seditione exorta, exercitum ab omni violentia dehortaturos, neque a Clericis neque a Laicis pecuniam accepturos, neque militibus illud concessuros, neque tandem cum copiis suis

(*) *Hartknoch.* lib. 2. cap. 1. p. 295.
(**) Id. ibid.

suis in medium Regnum penetraturos, multo minus ad electionis locum appropinquaturos esse (*), ne forte optionis libertas eo impediatur.

Si forte accidat, vt respublica a tanta hostium multitudine opprimatur, vt ei satis resistere Polonorum exercitus non valeat, vniuersam nobilitatem sine vlla cunctatione equos adscendere, eoque tempore ac loco, quo Primati eiusque consiliariis placeat, conuenire iubent. Praecipiunt etiam, vt aut ab vniuersa republica, aut a singulis Palatinatibus collecta manus in campo lustretur, et vt vnusquisque Palatinatus copiis suis stipendia iusto tempore persolui curet, neque sine communi ordinum congregatorum venia vllum militem dimittat. Thesaurario Regni Poloniae, nec non Thesaurario Magni Ducatus Lithuaniae supremo interdicunt, ne inscio et inuito Archiepiscopo Gnesnensi eiusque consiliariis vllam pecuniam, nisi militibus reipublicae operam nauantibus soluant.

Salis fodinas per probos et idoneos viros inuestigant, et si quid in iis mutandum aut instaurandum est, per eosdem omnia huic operi necessaria comparant. Tandem vrbium quarundam Legatos ad conuentum illum generalem non prius admitti iubent, quam ius in illis apparendi sibi conuenire certis argumentis euicerint. Vt breui dicam, in hoc conuentu fines imperii sui tueri, pacem et concordiam in Regno conseruare, inter ordines firmam stabilemque amicitiam conciliare, et denique prohibere summis viribus Poloni contendunt, quo minus largitionibus aut causis priuatis libera et cunctorum suffragiis comprobata electio interpelletur.

Quibus omnibus factis, sine mora ad electionem se accingunt, cum antea exorbitantias, hoc est prauas consuetudines atque delicta grauiora, quae sub Regis superioris imperio clam irrepserint et perpetrata sint, inquisiuerint, quo caueri studeant, ne sub Rege futuro eadem forte admittantur. Hae autem exorbitantiae haudquaquam a Senatoribus et prouinciarum Legatis vniuersis, sed certo tantum eorum numero inuestigantur, qui ex vtroque ordine delecti hunc in finem in arce Varsauiensi ante meridiem conueniunt. Deinde ad eum conuentum, qui Regis creandi causa coactus est, tam eorum principum, qui Regnum Polonicum ipsi ambiunt, quam eorum, qui vnum et alterum his honoribus dignum pronuntiant et eligendum suadent, Legati admittuntur. Qui Legati conspicua carpentorum multitudine ex domiciliis suis in Rotam Equestrem seu nobilium congregationem vehuntur, quo etiam Senatus in hoc negotio exsequendo conuenire solet.

In admittendis illis Legatis nunquam non primas partes tenet Pontificis Romani Nuntius, quem Imperatoris Romanorum, eumque Regis Franciae, et eum denique Regis Hispaniae Legatus sequitur. Ab eo tamen electionis die, qui post Regis Sigismundi Augusti obitum Varsauiae celebratus est, vbi is, qui tum aderat, Regis Hispaniae Legatus nullo modo impetrare potuerat, vt Regis Franciae Legato praeferretur, Rex Hispaniae in hoc negotio nullum Legatum in Poloniam misit. Petrus Ronquillosius enim quanquam Iohannis tertii electioni interfuit, Legati tamen nomen et dignitatem ideo, quod se Legato Francico postpositum iri vereretur, accipere recusauit.

In his Legatis excipiendis hic ordo et modus seruatur. Nuntius Pontificis Romani a certo Senatorum cum Clericorum, tum Laicorum numero, vti etiam a Legatis aliquot prouincialibus eorumque Marschalco ex aedibus suis in comitia deducitur. Quae cum primum ingressus est, Interrex seu regni vicarius a sede sua surgit, ei duos tresue passus obuiam procedit, et a textra sua eum considere iubet. Aliorum Regum atque principum Legati a Laicis tantum aliquot Senatoribus et Legatis prouincialibus in ordinum conuentum deducuntur. Imperatoris Romani Legatus inter Marschalcum Regni Poloniae supremum et Legatorum prouincialium Marschalcum sedem occupat.

Cum Legatis exterorum principum dicendi copia facta est, sermone Latino consilia sua exponunt, quibus Senatorum quidem nomine Archiepiscopus, vniuersi

(*) *Piasecius* ad An. 1632. pag. 530.

uersi conuentus praeses nobilium autem loco Legatorum prouincialium Marschalcus respondet. Ab omnibus exterorum principum Ministris, qui in his comitiis Regi creando destinatis horum principum commoda curare studeant, vel maxime requiritur, non modo, vt eximia praediti sint eloquentia, verum etiam, vt munificos ac liberales se praebeant, ita vt variis vrbanitatis speciminibus, splendidis conuiuiis, et praecipue pecuniis gratiam cum Senatorum tum nobilium atque suffragia sibi concilient. Quid? quod splendide et magnifice se gerere, in propatulo conuiuia agere, magnam consumere pecuniam, et dona distribuere amplissima, Legatis adeo necessarium est, vt ordines in comitiis congregati, si vel minimam de alicuius parsimonia seu illiberalitate suspicionem concipiant, eius Legati dominum inopem et impotentem principem esse protinus colligant, vnde vt aut eum ipsum, aut alium, quem proposuerit, ad dignitatem regiam extollant, aegerrime adducuntur. Pari modo Legatis summa cum cura ac diligentia contendendum est, vt Clericos in partes suas trahant. Primo enim Episcoporum beneuolentiam debent quaerere, quoniam hi in comitiis ad Regem creandum conuocatis maxima valent auctoritate. Sacerdotum autem et Monachorum gratia ipsis ideo captanda est, quia hi apud populum plurimum pollent. Interea tamen Legato non omnis munificentia simul profundenda est, sed tantum sensim paulatimque spargenda, ne forte ii, qui eam perceperint, cum sibi in posterum nihil magis sperandum esse vident, ab ipso abalienentur. Poloni enim non pro iis, quae iam acceperint, sed pro iis, quae sibi adhuc exspectanda sint, beneficiis, se aliorum commodis consulere debere vulgo existimant. Neque eorum vlli certo confidere aliquis potest; siquidem saepissime fieri solet, vt ab alio Principe aut eius Legato pariter pecunia corrupti, alteri, qui ipsis primus dona dederat, prorsus aduersentur. Sic Regi superiori opprobrio vertitur, quod ab Imperatore, a Duce Lotharingiae et a Duce Neoburgensi pecuniam acceperit, et electione instante se vniuscuiusque commodis consulturum esse promiserit. Nihilominus tamen se prudentius acturum esse duxit, si sibimetipsi prospiceret, in quo consilio eum non infelicem fuisse euentus docuit.

Legatis igitur eo, quem dixi, modo ad colloquium admissis, caeterisque conditionibus omnibus compositis, ad Regem creandum se accingunt, cum antea Spiritus Sancti auxilium implorauerint, noto illo hymno: *Veni Creator Spiritus* etc. Tum suffragia ferunt, eaque inter se conferunt. Quod si omnium sententiae in vno eligendo conueniunt, Archiepiscopus Gnesnensis, vel qui eius loco praesidis personam gerit Episcopus, ter quaerere solet, num omnes exorbitantiae sublatae sint. Quod cum primum affirmatum est, idem Archiepiscopus sine mora Regem electum esse proclamat, quod a Marschalco Regni Poloniae supremo et a Marschalco Lithuanico pariter fieri solet; quo peracto, omnes praesentes hymnum Ambrosianum protinus cantare incipiunt.

Verum necesse est, vt Tibi, Comes illustrissime, de vno et altero, quod in hac electione fieri solet, quaedam narrem. Quamprimum is, quem modo dixi, hymnus finitus est, Senatores et nobilium Legati a locis suis discedunt, et secundum suum quique Palatinatum in certos circulos semetipsi distribuunt, vbi Archiepiscopus Gnesnensis solus locum priorem retinet. Ordinibus igitur hoc modo diuisis, primarius cuiusque Palatinatus Senator suffragia colligit. Tum haec suffragia in chartula quadam conscripta Legatorum prouincialium Marschalco traduntur, et deinde in Szopa a Senatu computantur. Si plurimorum suffragia in principe aliquo deligendo consentiunt, ex omnibus viribus partim adhortationibus, partim pollicitationibus caeteros quoque ad communem consensum commouere studeant: hoc enim si destituuntur, Rex legitime proclamari non potest. Nihilominus tamen cum electio in duas partes scissa est, pars potentior reliquos haudquaquam curare, sed cui regnum tradere constituerunt, eum aduersaria parte vel maxime refragante in solium regium extollere solet, id quod in Stephano Batorio et Sigismundo tertio Regibus creandis accidit, qui posterior sine mora in Polo-

Poloniam profectus et Cracouiae corona regia ornatus est, quamuis Archidux Maximilianus per Cardinalem Radziuilium Varsauiae Rex proclamatus esset. Quo loco notandum est, a domo Austriaca imperium Polonicum ter frustra tentatum esse, primum cum Archidux Ernestus cum Henrico Valesio, secundum autem et tertium, cum is, cuius supra mentionem feci, Maximilianus primum cum Stephano Batorio et deinde cum Sigismundo tertio regnum illud ambirent. Causa in promtu est: Poloni enim, vicinorum principum magna potentia praeditorum nullum se electuros esse, firmo animo sibi proposuerunt, timentes, ne, si id faciant, libertatis iactura facta, absoluto imperio subiiciantur. Die proximo post electionem factam omnes Senatores cum Legatis prouincialibus in Rotam Equestrem, aut in arcem Varsauiensem se conferunt, vbi literas electionis componunt, quibus eorum vnusquisque manu sua subscribit, easque typis excusas in vulgus edi curant.

Ad Regis Poloniae electionem non modo omnes et Regni Poloniae, et Magni Ducatus Lithuaniae, nobiles, verum etiam ingens peregrinorum multitudo ex omnibus prouinciis finitimis confluunt. Interim tamen non nisi Senatoribus et Legatis prouincialibus sententiarum dicendarum ius ex imperii statutis competit. Verumtamen reliquorum etiam nobilium opera hac in re intercedit, dum aut Senatorum aut Legatorum prouincialium partibus accedunt, imo interdum factionem peculiarem conflant; quapropter eius, qui regnum appetit, maxime interest, vt non modo omnes et singulos comitiorum generalium assessores, verum etiam nobiles illos laute excipiat, muneribusque eorum gratiam ac beneuolentiam sibi contrahant. Hi enim posteriores quamuis in electione ferendorum suffragiorum potestatem non habeant, attamen nimia sua multitudine factioni cuidam aut prodesse aut obesse facillime possunt, dum Senatores Legatosque prouinciales, nisi eum, quem ipsi velint, eligant principem, grauissimis minis terrere solent. Cuius rei illustre exemplum Michaëlis Wiesnowiscii electio nobis praebet. Vbi neque Senatores, neque Legati prouinciales Piastum aliquem, id est, inquilinum, multo minus tam impotentem, pauperem et imperitum principem, qualis ille Dux erat, creare instituerant. Nihilominus tamen inquieta illa ac seditiosa Polonorum nobilium turba coacti Regem eum proclamarunt. Haec electio autem cum non esset libera, parum honoris ac reuerentiae ei exhibuerunt, ita vt eum potius adspernarentur, in eoque tam parum acquieuerunt, vt post quatuor annorum imperium (vt nonnulli tradunt) procerum impulsu veneno tolleretur. Ex quo, multo satius ei esse, qui regnum Poloniae capessere studeat, atque vtilius, manifesto intelligitur, vt magnam Senatorum ac Legatorum prouincialium frequentiam in suas partes trahat, simul autem caeterorum nobilium beneuolentiam sibi conciliare contendat, quam vt inconstante et turbulento temerariae seditiosaeque nobilitatis, et eius quidem inferioris auxilio nitatur; id quod Rex proxime superior ante electionem suam satis expertus est.

In eo, qui regnum Polonicum adipisci studet, attributa quaedam requiruntur, quae iam non minore diligentia, atque ipsa imperii statuta, obseruantur. Non inquilinus esse debet, (quamuis contrarium affirmet Hartknochius lib. 2. c. 1. p. 309 — 312.) deinde quoque ab eo poscitur, vt matrimonium nondum inierit, neque comitiis ad Regem creandum conuocatis ipse coram interfit. Porro diuitiis eum abundare, et neque absoluta potentia instructum, neque in vicinia regnantem principem esse, necesse est. Religionem denique quod attinet, Pontificiis sacris aut iam addictus esse, aut saltem se, antequam coronetur, ea amplexurum esse promittere debet. Quod posterius post Regis Michaëlis obitum tam ab Electore Brandenburgico, quam ab Ernesto, Duce Brunsuicensi praestitum est, quorum neuter, vt videbatur, ob externam vnius et alterius ritus ecclesiastici speciem tantum regnum abiicere volebat.

Poloni nobiles ita superbe de se sentiunt, et tantam aequalitatem inter se esse iactitant, vt Piasto seu inquilino coronam regiam admodum inuiti imponant,

existimantes, eam sibi, stirpis generosae beneficio, non minori iure, quam illi, competere. Praeterea nationi suae singulari fore emolumento putant, si extraneum eumque locupletem principem eligant, cum primo eo pluribus societatibus confidere, et deinde etiam sperare possint, fore, vt eiusmodi Rex omnibus opibus suis secum allatis regnum locupletet. Innuptum principem ideo expetunt, vt eiusmodi coniugis ei quaerendae occasionem nanciscantur, quae coniux reipublicae nouum idemque salutare foedus conciliare possit. Vicinum principem propterea reiiciunt, quoniam verentur, ne is sua potentia ad se opprimendos abutatur. Interim hae conditiones tam parum, quam reliqua eorum statuta, omni tempore obseruantur, hac vna excepta, quod nunquam alium, nisi Romano Catholicum ad dignitatem regiam euexerint. Rex enim proxime superior non modo Piastus erat, sed etiam iam tum, cum eligebatur, vxorem in matrimonio habebat. Et quamuis Poloni, quod posterius attinet, poscerent, vt hac vxore repudiata, proxime defuncti Regis relictam viduam, Eleonoram, Lotharingiae Duci postea matrimonio coniunctam, vxorem duceret, attamen hic Rex primo vxorem suam eximio et sincero amore prosequebatur, et deinde eadem vxor Senatores ita confundebat, vt tandem illud propositum prorsus euanesceret. Similiter etiam Poloni summa et absoluta potentia praeditos, nec non vicinos principes Reges sibi crearunt, et in iis nominatim Regem Sueciae, Regem Hungariae, Regem Bohemiae et Principem Transiluaniae. Tunc tamen hoc statutum nondum introductum erat, sed paulo ante demum confectum est, ita vt his temporibus eorum principum electio minime approbatum iri videatur. Nunc etiam principem amplissimis opibus instructum esse oportet, si tantam Senatorum Legatorumque prouincialium multitudinem in partes suas pertrahere, et simul vniuersae nobilitatis gratiam comparare sibi velit. Praeterea admodum fortis ac bellicosus esse, celebremque inter homines famam sibi acquisiuisse debet, si regnum Polonicum reportare desiderat. Proinde permulta nummorum aureorum millia ipsum impendere necesse est, antequam creari et coronari possit. Qui igitur secum reputat, per grandes illas pecuniae summas, a caeteris, qui regnum appetant, large ac profuse distribui solitas, multo maiores opes conficere, is facillime colliget, in his comitiis Regi creando destinatis ordines vitam admodum lautam atque magnificam degere. Eamque in praecipuis causis esse existimo, ob quas ab hac imperii forma, vbi successio per electionem ab vno ad alterum descendit, non discedant.

Caeterae causae sunt sequentes. Primum: Principi, inquiunt, non nisi a natura praefecto, ciues plerumque inuiti morem gerunt; ei vero, cui ciues communi consensu et sua sponte se subiiciunt, libera et voluntaria obedientia praestatur. Deinde regnum, in quo Reges eliguntur, ab omnibus iis incommodis liberum esse ducunt, quae in eo regno, cuius successio per haereditatem a parentibus ad liberos peruenit, oriri soleant, cum princeps aetatem maturam nondum consecutus sit; siquidem inde vicini illius inuadendi ansam arripiant, aut proceres aulae multarum turbarum excitandarum occasionem nanciscantur, quo sub principe tam debili eo maiore communione imperii administrandi fruantur. Si quis huic incommodo facile occurri posse opponat, dummodo impuberi principi consiliarii fideles atque tutores sapientes associentur; nihilominus tamen vel in hoc rerum statu imperium pessime administratum iri respondent, cum Regum per suos tutores aut praefectos regno exutorum sat multa in annalibus legantur exempla: praetereaque rarissime euenire affirmant, vt regnum immaturae aetatis principi subiectum diuturna pace et otio fruatur. Tum imperii sui formam hac de causa defendunt, quod in imperio, vbi principes libera populi optione crearentur, successionis ergo bella oppido pauca gesta stragesque editae sint, cum in aliis terris illud saepissime acciderit, adeo vt ex antiquis temporibus multa eius exempla repetere opus non sit. Quarto eum Regem, qui honores suos non nisi liberae populi electioni debeat, grato animo commotum tanto maiore cum cura ac diligentia per totum imperium suum se clementem atque iustum exhibiturum esse arbitrantur.

Quin-

Quinto in regno, vbi liberum sit ciuibus, Regem eligere, quem velint, liberos regios maiori cum diligentia, quam in regno, quod per haereditatem a parentibus ad liberos descendat, educari solere contendunt. Sextum commodum nobiles (qui in Polonia plurimum, et paene dixerim, soli valent) in eo ponunt, quod electionis beneficio eo maiorem immunitatum priuilegiorumque suorum, in quibus maxima pars felicitatis ipsorum continetur, conseruandorum habeant potestatem. Septimum emolumentum illud est, quod hoc modo Regum suorum potentiam eo facilius coërcere, eoque grauius eos possint cogere, vt in omnibus negotiis suis ordinum consiliis obsequantur. Possent quidem multae aliae causae huc afferri, nisi verendum mihi esset, ne iis recensendis a meo proposito nimis longe aberrarem.

De iis, qui suffragiorum in comitiis ad Regem creandum congregatis ferendorum iure perfruuntur, notandum est, illud non modo Senatoribus et Legatis prouincialibus, verum etiam vrbium aliquarum et praesertim maiorum illarum, in Prussia sitarum, Legatis conuenire, qui olim non modo in Legatis prouincialibus, sed etiam in Senatoribus ipsis locum obtinuerunt. Ignobiliores Prussiae vrbes quod attinet, harum omnium nomine Episcopus Varmiensis electioni subscribit. Alii quidem praeterea nonnulli suffragiorum in his comitiis ferendorum potestatem expetiuerunt, in iisque nominatim Duces Prussiae et Duces Curlandiae, quamuis tantummodo Polonorum clientes essent, sed eorum preces omnino reiectae sunt. Quid? quod ipsi filii regii ab hoc iure excluduntur, quanquam consentiente republica ad eos honorum gradus adscenderint, qui alios illius participes essent facturi. Neque militum opera in hac optione debet intercedere, cum tamen suffragiorum ferendorum potestatem vel maximo iure sibi vindicare illi possent, quoniam plerique eorum nobili stirpe orti sint, et vel adeo Cosaci illud ius sibi concedi quondam rogarint; quanquam hi posteriores, vt populus ex infima plebe collectus, cuius sentina appellari meretur, verbis admodum contumeliosis sunt repulsi.

Electionis tempore praecipua ordinum functio est, vt rationes excogitent, quibus sibi conuenientia iura immunitatesque tueantur; quod profecto tempus aptissimum est, ad leges et priuilegia sua stabilienda, et si qua ex parte violata sint, summa cum grauitate et auctoritate instauranda. Quapropter eo tempore noua statuta condere identidem laborant, quibus priuilegia sua non modo conseruent, verum etiam augeant. Regi itaque, quamprimum creatus est, pactum certum seu conditiones aliquot proponunt, quas inire necessario debet, priusquam proclamatio eius fieri potest. Has conditiones *Pacta Conuenta* appellant; per se autem foedus illae constituunt inter Regem et populum sancitum, quod se summa fide ac religione seruaturum esse, ad altare templi Varsauiensis sancto Iohanni consecrati postea iureiurando affirmare illum oportet.

Si Rex electus extraneus princeps est, eius Legatus loco ipsius his conditionibus subscribere et id, quod dixi, iusiurandum praestare debet. Ita Henrico Valesio Poloniae Rege creato, Legatum eius, Iohannem Monlucium, Valentiae Episcopum in vniuersalem ordinum conuentum venire oportebat. Vbi conditionibus, quae a nouo Rege, ipsius domino, obseruari debebant, publice praelectis, non modo illius Henrici, sed etiam Caroli noni, fratris eius, qui tum Franciae Regno praerat, nomine subscripsit. Quo facto, idem Legatus in templum Iohanni consecratum ductus est, vbi eo, cuius supra mentionem feci, iureiurando praestito, Marschalcus Regni Poloniae supremus dominum eius, Henricum Valesium ex more consueto Regem Poloniae publice declarauit. Quae omnia anno millesimo quingentesimo septuagesimo tertio, et quidem duodeuigesimo Maii facta sunt. Tum, vt in hoc negotio fieri solet, a republica Polonica Legati aliquot Lutetiam Parisiorum missi sunt, coram quibus Rex nouus ipse hoc pactum se seruaturum esse iurisiurandi religione promitteret, quod eodem, quem supra commemorani, anno, et quidem die de-

cimo Septembris contigit. Hoc modo pacta conuenta confirmari leges postulant; qui modus tamen summa cum diligentia non semper obseruari solet: nam et Rex Michaël et eius successor, Iohannes Sobiescius, diebus demum aliquot post electionem suam hoc iusiurandum fecerunt.

Id autem, quod saepius dixi, pactum iussu Senatorum et Legatorum prouincialium eodem tempore, quo literas electionis componunt, conscribitur. Tum tres illi ordines, Rex scilicet recens creatus, aut eius Legatus, Senatores et Legati prouinciales in templum se conferunt, vbi Cancellarius aut Marschalcus supremus clara et perspicua voce omnes huius pacti conditiones recitat, quae hic scriptae sunt:

1) *Rex nullo modo haeredem Poloniae se appellato, neque vllum imperii successorem proponito; sed potius leges et statuta, quae ordinibus liberam optionem concedunt, summa religione seruato ac defendito.*

2) *Ius monetae cudendae sibi ne arrogato, sed illud vna cum lucro inde redeunte reipublicae prorsus concedito.*

3) *Omnes cum exteris principibus contractas pacis conditiones approbato et confirmato.*

4) *Cura eius praecipua ea esto, quomodo in omnibus regni prouinciis pax et tranquillitas conseruetur.*

5) *Sine communi ordinum consensu bellum ne moueto, neque copias extraneas in regnum ducito, neque milites e regno discedere sinito, neque tandem copias nouas parato.*

6) *Omnes Duces militares aut Poloni, aut Lithuani, aut saltem ex iis prouinciis, quae ad regnum Polonicum pertinent, orti sunto.*

7) *Pari modo omnes custodum corporis regii Duces aut Poloni aut Lithuani sunto. Is inprimis, qui summum in eos exercet imperium, Polonus nobilis esto, seque fidem debitam reipublicae praestiturum esse iureiurando promittito. Omnes denique et singuli Duces militares Marschalci supremi imperio parento.*

8) *In negotiis, ad rempublicam pertinentibus Rex sigillo suo peculiari ne vtitor.*

9) *Intra sex hebdomadas omnia munera vacua aliis, iisque idoneis et bona indole praeditis, nobilique genere natis Polonis tradito.*

10) *Ea munera, beneficia ecclesiastica, easque dignitates, quae ex Regni legibus a pluribus administrari debent, vni viro ne committito.*

11) *Alio modo, atque per imperii statuta licet, et sine Senatus consensu et approbatione matrimonium ne contrahito, penes quem Senatum etiam esto, Reginae tantum redituum, quantum sibi videatur, destinare.*

Hanc conditionem Rex Michaël violauit, qui Eleonoram, Archiducis Austriae filiam, Imperatoris Romani sororem, inuito Senatu vxorem duxit; licet eum postea harum nuptiarum poeniteret, cum eas Poloni tam indigne ferrent, vt eum iusiurandum, quo ante coronationem se obstrinxisset, impio ac nefario modo fregisse ipsi coram exprobrare non dubitarent. Pari modo cum Regis superioris filius natu maximus, Iacobus, Ducis Neoburgensis filiam matrimonio sibi coniungeret, Senatus Regi persuasit, vt nouae nuptae corporis sui custodes obuiam mitteret, ne satellites Germanicos ipsa in Regnum Polonicum secum adduceret.

12) *Deliberatione cum consiliariis suis inita certum et peditum et equitum, quanto opus erit, numerum alito, vt respublica neque militibus extraneis vti, neque sumtus nimios impendere necesse habeat. Milites seuera disciplina contineto, vt neque in domiciliis, neque in itinere cuiquam molestias faccessant.*

13) *Si classem comparari reipublicae salus exigat, Rex tamen ante nobilitatis approbationem et Senatus consensum eius constructionem ne suscipito.*

14) *Thesaurum in arce Cracouiensi asseruari solitum nulla ratione minuito, sed potius eum ampliare et augere studeto.*

15) *In-*

15) *Inscio et intuitis ordinibus vniuersis pecuniam mutuam neque ipse sumito, neque suo nomine sumi concedito.*

16) *Iudicia Senatus et consiliorum sibi associatorum adminiculo semper aeque et iuste administrato.*

17) *Iis reditibus, qui superioribus regibus ad victum a republica constituti sunt, contentus esto, iisque domus eius ipso tantum superstite, neque diutius, fruitor.*

18) *Nullum extraneum seu peregrinum, cuiuscunque conditionis aut dignitatis ille sit, in consilium intimum admittito, neque ei vllum officium, honores aut imperium tradito.*

19) *Ad maiestatem et auctoritatem suam conseruandam, munera reipublicae, aulae et prouinciarum suae curae commissa neque minuito, neque vllum eorum prorsus abrogato.*

20) *Tandem omnia iura, immunitates ac priuilegia, aut Polonis, aut Lithuanis, aut iis, qui ex prouincia quadam ad Poloniam vel Lithuaniam pertinente, orti sunt, a Regibus superioribus legitime data, summa fide ac religione conseruato, defendito, mandatisque publicis et regiis confirmato.*

His conditionibus multae aliae plerumque adduntur, quas pro ratione temporum recens creati Reges se obseruaturos esse affirmare debent. Sic Doctor Connorus, ante electionem proxime superiorem, cum ipse in Polonia fuerit, famam de noua lege condenda increbuisse dicit, qua Rex futurus ad perpetuum domicilium Varsauiae figendum obstringatur, quae vrbs centrum quasi Regni esse videatur. Ad quod propositum procul dubio hac de causa impulsi sunt, quod Rex superior modo hic, modo illic commoraretur, nec vnquam in vrbe aliqua sedem fixam haberet. Interdum enim in priuatis suis possessionibus in Prussia, interdum autem Zolkieuiae in Russia Rubra habitauit, et ita ex vno loco in alium identidem profectus est; quod ministris aulicis, Legatis exteris, Polonisque nobilibus, qui eum sequi necesse habebant, non parum molestiae saepissime creauit. Caeterum in vnoquoque Rege creando vnum et alterum statutum nouum, ad salutem publicam augendam, praesertim vero ad regiam potentiam arctioribus finibus includendam spectans, sanciri notandum est.

Cerimoniae, quae obseruari solent, cum Rex se pacta conuenta seruaturum esse, iurisiurandi fide promittit, sunt sequentes: Sacris peractis haec conuenta literis consignata Archiepiscopus Gnesnensis et Legatorum prouincialium Marschalcus Regi praeferunt, et cum ad altare primarium peruenerunt, Rex haec verba a Cancellario sibi praelecta pronuntiat:

Nos Fridericus Augustus legitime creatus Rex Poloniae, Magnus Dux Lithuaniae, Dux Russiae, Prussiae, Masouiae, Samogitiae, Kiouiae, Volhyniae, Podoliae, Podlachiae, Liuoniae, Smolenski, Seueriae, et Czernichouiae, promittimus Deo omnipotenti, et iuramus in sanctos Euangelistas, nos omnia, quae in electione nostra inter Legatos nostros, et Senatores Legatosque Regni Poloniae et Magni Ducatus Lithuaniae tractata, et ab illis Legatis nostris iurisiurandi religione promissa sint, obseruaturos, acturos et praestituros, et omnia in iis contenta, secundum omnia momenta, articulos, additamenta et conditiones fideliter et diligenter exsecuturos esse; quae omnia die coronationis nostrae nos iterum iureiurando confirmaturos esse pollicemur.

Hoc modo igitur cum Rex pacta conuenta se fideliter seruaturum esse iurauit, electionis decretum, membranae consignatum, cui ab omnibus Senatoribus Legatisque prouincialibus subscriptum est, Cancellarius ipsi tradit.

Quod autem Poloni in eligendis Regibus tantam adhibeant cautionem et tam multis vtantur cerimoniis, id praecipue hac de causa fieri solet, vt postea eos de ipsorum officio, si forte illud negligant, eo grauius admonere possint.

Ab eo inde tempore, quo Rex creatus est, vsque ad coronationem eius Marschalcus supremus aut Marschalcus inferior scipionem non erectum, sed demissum ei praeferre solet. Si etiam interea iussa aut decreta quaedam edit, tan-

tummodo creatum Regem se appellat, et in omnibus literis intra hoc temporis spatium non nisi Camerae sigillo vtitur.

Antequam coronationem Regis Poloniae describam, haud incommodum erit, de successoris electione pauca quaedam tradere. Quae electio quamuis Regni legibus et statutis e diametro repugnet, et ab eiusmodi imperii, vbi Regum successio a libera optione pendet, priuilegiis prorsus abhorreat; nihilominus tamen parentes tam sollicito amore liberos semper amplecti solent, vt se adhuc superstitibus eos de successione imperii sibi conferenda certos fieri admodum cupiant. Ita Sigismundus secundus, patre Sigismundo primo adhuc viuo, Rex constitutus est, ea tamen lege, vt ne prius, quam post eius mortem imperii administrationem vllo modo sibi arroget. Verum Sigismundo secundo vita defuncto, cum ordines in Regni leges paulo diligentius inquirerent, decretum fecerunt, vt in posterum Rege superstite de futuro successore deliberari neutiquam liceret. Quod decretum quanquam Stephanus Batorius subuertere moliretur, tanta tamen cum grauitate atque auctoritate respublica ei restitit, vt hoc institutum quam libentissime abiiceret.

Cum etiam omnes principes Christiani se Poloniae Regno aliquando potituros esse optime iure sperare possint, omnium interest, vt maturae successoris electioni refragentur; hac enim facta, illa spe Regni Polonici capessendi omnino excluderentur. Idem Imperatorem Romanorum, qui nunc imperio praeest, Leopoldum, commouit, vt Franciscum de Lisola ad Polonorum comitia anno millesimo sexcentesimo sexagesimo primo Varsauiae celebrata ablegaret, cum Rex Iohannes Casimirus aliquem e filiis suis Regni successorem proponere percuperet. Vbi ille Imperatoris Legatus Iohannis Ouerbeci, Legati Electoris Brandenburgici, et Lubomirscii, Marschalci Polonici, auxilio effecit, vt ordinum plerique suis partibus accederent, et non modo Regis Iohannis Casimiri propositum infirmaretur, verum etiam lex contra successoris electionem quondam sancita denuo confirmaretur. Multi Lithuanorum nobilium idem cum Iohanne Casimiro sentiebant, eas tamen conditiones in hoc negotio obseruari volebant. Primo, vt ille successor post Regis obitum iterum eligatur. Secundo, vt religionem Romano-Catholicam profiteatur. Tertio, ne Piastus seu inquilinus sit. Quarto, vt neque Imperator, neque Rex, neque alius princeps infinita et absoluta potentia praeditus sit. Quinto, ne in Poloniae vicinia habitet. Sexto, vt aetate neque admodum grandi, neque admodum tenera sit. Septimo denique, vt nondum vxorem in matrimonio habeat.

Sine dubio cum Rex Casimirus, tum caeteri, qui futuri successoris optionem institui postulabant, bono animo id fecerunt, cum seditiones intestinae ac discordiae perniciosissimae, interregnorum tempore oriri solitae, hoc modo tolli arbitrarentur. Qui autem huic consilio repugnabant, ii procul dubio fore obiiciebant, vt futuri successoris electio ipsorum regnum, in quo libera ordinum voluntate Reges creari soleant, in eiusmodi imperii, in quo successio per haereditatem a parentibus ad liberos perueniat, formam mutetur, et breui temporis interuallo immunitatum ac priuilegiorum suorum detrimentum afferat, quanquam illud impedire omnibus, qui modo excogitari possint, modis nitantur. Deinde imperii legibus atque statutis prorsus repugnare contendebant, si Rege adhuc viuo de eius successore cogitent; tum rempublicam, si huic electioni semel consenserit, ei postea satis grauiter resistendo imparem fore dicebant, et denique multis principibus, quibus Regni Polonici ambiendi potestas optimo quasi iure competat, hac electione offensis, reipublicae nouas molestias exhibitum iri affirmabant, cum tamen gentis suae interesit, vt cum omnibus pacem et amicitiam colant. Haec erant causae, quae ab vtraque parte afferebantur, quarum posteriores, vti iam supra dixi, praeualebant.

Quamdiu

Quamdiu Rex Poloniae corona regia nondum ornatus est (*), tamdiu neque regiam potestatem sibi vindicare potest; siquidem intra illud tempus ecclesiastica munera cuiquam committere, honores vacantes aliis tradere, aut malefico cuidam delicti veniam dare, ipsi haudquaquam licet. Neque intra hoc temporis spatium vllis literis magnum Curiae sigillum imprimere, neque vt iudicia rursus initium sumant, praecipere potest, quae vsque ad iusiurandum coronationis praestitum cessant.

Est vero penes Regem electum, coronationi suae diem certum constituere. Huius coronationis solennia Gnesnae (**) olim celebrata sunt, donec anno millesimo trecentesimo vigesimo Vladislaus Locticus Cracouiae coronam regiam sibi imponi iussit, a quo inde tempore hunc ritum in illo loco constanter peragi, lege peculiari sancitum et cautum est. Et quanquam Vladislaus septimus coniugem suam, Caeciliam Renatam, Varsauiae coronari iussit, illud tamen cum summa nobilitatis indignatione factum est.

Vbi dies, coronationi destinatus, aduenit, solenni ac frequentissima pompa Rex vrbem Cracouiam intrare solet. Huius vrbis Senatores solii tegmen supra caput eius expansum ferunt; satellites autem, cum equestres, tum pedestres cum ducibus suis ipsum praecedunt. Proxime Regem sequuntur Episcopi, Palatini Legatique extranei equis insidentes. Proxime ante Regem dux militaris equo vehitur, qui nummos quosdam in coronationem cusos in turbam congregatam proiicit; qui autem rarissime magnam summam conficere solent. Quo comitatu Rex sub variis portis in ipsius honorem structis, quae diuersis emblematibus lepidisque inscriptionibus exornatae sunt, per vrbem ad arcem procedit. Ante portam exteriorem Regi claues vrbis a magistratu traduntur, ante portam vero arcis eidem Regi Staroста Cracouiensis eleganti cum oratione claues arcis huius insignis praebet. Reliquus vero dies epulis et conuiuiis splendidissimis consumitur.

(**) Die proxime insequente, eodemque coronationis solennia proxime praecedente Regis defuncti exsequiae celebrantur, eiusque funus in sancti Stanislai templum vulgo *Schalka* appellatum defertur (*). Ordo huius pompae funebris hic est. Primo Rex nouus pedes incedit. Ipsum sequuntur omnes Officiales Regni Poloniae, vti etiam omnes Officiales Magni Ducatus Lithuaniae, nec non Legati prouinciales et Vexilliferi, qui posteriores singuli singulorum Palatinatuum vexilla gerunt. Tum corona, sceptrum, malum regni, gladius, aliaque regni insignia, et quidem humum versus demissa corpori exanimato praeferri solent. Deinde sequitur ingens caeterorum nobilium frequentia, quos diuersae mercatorum atque opificum societates, partim ad vrbem, partim ad aulam pertinentes, excipiunt. Hi mercatores et opifices omnes et singuli nudis pedibus incedunt, et eorum vnicuique societati Ieuis sandapila linteo funebri obtecta in humeris duorum hominum praefertur. Qui autem huic pompae funebri interfunt, (quod vltimo loco notandum est) eos omnes vestitu lugubri indutos esse oportet.

Cum ad sepulturam peruentum est, Marschalci scipiones suos confringunt, caeterique Officiales primarii se suis muneribus esse defunctos aliis signis indicant. Tum in templo cathedrali funus regium humatur, caeterisque Regibus, qui fere omnes ibi sepulti iacent, apponitur. Illud notandum superest, (quod paene oblitus essem) omnes Clericos infulatos Regis defuncti funus circumcirca comitari solere.

Proximo die coronationis solennia celebrantur. Quae coronatio ab Archiepiscopo Gnesnensi, vt Primate Regni peragitur. Licet enim quondam Episcopus Cracouiensis, Sbigneius Olesnicius, Cardinalis dignitate, qua simul ornatus

(*) *Hartknoch.* lib. 2. cap. 1. p. 331.
(**) *Neugebaueri* Hist. Polon. lib. 3. p. 185.
(**) *Piasecius* in Chron. Anno 1632. pag. 525.
(*) *Hartknoch.* lib. 2. cap. 1. p. 336.

natus esset, superbiens hoc ius Regis coronandi sibi arrogare auderet (*), nihilominus tamen illud Casimirus quartus Archiepiscopo Gnesnensi adiudicauit, quod etiam postea Rex Alexander confirmauit (**). Quod si autem accidat, vt Archiepiscopus Gnesnensis aut vita defunctus sit, aut officio suo neglecto contumacem se gerat, hoc ius Episcopo Cracouiensi, et eo quoque contumace, defuncto aut absente, Episcopo Cuiauiensi competit; quibus duobus Episcopis alias etiam in Rege coronando sua vtrique negotia administranda sunt.

Ordo, qui in his solennibus obseruari debeat, a Magistro Cerimoniarum institui solet. Marschalci autem Regni Poloniae supremi est, Regem vestitu admodum splendido induere. Quo facto, ipse a Senatoribus, Legatis extraneis et ingenti nobilium multitudine ex arce in templum cathedrale deducitur.

Quod in templum antequam Rex peruenerit, Stabularius supremus coronam, sceptrum et gladium strictum Archiepiscopo affert, qui haec omnia Regni insignia altari imponit. Tum duo Episcopi, Cracouiensis et Cuiauiensis Regem, excipiunt, quorum vterque altero brachio ipsum amplectuntur, et ita ad Archiepiscopum ducunt, quem appropinquans capite inclinato salutare ipse solet.

Cum neque Tibi, Comes illustrissime, neque aliis, quibus hae literae legendae offerantur, vberiorem horum rituum narrationem molestam fore sperem atque confidam, ea, quae maxime notatu digna sunt, et praesertim, quae in proxime superiori coronatione euenerunt, quam breuissime potero tradam.

Eo, quem dixi, modo, quamprimum Rex in templum deductus est, cerimoniae consestim incipiunt. Ante omnia Archiepiscopus breui oratione Regem hortatur, vt in Romano-Catholicis sacris profitendis constanter et fortiter perseueret, omnibus Regis ac Principis persona dignis studeat, tandemque officium suum, erga rempublicam imperio iuste et sancte gerendo exsequatur. Quem in finem eum postea Latino sermone interrogat: *num sanctam et Catholicam religionem ad mortem vsque profiteri ac defendere, eiusque veritatem praeclare factis probare velit?* Quod cum Rex se facturum esse affirmauit, Archiepiscopus interrogare pergit: *num ecclesiae et ministrorum ecclesiasticorum tutor ac defensor esse velit?* Quod cum Rex pariter promisit, Archiepiscopus vltimo quaerit; *num Regnum a Deo sibi mandatum administrare velit, vt iustitia et aequitas postulet?* Cui quaestioni cum Rex eodem modo atque superioribus respondit, coram Archiepiscopo in genua procidit, eiusque manum osculatur, tum sua ipsius manu Euangeliorum libro admota, quae iam antea Varsauiae in templo sancto Iohanni consecrato promiserit, ea omnia se summa religione ac fide seruaturum esse, iureiurando affirmat. Quod iusiurandum cum singularia quaedam contineat, ad verbum adscripsi.

Nos Fridericus Augustus, qui ab vniuersis et Regni Poloniae, et Magni Ducatus Lithuaniae, nec non aliarum his insertarum et huc pertinentium prouinciarum ordinibus Rex Poloniae, Magnus Dux Lithuaniae, et Dux Russiae, Prussiae, Masouiae, Samogitiae, Kiouiae, Volhyniae, Podoliae, Podlachiae, Liuoniae, Smolensci, Seueriae et Czernichouiae, rite et legitime creati sumus, promittimus et sancte iuramus Deo omnipotenti et his sanctis Euangeliis Iesu Christi, nos omnia iura, libertates, immunitates et priuilegia, (nisi communibus vtriusque nationis iuribus et priuilegiis, aut vlli ecclesiasticae vel ciuili legi aduersentur) ecclesiis Catholicis, vti etiam Dynastis, liberis Baronibus, nobilibus, ciuibus et incolis, cuiuscunque ordinis aut conditionis sint, a maioribus nostris, Regibus Poloniae, Magnis Ducibus Lithuaniae, et Ducibus etc. legitime data et rite concessa; vti etiam pacta conuenta, de quibus conuentis inter Regni Poloniae et Magni Ducatus Lithuaniae ordines et Legatos nostros consensum est; nec non quae in electione nostra tractata sunt, et quae in hoc praesente coronationis conuentu agentur, secundum omnia et singula momenta atque conditiones curaturos, obseruaturos ac praestituros esse. Porro quae a Regno Poloniae

(*) *Herbert.* Tit. Cardinalatus p. 63.
(**) *Heidenstein.* lib. 2. Rerum Polonic. pag. 95.

Poloniae et Magno Ducatu Lithuaniae aut ab eorum reditibus abalienata et derogata sint, aut in posterum abalienari ac derogari possint, ad harum prouinciarum peculium reducturos promittimus. Fines et Regni Poloniae et Magni Ducatus Lithuaniae nullo modo extenuabimus, sed potius tuebimur et ampliabimus. Tum quoque in toto Regno et Magno Ducatu iudicia publica exerceri nos curaturos esse iuramus, vt sine mora et dilatione, vti etiam sine hominum rerumque respectu ius suum cuique tribuatur. Si denique (quod Deus auertat!) vllo modo hoc iusiurandum nostrum, aut vnum et alterum eius momentum violemus, incolae Regni, omniumque prouinciarum nostrarum omni fide et obedientia alias nobis debita plane soluti sunto.

Hoc iusiurandum a Cancellario praelectum a Rege coram Archiepiscopo perspicue et distincte repetitur. Quo facto, Rex librum Euangeliorum comprehensum osculatur, his additis verbis: *Ita me Deus adiuuet, et haec sancta Euangelia Christi, sacrum illud iusiurandum sancte ac religiose seruabo.*

Rex simulac hoc iusiurandum dixit, protinus surgit, pactisque conuentis recitatis, eorum a se seruandorum promissum iurisiurandi fide factum denuo confirmat. Deinde iterum in genua prouolutus cum ab Archiepiscopo, tum a caeteris Episcopis faustas apprecationes impetrat. Tum rursus surgit, et superiori vestium eius parte sublata, Archiepiscopus ipsius dextram, nec non brachium supra cubitum atque supra humerum oleo sacro vngit, his vtens verbis: *Vngo Regem oleo consecrato nomine Patris, Filii et Spiritus sancti, Amen.* Quo facto, eum vestimento antea detracto rursus circumdatum duo illi, quorum supra feci mentionem, Episcopi in sacellum quoddam a sinistra templi parte exstructum deducunt, nouoque amictu Episcoporum vestimento non adeo absimili induunt. Marschalcus autem Regni Poloniae supremus et Marschalcus Magni Ducatus Lithuaniae supremus alio praeterea ornamento vestiunt, quo ornamento superbus, Coronae vexillo praelato, ad solium in medio templo structum ducitur, in quo vbi sacra celebrari audiuit, ad altare reducitur. Quo loco ipsi Archiepiscopus gladium strictum in dextram porrigit, his verbis: *Accipiat Rex illum gladium, eoque sanctam ecclesiam ab omnibus infidelibus defendat.* Quem gladium deinde Rex Gladifero Regni Poloniae supremo porrigit, qui eum vaginae immissum Archiepiscopo reddit. Tum ille Regis lateri eum accingit, qui Rex protinus surgit, gladium illum e vagina educit, eoque supra caput vibrato aëra ter caedit, significans, se sacrosanctam Trinitatem atque ecclesiam ab omnibus infidelibus esse defensurum.

Quibus omnibus peractis, Rex in genua rursus se demittit, eique Archiepiscopus maxima cum solennitate coronam imponit, quam duo illi supra commemorati Episcopi altera manu comprehensam tam diu tenent, donec Archiepiscopus preces aliquot recitauit. Qui etiam postea Regi sceptrum in dextram, et globum Regni aureum in sinistram praebet. Tum Rex surgit, gladiusque ei accinctus Gladifero Regni Poloniae supremo traditur, vt eum Regi praeferat.

Quo facto Rex inter Archiepiscopum et duos Episcopos ad solium reducitur, et ab Archiepiscopo his verbis inauguratur: *Confideat Rex, et locum a Deo ipsi datum obtineat.* Tum Archiepiscopus vna cum Episcopis ad altare reuersus hymnum Ambrosianum cantare incipit. Quo finito, Archiepiscopus ad altare considet; vbi Rex ad eum accedit, massam auri ei offert, manum eius osculatur, et confessione facta coenam sacram cum faustis apprecationibus ab eo accipit.

His cerimoniis peractis, Archiepiscopus surgit, omnibusque praesentibus bene precatur. Tum Marschalcus Curiae Regni Poloniae clara voce exclamare incipit: Viuat Rex, viuat Rex! quae verba statim per totum templum a concione crebris clamoribus repetuntur. Quo facto Thesaurarius Regni Poloniae supremus permultos nummos in coronationis memoriam cusos in turbam proiicit, et tormentis sclopetisque a militibus explosis, Rex celeberrima cum pompa in palatium suum reuertitur.

Reliqua diei pars conuiuiis magnificentissimis variisque hilariorum generibus consumitur. Inter alia in arce regia tres boues assati, diuersis carnis ferinae

et volatilium generibus referti, cum doliis aliquot vino et cereuisia repletis in commune traduntur.

Die proximo Rex splendido ornatu indutus et equa insidens in curiam se confert, vbi ipsi a Senatoribus nonnullis Regni insignia praeferuntur. In hac pompa is ordo obseruatur, vt Episcopi postremo loco, ante hos autem Senatores Laici, et ante hos caeteri Officiales, Legati prouinciales, et alii incedant. Qua in via ab arce inde vsque ad curiam a Thesaurario Regni Poloniae supremo monetae aureae et argenteae eaedemque plurimae in multitudinem congregatam proiiciuntur. Rex vbi in curiam peruenit, vestitu regio ornatus in solium splendidissimum eundem in finem exstructum iubetur considere; vtrinque autem paulo humiliore loco sedent Senatores. Tum magistratus Cracouiensis Regi homagium praestat, eique obedientiam perpetuam et fidem constantem pollicetur, ac postremo in patina argentea omnium vrbis portarum claues prorsus deauratas ei porrigit. Quo facto, Cancellarius Regis nomine magistratui omnem gratiam ac beneuolentiam regiam promittit, et voce clara iusiurandum fidei praelegit, quod iusiurandum omnes et singuli genibus flexis, digitisque erectis protinus repetunt. Deinde a Rege, cum donum certum ipsi obtulerint, vrbis claues recipiunt. Postea sceptrum et globum Regni aureum Rex Senatoribus aliquot pone se stantibus praebet, horumque ornamentorum loco gladium vagina extractum a Gladifero Regni Poloniae supremo accipit, quo stans versus quatuor coeli plagas caedit, tum residens ciues nonnullos Equites creat, seu, vt vulgo dicitur, percutit, quoniam nimirum plana gladii huius parte eorum humeros leuiter pulsat. Cum Rex equo insidens e curia in palatium suum reuertitur, quod cum tormentis explodendis cuniunctum esse solet, rursum, sicut antea, in plebem circumstantem moneta proiicitur, et cumprimum nox oborta est, quae his omnibus cerimoniis finitis plerumque ingruit, ignes ouales incenduntur, multisque aliis hilariorum generibus spectatorum cum oculi, tum aures oblectantur.

Regiae coronationis solennibus peractis confestim comitia incipiunt. In quibus cum ante omnia Primas Regni imperio suo vicario se abdicauit, vniuersi Senatores et Legati prouinciales Regi homagium praestant. Quo ille regiam potestatem perfectam nanciscitur. Cancellarii sigilla noua accipiunt, et Marschalcos inde cum scipionibus erectis ei praeire oportet. Tum de coronatione sua omnes muneribus publicis magistratibusque fungentes per totum Poloniae Regnum et Magnum Lithuaniae Ducatum omnesque eo pertinentes prouincias literis certiores facit, easque literas a se scriptas et omnia ordinum atque ciuium iura ac priuilegia confirmata esse proximo die festo aut nundinis in singulis vrbibus et vicis palam promulgari, et praesertim literas illas descriptas suo loco reponi iubet. Eadem promulgatione omnium iudiciorum consueto more rursus exercendorum potestatem facit, et quae sub interregno in communi ordinum conuentu tractata et constituta sunt, ea omnia comprobat atque confirmat.

Reginae Poloniae coronationem quod attinet, ante omnia eam coronari non licere notandum est, nisi religionem profiteatur Romano-Catholicam. Hinc factum est, vt Regis Alexandri vxor, Helena, non coronaretur, quoniam Graecis sacris addicta erat, quae sacra abiicere constantissime recusabat. Caeterum Reginas aut vna cum maritis suis, aut separatim corona ornari in annalibus legimus; et quidem cum maritis, si aut ante ipsorum coronationem, aut circa idem tempus ipsis matrimonio iunctae sint; saeparatim vero, si posthac demum ordinum consensu lectum coniugalem adscenderint. Ordinum consensu inquam; hoc enim nunquam non tam necessarium existimatum est, vt pactis conuentis ipsis, seu foederi inter Regem et ordines contracto insereretur; sicuti etiam neque cum vxore diuortium facere, neque vt ipsa coronetur iubere Regi sine ordinum consensu licet, si quidem post suam ipsius demum coronationem in matrimonium eam duxit, si enim iam antea vxorem eam habuit, illud sine ordinum consultatione facere potest.

Locus,

Locus, vbi Regina coronatur, plerumque Cracouia est; quamuis exempla quaedam proferri possint, cum alio loco coronatio facta sit. Vladislaus septimus coniugem suam, Caeciliam Renatam, vti etiam Rex Michaël vxorem suam, Eleonoram, Varsauiae coronari iussit. Quod posterius quanquam cum ordinum comprobatione fiebat, cautum tamen ab illis est, ne hoc exemplum plures imitarentur. Quod Reginam regnantem vxore vidua superioris Regis superstite coronari non posse putant, id vero falsum est; siquidem contrarium e variis exemplis apparet.

Si Regina sola et seperatim coronatur, consentiente Rege illud fieri debet, cum quidem eius rei faciendae copiam a republica exorarit. Qua impetrata, ipse Reginam in templum ducere, et Archiepiscopo aut alii eius personam gerenti Episcopo praesentare debet, qui Episcopus ipsi coronam imponit, et oleo sacro vnctae sceptrum in dextram, aureum vero Regni globum in sinistram porrigit. Deinde Rex coniugem suam in curiam ducit; vbi tamen homagium illi non praestatur.

Haec momenta, Comes illustrissime, sunt notabiliora, quae de eo, quod adhuc expositum est, argumento vndique congessi. Iam nihil supereſt, nisi vt a Te, Comes illustrissime, debita cum modestia iterum veniam petam, quod nobile Tuum nomen operi tam tenui praeponere ausus sim. Interea Tuae curae ac patrocinio me commendo, perseuerans Tuus,

Comes illustrissime,

seruus obedientissimus et fidelissimus

I. S.

EPISTOLA QVINTA

AD

VIRVM EXCELLENTISSIMVM,

IOHANNEM, MARCHIONEM NORMANBIENSEM.

DE

POTENTIA NOBILITATIS, ET SERVITVTE PLEBIS POLONICAE, NEC NON DE HVIVS NATIONIS CONSVETVDINIBVS AC MORIBVS, ET TANDEM DE VNO ET ALTERO, IN SINGVLIS QVIBVSDAM PROVINCIIS PRAECIPVE NOTANDO.

Reipublicae Polonicae tertius ordo, Vir Excellentissime, est nobilitas, ex qua omnes Senatores aliique Officiales, muneribus cum ciuilibus, tum militaribus fungentes deliguntur. Qui enim ad Polonorum nobilium ordinem non pertinet, is, quamuis generosissima et illustrissima stirpe domestica natus, in Polonia ad nullos honores peruenire potest, paucis quibusdam officiis militaribus exceptis, in quibus Tribuni, aut ad summum, Ducis superioris munus praecipuum est. Quapropter homines extranei, cuiuscunque conditionis et meriti sint, nullam causam, aut saltem parum causae habent, cur huic reipublicae operam suam commodent, quod ipsi non parum obest.

Ciues et agricolas quod attinet, illi ab omnibus honoribus sunt excluſi, neque peculia possidere illis licet, praeter paucas quasdam domos in vrbe aliqua, aut paucos agellos intra milliaris spatium extra vrbem. Excepti tamen sunt ciues Prussiae, quibus extra vrbes tot praedia, quotcunque acquirere possunt, tenere licet. Pari modo ciues Cracouienses, vti etiam Senatores Vilnenses et ciues Leopolienses vndique per totum Regnum fundos habere possunt.

Ingenuus et nobilis in Polonia idem est. Quicunque igitur ad nobilium ordinem pertinet, peculiare suum a republica sibi datum habet insigne; attamen aut eum ipsum aut aliquem de familia eius praediis instructum esse oportet. Ad summos honores et munera Regni amplissima aditus ipsi patet. In tota Polonia et Lithuania praedia, vbi et quot vult, emere ipsi licet. Quid? quod nisi necessaria auctoritas et facultas ipsi desit, ius Regni Polonici ambiendi habet. In peculiis suis vnusquisque nobilis infinita et absoluta valet potestate; siquidem eorum, qui ipsius imperio subsunt, vita et nex ex eius arbitrio pendet. Neque vllum est priuilegium aut lex, qua miseri illi homines, quos haud incommode mancipia dixeris, freti contra dominorum suorum immanitatem magistratus superioris opem implorent, sed eorum voluntati sine vlla contradictione in omnibus morem gerere debent. Neque a loco, vbi sunt, discedere et alium dominum sibi quaerere sub capitis poena ipsis licet. Eos autem vicino alicui vendere, id vero ipsorum domino liberum est. Sed tum quoque a domino suo demigrare ipsis concessum est, si ille vxoribus aut filiabus suis stuprum intulerit, aut eas per vim abduxerit; sicuti ego ipse quosdam audiui, cum se optare dicerent, vt vxorem filiamue habeant venustam, quo a domino suo abeundi occasionem nanciscantur.

Si quis nobilis imperio alterius subiectum interfecerit, nullam aliam huius sceleris subit poenam, nisi vt illi aliud mancipium adducat, aut tantum pecuniae soluat, quanti illud constet, praeterea vero interfecti familiam alat atque sustentet. Si quis aliquem suae potestati parentem vita priuarit, quinquaginta circiter nummos aureos Polonicos pro poena soluit, et sic nemo in ius eum vocare potest. Imo si quis nobilis alterum occiderit, ideo tamen in custodiam tradi nequit, nisi iure victus, id est, rite et legitime delicti coargutus sit. Quod antequam fiat, satis plerumque ipsi temporis supereſt, quo fuga sibi consulat. Primo enim in iudicium citari eum oportet, vbi si non apparet, contumaciae accusatus pro satis conuicto habetur. Neminem autem, qui eiusmodi scelus admiserit, appariturum et capitis periculum subiturum esse, vnusquisque facile existimet; vbi obiter notandum est, in Polonia non vsitatum esse, vt quis suspendatur, ideoque ignobiles etiam capitis amputandi supplicio affici solere.

Interim tamen illud, quod dico, nobilium priuilegium non vbique locum habere, Hartknochius affirmat. *Nobilis enim*, inquit, *si in violento foeminarum raptu, in incendio faciendo, aut in furtis, latrociniis, aliisque eiusmodi atrocibus delictis perpetrandis deprehensus fuerit, ex legibus sine vlla mora in carcerem coniici potest. Eodem modo agi solet, si satis pecuniae in vadimonium pro delicti a se patrati ratione soluere recuset, aut tandem, si iam ter grauiorum scelerum reus fuisse in sceleratorum indice deprehenditur.*

Quamuis hoc priuilegium nobilitati conueniat, inquit Hauteuillius, *ii tamen, qui Imperatorem exercituum Magni Ducatus Lithuaniae inferiorem, Gouczenscium, interfecerant, sine vlla dubitatione correpti, Elbingam deducti, et ex eo, quod in comitiis, anno milleſimo sexcenteſimo sexageſimo quarto Varsauiae celebratis, de ipsis latum est, iudicio palam capite truncati sunt. Veruntamen scelerati illi homines eius quod saepius dico, priuilegii turpissimo et atrocissimo facinore committendo iacturam fecerant, cum nobilem illum Vilnae e lecto abreptum et vna cum sacerdote aliquo, coram quo confessionem peccatorum ederet, carpento impositum ex vrbe educerent, eumque vix tantillo temporis spatio, quo precum formulam quandam recitare posset, concesso, sclopetis manuariis protinus configerent.*

Polonus nobilis, licet modo legitimo citatus, conuictus ac proscriptus sit, inscio tamen et inuito Rege capitali supplicio affici non potest. Id quod ex Samuelis Zborowscii exemplo intelligitur. Quem quanquam et Cancellarius supremus, et Imperator exercituum, Zamoiscius, proscripserant, et capitis condemnauerant, nemo tamen, antequam Rex Stephanus consensisset, iudicium in eo exequi ausus est.

Aliud

Aliud est priuilegium, quo Poloni nobiles fruuntur, quod in eo cernitur, vt neque miles, neque dux militaris in eorum domiciliis collocari possit. Cui priuilegio vel quodammodo contrarium aliquid facere si quis ausus fuerit, is in comitiis procul dubio nisi capitis condemnabitur, saltem tamen infamis declarabitur, quo posteriore non modo ius in omnibus conuentibus publicis suffragii ferendi amittit, verum etiam omni ad vllos reipublicae honores perueniendi spe excidit; imo hoc idem est, ac si nobilitate ipsa exuatur. Hoc loco mihi subit, quod in eo, quo Iohannes tertius Rex crearetur, comitiorum conuentu contigerit, quodque eidem ad dignitatem regiam consequendam non parum profuerit. Palatini Smolensceńsis filius in domum Wiesnowiscii sine possessoris consensu, (vt fama erat) Imperatore exercituum supremo, Patio, iubente, diuertebatur. Id quod effecit, vt Marschalci, harum causarum legitimi iudices, biduum ante comitia finita Palatinum illum suffragii in electione instante ferendi potestate excluderent, quo factum est, vt et Sobiescius aduersario infensissimo liberaretur, et Austriaca factio amico intimo priuaretur.

Quid? quod ne Regi quidem apud nobilem aliquem ipso inuito, his temporibus diuerti licet, quanquam olim ante annum milleſimum quadringenteſimum trigeſimum tertium illud ipsi concessum fuerit. Si quis extraneus sine haeredibus fato functus sit, eius opes non ad Regem, sed ad nobilem, in cuius sunt ditione, redeunt. Si quis autem Polonus nobilis, haeredibus non relictis, ex hac vita decesserit, Rex eius bona sibi nullo modo vindicare potest, donec aliqui supersint, qui vel octauo cognationis gradu defuncto sint coniuncti. Ita etiam in regiis vrbibus atque vicis domos possidere nobilibus licet; ea tamen conditione, ne eiusmodi opifices, aut alios homines in eas excipiant, a quibus vlla nutrimenti iactura aut detrimentum ciuibus inferri possit. Nobilium quidem etiam domus in vrbibus sitae ciuili iurisdictioni ex imperii statutis subesse debent; quod autem perraro, aut potius nunquam obseruatur. Illud adhuc de nobilium domibus notandum supereſt, quod maleficus, qui eo confugerit, non nisi possessore volente ex iis abduci, minime autem per vim inde protrahi possit.

Neque minus ad nobilium priuilegia id pertinet, quod, quaecunque ipsis venalia sint, ea omnia sine vectigalibus pendendis, quocunque velint, e terra sua deportare ipsis liceat, dummodo ea non redemta, sed in peculiis suis parata aut ex agris suis enata esse, iurisiurandi religione affirmauerint; quo iureiurando semel praestito, non nisi testimonium, quod super ea re scriptum acceperunt, vectigalium quaestoribus ostendere necesse habent, quo illi eorum merces libere deuehi sinunt. Eodem priuilegio ii quoque fruuntur, qui ipsorum imperio parent, quocunque tandem merces suas velint deducere.

In Prussia non modo nobiles, verum etiam omnes incolae caeteri iuris Culmensis beneficio a vectigalibus sunt immunes. Quae tamen Polonicae nobilitatis immunitas non eo vsque extenditur, quo minus, si necessitas exigat, in comitiis vectigal generale, vel a nobilibus per tempus certum soluendum, imperari possit.

Tum quoque salis ante caeteros Poloniae incolas emendi priuilegio nobilitas gaudet; neque ex eo sale in locis iis, vbi illum venalem exponi oportet, non nisi mense saltem praeterlapso, ignobilibus aliquid diuendi conceditur.

Pro his omnibus priuilegiis onus illud grauissimum Polonis nobilibus incumbit, vt vniuerso exercitu ad arma conuocato gratis expeditionem suscipere et suis sumtibus militare cogantur.

Quae omnia priuilegia qua ratione nobilitas Polonica consecuta sit, hoc loco interrogare non incommodum videatur. Nobiles enim Polonos non multo melioris conditionis, atque mancipia, olim fuisse, id vero satis constat; siquidem, vt Cromerus inter alia commemorat, Regis canes alere coacti sunt. Primam autem libertatis ipsorum originem priuilegiis Clericorum ordini a Boleslao Pudico concessis adscribendam esse coniicio. Deinde Polonia tot bellis intestinis

 laces-

laceſſita, nobiles identidem maiora et ſplendidiora a Regibus ſuis impetrarunt priuilegia, quae nunc in ſingulis Regibus eligendis augere ſtudent.

Stirpis generoſitate omnes omnino Poloni nobiles inter ſe aequales ſunt. Nihilominus tamen nobiles aliquot ordinis inferioris liberos ſuos, haud ſecus, atque alios ſeruos vulgares, maioribus et illuſtrioribus in miniſterium tradunt. Quod praecipue ideo fieri ſolet, vt humanitatem morumque elegantiam diſcant, et ſimul honeſta contineantur diſciplina. Quo fit, vt in comitiis interdum non minus famulo, quam domino eius ſuffragii ferendi poteſtas concedenda ſit. Nomina honorifica Poloni neque appetunt, neque magno opere curant, ſed potius plane negligunt: appellationem enim Poloni nobilis caeteris honoribus omnibus praeferunt. Sic neque Rex, neque Reſpublica ingenuo alicui ſic dicto ex gente Polonica Principis, Ducis, Marchionis, Comitis, Comitis vicarii, Baronis liberi aut Equitis nomen tribuere ſolet, quoniam externa illa appellatione nemini praealio ſingularem praerogatiuam contingere videntur exiſtimare; ex ea appellatione gratiam potius Principis, quam ſingularem quandam eius, cui hic honos obtigerit, praeſtantiam colligi poſſe ſecum cogitantes; cum illud tantum veram laudem afferre putent, ſi quis muneribus publicis fungendis ſalutarem patriae nauet operam.

Quapropter in Regno Poloniae nulli Principes reperiuntur, niſi regia ſtirpe nati. Quamuis enim Poloni nonnulli, in iisque nominatim Princeps Lubomirſcius et alii plures, in ordinem Principum Imperii Romani ab Imperatore ſint recepti, illud tamen ipſis in Polonia maiorem non modo non conciliat auctoritatem, verum etiam nobilibus caeteris, qui, aliquem ex ſuo ordine ſingularem quandam praerogatiuam, praeſertim ob nomen honorificum, nullo cum munere publico atque domeſtico coniunctum, ſibi arrogare, nullo modo ferre poſſunt, prorſus inuiſos ac deſpicatos eos reddit.

Rex Sigismundus tertius ordinem quendam Equitum, qui ordo ab *immaculata conceptione* nomen haberet inſtituere decreuerat. Quanquam vero iam aliquos huius ordinis Equites creauerat, iisdemque cum priuilegiis nonnullis praecipuum quendam prae aliis honorem conceſſerat, caeteri tamen nobiles ita eos contemnebant et detrectabant, vt poſtea propemodum ne vnus quidem reperiretur, qui honorem illum tam odioſum quaereret; quo factum eſt, vt hic ordo paulo poſt rurſus exſpiraret. Alias Poloni prouerbio quodam ad aequalitatem ſuam demonſtrandam vtuntur, dicentes, *ſe omnes et ſingulos ſuper vno modio eſſe menſuratos*; (vt hoc vocabulo minus Latino vtar) ſicuti igitur in menſura radio aequata ne vnum quidem frumenti granulum alteri imponi licet, niſi id ſtatim radio rurſus deiici velimus, ita vnumquemque, qui vllo modo ſuper alios ſe extollere audeat, deiiciendum quaſi et e coetu ſuo exturbandum eſſe, Poloni exiſtimant.

Sunt nobiles quidam in Polonia, qui vetuſtiſſimis ante temporibus, quorum memoria fere exſtincta eſt, Ducatus cum praediis ſuis coniunctos poſſederint, in quorum numero erat Dux Radziuilus in Lithuania, aliique plures. Ducatus autem et Comitatus a Rege ipſo conſtitutos nusquam reperies.

Quamuis igitur Poloni nullum nomen maiori gloriae in patria ſibi eſſe putent, quam ſi nobiles vocentur, eorum tamen nonnulli in Franciam, Italiam, Germaniamue profecti illo nomine contenti non fuerunt, ſed ſemetipſi Comites appellitauerunt; (in quo cum Germanis fere conſentiunt, qui cum in terras peregrinas veniunt, liberi Barones exiſtimari volunt) vbi nihil frequentius audias, quam haec: *Monſieur le Comte Malakowſki, Il Signor Conte Potoſki, der Herr Graf Iablonowſki*, et ſic porro. Id quod nulla alia de cauſa faciunt, niſi vt aditus ad virorum illuſtrium ſocietates eo facilius ipſis pateat, praeſertim in Germania, vbi is, qui liberi Baronis nomen non gerit, pro nobili legitimo vix habetur, neque in conuentibus illuſtrioribus quicquam valet. Noſtrorum adeo nobilium Anglicanorum aliquos ſibi notos fuiſſe Doctor Connorus tradit, qui, quo eo maiore honore afficerentur, ſe Lords ſeu viros reipublicae ſuae primarios in Polonia dicere

dicere non dubitarent, cum ſub ſolo nobilium nomine non multum honoris ſibi ſperandum eſſe probe intelligerent.

Poloni nobiles leges ac priuilegia ſua ipſi ſanciunt atque defendunt. Regem pro lubitu creant; coronam et ſceptrum ei tradunt; miniſtros certos ei conſtituunt, quibus conſiliariis ac ſociis vtatur; et cum Senatorum numerum multitudine longe ſuperent, tam Regem, quam Senatores in officio continere, imo cum illum, tum hos verbis minacibus increpare facili negotio poſſunt, praeſertim in comitiis, vbi cuique liberum eſt, dicere, quae ſentiat, et ſentire, quae ipſi placeant. Ex ſuo ordine in ſingulis prouinciis Legatos quosdam prouinciales delectos in comitia mittendi iure perfruuntur, quibus Legatis perfectam et abſolutam potentiam tradunt, praecipientes, ne quid approbent, quod ipſorum priuilegia vllo modo infirmare poſſit. Quorum Legatorum ſi quis eo abripiatur, vt contra nobilium mandatum agat, nobilitas eius prouinciae, ex qua ille delectus erat, liberam eius puniendi habet poteſtatem.

Non ſolum autem immodica illa priuilegia Polonicam nobilitatem potentia et ſplendore augent, verum etiam conſpicuae et amplae ditiones, quales multi eorum poſſident, et quidem ita, vt in eos, qui ſibi pareant, abſolutam exerceant poteſtatem. Sunt enim in iis, qui regiones quinque, decem, quindecim, viginti, imo triginta milliaria patentes vt peculium teneant. Quibus regionibus Pod-Staroſtas, quos vocant, ſeu nobiles rerum ſuarum adminiſtratores praeficiunt, qui ſuos reditus curent, vnum et alterum vendant, reliqua autem, quibus ipſi ad ſuam familiam alendam et ſuſtentandam opus habeant, ea omnia dominis ſuis mittant. Imo nonnulli in vrbes certas perfectam habent poteſtatem, adeo, vt Regi plane nullum negotium cum iis intercedat, in quorum numero aliquis eſt ex Principis Lubomirſcii familia oriundus, qui vrbes, vicos et pagos quater mille amplius poſſidet. Quid? quod eorum nonnulli exercitum quinque, ſex, octo, imo decem virorum millibus conſtantem comparare, et, cum neceſſitas exigat, ſuis ſumtibus alere poſſunt. Ita ſub Principe Lubomirſcio ſepties mille milites, partim equites, partim pedites, partim etiam Dragonos, quos vocant, meruiſſe, Doctor Connorus tradit, idque ſemetipſum, cum in Polonia verſaretur, vidiſſe affirmat.

Omnes nobiles, qui quidem opulentiores et illuſtriores ſunt, ſplendidiſſime viuunt. Omnes et ſinguli ſatellites equeſtres et pedeſtres habent, qui et noctu et interdiu ante ipſorum domos, ſeu (vt ipſi vocant) aulas, vti etiam in conclauibus exterioribus excubias agant, et cum ipſi in publico vehantur, ipſorum carpenta vtrinque circumdent. Praeſertim vero in comitiorum celebritate incredibili nobiles illi ſuperbiunt apparatu. Vbi ſunt, qui trecentos, quingentos, imo mille viros perpetuo ſecum ducant, quibus corporum cuſtodibus vtantur. Quid? quod aliquos e primoribus regni viris decies mille amplius ſtipatos in comitiis quondam apparuiſſe Hauteuillius contendit. Imperii Romani Principibus nobiles illi, praeſertim ii, qui in Senatorum ordinem ſunt recepti, ſemetipſi aequiparant, ſeu potius iisdem ſe longe praeferunt. Certum quoque eſt, nihil, quod alias a principibus infinita et abſoluta potentia inſtructis requiri ſolet, ipſis deeſſe, niſi ius monetarum cudendarum, quod reſpublica ſibi ſoli ſeruauit. Subiectos, qui tam laute viuerent, et adeo ſplendide ſe gererent, atque nobiles illi, nusquam ſibi oblatos eſſe, Doctor Connorus affirmat. Etenim ſi quis procerum prandium aut coenam ſumere inſtituit, ſemper tubis inflandis ad menſam vocatur. Ipſi epulis aſſidenti alii nobiles permulti miniſtrant. Quorum alii cibos ſtruunt, alii potum infundunt, alii dapes menſae imponunt, quibus omnibus negotiis gerendis ſingulari quadam reuerentia et modeſtia vtuntur. Quamuis enim nobiles Poloni omnes dignitate pares ſint, eademque ſuffragiorum in comitiis ferendorum fruantur poteſtate, pauperiores tamen ditioribus, a quibus ſuſtentari poſſint, ſeruire, ſibi opprobrio haudquaquam ducunt. Quos tamen famulos nobilis, qui eorum miniſterio vtitur, plerumque quam humaniſſime tractat; quandoquidem

natu maximum eorum obtecto capite in sua mensa cibum capere sinit, et reliquis singulis puerum peculiarem, humili stirpe ortum, addere solet, qui illis ministret. Interim tamen, si quis horum famulorum nobilium officium suum minus diligenter obseruat, is a domino suo seuere castigatur. Qui quamuis eum, cum nobilis sit, vita spoliare nequeat, eundem tamen (quanquam cautione quadam adhibita, cuius in proxime superiore epistola mentionem feci) satis inhumane fustibus caedi, iubere ipsi licet.

Quo loco facere non possum, quin Tibi, Vir Excellentissime, adminicula quaedam tradam, quibus Respublica Polonica in statu praesente, et nobilitas antiquis suis priuilegiis constanter conseruari possit. Quorum *primum* est, vt perfecta et omnibus numeris absoluta inter nobiles cum in Rege creando, cum in aliis deliberationibus publicis instituendis aequalitas seruetur: ita enim neque Rex, neque Senatus factionem tam potentem sibi comparare poteſt, quae magnum aliquid moliri valeat, et Regni proceres impediuntur, quo minus nomina honorifica, ex terris peregrinis arcessita appetant, quibus ad patriae salutem negligendam facillime induci possint. *Secundum*, ne nobiles liberam Legatorum suorum prouinciarum electionem sibi eripi vllo modo patiantur: hoc enim si fieret, Rex et Senatus, Legatis, quos ipsi delegissent, subornatis, nobilitatis priuilegia facili negotio deminuere posset; proinde Polonos sapientissime agere iudicamus, quod hac in re prudens illud Romanorum exemplum iam sequantur. *Tertium*, vt nobilitas, antiqua consuetudine seruata, maxima cum frequentia comitiis intersit: hoc enim non modo Senatum Legatosque prouinciales ad ea, quae a semetipsis ad Regni salutem proposita sint, exsequenda eo alacriores reddit, verum etiam simul eosdem deterret, ne ad praua consilia patiantur se adduci. *Quartum*, vt tam Senatores, quam Legati prouinciales negotiorum suorum rationem reddere cogantur: quod eos impellit, vt in omnibus, quae agant, eo maiorem adhibeant cautionem. *Quintum*, ne exercitum ei loco, vbi generalis ordinum conuentus agitur, appropinquare patiantur: nunquam enim felicior fuit Roma, quam donec milites imperio Senatus erant subiecti. *Sextum*, vt in rebus, ad successionem pertinentibus, ea, quae adhuc floruit, aequalitas in posterum quoque seruetur: sic enim nobilitas neque nimiam auctoritatem atque potentiam sibi comparare, neque nimiis opibus ac diuitiis congerendis rempublicam in periculum adducere potest. *Septimum*, ne corona regia inquilino imponatur, quo non parum incommodi oriri et reipublicae maxima clades inferri posse, ex argumentis rationi consentaneis colligatur. *Octauum*, vt Democratiae suae tam longinquis a temporibus introductae, et per maiorum suorum prudentiam non leui cum periculo ac labore defensae auctoritatem conseruare Poloni studeant. *Nonum* denique adminiculum est, vt nullum extraneum principem negotiis suis publicis patiantur immiscerí.

In nulla terra Principis alicuius exteri Legato, magnifico apparatu vti, magis necessarium est, quam in Polonia, praesertim cum Domini sui iussu, aut in comitiis, aut in nobilium conuentu, aliquod magni momenti negotium ipsi tractandum est. Ibi enim Regni proceres eos omnes, qui vitae splendore et magnificentia se aequare aut non possunt, aut non volunt, aspernari solent. Qua in re igitur si extranei Principis Legatus Polonis satisfacere velit, haec tria inprimis ipsi necessario obseruanda sunt. Primo apparatum conspicuum, inprimis autem carpentorum et ministrorum numerum haud mediocrem sibi comparare debet. Deinde semper in propatulo conuiuia agitare, nobiles lautissime tractare, et summa cum humanitate atque comitate eorum consuetudine vti eum oportet; quod cum fecerit, neque ii omnem honorem ipsi exhibere cessabunt; siquidem Poloni nobiles vniuersi in conuersatione admodum comes et humani sunt. Tandem, quae via ad eorum amicitiam et beneuolentiam consequendam est tutissima, munera quaedam identidem iis offerre, et plurium spem facere ne grauetur, cuius causas in epistola superiore iam exposui.

Si pro-

Si proceres Polonorum litem forensem aut aliam controuersiam inter se gerant, iudicia Regni publica multo sunt debiliora, quam vt eam componere queant. Quamuis enim in comitiis, aut in alio quodam iudicio publico sententia dicatur, eam tamen partes litigantes minime curant, et praesertim is, contra quem lata est haec sententia, nullo modo se decere autumat, vt iudicum aliquot arbitrio se subiiciat antequam tentauerit, num gladio stricto seu per vim palmam ab aduersario reportare possit. Quo fit, vt nonnulli quinque sexue virorum millibus collectis, aliorum vrbes atque pagos diripiunt et depopulantur, arcesque eorum oppugnant, et postremo tamen, multo sanguine effuso, operaque et pecunia male collocata, is, cuius causa fuit pessima, plerumque superior discedit.

Eiusmodi controuersiam inter Ducem aliquem e familia Radziuili natum, et Principem Sapiehatam, se in Polonia praesente, ortam esse Doctor Connorus tradit, vter horum filiae Ducis Neoburgensis impuberis tutor esse deberet, cuius filiae pater Imperatricis iam regnantis frater, mater vero a Ducum Radziuilorum stirpe oriunda, in foeminis principibus Regni Poloniae locupletissimis fuerat. Harum partium litigantium vtraque copiis armata apparebat, vnde factum est, vt aliquoties velitationes inter ipsas exorirentur. Cum tamen Princeps Sapieha Imperator Magni Ducatus Lithuaniae supremus esset, fortuna ad ipsius partes inclinata est, quanquam Dux Radziuilus, huius puellae matri cognatione propinqua coniunctus, meliori iure hanc tutelam sibi vindicare potuisse videatur. Haec dum inter eos agebantur, Rex huic causae nullo modo se immiscuit, et neque huius, neque illius partes tuendas suscepit, sed, quasi in partes litigantes nulla prorsus potestas sibi esset relicta, plane quietum se tenuit.

Haereditates quod attinet, patris opes et facultates, eodem modo, atque in Italia, in Germania, et in plerisque terris peregrinis fieri solet, aequali portione in liberos distribui, sciendum est. Patre autem defuncto, mater per totum vitae suae tempus omnium bonorum ab ipso relictorum habet vsumfructum, adeo vt prorsus ex ipsius arbitrio pendeat, vtrum eorum partem, et quantam, singulis liberis dare, an totius patrimonii vsumfructum per totam reliquam vitam suam sibi reseruare velit. Interdum vero matres, maritis vita defunctis, aliis nubunt, cum quibus liberorum ex priore coniugio susceptorum facultates decoquunt. Vnde fit, vt liberi matribus, praesertim viduis, plus obedientiae et reuerentiae exhibeant, quam alias ab iisdem praestitum fuisse credibile est.

Sed est fortasse, qui hoc modo familias necessario ad incitas redactum aut saltem earum opes attritum iri putet, cum in haereditate distribuenda aequales patrimonii portiones liberi accipiant. Verumtamen Polonis nunquam consilia desunt, quibus familias suas conseruent, aut inclinatas subleuent. Plerumque enim nonnulli ex fratribus Clericorum ordini se deuouent, et Abbatiam aut Episcopatum assequi laborant, quae munera tanta reditnum vbertate sunt coniuncta, vt iis tota familia facillime locupletari possit. Reliqui fratres ad aliud munus aut ad alios reipublicae honores peruenire nituntur, quibus pariter satis commode possunt viuere. Filiarum nonnullae vitae monasticae se consecrant, quibus cum matrimonium inire non liceat, fieri solet, vt omnia earum sine haeredibus defunctarum bona ad nuptos fratres et sorores, aut eorum liberos redeant. Caeterum sicut in Italia, ita hic quoque in iure haereditatis adeundae filiae matribus, et sorores caelibes nuptis antecedunt.

Nobiles autem Poloni cum tam insigni et inusitata libertate gaudeant, tanta tamen eosdem temperantia et modestia vti, vel maxime mirandum est. Quamuis enim in eorum, qui suo imperio pareant, vitam et necem potestatem habeant; quamuis, vt ita dicam, nullis legibus sint subiecti, quamuis denique nullis in locis iustitia tam negligenter, quam in Polonia, exerceatur, Doctor Connorus tamen, se, per totum illud, quo in hoc Regno versatus sit, temporis spatium de nulla caede, neque de vlla nobilium erga subiectos crudelitate quicquam vidisse vel audiuisse, imo, quod magis mireris, se de nullo latrocinio quicquam percepisse,

pisse, sed potius Polonos animo probo atque excelso praeditos semper reperisse affirmat. E contrario certum est, si nostratibus Anglis tertia tantum pars eius libertatis, quibus Poloni fruuntur, esset concessa, fore, vt ipsi se mutuos iugulent: nam neque diligentem praefectorum nostrorum obseruationem, neque legum nostrarum seueritatem, neque iustum iudicum nostrorum rigorem, neque tandem accuratam iudiciorum ab ipsis latorum exsecutionem impedire posse, quo minus patibula et loca gladii supplicio interfectorum magis, quam in Polonia carceres, sint repleta, quotidiana experientia testatur.

Polonos nulla alia de causa tam tranquillos et tam bene moratos esse, ego quidem existimo, quam quod ingenui sint, et insigni libertate gaudeant: coactio enim, quae animorum perturbationes domare debebat, eas potius eo acrius stimulat, et nimis rigida legum praescriptio prauam libidinem ad eas violandas irritat. Interim tamen nihil esse fingamus, quod Polonos ad mala facinora perpetranda instiget, neque tamen est, quod eos ab iisdem abstrahat.

Doctor Connorus Polonos aliquot nobiles a se interrogatos, quomodo rusticos suae potestati subiectos tam inhumaniter tractare, et haud secus atque cum mancipiis cum iis agere possint? respondisse dicit, a rusticis quondam omnibus et singulis totius Regni aduersus dominos suos (haud secus atque olim Heluetii contra nobiles suos fecerint) tumultum excitatum, eosdemque radicitus exstirpare communi consensu decretum, imo magna nobilium multitudine ab iis interfecta, reliquos aut se abscondere, aut Regno discedere coactos esse. Tandem vero a nobilibus vndique congregatis vicinorum auxilio miseros illos rusticos, qui per vim rempublicam peculiarem constituere voluissent, adeo in angustias redactos esse, vt ab eo inde tempore ipsorum conditio a seruili nihil differat. Interea infinita ea, quae sibi in subiectos competat, potestate perraro saepius, quam alii Christiani eam, quam in canes et equos suos habeant, potestatem exerceant, se vti Poloni dicunt. Bella scilicet comparatio! quasi vero priuatis potius commodis impulsi quam eo, quam Christiani sibi inuicem debeant, amore commoti miseris illis parcant, quia nempe eorum vita maius lucrum quam mors, afferat, in quo Reges quosdam imitantur, qui delictorum capitalium reos vltimo supplicio absolutos ad remos condemnant.

Quamuis in Polonia rustici serui nascantur, et, vt ita dicam, ne vllam quidem libertatis vmbram habeant, attamen bene contenti sorte sua acquiescunt. Eandem seruitutem, atque Polonici, Curlandici quoque rustici a nobilibus patiuntur, et in vtraque prouincia eorum dominis diuinus paene honos exhibetur. Serui eos amant, et ipsius vitae periculum libentissime pro iis adeunt. In omnibus rebus ex eorum arbitrio viuere coguntur. Quid? quod si domini mancipiorum vxoribus et filiabus stuprum intulerint, ea nullam aliam vindictam meditantur, nisi quod libertatem eo consequi laborent: quam ignominiam miseri illi tam saepe et tam patienter ferunt, vt vxores ea de causa minime deserant, neque ea re vllum probrum sibi illatum esse existiment.

Conditio rusticorum Polonicorum seu *Kmetons* (vt ipsorum lingua vocantur) ea est, vt vitam degant miserrimam atque aerumnosissimam: cum nullis legibus, nullis iudicibus, et paene dixerim nullis sacris vtantur, sed ipsis diebus dominicis sicuti iumenta ad labores faciendos instimulentur, et neque Regis, neque ordinum congregatorum auxilium implorare, neque miseriae leuationem ab iis rogare ipsis liceat. Verumtamen in Prussia regia sors agricolarum multo tolerabilior est, vbi iisdem fere cum nobilium ordine vtantur legibus immunitatibusque perfruantur. Etsi autem ad infelicium illorum aerumnam mitigandam Casimirus Magnus leges quasdam condidit, eae tamen his temporibus parum aut nihil valent. Omnes Episcopos, Abbates, Palatinos, Castellanos, aliosque plures, nobiles esse oportet, numero certo hominum humiliorum excepto, qui ex Regis Iohannis Alberti statuto Clerici inferioris ordinis, vti etiam Iurisconsulti et Medici esse possunt. Regis Sigismundi temporis haec lex in Petro Gamrato exceptione quadam

dam vsa est, qui Gamratus, quamuis infima stirpe natus, ad diuersos et ecclesiasticarum et politicarum dignitatum gradus adscendit. In Prussia vero, vti iam supra dixi, pluribus iisdemque splendidioribus, quam in Polonia, priuilegiis ignobiles gaudent.

Poloni nobilis reditus magna ex parte mancipiis constant: quorum miserorum hominum nisi numerum haud exiguum in sua potestate habeat, dies aestimari nequit; siquidem in iis nemo facile erit, quin quotannis ducentos aureos nummos Polonicos domino acquirat, aut mereat. Hi aerumnosi neque vllum peculium possidere, neque libertatem consequi possunt, nisi aut in monasterium clam aufugiant, aut in ordinem recipiantur sacerdotalem, aut denique dominos eo perducant, vt vxoribus aut filiabus suis vim inferant, quibus conditionibus ex legum praescripto manumitti eos oportet. Plerumque tamen domini summa cum diligentia eos obseruare et mature omnia eorum consilia irrita reddere solent.

Agros suos aut praedia nobiles nunquam aliis elocare solent. Sed villicum aliquem e rusticis delectum iis praeficiunt, caeterisque eiusdem pagi agricolis praecipiunt, vt ipsi suis sumtibus domum aedificent, et vaccam, vti etiam gallinas, anseres, tantumque frumenti, quantum ad victum annuum ipsi opus sit, praebeant; proinde pagi alicuius possessori villicum praediis suis praefecturo non plus fere, quam quantum ad ipsum emendum dederit, impendendum esse intelligimus.

Miseri illi homines, seu, vti a Polonis vocari solent, subiecti, si triduum, imo quatriduum dominis operam locarint, vix vnum diem sibi reliquum habent. Cum Doctor Connorus in Polonia esset, agricola quidam filium suum literarum studiis consecratum Academiae erudiendum tradere voluit; quod ipsi dominis non modo omnino vetuit, verum etiam filium, quoniam scribae munere apud ipsum fungi recusabat, in custodiam tradidit. Denique pater quadringentis Coronatis mutuis sumtis filio libertatem redimere necesse habuit.

Domino praedium suum distrahente, mancipia plerumque vna venduntur, liberum tamen ipsi est, vtrum ea sibi seruare, an alii velit venundare.

Messis tempore omnes agricolas congregatos domino in frumento demetendo et colligendo operam mutuam praestare oportet. Quibus cunctantibus aut venire prorsus recusantibus inspectores certi sunt constituti, qui non mediocri cum seueritate ad officium eos impellant. Castigatio eorum plerumque ea est, vt aut fustibus caedantur, aut caput manusque asseris cuiusdam foramini inserere cogantur, quo statu infelices illi totum nonnunquam diem plebi spectaculo sunt. Fortasse homines illos adeo vexatos omnium, quos Sol vnquam conspexit, miserrimos putas? Verum illi ipsi, meliori sorti non assueti, cum parentes eadem conditione vsos viderint, quamuis mancipia, animo sunt admodum quieto atque tranquillo; quo ea felicitas accedit, quod cibus et potus perraro illis desit, in quo affatim illis comparando praecipua vxorum functio cernitur.

Tribus quatuorue ciborum generibus vulgo vtuntur, quorum vnum pisis constat, quibus lardi aliquid immiscere solent; aliud cibi genus ex vili tritico, aut hordeo, aut milio paratur, ex quo cibum *Crachat* dictum conficiunt; reliqua duo genera variis radicibus, iisque salubribus gratoque sapore praeditis, quorum magnam habent copiam, construuntur. In rusticorum tuguriis nihil supellectilis reperitur praeter pauca quaedam vasa argillacea aut lignea cum duro cubili ab illis ipsis sterni solito, cui stragulum tenue et vile impositum est. Liberis eorum non prius in lecto dormire licet, quam matrimonium inierint, sed iuxta focum in nudo pauimento iacere eos oportet. Foci eorum fumaria ordinaria non habent, sed tantummodo in superiore domus tecto paruum foramen relinquitur, per quod fumus exeat. Sine his focis seu caminis in Polonia nemo vel vnam noctem vim frigoris sustinere potest; vnde non modo agricolae, verum etiam nobiles iis indigent: quanquam posteriorum longe alio modo, et ex longe aliis materiis sint confecti, quam priorum.

Rusticorum liberi, et inprimis Russicorum, ad quartum quintumue aetatis annum nudi incedunt. Ad eundem non prius assuefiunt, quam sic satis confirmati sint. Tum a matribus limini acclinantur, vbi primum virium suarum specimen edunt. Qui postquam tam diu circumuoluti sunt, donec multum sordium contraxerint, comprehensi aqua frigida lauantur; proinde eos postea tam firma et durabilia corpora adipisci mirum non est. *Liberos quosdam eiusmodi ego vidi,* inquit Hauteuillius, *qui magnum spatium in glacie decurrerent, prorsus nullo vestimento induti.*

Horum rusticorum vestitum quod attinet, hyeme quidem pellem ouillam eamque hirsutam, aestate vero tunicam ex crasso quodam panno confectam gerunt, cuius tunicae color idem fere est, atque vestimentorum eorum, quibus apud nostrates sumariorum repurgatores vti solent. Plerumque mitras in capitibus gestare solent. Interdum ocreati incedunt; vulgo autem plantas non nisi firmis arborum corticibus muniunt. Idem vestitus in Lithuania obtinet, vti in sequentibus fusius narrabimus.

Rusticorum Polonicorum vxores non secus, atque in aliis terris, sunt vestitae, nisi quod ipsarum indusia atque tunicae admodum breues sint. Russicorum agricolarum vxores per aestatem non nisi indusio sunt amictae, cui praecinctorium paulo altius, quam vestitus consuetus, demissum superadditum est.

Nunc Tibi, Vir Excellentissime, quot modis ad nobilitatis Polonicae ordinem peruenire possit, narrabo. Id primo per naturam fieri solet, cum vterque parens nobili stirpe ortus est. Veruntamen his temporibus consuetudine diuturna hic mos inualuit, vt neque ii, quorum matres parentibus plebeiis natae fuerint, a nobilium ordine excludantur; quandoquidem in Polonia his temporibus vulgarius nihil est, quam quod viri nobiles foeminas sortis plebeiae matrimonio sibi iungant, praesertim vbi lucrosa ipsis offeratur conditio. Secundus nobilitatis consequendae modus est, si quis ignobilis antea in nobilium ordinem cooptatur. Cuius optionis potestas non nisi penes Regem quondam erat; nunc autem ex Senatus aut ordinum in comitiis congregatorum arbitrio solo pendet.

Si quis igitur in Polonorum nobilium ordinem vult recipi, ei non satis est, vt Regis solius obtineat consensum, verum etiam cunctorum in comitiis vniuersis apparentium virorum debet accedere comprobatio. Tum quoque comitiorum generalium confirmatio requiritur, et sic demum nobilitatis diploma ille reportare potest. Praeterea vero in nobilitatis Polonicae ordinem recipiendo multa alia sunt obseruanda, quae recensere supersedeo. Iudaeus, qui nobilitari vult, ante omnia Christianam religionem amplecti, deinde in bello se fortiter gerere, et tandem a Rege in comitiis minoribus proponi, in maioribus vero comitiis confirmari debet. Quo loco nobiles natos creatis sortis praestantia antecellere notandum est: Hi enim posteriores (qui a Polonis *Scartabelli* vocari solent) variis molestiis et incommoditatibus sunt obnoxii, a quibus priores vacant.

Tertia via, per quam aditus ad nobilitatem patet, ea est, si quis in certis vrbibus, hoc singulari priuilegio gaudentibus praesertim vero Cracouiae aut Vilnae, Consulis aut Senatoris munus capessit; quibus muneribus fungentes non modo sibi nobilitatem comparant, verum etiam in posteros eam propagant.

Quemadmodum vero tribus modis acquiritur nobilitas, sic eadem tribus modis amitti potest. *Primo* quidem atrocibus et turpibus delictis, quibus et hoc annumeratur, si quis nobilis ignobili insignis sui vsurpandi copiam facit. *Deinde,* si quis opificium quoddam aut etiam mercaturam exercet, aut aliam functionem sua persona indignam alicubi suscipit, qua dignitatis et immunitatum suarum iacturam protinus sine vlla mora facit. *Tandem* si quis in vrbe, eius, quod supra dixi, priuilegii experte, magistratum init.

Quamuis autem his modis nobilitas amittatur, eorum tamen exempla non desunt, qui in pristinam dignitatem restituerentur, ii praesertim, quorum parentes paupertate coacti eam exuerunt, cum Poloni necessitatem, vt in prouerbio dicitur

dicitur, ingens telum esse, et honestissimum quemque ad negotia parum decora seducere posse secum perpenderint.

Cum de Polonorum indole, Vir Excellentissime, nunc mihi quaedam dicenda sint, omnium Europae nationum nullam esse, quae animi alacritate, corporis robore et vitae diuturnitate Polonicam superet, omnino affirmare possum. Id quod ab ipsorum climate neutiquam proficisci potest; quamuis enim Sueci, Moscouitae et Germani sub eodem cum Polonis degant climate, in iis tamen, quorum supra mentionem feci, ab iis differunt. Quapropter ipsorum indoles originem ducere videtur.

Primo a cibo ipsorum, qui vulgo in carne recens assata (cocta enim aut sale condita raro vescuntur) aut auibus consistit. Ab hoc cibo sal volatile et fixum augente ipsorum vigor et alacritas ortum trahit.

Secundo ab ipsorum potu, eoque acri et forti, qui plerumque Hungarico vino adusto et spiritu anisi constat, cuius vtriusque magnam copiam per totum diem identidem hauriunt. Pauperes potu quodam ex spiritu farris, auenae aut hordei confecto vtuntur, cui potui nobiles anisо et condimentis additis praestantiorem saporem conciliare solent.

Tertio a duro vitae genere, quo vtuntur: mores enim effoeminatos oderunt, et vile tugurium ipsis haud secus, atque palatium, placet; quandoquidem ipsorum tapetes tam viles sunt, vt eos in via publica euntes texere soleant.

Imo sunt, qui in acerrimo hyemis frigore sine strato aliisque commoditatibus dormiant, quid? quod interdum fieri solet, vt infantes duos menses nati prorsus nudi in aëre circumgestentur.

Quarto a venando, quod apud eos admodum vsitatum est. Inprimis maxima cum industria animal quoddam, *Zubra* dictum, sectari solent, cuius carne, sicut aliarum ferarum, vescuntur. Hoc animal non nisi in Lithuania reperitur, et vngulas solidas habet. Tum quoque artem equitandi Poloni maximi faciunt, et in ea exercitatissimi sunt, quod Lithuanico insigni ansam videtur praebuisse.

Quinto ab aliis exercitationibus et agitationibus corporis: Poloni enim saltando, currendo, saliendo, et aliis eiusmodi exercitiis, vel maxime delectantur. Iidem aliorum colloquia et consuetudines amant, qua in re cum Francogallis consentiunt.

Sexto ipsorum strata, ieiunia et temperantia in cibis vtendis ad vitae diuturnitatem non parum conferunt. Dura enim strata ossa quasi corroborant, et temperantia vires vitales vegetas reddit. Ipsorum serui lectis omnino carent, et domini ipsi eorum loco non nisi gausapis, et quae his similia sunt, plerumque vtuntur.

Septimo, ad ipsorum sanitatem, vires et alacritatem id plurimum facere, quod tanta libertate vtantur, tamque splendidis priuilegiis fruantur, ex argumentis rationi vel maxime consentaneis colligi potest. Quemadmodum enim seruitus et corporis et animi vires frangit, ita libertas animo exhilarando simul corpus corroborat.

Colore Poloni subalbicantes esse solent, et eorum capilli colorem subflauum plerumque ostendunt. Ipsorum statura vulgo mediocris est, quae tamen in plerisque in proceritatem potius, quam in exiguitatem vergit. Omnes fere et singuli valetudine sunt prosperrima, et corpore crasso pinguique praediti. Foeminae tamen illustriores teneritatem et gracilitatem quam maxime affectant. Fucum autem formamque fictitiam contemnunt, quanquam eius sibi comparandae vel occasio ipsis deesse videatur.

Poloni potioris sexus circa aures monachorum ritu crines tondentur; vti iam supra in priore harum narrationum parte commemoratum est. Sic etiam totius faciei crines circumcirca sibi detondent, barba superiore excepta, quam ornamenti loco retinent. Ipsorum incessus insignem grauitatem spirat, vbi in manu securim gerere, latus autem acinace cingere solent, quem priusquam cubitum

eant, non deponunt. Hic acinaces cingulo coriaceo est appensa, cui cingulo sudarium quoque cum vagina cultris recondendis aptata, et parua cote, argento inclusa, qua ad cultros acuendos vtuntur, est affixum. Faciem et collum quouis mane aqua frigida lauant, idemque quamuis acerrimo hyemis frigore pusiones quoque, quamprimum a cubili surrexerint, facere coguntur.

Polonorum plerique sinceri et honesti sunt, (vt Boterus in Relationibus suis tradit) facilius decipiuntur, quam decipiunt, et ipsorum ira citius opprimitur, quam irritatur. Erga magistratum magnam plerumque adhibent reuerentiam, erga extraneos vero vrbani et hospitales sunt, quos posteriores non modo ad se inuitant, et libera eorum consuetudine vtuntur, verum etiam eos imitari contendunt. *Mihi non pauci fuerunt noti*, inquit Hauteuillius, *qui Francogallos, Italos et Germanos nulla alia de causa, quam quod aliorum ope destituti essent, domi receptos sustentarent, etsi nulla ipsis consuetudo cum iis intercederet.*

A prima adolescentia literarum studiis dant operam. In quibus non vlterius progrediuntur, quam quod cum lingua vernacula Latinam discant. Interim tamen Poloniae Mathematici, Historici, Oratores, Philosophi ac Poëtae celeberrimi, vti etiam Medici, Iurisconsulti et Theologi eruditissimi nunquam defuerunt, quorum posteriorum nonnulli scriptis suis non modo ecclesiae egregiam nauarunt operam, verum etiam patriae insignem gloriam atque decus attulerunt. Neque dubium est, quin eruditi omnium locorum nationi Polonicae plura deberent, nisi multa scripta propter officinarum typographicarum (quae haud ita pridem in Polonia sunt institutae) defectum pessum iuissent. Caeterum his temporibus per totum terrarum orbem nullam esse nationem, in qua latine loquentes vbique tam facile intelligantur, quam Polonicam, id vero certum est; cum omnes causae forenses in hac lingua conscribantur, imo homines sequioris sexus in monasteriis eam discant.

In plebe mares quidem, cum adulti sunt, aut opificio cuidam, aut agriculturae studeant, foeminae autem in re domestica bene gerenda instruuntur. Nobiles aut ecclesiae, aut reipublicae operam locant. Interim et nobiles et plebeii multum temporis in itineribus faciendis consumere haud raro solent, vnde facillimo negotio linguas exterarum gentium comprehendere queunt. Alias admodum alacri et ardente quasi ingenio sunt ornati, aptiores tamen ad res ab aliis inuentas imitandas, quam ad eas excogitandas esse videntur. Negotiationi quondam Poloni minus erant dediti, nunc autem omnes et singuli vicinorum exemplum secuti mercatura exercenda magnum sibi quaestum comparare, aliosque eo excellere studeant; quanquam plerique huic negotio vacantes vitae magnificentiam affectant, et vbiuis splendide se gerere laborant.

Illud autem maximum Polonorum esse vitium merito cum Barclaio arbitramur, quod nimis stulto feruore libertatem suam tueri studeant, et quod Reges suos ad leges obseruandas vi potius cogant, quam aliis rationibus incitent. Non seruitutis tantummodo nomen illis inuisum est, sed etiam haereditarium imperium, quamuis iustum et legitimum abhorrent. Nobilitas in omnibus tantam sibi arrogat auctoritatem, vt nullo propemodum modo fieri posse videatur, vt vllius delicti homo nobilis reus iudicetur, et si vel maxime delicti alicuius certis indiciis sit conuictus, dignam tamen ab eo poenam repetere admodum raro in Regis potestate situm est. Non solum vero in moribus externis vitaque ciuili, sed etiam in rebus ecclesiasticis et ad sacra pertinentibus indecoram et effrenatam licentiam sibi sumunt; siquidem disciplinam ecclesiasticam minime curantes, quae ipsi volunt, loquuntur et agunt, existimantes, se in eiusmodi rebus suo ipsorum gubernaculo commode regi posse, neque alienae opis indigere.

Per indolem omnes omnino ad arma sunt procliues; cum autem his temporibus excelsi et fortes animi oppido pauci in iis reperiantur, vnoquoque suum potius commodum et lucrum, quam ad patriae gloriam et salutem spectante, pristinum eorum splendorem magna ex parte obscuratum esse nemo miretur. Neque tamen

tamen de omnibus et singulis illud affirmari potest; siquidem temporibus vel proxime superioribus viri probi et patriae amantes fuerunt, qui animo imperterrito instructi rempublicam defenderent, eiusque saluti, quantum fieri posset, consulerent. Ita plerique eorum adhuc in expeditionibus suscipiendis fortissimos se gerunt, dummodo remuneratio quaedam quamuis exigua illis speranda sit, neque gratuito militare cogantur.

Quid? quod eosdem, si modo meliore disciplina continerentur, inuictos dici posse, affirmare vix dubito: tantae enim vitae duritiae sunt assueti, vt vel ipsi Germani, si cum illis comparentur, prorsus effoeminati et ad belli molestias tempestatisque incommoda perferenda neutiquam videantur idonei. Sic exercitum Polonicum per niuem in campo aperto commoratum esse audiuimus; vti anno millesimo sexcentesimo sexagesimo tertio factum est, cum sub Septembris initium Rex Casimirus Leopoli profectionem pararet, quo anni demum insequentis verno tempore a finibus Moscouiticis est reuersus.

Pecuniae tam cupidi sunt Poloni, vt ei, qui hanc ipsorum libidinem expleat, nihil fere sit, quod recusent: Si vero semel pecuniam, licet mutuam illam, acceperunt, de ea restituenda plane sunt incurii. Imo si quis eos compellat, is deridetur, et praeclaro illo monito repellitur, vt ipsorum exemplum sequens periculum faciat, num ab aliis simili modo aliquam pecuniae summam reportare possit. Hoc vnum ad commercia mutua prorsus tollenda sufficere videtur; proinde non inutile fore putem, vt Tibi, Vir Excellentissime, quomodo cum pecunia mutua danda et sumenda, in Polonia sit comparatum, hoc loco breuiter exponam.

Vbi ante omnia Te scire velim, contractus, scriptasque de pecuniis restituendis pollicitationes hic nihil valere, aut saltem non vsitatas esse. Sed si nobiles ab aliis nobilibus mutuum aliquid accipiunt, possessiones aut pagos suos iis semper oppignorant; sin autem a mercatoribus aut opificibus aliquid mutuantur, non modo satis pignorum deponunt, verum etiam pro pecunia mutua accepta denas et quaternas centesimas in vsuram soluunt, quod ex Regni Polonici statutis licet. Quae pecunia mutua sumta tempore, quod definitum erat, praeterlapso nisi restituatur, pignus depositum creditor sibi vindicare potest, neque illius rationem ab eo exigere debitori licet.

Poloni, vti iam supra commemoraui, splendido prae aliis populis vti solent apparatu, quem in finem celeberrimam ministrorum multitudinem sibi associant, et conspicuam cum equorum, tum armorum copiam comparant. Inprimis autem vestium magnificentiam amant, qua in re honorum potius, quibus funguntur, quam generosae stirpis, ex qua orti sunt, rationem habent. Praeteritis temporibus extraneis vestimentorum generibus mirifice delectati sunt, et ipsorum milites nouum quemque vestitum primi introduxerunt. Exempli gratia, cum aduersus Moscouitas bellum gererent, tunicis longis et amplis, quae penitus pretiosis pellibus erant subsutae, mitrisque proceris lata fimbria ornatis Moscouitarum more vtebantur. Postea vero cum in Valachia aduersus Turcas expeditionem suscepissent, amictu Turcico atque Tartarico vestiti incedebant; et cum denique in Prussia bellum cum Suecis exoriretur, Suecicum atque Germanicum vestitum optabant.

Nostris temporibus tunica inferiore ad media crura vsque dependente sunt induti, cui tunicae toga prolixa imposita est, ei vestimentorum exteriorum generi, quae a nostratibus tunicae dormitoriae vulgo vocantur, haud absimilis, pellibus subsuta, et supra tunicam inferiorem cingulo seu fascia connexa. Deinde paruas ocreas calcibus ferreis instructas in pedibus gestant, mitris hirsutis capita tegunt, et latera acinace cingunt. Equis insidentes (in equitando enim praecipuam delectationem quaerunt) insuper breui quodam pallio ab humeris demisso, (quod cum palliis Hybernicis, quae a nostratibus geruntur, fere conuenit) et plerumque tam intrinsecus quam extrinsecus pellibus obtecto, vti consueuerunt.

Ad quae pallia conficienda ditiores martes Scythicas ex Moscouia allatas adhibent, cum pauperiores tygrium, leopardorum et pantherarum pellibus, vti etiam alio quodam, eodemque cano pelliceorum genere sint contenti. Nonnullae pelles martium Scythicarum ea sunt praestantia, vt, quantum ex iis ad haec pallia opus sit, mille Coronatis amplius constet. Verum Poloni in comitiis tantum ea gestare solent, et proinde a parentibus, liberis et nepotibus vsurpari possunt. Foeminarum vestitus cum amictu virili in Polonia magis congruit, quam in vlla fere alia terra.

Lithuani humilioris conditionis ex arborum corticibus calceos sibi conficiunt, quos plantis subiectos in superiore pedis parte colligant. Hos calceos *Chodakys* appellant. Iidem arborum corticibus, iisque tenerrimis, satis artificiose circa pedes volutis, tibialibus vti solent. Antequam vrbem aliquam ingrediuntur, calceos recens confectos semper induunt. Quos cum quiuis fere rusticus parare possit, in Polonia prouerbium natum est, vt dicant, *numerum sutorum in Lithuania esse maiorem, quam in reliqua Europa vniuersa.* Tandem agricolae Lithuanici, cum viri, cum foeminae, vestitu quodam vtuntur, cuius manicae ex vno panno continuo sunt contextae. Hic vestitus plerumque cani est coloris et mirificae densitatis, et ipsorum lingua *Samodzialka* dicitur.

Pauci quidam Poloni Francogallorum vestitum imitantes indumenta candida, reticula carbasina, capillamenta et gladios gerunt. Qui autem amictum Polonicum retinent, nullo alio indumento candido vtuntur, praeter indusia, et braccas inferiores, et interdum quoque tibialia interiora. Nobiles minores, et nonnunquam vel maiorum nonnulli paleis ocreas complent, quae paleae ipsis tibialium interiorum loco sunt. Cum Polonos indumentis candidis vestitos esse dico, nobiles tantummodo et ciues intelligo: rustici enim harum vestium prorsus nihil habent; nisi forte apud vnum et alterum indusum linteo crassiore confectum reperiatur.

Foeminae serta ex auro, gemmis, floribus, serico, aliisque eiusmodi rebus parata in capite quondam gestabant; nunc autem eaedem, viros imitatae, mitras sericas pellibus subsutas gerunt. Erat etiam tempus, cum exterarum foeminarum vestitu delectabantur, et sub Regis proxime superioris imperio omnes foeminae illustriores, et praesertim in palatio regio versantes Francico more erant amictae, idque nulla alia de causa, nisi quod eius, quem dixi, Regis coniux ex Francia esset oriunda. Etsi autem ornamenta vel maxime sumtuosa et cara sint, eo tamen non deterrentur, quo minus ea coëmant; siquidem mercatores extranei, inprimis Francici, pro mercibus suis, prout ipsis placet, immanes et aequitatis fines longe excedentes pecuniae summas ab iis extorquent.

Hac in re cum viri, tum foeminae vanitatibus incredibili cum stultitia indulgent. Sunt enim, qui simul omnes et singulas integri vestitus partes, easque quam pretiosissimas, possideant. Id vero ipsorum prodigalitatem vel maxime significat, quod plerumque famulos suos haud deterius, quam semetipsos, exornent, quo fieri solet, vt omnibus opibus ad alios translatis ipsi breui tempore in extremam incidant egestatem. Verumtamen haec ipsorum prodigalitas non modo e vestitu, sed etiam ex aedificiis, e comitatu et ex aliis rebus colligi potest. In aedificiis, quae iam exstruuntur, nonnulli Italos aequare studeant; quanquam, si vera nobis fatenda sunt, eorum domus, fere omnes praesertim rusticae, angustae sunt atque exiguae.

Per scalas ad superiores aedium partes adscendere nimis molestum ipsis est, quapropter in locis infimis habitare solent. Neque ipsorum domus sunt continuae. Alio loco culina est, alio loco stabulum, alio loco habitaculum, in anteriore autem parte introitus est; quae omnia aream rotundam vel quadratam formant. Aedificia pleraque lignea sunt, multa tamen etiam lateribus et saxis constructa reperiuntur.

Inte-

Interiora aedium conclauia propemodum omnia tapetibus obducta, aliisque eo pertinentibus supellectilibus et vtensilibus sunt instructa. Qui autem prope fines Tartaricos habitant, domus suas minus splendide exornare solent, quoniam nullam fere horam a barbarorum incursionibus tuti sunt. Quapropter in ea regione nobiles non nisi paucos quosdam lectulos, quibus aulaea holoserica sunt praepansa, eosdemque neque plures habent, quam quot ipsis ipsorumque domesticis opus sunt. Si quis igitur apud eos diuerti et pernoctare vult, is lectos suos secum afferat, necesse est.

Quamuis autem arbores fructiferae prouentu in Polonia gaudeant prosperrimo, Poloni tamen nobiles admodum raro hortos circa domos suas habent. Quibus hortis si vterentur, et nostratium exemplum secuti ex malis aut piris potum sibi pararent, magnae frumenti, quod ad cereuisiam coquendam adhibent, copiae possent parcere.

Etsi Polonia gelu riget acerrimo, quiuis tamen fere nobilis balneum habet domesticum, in quo foeminae a viris separatae sedere possunt. Quid? quod in quauis vrbe et in quouis vico balneae publicae pro hominibus plebeiis sunt institutae, quibus balneis non modo per aestatem, sed etiam per hyemem vtuntur. Qui vsus balneorum creberrimus efficere etiam videtur, vt in Polonia infantum ora atque capita a scabie admodum raro infestentur. Quo loco notari potest, in Polonia non facile infantes reperiri, qui manci aut gibbosi aut alio quodam corporis vitio sint affecti, (quod in aliis terris est frequentissimum) quoniam ibi non fasciis constringi, sed tantum linteo admodum laxo inuolui solent.

Magnificentiae externae Poloni omnes et singuli adeo dediti sunt, vt eorum vxores raro pedem in platea ponant, sed quamuis non nisi in templum aut ad aliam foeminam in vicinia habitantem se conferre velint, protinus carpento sex equis iuncto vehantur. Viri autem plerumque equitant; pedibus enim incedere hi quoque vel maxime indecorum esse existimant.

Cum viri, tum foeminae magno famulorum, et quidem vtrique ex suo sexu delectorum, numero stipari solent. Senatores primarii in mediis omnino famulis aut equis vehuntur aut pedibus incedunt, ita quidem, vt optime vestitos praecedere iubeant. Nobiles vtriusque sexus cum tempore nocturno in via publica carpentis vehuntur, viceni et quaterni, imo plures interdum, cerei candidi iuxta carpenta singula gestantur. Foeminae insigniores pumiliones vtriusque sexus in comitatu suo habere solent. Eaedem foeminam grandaeuam, Magistrae aulicae nomen gerentem, vti etiam Praefectum familiae suae, nobili genere natum, eundemque aetate proiectum, alere consueuerunt. Huius posterioris functio praeter alias ea est, vt iuxta dominae suae carpentum ambulet, eiusque descensum subleuet. Vbi adhuc obseruari potest, carpenta nobilium Polonorum admodum lento et graui cursu procedere.

Causa, quod bini tam senes homines foeminis illustrioribus ministri addantur, maritorum Zelotypiae haudquaquam adscribenda est; quae in plerisque prouinciis orientalibus obtinet. Nam foeminae Poloniae virtutis admodum sunt studiosae, et insigni ea, qua fruuntur, libertate haudquaquam abutuntur.

Id tamen de foeminis plebeiis nullo modo dici potest. Hae enim minime opprobrio sibi ducunt, si extra coniugium liberos pepererint. Neque illud ipsarum fortunae obstat; cum nihilominus viris matrimonio iungi possint, quo pristinam ignominiae maculam rursus deleri existimant. Quae matres praematurae nutricum officio postea funguntur; foemina autem honesta, matrimonio legitimo iuncta, quamuis egestate prematur extrema, aegerrime tamen inducetur, vt infantem lactet alienum.

Etsi autem Poloni eximio vxores honore et humanitate prosequantur, eas tamen marsupium nummis repletum, et vna cum eo principatum sibi arrogare nullo modo patiuntur. Illae enim si quid sibi dari velint, in genua prouolutae illud a maritis rogare, eorum pedes amplecti et beneficorum nomine eos honestare

 debent.

debent. Quantum quidem butyri et ouorum, ex iis, quae ad culinae vsum necessaria erant, reliquorum vendi potest, quatumque ex lino, quod a rusticis carminari oportet, pecuniarum redit, illud sibi vxores vindicare, et ad quemcunque velint vsum adhibere possunt, neque opus habent, maritos de eo consulere, a quibus maritis hi reditus cum aliis quibusdam lucellis ipsis concessi sunt. In aliis autem rebus plane ex maritorum arbitrio pendent, qui totam rem familiarem soli administrant, adeo vt vxores nihil nisi edant, bibant et hilaria agant.

Quemadmodum Poloni res aduersas, quibus ipsi affliguntur, animo satis forti et constante perferunt; ita in aliorum infortuniis atque miseriis nulla commouentur misericordia; siquidem domus cuiusdam incendium immoto animo fixisque pedibus intueri sustinent, neque vllam igni exstinguendo manum iniiciunt. Erga liberos suos eundem animum gerunt, neque liberi in parentes mitiores sunt; cum alter alterum a Tartaris in seruitutem redactum deserere non dubitet, quamuis vel leuissimo pretio eum redimere possit.

In Polonia nullae sunt Academiae seu scholae, in quibus ars equitandi, digladiandi atque saltandi publice doceatur. Interim tamen cum nobiles his studiis mirifice delectentur, aut domi iis propria industria capiendis dant operam, aut in terris extraneis aliquam eorum cognitionem sibi comparare studeant. Iucundissima eorum occupatio in arte musica et saltatoria continetur; in qua posteriore vel infantes, dummodo aliquantum pedibus vti coeperint, a nutricibus aut curatricibus parentum iussu instruuntur, adeo vt saepissime par infantum aut ad rudem nutricis cantum, aut ad serui cuiusdam, viliora negotia domestica curantis, tibiam pedes in conclaui quodam mouere videas.

Nunc de reliquis Polonorum moribus atque ritibus Tibi, Vir Excellentissime, quam breuissime potero, iusto ordine exponam, cum de eorundem familiis et nominibus pauca quaedam tradidero.

Nobilitas in multas gentes distribuitur, quae non locis aut regionibus certis, sed appellationibus et insignibus peculiaribus inter se distinguuntur. Ex horum insignium vnoquoque familiae diuersae proficiscuntur, quae alia gerunt nomina, et ipsa cognatione inter se discrepant. Exempli gratia, insigne gentis *Leliuitianae* nouilunium gerit in campo caeruleo, inter cuius nouilunii cornua stella primae magnitudinis conspicitur. Ad eam gentem pertinent familiae *Zarnouiscia-na*, *Pileczkiana*, *Melstiniana* et aliae plures.

Temporibus antiquioribus a diuersis occasionibus Poloni nomina sunt sortiti; recentiori autem aetate ab arcibus, vrbibus, vicis et pagis appellari consueuerunt, quibus plerumque terminationem *ski* vel *ki* addere solent. Quae terminatio ex quorundam opinione *filium* significat; alii vero *imperii* quasi vocabulum per eam denotari contendunt, quia plerumque ab eo loco denominantur, cuius imperium habent. Lithuanorum pleraque nomina in *witz* exeunt, quod facilius per *filii* vocabulum exponatur, quam terminatio *ski*. Interdum ab iisdem quidem locis appellantur, sed alio modo, dum terminationibus *ski* et *witz* omissis voculas *in* vel *de* illis locis praeponunt; dicunt itaque, *in Tenstin*, *de Gorka*, *de Fulstin*, et sic porro. Polonicorum nominum quaedam admodum difficilia sunt pronuntiatu; vt *Chrzonstowski*, *Krzikritzki*, *Grzmialtowski*, et alia plura. Postremo loco notandum est, permulta nomina Polonica cum litera *O* incipere, vt *Opalinski*, *Osolmski*, *Ozaorwski*, *Orzakowski*, et alia complura.

Nuptias Polonicas quod attinet, ante omnia sciendum est, earum solennia et apud pauperiores et apud ditiores nobiles tres dies agi, quod necessario magnos sumtus requirit. Si qua foemina illustris puellam quandam ex iis, quae ipsi ministerium praestant, alicui dat nuptum, non minores impensae fieri solent, ac si vnam e filiabus suis elocaret. Cum autem in despondenda aulica matrona aut virgine summus splendor ostentari soleat, Tibi, Vir Excellentissime, minime molestum fore puto, si ex Hauteuillio eiusmodi nuptias describam.

Si Re-

Si Regina vnam puellarum earum, quae ipsi a cubiculo sunt, alicui despondet, aut si Senator aut alius procerum matrimonium init, Rex binis diebus conuiuia solennia instituit. Quem in finem magnum coenaculum paratur, in quo tres mensae sternuntur. In quarum prima Rex cum Regina principem locum occupant. Proximum a Regina locum sponsus et sponsa tenent, iuxta Regem vero Nuntius Pontificis Romani et Archiepiscopus Gnesnensis sunt collocati. In eadem mensa Legati extranei ex aduerso Regis et Reginae sedent. In caeteris duabus mensis in coenaculo iuxta positis omnes foeminae illustres, Senatores et Ministri superiores (iis, qui Regi et Reginae ministerium praestant, exceptis) locum obtinent, vbi Ministrorum aulicorum aliquis vnicuique locum ipsius dignitati conuenientem monstrare solet.

Hoc conuiuium circa horam quartam quintamue pomeridianam incipere et circa proxime insequentem horam secundam aut tertiam matutinam finem habere solet. Vbi senatores saepius ad mensam regiam accedere, et in genua prouoluti cum fastis apprecationibus pro ipsius salute poculum ebibere consueuerunt. Caeterum in illis conuiuiis parum cibi sumitur, sed vinum Hungaricum eo copiosius hauritur. Vbi tamen foeminae singularem modestiam affectantes cum poculum primoribus labris vix attigerunt, aut illud rursus coram se statuunt, aut vinum in orbem effundunt, adeo vt in illis conuiuiis propemodum plus vini effundatur, quam bibatur. Cum ad quintam circiter aut sextam horam mensae assessum est, fidium cantus auditur, ad quas genus quoddam aliud instrumentorum musicorum, quae vulgo organa vocant, accedit, sed parua ea, vt ex vno loco in alium commode transferri possint, quo saltationes incipiunt, et ad conuiuii discessum durant. Harum saltationum hilariis omnes praesentes intersunt, et non nisi senectutis excusatio admittitur. Horum autem initium ab aliquot Senatoribus et matronis aetate prouectioribus fieri solet, qui passibus admodum lentis et eximiam grauitatem spirantibus saltationem obeunt, eodem fere modo, atque in Clericorum pompa monachi et moniales incedunt. Interim tamen quam lentum et bene compositum huius saltationis est initium, tam lasciuus et confusus eius exitus esse consueuit.

Proximo die, antequam ad mensam acceditur, Regina praesente ab omnibus conuiuis sponsae munera offeruntur, et cum nemo sit, quin modicam quandam supellectilem vel auream vel argenteam secum afferat, non mediocre pretium haec munera plerumque conficiunt; siquidem superioris Polonorum Regis filia, Electori Bauarico nupta, dona tam multa et tam splendida accepit, vt eorum pretium centies mille Coronatis amplius constaret.

Die tertio demum ipsae nuptiae fiunt. Vbi omnes conuiuae equis insidentes sponsum sponsamque cum in templum euntes, tum inde reuertentes comitantur, qua in via regium palatium semper praetereunt. Donec eunt et redeunt, tubarum in aedium pergulis inflari solitarum sonitu platea, per quam transitus fit, resonat. Hoc modo igitur cum sponsa in sponsi domicilium deducta est, et magnifico illo, quod ibi instructum erat, conuiuio finito conuiuae discesserunt, in Polonia vsitatum est, vt sponsa plorare et miserabiliter lamentari incipiat, vt sponsus eo praestantiorem de eius modestia et pudicitia concipiat existimationem. In aliis Polonorum nobilium nuptiis iidem fere ritus, minori tamen cum splendore et magnificentia obseruantur.

Mares et foeminae, qui vna infantem quendam e baptismate susceperunt, eo ipso cognatione inter se coniunguntur, quamuis antea ne minima quidem inter eos intercessisset propinquitas, et proinde nullo modo matrimonium secum inire possunt, nisi Episcopus, cuius dioeceси subsunt, eius potestatem ipsis fecerit.

In Polonorum exequiis tanta ostentatio et tam splendidus apparatus conspicitur, vt facilius triumphum agi, quam defunctum humari putes. Loculus, in quo funus iacet, currui imponitur, cui sex equi atris velaminibus vestiti iuncti sunt. Supra loculum latum tegumentum, idemque holosericum,

nigri coloris expansum est, in quo tegumento medio crux atlassina, eaque rubra, apparet. Ex hac cruce sex fimbriae longae nigro serico factae dependent, quae a totidem defuncti ministris vestitu summum luctum significante indutis gestantur. Currum funebrem multi sacerdotes, monachi et frequens aliorum hominum turba praecedunt, quorum vnusquisque cereum candidum eundemque ardentem in manu gerit. Pone eos, et ita proxime ante funus tres equis vehuntur, qui defuncti arma, primus quidem gladium, secundus lanceam, et tertius denique sagittam eius, manibus tenent.

Pompa funebris ipsa admodum lente et pedetentim procedit, vt funeris comites sero in templum perueniant. Vbi cum cerimoniae in eiusmodi casibus consuetae a Clericis sunt peractae, tres illi, qui defuncti gladium, lanceam et sagittam ferrent, citato cursu equis in templum inuecti haec arma supra loculum confringunt; quo facto corpus mortuum sine mora humo inferri solet. Deinde lugentes in defuncti domicilium reuertuntur, vbi epulae lautae ipsis paratae sunt, in quibus epulis non modo inter ipsos pocula strenue circumaguntur, verum etiam iidem Clericos impellunt, vt in eo ipsorum exemplum sequantur.

De Regis et Reginae Poloniae humatione breui haec notanda sunt: Quamprimum Rex decessit, funus eius in sandapila magnifice exornata omnibus conspiciendum exponitur, cui funeri certus Senatorum cum Clericorum, tum Laicorum numerus semper adesse debet. Impensas ad hunc apparatum necessarias respublica ex prouentibus regiis praebet. Idem fere honos Reginis quoque defunctis contingit; siquidem Regis Iohannis Casimiri coniux, Maria Ludouica, ex suburbio Varsauiensi, vbi vitae finem fecerat, in arcem deducta, ibique solito cum apparatu in sandapila iacens populi conspectui exposita, et tandem Cracouiam deportata et sepulturae regiae illata est.

Quo loco facere non possum, quin Tibi, Vir Excellentissime, de huius Reginae obitu illud momentum narrem, quod rheuma quoddam, a quo pulmones eius infestarentur, mortem ipsi attulerit. Illud autem non nisi ab offensa quadam, quae ipsi cum Cancellario Patio intercesserat, videtur originem traxisse, qui Patius re quadam, quam ab eo flagitasset, ipsi gratificari noluerat. Eadem Regina alias negotiis publicis identidem se immiscere solebat; imo omnia ex suo arbitrio geri optabat. Eandem ob causam non vulgari ardebat Zelotypia, si maritus eius alia foemina familiarius vteretur, verens, fore, vt is potius ab illa, quam a se gubernetur. Ex quo eius obitum Regi minus acerbum fuisse facile iudicari potest; idque eo magis, cum ille eodem fere momento, quo vitam morte ea mutasset, foeminae alicuius illustri genere natae, quam antea quidem amasset, Regina tamen superstite inuisere ausus non esset, consuetudinem amplecteretur.

Vestitus lugubris, quem mares Polonici gerunt, cum eo fere, qui apud nos vsitatus est, conuenit, quamquam alias in vestimentorum formis vtrumque Regnum quodammodo differt. Foeminae autem primariae omnes et singulae per totum luctum veste quadam ex vili quodam panno nigri coloris confecta vtuntur, cum indumentis candidis, quae non multo subtiliora sunt, quam id panni genus, quod a Germanis *Cannefas* dicitur, et quo qua illustrior est, eo crassior atque vilior et pannus ille et indumenta candida esse solent. Caeterum ille vestitus viduas iuuenes et elegantes non dedecorat. Vbi notari potest, Senatores, Legatos prouinciales, omnesque alios, qui comitiis Regi creando destinatis interesse velint, vestibus atris indutos esse debere; quanquam caeterum vestitu consueto vti cuiuis peregrino liceat.

Reliquae Polonorum consuetudines, quibus in edendo et bibendo tam in conuiuiis, quam alias, vti solent, variae sunt. Antequam vero eas recenseamus, de ipsorum cibis et potionibus pauca quaedam dici necesse erit. Plerumque igitur carne bubula aut vitulina vescuntur; veruecinam vero carnem plane contemnunt, et famulis suis vulgo praebent. Perdices canas permultas, rubras nullas habent. Sic quoque magna leporum multitudo apud eos reperitur. Cuniculos autem

autem non inuenies, quos Poloni ita auersentur, vt eos feles libentius esuros esse putem, quam illa animalia. Interim tamen interdum cuniculi albi in domibus deprehenduntur, quos ideo alunt, quoniam eorum pellibus ad subsuenda vestimenta sua vtuntur. Capreolis Polonia vel maxime abundat: ceruis autem eo desertior est. In eadem terra permulti vrsi siluestres, apri et aues ferae, vt palumbes et plura volucrium genera reperiuntur. Eaedem tamen non nisi aestate, neutiquam autem hyeme, qua tempestate in aliis prouinciis solent esse pinguissimae, conspiciuntur. Vrorum insignem Poloni habent copiam, quorum caro sale aliquantulum condita saporem praestat quam iucundissimum.

Horum vrorum capiendorum, vt breuibus dicam, ea est ratio. Primum bestia ab eximia equitum frequentia vndique cingitur. E qua deinde vnus erumpit, et arcu intenso sagittam in belluam torquet. Quae cum vulneratam se sentit, saeuissimo cum impetu in eum fertur, a quo icta erat. Interim alius a tergo aliud telum in eam coniicit, vbi ab eo, a quo primo laesa erat, desistit, et duplicato quasi furore agitata ab nouo illo hoste vltionem repetere contendit. Tum rursus ab alio alia sagitta in eam emittitur, idque vsque eo continuatur, donec misera illa nimia lassitudine confecta procidit, et facili negotio aut viua capitur, aut interficitur. Sed alia superest ratio, qua Poloni haec animalia in siluis assequantur. Magnam scilicet eorum multitudinem rustici stratis arboribus includunt, et spectatoribus peculiarem machinam construunt. Quo facto venatores in diuersas stationes distributi partim canibus, partim clamoris vehementia vros illos in medium omnino locum compellunt. Deinde tela in eos coniicere incipiunt. Tum animal furore percitum eum, a quo vulneratum est, petit, arbores autem stratae ipsi inopinanti obstaculum prabent, quas arbores dum superare molitur, satis plerumque temporis venatori supereſt, quo vulnus mortiferum ipsi a tergo infligat. Nihilominus tamen nonnunquam fieri solet, vt vrus perrumpat. Quod si venator proximus ei adoriendo imparem se putat, panni rubri, qui color vro ex insito quodam quasi horrore aduersatur, laciniam protendit, vnde efficitur, vt bestia hoc relicto in alium incursionem faciat, qui aut satis paratus et instructus sagittis eam conficit, aut ea, quam modo dixi, arte vtitur, quae nunquam fallere solet. Caeterum eiusmodi vrus si ferocia aestuat ardentissimo, lingua eius tantis viribus praedita est, vt, si modo hominis cuiusdam ipse vestimentum aut aliud quoddam ea arripuerit, eum ad se attrahere valeat.

In montibus Hungaricis caprae etiam ferae capiuntur, quas dapibus lautissimis annumerant. Sic quoque fibrorum caudis singulari cum voluptate vesci, reliquas autem eorum partes abiicere solent Poloni. Iidem vngulas vrsinas sale et aceto bene condiunt, quem cibum lautissimum esse et elegantissimum existimant. Alces, si quas ceperunt, non nisi post decimam quartam diem, et tempore hyberno interdum post integrum mensem demum degustant. Viri primarii, cum in comitia se conferunt, eiusmodi animalia nondum excoriata neque exenterata secum afferunt, eaque quina et sena e fenestris suspendunt, vbi vsque adeo pendent, donec rancescere incipiant; deinde partim assantur, partim ita, vt caro bubula solet, parantur. Quibus dapibus maxima cum delectatione vescuntur; vnde tantummodo ad procerum mensas adhiberi eae solent.

Vrsos, non modo minores, verum etiam eos, qui sunt maximi generis, Poloni retibus capiunt. Quibus si quem hoc modo illaqueauerint, omnes venatores equis insidentes ad eum locum congregantur, vrsique caput atque pedes cum perticis ligneis iisdemque longis tenent, et eum restibus cannabinis iisque crassis, ita constrictum, vt se mouere propemodum nequeat, in arcam ligneam haud exiguae magnitudinis includunt. Harum vero restium nodi tam artificiose sunt elaborati, vt eos resoluere parum negotii requirat. Hoc modo vrsum custodiunt, donec libido canibus eum exagitandum obiiciendi incessat, vbi ostio patefacto eum ex carcere, in quo adhuc delituit, emittunt.

Permultae etiam in Polonia sunt gallinae siluestres, quarum pleraeque gallos castratos magnitudine aequant. In Lithuania vero multi phasiani, et in Prussia oti copiosi reperiuntur. Circa Louitium est genus quoddam auicularum, quae passeris maioris speciem fere gerant. Hae aues quia simul cum niue veniunt, et cum niue rursus cessant, aues niuis appellantur. Caeterum iucundissimi sunt saporis. Cum volucribus mansuetis Poloni sic agere solent, vt quicquid earum in prandium consumere velint, matutino tempore adhuc vixisse debeat.

Cum nullum mare, nisi Balthicum, Regni Poloniae sit finitimum, piscium marinorum eius incolae parum habent. Veruntamen haec penuria abunde compensatur magna illa piscium copia, qui in fluuiis et piscinis capiuntur, et quorum nonnulli in aliis terris ne reperiuntur quidem; vbi obiter obseruandum est, pisces ex mari et piscinis extractos ab iis, qui in fluuiis capiantur, saporis praestantia vinci.

Singulari oleris in vsum futurum reseruandi modo Poloni vtuntur. Primo in frusta minuta, sed oblonga, illud dissecant, deinde dolio impositum sale adspergunt. Quo facto, quantis viribus possunt, illud comprimunt, et aquam calidam ei affundunt, quo fit, vt penitus acorem concipiat. Quo modo per totam hyemem, imo nonnunquam per totum annum illud conseruant, et quanquam eius odor vel satis longo spatio disiunctis admodum insuauis sit, Poloni tamen in cibis lautissimis illud ponunt.

Potionum quamuis diuersa habeant genera, maxime tamen in iis vsitata est cereuisia, quae in Prussia ex polenta mera, in reliquis autem Regni Polonici prouinciis ex farre mola comminuto et lupulo paratur, admista interdum zea (quod frumenti genus in Italia praecipue et in Flandria notum est) vti etiam auena.

Cereuisia Polonorum omnis punicei est coloris, et tam iucundi, quam acuti saporis; praesertim ea, quae in vrbe Varca, et quae a nobilibus coquitur, acumine et praestantia reliquam magna ex parte superare solet.

In Lithuania, Russia et Vcrania duo potionum genera, ex melle parata vsurpantur, quorum vnum rubri, alterum albi est coloris. Vtrumque autem mulsum apud eos vocatur, quanquam a nostratibus Anglis posteriori tantum hoc nomen tribuatur, prius autem *Metheling* dicatur. Prussia etiam et Masouia mellis aliquam habet copiam. Sed Varsauiae singulari quadam ratione mulsum conficiunt, dum non modo succum ex cerasis et nigris quibusdam baccis expressum, verum etiam condimenta ei immiscent; vnde etiam diuersa illa nomina, *Kerstrang Malinicz*, et *Troinicz*, proficiscuntur.

Praeter cereuisiam et mulsum variis vini generibus, ex Hungaria, Italia, Francia et Germania allatis Poloni et Lithuani vtuntur. Vinum Hungaricum ipsi Hispanico generositate antecellit, et magnis doliis infusum a iumentis per montes Carpathicos Cracouiam deuehuntur. Vini Hungarici, praestantissimi quidem illius, mensura Polonica, quae tres circiter Anglicanas continet, quinque propemodum Imperialibus constat; proinde magnis opibus destitutos pretiosi illius potus desiderio frustra duci facile intelligas. Vinum Italicum quamuis etiam in Poloniam deportetur, minus tamen, quam Hungaricum, bibitur, partim quia nimis lene, partim quia ob viae, qua aduehitur, longitudinem nimis carum est. Vinum Francicum et Rhenanum in mari Balthico Dantiscum deducitur. Quae duo vini genera, sicuti per se debiliora sunt, quam priora, ita praeterea insitae virtutis magnam iacturam eo faciunt, quod per mare vehantur. Inprimis vinum Rhenanum quod attinet, illud rarissime vltra Dantiscum, et alia quaedam Prussiae loca traducitur; et quidem id propter austeritatem nunquam sine saccharo bibere solent.

Praeter eos, quos adhuc recensui, potus liquores etiam adustos farre, hordeo, auena, piris aut malis, aliisque fructibus conditos, Poloni vsurpant. Hos tamen liquores plebeii tantum homines bibere solent, praeterquam hyberno tem-

tempore, quo etiam nobiles iis vtuntur, qui tamen anisо aliisque condimentis saporem praestantiorem iis afferre student.

Poloni admodum raro, aut potius nunquam ientant; cibos frigidos magni non faciunt. Tempore matutino cum mares, tum foeminae cereuisiam calefactam, et saccharo zingibere et vitello ouorum bene conditam sumunt. Porcellos assatos mirifica cum voluptate comedunt, quanquam eorum iuscula plerumque saporem habeant non iucundissimum. In prandio homines illustriores nunquam fere patinam pisis repletam mensae non imponi, eamque lardo bene assato conspergi iubent, quo posteriori maxime delectari videntur. Omnibus fungorum generibus vescuntur, ne arborum quidem exceptis, quos arefactos recondunt. Nos quidem eos fungos, qui vna nocte ad iustam magnitudinem excrescunt, plerumque venenatos esse arbitramur, et fortasse in nostra terra vtique venenati sunt. In Polonia vero iidem tam parum veneni secum habent, quam semen papaueris, quod pariter abunde comedunt, et postea statim lac bibunt; quanquam ex eodem papaueris semine alia quoque diuersi generis iuscula et fercula parant. Oleum quoque haud secus atque ex cannabis et lini semine ex eo exprimunt, quo oleo diebus ieiunio consecratis vtuntur.

Illo ciborum genere, quod ex variis esculentis construitur, vulgo *Potage* dicto, parum vtuntur, praeterquam quod a coquis Francicis paratur; illud enim eximia cum delectatione capiunt. Cibos vniuersos non nimis coquunt, idemque saporem eo suauiorem iis conciliat. Eorum iuscula a nostris valde differunt. Quorum alia flaua sunt, et e croco facta; alia alba, quae plerumque e sero lactis constant; alia cana, et cum cepis parata; alia denique nigra, ex pulmento prunorum confecta. Haec iuscula plurimo saccharo, interdum etiam pipere, cinnamo, zingibere, caryophyllis, nucibus muscatis, oliuis, capparibus et prunis condiunt. Iura piscium apud Polonos praestantiora sunt, quam ea, quae apud nos et in Francia parantur. Aromatum tantam copiam Poloni in cibos effundunt, vt procerum nonnullorum reperiantur exempla, qui in iis solis sedecim millia Imperialium quotannis consumerent. Variarum earumque praestantium herbarum in hortis nascentium magna abundantia gaudent, quarum nonnullas aliis in locis omnibus frustra quaeras. Bellariorum, quoque diuersa habent genera, et omnibus tragematibus, praecipue autem pistaciis abundant.

Poloni omnes fere et singuli parum panis ad cibos adhibent, quanquam in ipsorum prouinciis frumentum vberrime proueniat, et multo melius sit, quam in aliis terris. Radicibus quam maxime delectantur, quas variis modis instruunt, vt gratum saporem praestent.

Tandem cibo quodam vtuntur, quem *Crachat* appellant. Hic cibus ex viliori aut triticea, aut hordeacea, aut miliaria, aut auenacea farina, aut interdum etiam a genere quodam granorum paruorum, quod manna ipsi vocant, conficitur, et, si quidem recte paratur, egregii est saporis. Diebus iis, quibus carne vesci licet, lacte et butyro, diebus autem ieiunio sacris non nisi oleo conditum eum comedunt; quanquam sunt, qui summo cum rigore praesertim diebus Saturni illud non obseruent. Homines plebeii, farre alioque id genus frumento deficiente, ex tostis et mola comminutis glandibus panem parare solent.

Si Poloni conuiuium agunt, nunquam neque cochlearia, neque cultros, neque furcas mensae imponere consueuerunt; sed haec omnia aut a conuiuis ipsis, aut per famulos ipsorum afferri oportet. Mantilium loco latam lintei alicati laciniam adhibent, quae lacinia mappae circumquaque assuitur, verentes, ne alias furto auferatur. Simulac conuiuae consederunt, sine mora aedium valuae obstruuntur, neque prius recluduntur, quam praesentes surrexerint, inuestigatumque sit, num omnia vasa et supellectilia adhuc praesto sint: quod nisi fiat, non est dubium, quin pedissequi, qui omnes fere et singuli quinis digitis suis hac in re satis artificiose vti sciant, vnum et alterum surripiant, quae etiam causa est, cur neque cochlearia, neque cultri, neque furcae mensae imponantur.

In vniuscuiusque, illustrioris quidem, aedibus peculiare aliquod coenaculum ad conuiuas excipiendos reperitur. Vbi locus est cancellis septus, in quo mensa insigni vasorum argenteorum copia ornata conspicitur. Cuius mensae mappa, antequam squaloris atque sordium affatim contraxerit, nunquam auferri solet. Supra hoc conclaue porticus est musicorum, qui plerumque aut fidibus cantant, aut organum minus, quod vocatur, pultant.

Qui inuitati sunt, ii nunquam non pedissequos secum adducunt. Cum primum ad mensam consederint, panem in bina frusta dissecant, et sic quoque caeteros cibos, sibi appositos in binas partes distribuunt, quarum alteram supra axillas illis pedissequis praebent. Qui tum pone dominos stantes ea, quae acceperint, comedunt. Si dominus poculum vino repletum poscit, id pedissequus prius ebibit, tum illud aqua eluere nimis molestum sibi ducit, sed protinus vinum aliud ei infundit, et domino affert. Caeterum quamuis ingens ciborum copia mensae apponatur, rarissime tamen eorum aliquid in culinam refertur: reliquias enim famuli confestim sibi vindicant: quem in finem lintea ab vxoribus accepta secum plerumque afferunt, quibus quae aridorum bellariorum fructuumue supersint, ea omnia inuoluta domum secum asportent.

Epulis finitis Poloni haud exiguum temporis spatium vlterius residere et potui indulgere consueuerunt. Cibos (ii saltem, qui modesti haberi volunt) manibus attingere nunquam solent, et perdicem, vt hoc vtar, vno quasi momento furcae affixam in sex frusta diuidere possunt. Donec cibum capiunt, in nulla alia re cogitationes figunt, et si forte ab aliquo ad colloquium euocentur, non nisi plene exsatiati mensa surgunt. Denique cibo et potu satis pasti, fumum ex incensa herba Nicotiana plerumque hauriunt. Hoc autem eo modo fieri solet, vt neque caput, neque ventrem fumus infestet. Siphonem, per quem fumus attrahitur, in pyxidulam rotundam traiiciunt, cui pyxidulae spongia aceto forti humectata indita est. Haec spongia per paruum quoddam siphonis foramen omni oleo herbae Nicotianae ademto non modo eximiam cerebro affert releuationem, verum etiam huius herbae saporem magna ex parte reddit suauiorem. Quod si praeterea odori eius iucunditatem quandam conciliare velint, alii pyxidulae, quae quidem superiore minor est, lanam liquori cuidam odoro intinctam iniiciunt, cui pyxidulae siphonem inserunt, qui sipho per exiguum foramen suauem illum odorem ex lana attrahit, et fumo omnem iniucunditatem adimit. Vtrique pyxidum generi siphones ita indere solent, vt eorum caput in priori quidem genere decem pollices, et in posteriori quinque tantum a pyxidula distet.

Eiusmodi conuiuia a familiaribus et cognatis in vicinia habitantibus mutua instituuntur, et cum a viris, tum a foeminis frequentantur. Sciendum enim est, in Polonia virgines puberes sine vlla offensione cum viris conuersari posse, dummodo illarum parentes aut proximi consanguinei praesto sint. Qua conuersatione non pauca coniugia familiaritatesque sanciuntur, et amicitiae iam contractae conseruantur et confirmantur. Nihilominus tamen cum a nimio potu conuiuarum cerebra aestuare incipiunt, interdum conflictationes fiunt, quarum vestigia cruenta haud pauci domum secum auferunt; vbi notandum est, conuiuatori maximae ignominiae verti, nisi tunc temporis perfectam pro lubitu decertandi licentiam largiatur.

Crebrae compotationes cum faustis apprecationibus coniunctae in Polonia admodum inualuerunt, et qui mutuis poculis strenue certare nequit, is ab eorum societate abstineat, necesse est. Quibus compotationibus et in conuiuiis et in cauponis publicis se ingurgitare solent, adeo vt ne dominici quidem et festi dies in fastis ipsorum, vt ita dicam, potoriis sint exemtae; qua in re ideo conniuetur, quoniam vectigalia, potionibus imposita, lucrum reipublicae afferunt amplissimum. His tamen temporibus penes nobiles illustriores et prudentiores hoc flagitium magna ex parte in desuetudinem abiit, quanquam in aliis rebus pristina prodigalitas eadem permanserit.

Sed

Sed satis de hoc, cum tempus vrgeat, vt breui tradamus, quibus commoditatibus peregrini in Polonia perfruantur. Vbi ante omnia Te scire velim, deuersoria oppido pauca ibi esse, iis exceptis, quae inquilini *Karczmas* vocant, in quae peregrinantes cum equis deuerti coguntur.

Haec deuersoria, seu potius stabula longa asseribus sunt exstructa, et stramento tecta. Intrinsecus supellectilium nihil omnino reperitur; neque fenestris illustrantur, sed lucem aut per scissuras ab imbrium et procellarum impetu ruptas, aut per rimas, quae inter asseres, male compositos patent, penetrare oportet. In parte horum deuersoriorum postica paruum cubiculum cum foco exstructum est; vbi autem propter muscas, pulices, et cimices, praesertim vero propter vaporis grauitatem et foetorem intolerabilem nemo commorari potest. Quamuis etiam alicubi parua quaedam sit fenestra, illa tamen nunquam, ne in summo quidem calore, aperitur; quo fit, vt peregrinus in anteriore diuersorii parte, quam stabulo haud absimilem esse supra dixi, libentius maneat, (vbi etiam hospes, seu, vt in ipsorum lingua vocatur *Gospodarz*, cum tota familia sua versari solet) quam vt in spatio tam angusto commorari, sustineat, vbi foetore et vapore propemodum exanimetur. Veruntamen in illo quoque stabulo foetor est intolerabilis; incolae enim eius frustum oleris putredine dimidia ex parte consumti perpetuo secum gerunt, quod inquilinis quidem ex diuturna, qua a prima aetate sunt imbuti, consuetudine, odorem admodum suauem exhibere videtur, peregrinis autem maximam necessario facessit molestiam.

In his deuersoriis seu stabulis neque mensae, neque lecti reperiuntur. Quorum posteriorum quanquam aliquis in eo, cuius supra mentionem feci, cubiculo paruo deprehendatur, nemo tamen eo vti admodum cupit, cum eius culcitrae et puluinaria admodum vilia sint, et multi alii iam in eo cubuerint. Attamen stramenti, quod in stabulo pro cubili vsurpatur, non melior est conditio; neque enim hic vnusquisque stramentum recens nancisci potest; dum hospes post peregrinorum discessum stramenta statim colligit, et aliis eo deuenientibus reseruat. Nihilominus tamen satius est, in illis stramentis iacere, quam in lecto, quoniam illa, postquam vsurpata sunt, plerumque aëri exposita rursus siccantur. Horum deuersoriorum parietibus vbique claui lignei sunt infixi, quibus peregrinantes vestes, manticas et alia suspendant. Caeterum horum deuersoriorum incommoda felicissime deuitat, qui in horreo cubat, vbi saltem recens stramentum reperitur.

Cum igitur in deuersoriis tam parum commode habitari possit, omnes iter facientes, harum molestiarum insueti, rhedam binis equis iunctam sibi comparare, et in ea, quae in via ipsis opus sint, omnia secum gerere necesse habent. Lectos, gausapa, culcitras, supellectilia, et id genus alia in saccum, ex eo panno, qui vulgo *Sarsche* dicitur, confectum inserunt, quo sacco postea in rheda pro sede vtuntur. Praeterea in capsa lagenis recondendis aptata quantum ipsis libet potionum, quantumque opus est rerum ad victum pertinentium, secum ferre eos oportet. Sic quoque de aliis rebus necessariis sibimetipsi prospicere, et si qua defecerint vel consumta sint, prima quaque occasione oblata ea reparare necesse habent: nam praeter solum hospitium in his deuersoriis aliud quicquam rarissime offenditur.

Hoc modo igitur peregrinus totam rem domesticam vndique secum circumgestare cogitur, vbi non parum molestiarum et incommodorum ipsi perferendum est. Veruntamen qui hoc modo instructus est, is sumtibus perexiguis iter prosequi potest. Nam pro hospitio, eoque admodum illiberali, perparum soluitur, neque plures impensas in vllam rem aliam faciunt, neque quicquam impetrant, quia nimirum, vt coniicere licet, Poloni nobiles hospitibus, quantum poscunt, soluere recusant, neque vllo modo cogi possunt, vt soluant: quapropter hospes, si quid ab ipso poscitur, semper respondet: *Nie masz*, id est, *nihil habeo*. Si quid tamen residuum habent, eius partem peregrinis quam libentissime impertiuntur; quanquam plerique non plus sibi comparent, quam quantum ad

semetipsos et domesticos suos alendos opus sit, cum oppido pauci extranei in hanc terram proficiscantur. Quod si tamen eueniat, vt peregrino alimenta aliaeque res necessariae desint, ad praefectum pagi (qui praefectus ipsorum sermone *Dvour* vocatur) plerumque confugit, qui statim eius penuriam, et quidem gratuito, subleuat.

Cum Polonia vbique propemodum terra plana sit, in rheda binis equis iuncta viam satis longam quotidie conficere possunt. Nonnulli Polonorum, quamuis admodum pauci, tam cauti sunt, vt in suis rhedis semetipsi ducant. Cum in deuersorium venerunt, equos in pratis gramine obsitis plerumque pascunt: nam foenum, quoniam nihil pro eo soluunt, ab hospitibus rarissime impetrant. Alii equis vecti proficiscuntur, saccum pro lecto secum gerentes, sesquipedem circiter, quem ephippio subiiciunt. Vulgo ab hospitibus petunt, vt sibi cereuisiam, panem, et si qua alia in promtu sint, afferant, quod ministerium illi neutiquam ipsis recusare debent. Nobiles tam commode ibi proficisci possunt, vt admodum paucis vel potius omnino nullis sumtibus opus habeant.

Si peregrinans in Polonia pontem transiturus est, maiorem, quam aliis in terris, adhibeat cautionem, necesse est; pontes enim ibi locorum valde vitiosi esse, et raro instaurari solent. Tempore hyberno ob aëris asperitatem et inclementiam pedes cuiuis bene muniendi sunt: quem in finem ii quidem, qui carpentis vehuntur, in saccum hirsutum illos inferere, equitantes autem ocreis firmis, quibus insuper aliquid stramenti indi solet, aduersus vim frigoris illos armare consueuerunt. Praeterea antequam iter propositum ingrediantur, largo vini adusti haustu se inuitant. Si glacies, praesertim niuibus obtecta, ipsis traiicienda est, traham assequi studeant, cui rhedam vel carpentum immittant; deinde traha equis iuncta transuehuntur.

Per hyemem omnes agricolae pagi cuiusuis separatim vespertino tempore, praesertim diebus Solis, in iis, quae supra descripsi, deuersoriis congregati debacchari solent. Vbi peregrinanti maxima incommoda sunt perferenda. In alio enim quocunque loco pernoctare nequit: ibi enim ob ignis defectum frigoris saeuitia ipsi necessario pereundum esset. Quod si autem apud illos agricolas hospitetur, nullo modo, licet vel maxime defatigatus, obdormiscere potest; illi enim cantando et saltando strepitum tam horribilem mouent, vt aurium aciem eo necessario obtundi putes.

Ab acerrimo illo, quod in Polonia saeuire solet, frigore saepissime accidit, vt peregrinantes nasorum iacturam faciant; et ego ipse quosdam noui, quibus illud euenerit. Cui malo nullum felicius remedium opponi potest, quam vt is, cuius nasus frigore ambustus sit, antequam in conclaue calefactum se recipiat, parum niuis naso imponat.

Antequam huic de Polonorum ritibus et moribus narrationi finem faciam, non alienum videtur, Tibi, Vir Excellentissime, de moribus Lithuanorum, Samogitarum, Prussorum, aliorumque tam antiquis, quam recentioribus, praesertim quatenus a Polonorum institutis illi discrepent, pauca quaedam tradere.

Nos ab antiquis Romanis originem ducere, inquit Michalon, Lithuanicus scriptor, *dubio caret, siquidem lingua nostra dimidia fere ex parte Latina est, et nos non ita paulo ante Romanis cerimoniis atque ritibus vsi sumus mortuos quidem combussimus, ex auium volatu cantuque diuinauimus, et si qui ritus superstitiosi alii fuerunt; quid? quod in hunc vsque diem in locis quibusdam Magni huius Ducatus Aesculapius sub serpentis forma diuino honore colitur.* Tum idem scriptor permulta vocabula ex ordine recenset, quae, quod olim Romae denotarint, idem nunc in Lithuania significent. Porro sub Iulio Caesare expeditionem a Romanis in hanc prouinciam esse susceptam commemorat, ad quod confirmandum Florum auctorem profert. Idem Michalon hanc prouinciam ex Ducum, qui quondam ibi fuerint, multitudine magni Ducatus nomen sortitam esse existimat.

Iudicia Lithuaniae quod attinet, sciendum est, decimam quamque, partem eorum, quae in actionibus realibus victori adiudicata sint, in iudicis fiscum, qui

qui ex lingua ipsorum *Pereſſud*, id est, arca clausa dicitur, deferri. Hanc summam victus confestim et sine vlla mora soluere cogitur. In actionibus personalibus dimidiam partem impensarum, accusatori extorsarum, iudex postulat. Homicidae et alii scelerati homines non nisi pecunia multantur, qui mos etiam in Polonia obtinet. Quod si homicida aufugerit, vsitatum est, vt corpus interfecti sublatum custodiatur: quod corpus antequam interfectori ante oculos positum sit, ille condemnari nequit. In Lithuania omnes etiam opes furto ablatas, quocunque tandem loco eae sint inuentae, iudex accipit.

Temporibus antiquioribus duo tantum in Lithuania vniuersa erant iudices, iidemque Palatini. Hi certo loco adstricti non erant, in quo necessario versarentur, sed si quis causam ad eos deferre volebat, ille ipsos, quamuis vel longissime remotos, sequi necesse habebat. Veruntamen Palatini illi Legatis vtebantur, qui publica statutis diebus iudicia exercere, in iisque controuersias exortas dirimere consueuerant, vbi tamen id potius iudices spectabant, quomodo fiscum suum locupletarent, quam quomodo in partium litigantium causas recte inquirerent, et aequum iudicium ferrent. Nunc autem hic mos obsoleuit, adeo vt in Lithuania totidem iudices ordinarii, quot in Polonia, reperiantur. Alia momenta, quae hoc loco obseruari possint, breuitatis studiosus praetereo, et cum conditionem moresque tam nobilium et ciuium, quam rusticorum in Lithuania caeterisque prouinciis habitantium paucis describsero, finem his literis imponam.

Ante omnia igitur Te scire velim, nobilitatem Lithuanicam, Regi Poloniae, Iagelloni, eiusque successori in Lithuania, Alexandro, pleraque debere priuilegia, qui ambo, quo facilius incolae ad religionem Christianam amplectendam inducerentur, iisdem, quae nobilibus Polonicis essent concessa, priuilegiis et immunitatibus huius etiam Magni Ducatus nobilitatem exornarent. Similia priuilegia eodem tempore Russia et Podolia consecuta est, neque minus Prussorum immunitatibus antiquis a Casimiro quarto, cum huius auxilio contra equites ordinis Teutonici illi essent vsi, multae nouae sunt additae. Ciues Lithuanici, Samogitici et Russici a Polonicis nihil fere differunt. Verum Prussici illos rebus certis antecellunt, vti in superioribus iam notauimus.

Plebs Lithuanica caeterarumque prouinciarum adhuc deteriore, conditione, quam Polonica, laborat. Ibi enim haud raro accidit, vt nobilis ingenti ministrorum turba stipatus rustici cuiusdam domum inuadat, omnia eius supellectilia per vim abripiat, et miserum illum verberibus aut aliis modis pessime tractet. Quod si afflicti homines illi vexatique, vt damnum ipsis resarciatur, nobilis eius, cuius imperio subsunt, auxilio implorent, non sine muneribus coram eo apparere ipsis licet, quibus tamen nihil efficiunt, nisi vt literas commendatitias ad Starostam aut alium quendam Officialem ab eo accipiant. Qui Officiales denuo largis donis sunt imbuendi, adeo vt miseris istis perfecta detrimenti accepti restitutio rarissime obtingere queat.

Cum miseri illi Polonici agricolae ternos quaternosue singularum hebdomadum dies operam dominis locare cogantur, hi Lithuanici caeterarumque prouinciarum quinos senosque hebdomadis cuiusque dies ad labores faciendos vulgo impellantur, vt non nisi diem Lunae sibi retineant. Quod si vero etiam diebus Lunae nobiles eorum opera indigeant, diebus Solis ad priuatos labores perficiendos ipsi vtuntur: nam penes rusticos illos dies sacri a profanis nihil differunt, in quibus Russici nominatim interrogati, cur diebus dominicis laborent, alia quaestione, plerumque respondent: annon diebus dominicis pariter, atque reliquis edere se oporteat?

Quamuis aerumnosi illi vitam aegerrime sustineant, singulis tamen quibusque annis ter quaterue grauia tributa reipublicae pendere coguntur, praeterquam quae nobilibus sibi praefectis, quotiescunque iis aliquid extorquere ipsis placet, dare eos oportet. Si eiusmodi seruus ob delictum quoddam perpetratum a domino

mino capitis condemnatus sit, is supplicium sibimetipse inferre cogitur, quod si facere recuset, acerbius, quam patibuli, supplicium ipsi minantur.

Panis, quo victitare solent, admodum tenuis est, atri coloris, e farre viliore et hordeo, quod commistum mola comminui solet, confectus. Reliquus eorum cibus carne, piscibus et auibus constat; et si vnum et alterum in hyemem vsque se alere non posse praeuideant, illud autumno mactatum sale condiunt. Plerumque rei domesticae bene administrandae sunt peritissimi, quo se et familias suas facillime sustentant. Ad frumentum comminuendum quiuis rusticus quaternas quinasue molas manuarias domi secum habet. Inter labores perpetuo canunt, vocabulum *melior* saepissime repetentes, quod vocabulum eandem, quam in lingua Latina obtinet, in ipsorum sermone habet significationem, quo conditionem suam saltem meliorem esse, quam si ipsorum miseria esset duplicata, fortasse indicare volunt.

Iidem genere quodam fistularum longarum earumque lignearum vtuntur, quae adstantium auribus ita obstrepunt, vt illi sat longum tempus auditum integrum non recipiant.

Agricolae Lithuaniae, Samogitiae caeterarumque prouinciarum, omnes fere et singuli vestem crassiorem cineracei coloris gerunt, ita vt centesimum quemque vix aliter vestitum reperias. Pedibus ocreas minores induunt, ex arborum corticibus paratas, quarum iam supra mentionem feci.

Iidem agricolae vehiculorum quoddam genus habent, quae ramis implexis constructa et admodum velocia sunt. His vehiculis tegumentum eodem modo et ex eadem materia factum imponunt. Rotae huius molis ex ligno solido, eoque plano et in formam teretem redacto, elaboratae sunt. Vt breui dicam, haec vehicula carrucarum earum, quibus carbonarii et calcarii penes nos vtuntur, speciem gerunt. Cum horum vehiculorum aliquot vna vehuntur, strepitum permolestum ea edunt, idque adeo, quoniam eorum axes nunquam vngere solent. Idem vehiculorum genus apud Russos quoque creberrimum est, vti ex sequentibus versibus Latinis iudicari licet:

Neque linunt Ruteni querulos pinguedine currus;
Haud picis auxilium stridulus axis habet.
Auditur veniens longe crepitare *Colassa:*
Sic fragiles currus, Russe, vocare soles.
Nam faciunt habiles vno vectore quadrigas
Inuectas Ruteni, quas equus vnus agit.
Nec facile inuenies ferrato haerentia clauo
Plaustra facit ligni cuncta ministerium.
Et sine ferri vsu pangunt sua plaustra terebris,
Et lignum ligno consolidare solent.

Domus rusticorum teretis sunt structurae, quapropter turres ab ipsis vocantur. Caeterum angustae sunt, et in fastigio earum hiatus patet, per quem foetor et fumus exeat; plerumque vero asseribus, stramentis aut arborum corticibus tectae sunt. In his tuguriis rustici cum domesticis et pecoribus suis cohabitant, vnde saepius fieri solet, vt corporibus suis per imprudentiam vim mutuam inferant.

Per hyemem mares culcitras quae in lectos reponi solent, aut pennis comminutis, aut canna, in locis palustribus nasci solita, vna cum foeminis referciunt, quibus in culcitris non molissimum esse somnum facile intelligas. Foeminae nonnullae pannum crassum domi texunt. Extra domum vero cum marium, tum foeminarum opera iisdem negotiis continetur, quibus homines vtriusque sexus aliis in terris occupari solent.

Causam, cur equi harum prouinciarum omnes et singuli parui sint, a frigoris, quo eae rigent, vehementia repetendam esse Guagninus existimat. Interim

terim tamen paruos illos equos eximio robore praeditos seque ipsum eorum vno tantum viam viginti et centum milliarium Polonicorum intra quatuor dies emensum esse, idem scriptor affirmat.

In hoc populo foemina, antequam ad vigesimum quartum, imo interdum ad trigesimum aetatis annum peruenerit, nubere non solet. Eadem ante matrimonium initum indumentis linteis varii generis a se elaboratis corbes aliquot repleuerit, necesse est, quibus indumentis postea in eius nuptiis ii conuiuae donantur, quos sponsus secum adducit. Pari modo ab ea requiritur, vt per aliquod tempus in re domestica administranda operam mutuam matri impenderit. Idem in filiis obseruari solet. Caeterum sciendum est, eos, qui in nuptiis conciliandis laborant, nunquam non multo diligentius explorare solere, quibus moribus atque virtutibus virgo sit ornata, quam quantum facultatum diuitiarumque possideat.

Indolem huius populi quod attinet, eximia sinceritate, summa probitate et insigni pudicitia ille praeditus est; siquidem de iurgiis, furtis, virginum rapinis et incestibus ab eo commissis rarissime quicquam audies. Puellae famam suam tantopere tuentur, vt, si mares ipsis osculum modo deferant, cultro eos petere non dubitent. Praeterea matres quam diligentissime eas obseruant, eandemque ob causam et anterioribus et posterioribus stolarum, quibus eae indutae sunt, partibus parua tintinnabula annectunt, vt, vbi locorum sint, et quid forte agant, confestim audire possint.

Rustici Samogitici cum Lithuanicis in omnibus fere consentiunt. Ea vero, quibus inter se dissentiunt, haec sunt praecipua:

Primo rustici Samogitici minus laborioši sunt, quam Lithuanici, et proinde rerum ad vitam et victum sustentandum necessariarum minorem habent copiam. Loco panis genere quondam raporum, caput humanum crassitudine aequantium, et sua sponte nascentium, vesci consueuerunt.

Secundo singulari quadam mulsi albi et rubri, vti etiam cereuisiae parandae ratione vtuntur. In has enim potiones, cum per totam noctem coctae sunt, lapides ardentes iniiciunt, eosque ibi refrigerunt, id quod iis, qui ex hoc mulso aut cereuisia biberint, aluum ciere existimant. Tum has potiones in vasa ex arborum corticibus constructa infundunt.

Tertio lepida quaedam apud eos obtinet consuetudo, vt eos, qui potando alios vincant, indusiis, tunicis, sudariis, aliisque rebus, digno quasi praemio donent.

Quarto incolae Samogitiae multo maiorem, quam aliarum prouinciarum habitatores, senectutem adipiscuntur. Ibi enim non insuetum est, vt in homines incidamus, quorum vita in centum, imo in centum et viginti annos excurrat.

Hoc loco lepida quaedam res mihi subit, quae tunc euenit, cum Rex Iagello populares suos paganorum superstitionibus adhuc inhaerentes ad religionem Christianam amplectendam allicere studebat. Cum enim quondam, Rege ipso praesente, monachus quidam de creatione mundi concionem haberet, aliquis eorum, qui tum aderant, paganorum eum interpellauit, et palam mendacii insimulauit, causam afferens, neque semetipsum, neque alios familiarium suorum, quorum tamen multi centum amplius annis ante iam secum vixerint, de earum rerum, quas monachus sibi nunc garriuisset, euentu recordari posse, seque potius certum habere dixit, anni tempestates, earumque vicissitudines, se pueris eodem modo, quo nunc, processisse. Tum Rex ipse rudem illum hominem docere instituit, mundum ab vno et vero Deo vtique ex nihilo creatum esse, quanquam neque ipse, neque alius quidam popularium ipsius de eo recordari possit, dum mirabilis illa creatio multis saeculis ante facta sit, quam ipsorum vllus hanc lucem viderit. Hoc Tibi, Vir Excellentissime, sufficiens de horum hominum tam incredibili ruditate, quam summa senectute et tenaci vita argumentum esse potest.

Quinto indole quoque a Lithuanis Samogitae differunt, dum horum plerique mirifica affabilitate, vti etiam robore, audacia et velocitate longe superant.

Ad se defendendos armorum loco lorica et hasta venatoria plerumque vti consueuerunt.

Sexto denique nulla Poloniae prouincia melle adeo abundat, quam Samogitia, vbi quaeuis fere arbor apiarium continet. Veruntamen mel Samogiticum non tantum cerae habere solet, quantum id, quod alibi locorum reperitur.

Nunc tandem, quae in his duobus prouinciis memorabilia ad rem domesticam pertinentia occurrant, quam breuissime potero, complectar.

Ante omnia igitur Te scire velim, hunc populum simul et eodem tempore arare, serere et occare consueuisse, et tellurem harum prouinciarum, dummodo semel vrendo fertilitas ipsi sit illata, quamuis non stercoratam, septenos octenosue annos continuos fruges edere vberrimas. Si loca siluis obsita in agrum vertere volunt, eundemque in finem virgulta exusserunt, proceras arbores, in quas incurrunt, neutiquam excidere solent, sed ramos tantum in lateribus enatos amputant, ne iis Sol impediatur, quo minus telluri radios suos immittat. Illud autem singulari quadam eademque tam artificiosa fit ratione, vt rusticus mille amplius arborum ramos succidat, priusquam semel in solum descendat. E restibus scilicet atque funibus sella perficitur, quae formam stapedibus haud absimilem gerit. Hanc sellam postea funi longo firmiter adstringunt, quem ramo cuidam arboris iniiciunt. Cui sellae cum rusticus insedit, eum puer, in solo stans, funis illius ope sursum extollere, et rursus demittere, vti etiam ramis vnius arboris truncatis, alius funis adminiculo in arborem proximam traducere potest. Hic rusticus autem instrumentum quoddam incuruum semper in latere gerit, quo ramos eo, quem dixi, modo amputat.

In iisdem prouinciis mirabili quadam et prorsus peculiari seminandi ratione vtuntur. Binas enim hordei partes, singulis farris partibus commistas, verno tempore in vnum aruum conserunt. Cum autem tempus messis aduenit, hordeum tantummodo demetunt; sed far, quod passim excreuit, a messoribus prorsus pessundatur. Verum consulto. Insequente enim anno illud far adeo spissum et frequens enascitur, vt nemo fere, nisi in periculum, quin suffocetur, incurrere velit, permeare illud possit.

Temporibus bellicis rustici frumentum hoc modo custodire solent. Terram speluncis confodiunt, quas tignis communiunt, arborumque corticibus circumdant. Deinde frumentum illis inferunt, ne hostes tam facile id inueniant. Antequam frumentum in consuetis locis reponant, fumo id semper exsiccare solent, quo fit, vt multos annos continuos integrum conseruetur.

De Prussis, cum nobilibus, tum plebeiis, multa singularia memoranda non occurrunt. Priores tamen in vestitu non tantum vanitatis prae se ferre solent, quam Poloni, austrum versus habitantes. Posteriores vero a rusticis Polonicis amictu quodammodo discrepant, cum collaribus longis et angustis ex corio confectis interdum vtantur.

Tuguria rotis imposita et e frondibus contexta Prussi quondam habitabant. Quid? quod in hunc vsque diem plebs artis architectonicae minus perita in aediculis plerumque commoratur, quae pariter e frondibus constructae, et aut humo, aut musco tectae sunt. Simili modo multa supellectilia apud eos frustra quaeras: sicuti enim Prussi antiquiores aut in nuda humo, aut in pellibus animalium dormire consueuerant: ita recentiores ad hunc vsum fasce stramentorum sunt contenti.

In cibis capiendis omnes et singuli admodum temperantes sunt, et magis ignauiae, quam luxuriae dediti. Potus autem, haud secus atque Poloni et Lithuani, largiores, quam necessitas aut salubritas postulat, haurire solent, praesertim in conuiuiis, e quibus saepissime bene inebriati discedunt. Eorum potio aqua aut lacte equino quondam constabat, admisto interdum sanguine; nunc autem plerumque aut mulsum aut cereuisiam bibunt. Cibus eorum vsitatissimus pisces sunt. Id raporum genus, quas radices vulgo vocamus, ante equitum ordinis Teutonici aduentum plane ignotum ipsis fuit: nunc autem hoc cibo agricolae

colae vel maxime delectantur. Veruntamen quae iam dixi, eorum pleraque de rusticis tantum Prussicis sunt intelligenda. Nobiles enim Prussi iisdem, quibus Poloni, moribus atque institutis vtuntur.

Haec sunt omnia momenta peculiaria, quae vndique congerere potui, earum rerum, quarum narrationem aliquam Tibi, Vir Excellentissime, tradere constitueram. Fatendum mihi est, neque tantum, quantum debebat, temporis huic proposito exsequendo a me esse impensum, neque ordinem conuenientem vbique obseruatum. Beneuolam tamen excusationem a Te, Vir Excellentissime, exspecto, et errata commissa relationibus admodum confusis, e quibus haec omnia excerpsi, Te adscripturum esse spero atque confido. Simul ea, qua decet, modestia veniam rogo, quod scripto tam tenui nomen Tuum illustre praeponere ausus sim. Caeterum debita cum reuerentia permaneo Tuus

Vir Excellentissime

seruus fidelissimus et obedientissimus

I. S.

EPISTOLA SEXTA

AD

VIRVM EXCELLENTISSIMVM,

IACOBVM, DVCEM ORMONDENSEM,

REGIS MAGNAE BRITANNIAE LEGATVM.

DE

EXERCITIBVS, CASTELLIS, ARCIBVS, ALIISQVE REBVS MILITARIBVS REGNI POLONICI.

Cum Regnum Polonicum prima initia cepisset, Vir Excellentissime, Poloni ad patriam defendendam finesque imperii sui ampliandos non tam legibus minus seueris admoniti, quam potius absoluta potentia coacti sunt. Ex quo tempore autem Christianam religionem profiteri coeperunt, primus eorum Rex Boleslaus Chrobryus statutum sanxit, vt ex vnoquoque territorio seu Palatinatu certus equitum, et ex vnaquaque vrbe et vico peditum numerus compararetur, qui non modo primo nutu ad pugnandum expeditus esset, verum etiam rebus ad victum et vsum bellicum necessariis simul instrueretur. Hunc exercitum vocant *Pospolite Ruszenie*, id est, vniuersas copias militares totius Regni, quae sub communis Ducis seu Imperatoris imperio, quando et vbi Rex cum Senatoribus, vt consiliariis eius intimis, necessarium putet, conuenire debeant.

Communi illa conuocatione facta, in militiam proficisci debent 1) Omnes nobiles, possessionibus praediti, paucis tantum exceptis, quorum infra fiet mentio. 2) Omnes nobiles, peculiis carentes, qui in vrbibus aut vicis vectigalibus aliisue reditibus victitant. 3) Omnes ciues praedia possidentes, quo omnes Prussici, vti etiam Cracouienses, Vilnenses et Leopolienses ciues pertinent. 4) Praedia elocata tenentes, qui aut ipsi castra sequi, aut alios ipsorum loco mittere debent. 5) Possessionum regiarum administratores. 6) Clerici praetores vel causarum patroni. 7) Cum summa necessitas exigit, omnes ciues sine vlla exceptione, ita tamen, vt iis liberum sit, vtrum ipsi coram adesse, an alios velint mittere. 8) Ii quoque nobiles, qui grauium delictorum causa in certum tempus custodiae damnati

mnati sunt, vinculis liberantur, qui tamen expeditione finita, illuc redire, et quod residuum est temporis ad poenam destinati ibi consumere coguntur.

Hi omnes equis insidentes et vestitu militari ornati apparent. Cum autem exercitus, cui pedites desint, nullo modo perfectus sit, hic mos quondam obtinuit, vt in vnoquoque pago rustici vndeuiceni vigesimum quemque armis necessariis, acinace nimirum, sclopeto longo et securi militari instruerent. Quorum armorum loco his temporibus saepissime summa quaedam pecuniae ab iis exigitur, e qua extranei pedites comparantur. Quamuis enim adhuc militibus inquilinis Poloni vtantur, qui pedibus mereant, illi tamen parui aestimantur. Vnusquisque ciuis, cuius diuitiae octo nummorum aureorum Polonicorum millibus taxantur, equitem, qui autem dimidiam tantum huius pecuniae partem habet, peditem vestitu et armis bene instructum debet sistere. Rusticorum familiae duodetricenae singulos milites alere, et per spatium semestre omnibus rebus necessariis sustentare coguntur. Hi vniuersi a Polonis *Wybrancys*, id est, *delecti milites* vocantur, adeo vt *Wybraniecka Piechota manum delectam* apud eos significet. Quorum si quis ter vocatus se non sistit, eius fortunae confestim fisco regio cedunt.

Nobiles, qui huic exercitui interesse non coguntur, sunt 1) ii, qui alios in suum locum substituere possunt, vt senes aut aegroti, viduae, orphani, impuberes, et tandem Clerici possessiones Laicorum seu haereditarias tenentes. Si quis nobilium maiorum, vel etiam minorum aegrotat, is mature illud indicare, et per testes aliquot fide dignos iureiurando confirmare debet. Quo loco notari potest, in Lithuania Clericos propter possessiones ecclesiasticas aeque parum, ac propter haereditarias ab hac militia esse exemptos. 2) Si quis in pluribus territoriis aut Palatinatibus praedia possidet, is pro vno tantum meret. 3) Nobilium pauperiorum aliquot coniunctim vnum equitem mittere possunt, quod praecipue in Masouia fieri solet; pari modo etiam fratres, quorum opes nondum distributae sunt, vnum tantummodo ex suo numero delectum amandare queunt. 4) Qui in regio palatio et in Regis comitatu sunt, eos Rege ipso in militiam proficiscente, expeditioni quidem interesse oportet; non tamen Palatinatuum suorum vexillis subsunt. 5) Triginta circiter e ministris aulicis Reginae, nobili genere natis, sunt excepti. 6) Duodecim circiter e ministris Archiepiscopi Gnesnensis interdum etiam nonnulli e ministris aulicis Episcopi Cracouiensis, aliorumque Episcoporum, praesertim, cum respublica in aliis negotiis eorum opera indiget, eadem immunitate fruuntur. 7) Omnes ii, qui ad exterorum principum aulas ablegati sunt, nec non omnes eorum comites, ab hac expeditione prorsus liberi sunt. 8) Omnes Starostae cum praesidiis suis in arcibus sibi subiectis manent, et Tribunos quoque suos secum habent. Tandem supremus Dominus, seu Praefectus arcis Cracouiensis, cum Praefecto vicario, Burggrauiis, et duobus Tribunis copiarum pedestrium ab hac militia immunis est.

Sunt aliquot Prouinciae et Palatinatus, qui in hac expeditione generali singularibus quibusdam priuilegiis vtantur. In Masouia enim et Palatinatu Plocensi, sex fratres, quamuis eorum possessiones sint diuisae, non nisi vnum equitem mittere necesse habent. In Podlachia a denis praediis singuli equites leuis armaturae, a vicenis autem singuli equites cataphractarii deliguntur. Pari modo Kiouiensis et Braclauiensis Palatinatus peculiaribus priuilegiis immunitatibusque gaudent. Quamdiu arx Camenecium in Polonorum fuit potestate, nobilitas Podoliae, expeditione generali susceptа, non nisi iuxta hanc arcem consistere, eique praesidii loco esse necesse habuit. Prussi vltra hos tres fluuios, Vistulam, Ossam et Drebniciam, vt progrediantur, cogi nequeunt; sicuti neque Lithuani vltra fines Magni sui Ducatus inuiti traduci possunt.

Multitudo militum in expeditione quaque generali congregatorum admodum copiosa est. Bascus, scriptor Polonicus, sub Boleslai Chrobryi imperio in vno Palatinatu Lancicienſi duo cataphractorum et quatuor equitum leuiter armatorum millia simul collecta esse affirmat. Starouolscius ab Vladislao contra Equites Prussi-

Prussicos centena equitum millia in aciem esse producta tradit, e quo tamen numero eos, qui ad patriam defendendam relinquerentur, fuisse exceptos. Alia plura exercituum numerosorum exempla ex eodem scriptore petita huc afferre possem, quae breuitatis studiosus praetereo. Id modo ex Regni Polonici descriptione a Botero literis consignata adiicio, quod vrgente necessitate Poloni centena, Lithuani vero septuaginta equitum millia amplius possint cogere. Quid? quod Starouolscius ex vtraque prouincia ducenta equitum millia amplius sine impensis aduersus hostem produci posse arbitratur: cui opinioni etiam Fredro assentitur.

Peditum Polonicorum numerus est incertus: optio enim illis libera datur, vtrum ipsi coram adesse, an eius loco pecuniam malint soluere. Starouolscius copias pedestres sua aetate supra centum viros vix excurrisse tradit, cuius rei causam hanc affert, quod impotente Staroſtarum dominatione horum hominum animus prorsus debilitetur, et agresti timore et stupore identidem contineantur, quamuis ad aëris asperitatem et tempestatis inclementiam perferendam aptiores sint, quam Germani et Hungari, qui aëra Polonicum nullo fere modo sustinere possint. Idem scriptor fore existimat, vt copiae Polonorum pedestres, dummodo ad maiorem virtutem excitentur, non modo conspicua numeri magnitudine, verum etiam insigni operae militaris praestantia valeant.

Pedestres autem milites ab exteris nationibus collectos quod attinet, eorum numerus in triginta virorum millia amplius nonnunquam excurrit, cum Cosaci Polonis operam militarem adhuc praestabant; quanquam et hi equis insidentes pugnare consueuerant. Rex Stephanus, cum in Liuonia aduersus Suecos bellum gereret, sedecim Germanorum et Hungarorum, qui pedibus mererent, millia amplius in exercitu suo habuit.

Cum igitur de expeditione generali indicenda inter ordines in comitiis vniuersalibus congregatos conuenit, ex antiqua consuetudine Rex in singulos Regni sui Palatinatus aut territoria certas literas mittit. Quae literae a ministris prouincialibus resticula scipioni longo alligatae (vnde *literae restium*, vti etiam *Wici*, quod vocabulum sermone Polonico *scipionem* denotat, eae a nonnullis vocantur) ad omnes nobiles maiores cuiusuis territorii, et quidem ter intra vnius mensis spatium circumferuntur. Pari modo harum literarum argumentum in omnibus et singulis vrbibus atque vicis ter palam promulgatur. Tertia eademque postrema promulgatione facta, omnia iudicia cessant, Staroſtarum modo vicariorum exceptis, qui in iure dicendo pergunt. Tertius literis publicis circumgestatis, singuli nobiles cuiusuis territorii ad copias suas lustrandas separatim conueniunt, quae lustratio duplex est, altera specialis, quae in singulis territoriis agitur, altera generalis, quae in singulis Palatinatibus instituitur. In his lustrationibus Palatini et Castellani milites, nec non eorum equos, arma et alia, quam diligentissime consignare solent; lustratione enim ad finem perducta, arma et equos mutare haud licet. Eodem tempore Palatini territoria quaeque in singulos Castellanos distribuunt, quorum Castellanorum vnicuique copias peculiares tradunt, quibus praesint. In Palatinatibus iis, in quibus non nisi vnus Castellanus est, Camerario vicario aut alii Officiali pars functionum eius obeunda est; quod in Lithuania Marschalcis, singulorum territoriorum praefectis, conuenit. Lustrationibus specialibus finitis, vnusquisque Castellanus nobilitatem, suo imperio subiectam, ad lustrationem generaliorem, a Palatino institui solitam, perducit; vbi omnia denuo quam diligentissime considerantur, et vnusquisque, qui non apparuit, notatur. Castellani, antequam copias suas ad Palatinum adduxerunt, perfectam iurisdictionem in eas habent, postea vero eam Palatino integram debent tradere; quanquam in causis capitalibus non illi, sed Imperatori exercituum supremo soli, aut potius Regi, sententia sit ferenda, quem in finem hic posterior certos viros, quorum consilio in bellis gerendis vteretur, adhuc secum habuit.

Quo loco illud etiam notari potest, quod omnes et singuli nobiles a ducibus suis quotannis ex ordine lustrentur et in album militare inscribantur. Caeterum in Polonicis militibus duas virtutes maxime necessarias, celeritatem et obedien-

dientiam, raro aut potius nunquam reperiri solere, Starouolscius non sine causa dicit. Prius enim quod attinet, Polonos nobiles nunquam non maxima cum molestia et indignatione ab vxorum atque liberorum amplexu auelli tradit, et inde fieri, vt non nisi tertia indictione facta iter parent. De posteriori vnumquemque eorum, cum congregati essent, dominum agere velle, praefectorumque suorum decretis obedientiam recusare idem Starouolscius affirmat, adeo vt motus periculosissimi in iis identidem videantur nasci. Accedit, quod, quamuis rebus ad victum necessariis vel maxime abundet Polonia, in omnibus tamen expeditionibus milites fame propemodum pereant, quae calamitas, a turpissima ducum militarium negligentia proficiscitur, qui in exercitum omnibus rebus necessariis sustentandum debitam diligentiam et curam non adhibent. Vnde saepissime fit, vt consilia saluberrima, cum expedienda, imo cum propemodum iam expedita sunt, in cassum abeant. Militum animi et cogitationes non nisi in frumento cogendo praedaque facienda fixae sunt; siquidem omnia, quae sibi obuia sunt, secum abripiunt, adeo vt prouincias, quas conseruare et defendere debebant, ipsi miserrime deuastent. Aliae praeterea harum turbarum in exercitibus Polonicis identidem oriri solitarum causae sunt, de quibus infra quaedam narrabo.

Nobiles eo, quem diximus, modo a Palatinis lustrati, ad locum lustrationibus generalibus destinatum a ducibus militaribus perducuntur, vbi quiuis Palatinus se suasque copias Imperatori exercituum supremo subiicit. In itinere neque in Regis, neque in nobilium praediis deuerti iis licet, sed in campo aperto castra ponere eos oportet, ne vrbium aut pagorum incolis molestia quaedam per eos creetur. His temporibus Imperatorum supremorum potentia admodum angustis finibus est inclusa, pristinique splendoris magnam fecit iacturam. Nam quondam hi Imperatores absolutam potestatem habebant, et eorum voluntas pro legibus erat. Nunc autem sine eorum, qui ipsi a republica associati sunt, consensu parum agere possunt. Praeter Imperatores exercituum supremos et Marschalcos militares etiam Regis praesentia ex legum Polonicorum praecepto requiritur. Id quod ex Regis Alexandri exemplo patet, qui, quamuis aegrotaret, nobilibus tamen volentibus ipse coram in castra venire debebat, quo lectica delatus est; quod tamen Ducis Glinscensis impulsu factum esse existimatur, qui hanc expeditionem vitae finem Regi allaturam esse speraret.

Antequam vlterius pergam, necessarium videtur, Tibi, Vir Excellentissime, tradere, quot militum generibus exercitus Polonorum constet; constat igitur primum copiis Regni, vulgo *Pospolite* dictis, deinde militibus collectis, tum copiis auxiliaribus, porro Quartianis, et denique spontaneis seu voluntariis. Deinde copiae Polonorum vniuersae in equites et pedites, et horum vtrique in inquilinos et extraneos distribui possunt. Inquilini plerumque equis merent, et aut graui aut leui armatura sunt instructi. Ad prius genus pertinent, primum *Hussari*, qui et ipsi et equi ipsorum lorica sunt armati, et deinde *Towarzyszi*, qui thoracem, galeam et collare ferreum gerunt. Cum hi, tum illi milites sunt delecti, posteriores autem nomen suum a Polonico quodam vocabulo, quod *socium belli* seu *commilitonem* significat, sunt sortiti.

Hussari breuibus lanceis, acinacibus et sclopetis minoribus, quos vulgo *Pistolen* vocant Germani, Towarzyszi autem carabinis, arcubus et sagittis, aliisque armorum generibus sunt ornati. Breues illae lanceae a Polonis *Kopyen*, et milites, qui iis vtuntur, *Kopiynick* vocantur. Has lanceas, sex pedes circiter longas, equites funiculi serici ope ei articulo, qui inter manum et lacertum est, firmiter alligare, et ita in equis secum gerere consueuerunt. Cum ad hostem appropinquant, lanceas suas maximo cum impetu in eum coniiciunt. Quibus cum peccauerint, funiculi illius serici adminiculo eas protinus retrahunt. Si quem vero tetigerint, vulnusque mortiferum ei inflixerint, confestim funiculum a manu soluunt, lancem in aduersarii corpore inhaerentem relinquunt, et periculum faciunt,

faciunt, an acutis suis latisque acinacibus, ex ipsorum ephippiis nunquam non dependentibus, caput eius amputare possint.

Et Hussari et Towarzyszi equis insidentes speciem admodum terribilem gerunt, dum vbique alis ciconiarum, gruum, meleagrium aliarumque auium vestiti sunt, et supra armaturam leopardorum, tygrium, vrsorum, leonum et aliorum animalium pelles gestare solent, quod nulla alia de causa faciunt, nisi vt hostibus vel ipso adspectu externo terrorem iniiciant. Interdum etiam pallia variorum colorum, eaque nonnunquam auro, argento et lapidibus pretiosis exornata, humeris induunt. Hussarorum non nisi quinque manipuli in Polonia sunt, quorum singuli trecentenis viris iisque a capite ad calcem loricatis, constant. Manipulus quiuis vnum tantummodo habet Legatum, quem *Poruczknik* vocant, et tubicinem, *Kurazy* ipsis dictum, qui singulari quodam tubarum genere, quod ipsorum lingua *Coronzy* dicitur, vti solet. Horum Hussarorum aliquem Rex Franciae ad se adduci iussit, eo consilio, vt idem militum genus in suum quoque Regnum induceret: verum impensarum ad hoc propositum exsequendum necessariorum magnitudo, praesertim vero affirmatio de exigua horum armorum in tormentis bellicis maioribus vtilitate eius animum ab hoc instituto auocarunt.

Equites, quos leues vocant, in eos, qui armatura instructi sunt, et in eos, qui armatura carent, distribuuntur. Qui prioris sunt generis, ii loricas gerunt, et a Polonis *Pancerznicy Koragwy*, a Lithuanis autem *Petihorsky Koragwy* appellantur, quamquam vtrique armis quodammodo inter se differant. Numero tam Hussaros, quam Towarzyszos hi longe vincunt. Cum Pancerznicy, tum Petihorsky manipulis aliquot constant, in certas autem legiones descripti non sunt. Hos milites omnes omnino sexies septiesue mille esse credo. Eorum arma sunt sagittae et acinaces, et, si libet, alas etiam et pennas gestare iis licet. Equites leues posterioris generis, seu armatura carentes, pallium crassum, quod suo sermone *Burcam* vocant, humeris induere solent, arma vero eorum acinace et arcu cum sagittis constant. Hi reliquos omnes milites numero superant, et agmen in exercitu frequentissimum conficiunt, quod Poloni *Woysko* vocant. Quot autem eorum esse debeant, in comitiis identidem decernitur. Caeterum neque hi, neque alii certo vestimentorum militarium genere, vt in terris plerisque vsitatum est, vti solent, quia omnes et singuli e nobilium Polonorum ordine sunt delecti. Hi, dummodo meliori disciplina continerentur, et stipendia ampliora, et quidem iustis temporum vicibus ipsis persoluerentur, copiarum equestrium, quotquot in toto terrarum orbe reperiantur, praestantissimi equites existimari possent.

Milites pedestres aut Poloni et Lithuani, aut extranei sunt, qui posteriores plerumque e Germanis et Hungaris colliguntur. Cosaci Zaporouienses in Polonorum exercitu vt voluntarii pro stipendio admodum exiguo quondam militabant. Horum Cosacorum triginta interdum millia lanceis acutis, acinacibus, longisque calamis armata aderant. Quorum quamuis vnusquisque secum haberet equum, nihilominus tamen pedibus nonnunquam pugnabant. Sua vtebantur disciplina, ducesque militares omnes ex suo ordine deligebant; imo supremum Imperatorem suum, nulla alia de causa, nisi quod in bello rem minus prospere gessisset, ab officio amouere audebant.

De horum Cosacorum moribus et institutis in priore harum narrationem libro iam quaedam dixi, quibus tamen vnum et alterum de iis, praesertim, quod ad rem militarem pertinet, breuissime adiungam.

Nomen Cosacorum Zaporouiensium a Russis sortiti sunt, quorum sermone *Porohi fines* denotat, quoniam nimirum in Regni Polonici finibus versantur. Princeps eorum est supremus ducum militarium, qui sceptri loco scipionem ex arundine factum, quod praefectorum militarium est insigne, gestare solet. Hic Dux non suffragiis, sed tumultuosa acclamatione, pileorumque obiectione creatur, saepissime autem eodem modo his honoribus rursus priuatur, si mobile et inconstans vulgus inuenerit, quod in eo reprehendat. Interea suprema in Cosacorum

vniuersorum vitam et necem ille fruitur potestate, donec officium sibi mandatum gerit. Eum proxime sequuntur quatuor consiliarii militares, qui ipsorum sermone Assauuli vocantur, et Legatus primarius. Hos denique diuersi Tribuni et alii duces inferiores excipiunt.

Si qua res maior in exercitu gerenda occurrat, supremus Dux totam multitudinem conuocat. Vbi ipse capite detecto cum consiliariis et Legato primario sub tegumento stans coram populo, perpetuo sedente, leuiter se inclinat, quo facto quae in hoc conuentu decerni vult, ea proponit. Tum quoque ipsi conuenit, vt incusationibus, in se congestis, respondeat, aut vnum et alterum, quod sibi commodo esse possit, a populo roget, quod semper singulari cum modestia et reuerentia facere solet. Quamdiu cum populo colloquitur, altum vbique est silentium: cumprimum autem loqui desiit, omnes fere simul terribili cum clamore et maxima confusione sententiam suam aperire incipiunt.

Castra eadem, qua Galli antiquiores olim facere consueuerunt, ratione muniunt, dum curribus continuis ea circumdant. Cum in mari vehuntur, naiuculas suas a tempestatibus ac procellis ita defendunt, vt arundine contexta eas circumcirca ambiant, sub qua sicuti fere in tabernaculo e frondibus constructo obtecti sedere possint. De his Cosacis Turcarum Imperator, Amurathes Magnus, dicere solitus est: *Omnes alios Europae Principes tam parum sollicitudinis sibi exhibere, vt eorum causa commode vtraque aure possit dormire*, (quae Turcica est loquendi formula) *has autem vespas sibi vix concedere, vt in alterutra aure somnum capiat.*

Quanta Cosacorum sit potentia, ex eo quodammodo colligi potest, quod olim, cum seditionem aduersus Polonos commouissent, ducenta virorum millia amplius in aciem produxerint, quanquam a Russis, qui pariter turbas excitassent, tunc temporis copiarum ipsis facta esset accessio. His vero temporibus intimam cum Polonis amicitiam colunt, quoniam neque Turcicum, neque Moscouiticum iugum aequo animo ferre possunt; siquidem superiori Regi, Iohanni Sobiescio, in bellis, aduersum Turcas ab eo gestis, operam locarunt haud contemnendam.

Vt autem ad copias Polonorum pedestres redeamus, eae, vti iam supra commemoratum est, partim inquilinis, partim extraneis constant. Quo modo inquilini colligantur, ex harum literarum initio iam satis notum est. Plerumque homines infimae et miserrimae conditionis eo deliguntur; qui propterea non tam res militares gerunt, quam ad operam manuariam exercendam adhibentur. Nobiles enim ad fossas faciendas, et rursus explendas, muros excitandos, cuniculos agendos, pontes exstruendos, vias sternendas reparandasque impedimenta ducenda atque comitanda, castra caeteris militibus absentibus custodienda, et vt verbo dicam ad labores quoscunque viliſſimos abiectiſſimosque sustinendos iis vtuntur.

His copiis alii pedites nationis Germanicae plerumque sunt admixti, qui posteriores in exercitu Polonico, non multo melius, quam illi priores tractantur. *Quod si oppugnationem loci alicuius meditamur*, inquit Starouolscius, *tum e Germania aut Hungaria mercenarios nobis pedites adducimus, qui sunt exercitatiores et peritiores nostris.* Hae copiae sermone Germanico reguntur, et aliarum terrarum more in certas legiones et manipulos distribuuntur, qui partim Polonicorum partim Germanicorum ducum imperio parent. Milites omnes et singuli rebus necessariis tam male instructi sunt, vt eorum multi neque gladios, neque calceos habeant, et cum in hibernis agunt, binos circiter cruciatos seu senos nummos ad victum quotidianum aegre accipiunt, nisi forte furando aliquid insuper sibi acquirant. Neque multo praestantior ducum est conditio, adeo, vt a militum nostrorum gregariorum sorte parum differat.

Quanquam copiarum Polonicarum pedibus merentium certus constitutus est numerus, qui inquilinis constans e singulis vrbibus pagisque conuocatur, et exercitui Regni Polonici annumeratur; quia tamen haec conuocatio generalis nimis lente procedit, Regnique prouinciis damnum potius, quam commodum eo affer-

affertur, Poloni vrgente necessitate identidem militibus extraneis, qui non modo disciplinae praestantia, verum etiam consiliorum periculosorum callide exsequendorum peritia suos excellerent, vti consueuerunt. Omnes hi pedites secures militares incuruatas eximiae longitudinis (Polonis *Bardysz* dictas) vti etiam interdum genus quoddam sclopetorum longorum gerunt. Cosaci et Heyducci si operam Polonis praestant militarem, posteriores quidem vestimentis vnicoloribus ornantur, priores autem panno quodam viliori vestiuntur, et quidem diuersi coloris, prout eorum singulis placet. Caeterum vtrique equos habent, quibus, quotiescunque necesse ipsis videtur, vtuntur.

Nobiles, vt fines ditionis suae vltra quinque milliaria transgrediantur, aut vltra sex hebdomadas in castris agant, cogi nequeunt; et si vel maxime communi et vnanimi ordinum consensu ad id faciendum impellantur (quanquam illud non nisi in casibus plane extraordinariis fieri solet) aut Rex aut Respublica impensas in se suscipere, et damnum acceptum illis restituere debet. Captiuos, quos nobiles assequuntur, Regi donant, pro quibus ex consuetudine praemium quoddam illis datur; si vero ipsi captiui in hostium potestatem deuenerint, ex aerario publico redimuntur. In extraneis expeditionibus militibus conductis Poloni vtuntur, nisi hostilis exercitus insoliti sit numeri: tunc enim nobilitas ipsa ex comitiorum decreto in militiam proficisci debet. Cum igitur quondam Imperator Turcarum sexcentis virorum millibus armatus Poloniam adoriri institueret, Rex Polonorum septuaginta virorum millibus, quos ab exteris nationibus collegerat, non contentus nobilitatem vniuersam Leopolin conuocauit, quae nobilitas si satis mature eo conuenisset, facile fuisset, incredulos, nisi radicitus exstirpare, saltem tamen ex Europa eiicere. Nobilium est, tam diu sub armis manere, quamdiu Rex aut Respublica eorum indiget. Hi nobiles omnes et singuli militiam equestrem colunt, non modo quia haec militia pedestrem honestate superare ipsis videtur, verum etiam, quia aduersario, antequam fines ipsorum deligerit, hoc modo eo celerius possunt occurrere. Finito bello, nobilitati non statim pro lubitu digredi licet, sed exspectandum illi est, donec a Palatinis abeundi venia ipsis data sit, quod ideo fieri solet, ne repentino et tumultuoso eorum discessu ciues et agricolae nimium infestentur.

De exercitu pedestri, qui ex Hungaris conductis constans sermone Polonico Wegerska Piechota dicitur, sciendum est, eum a Stephano Batorio in bellis aduersus Moscouitas gestis primum inductum esse, et ad eum sustentandum in singulis fere comitiis aliquid, quamuis illud raro aut potius nunquam sufficiens, destinari. Temporibus superioribus pedites conducti partim inquilinis, partim extraneis constabant.

Copiae auxiliares a militibus conductis in eo differunt, quod illae a principibus exteris in concilianda pace Polonis promissae, hi vero in prouinciis extraneis cum ipsarum venia pro mercede sint collecti.

Ita Russi Boleslao Criuousto certum numerum copiarum auxiliarium, itemque Tartari pro pecunia quadam soluenda Casimiro quarto aduersus Prussos conscripserunt. Temporibus insequentibus sub certi et annui tributi nomine hanc pecuniam promissam Tartari postularunt, quamuis reipublicae Polonicae operam militarem locare omnino desiisset. Quod importunum postulatum cum Rex Stephanus illis praecise negaret, grauis et periculosa seditio exorta est, cuius in illius Regis vita enarranda mentionem iam fecimus. Tandem sub Iohannis Casimiri imperio pax inter vtramque nationem conciliata est, in qua respublica Polonica Tartarorum principi certum stipendium, hic autem Polonis auxilium in omnibus rebus dubiis mutuum promisit. Sicuti autem posterius nullo modo seruatum est, ita etiam prius diutius praestare Poloni merito dubitauerunt. Plura harum copiarum auxiliarium exempla afferri possunt, neque adhuc foederati desunt, qui ad eas illis mittendas se obstrinxerint. Caeterum illi milites partim equis, partim pedibus merent, prout inter principes foederatos conuentum seu statutum est.

Incursiones Tartarorum creberrimae nouo militum Polonicorum generi instituendo ansam praebuerunt. Certum enim copiarum numerum in Regni finibus constitutum nationi illi rapaci semper opponi, Sigismundus Augustus necesse duxit, quibus copiis alendis quartam regiorum prouentuum partem destinauit. Quae quarta pars, quotiescunque necessitas exigeret, aucta est. Inspectio eius duobus Senatoribus, totidemque nobilibus, Thesaurario Regni Polonici supremo adiuncto, demandata erat. Starostae autem Rauensi quartae huius custodia competebat, cui quotannis ratio literis consignata reddenda erat, quomodo in expensis se gessisset, et in quem vsum ea conuertisset. Quoniam igitur quarta regiorum vectigalium pars his copiis sustentandis erat constituta, *Quartiani* milites sunt vocati. Vt pari modo fines Lithuaniae a Moscouitarum incursionibus defenderentur, in comitiis Vilnae celebratis consilium quondam est propositum; quod autem, cum plurimi improbarent, irritum fuit. Caeterum haec manus non nisi peditibus constans semper in castellorum vrbiumque praesidiis collocatur.

Praeter ea, quae hactenus recensuimus, militum genera aliud insuper in Polonia reperitur. Nobilium scilicet locupletissimorum nonnulli priuatis sumtibus copias aliquot equestres in Regni salutem comparare et sustentare identidem consueuerunt. Ita Sigismundo tertio regnante, aliquis, cui nomen erat Zamoscio, non pluribus, quam tribus virorum millibus instructus, Carambeium, Tartarorum ducem vicit, vt Carambeius ille, quanquam septuaginta virorum millibus armatus Poloniam adoriretur, mox tamen aliquot millibus Tartarorum suorum amissis domum redire cogeretur. Sub eiusdem Regis imperio Zolkieuius non nisi tribus equitum millibus octoginta Moscouitarum millia inopinate oppressit, perfectamque de iis reportauit victoriam, tribus legionibus Germanicis, qui sub iis meruerant, secum abductis. Quid? quod haud ita multo ante Andreas Zrzebiccius, qui tum erat Episcopus Cracouiensis et Dux Seueriae, postea vero Primas Regni, manum insignem suis impensis contra Turcas misit, quae etiam Iohanne Sobiescio duce, Imperatoris supremi officio, tum temporis fungente, egregie se gessit. Exempla alia complura iam praetereo.

Horum militum plerique e nobilitate deliguntur, quae etiam causa est, cur tam exiguus eorum numerus multo maiores aduersariorum copias saepissime prosternat. Voluntarii autem dicuntur, quoniam non ex officio, sed libera nobilium voluntate, conuocantur, cum alibi locorum non nisi sua sponte et sine stipendio militantibus hoc nomen tribuatur.

Quamuis autem Polonici milites hactenus enumerati tam conspicuae sint multitudinis, et ad bellum ex sua indole aptissimi, viribus tamen admodum debiles et infirmi sunt, partim quia disciplina necessaria destituuntur, partim quia neque Respublica, neque duces ea, qua debent, diligentia res militares curant. Primo enim Rempublicam ipsam si spectes, ea nimia hominum frequentia constat, quorum sententiae admodum diuersae sibique contrariae sunt. Vnde fit, vt omnia nimis lente et confuse gerantur. Deinde antequam Senatores et Legati prouinciales in vnam sententiam cogi possint, tot contentiones et rixae intercedunt, (quae vrgente necessitate ex parte vix omittuntur) vt hostis potens, antequam Polonorum exercitus ei resistere valeat, totum Regnum inundare possit. Cuius exemplum illustrissimum illud est, quod Imperator Moscouitarum Polociam et Smolenscum Regi Sigismundo Augusto eripuerit: cum enim ordines in comitiis tum congregati sententiis inter se dissentirent, nullo modo postea fieri potuit, vt ab hostibus acceptum repararent detrimentum. Idem Moscouitarum Imperator, nullis resistentibus, incursionem in Liuoniam fecit, id quod pariter intestinis discordiis, et qua Poloni in arcendo hoste vtebantur tarditati adscribendum erat; siquidem nunquam non tam longum, vt vix credas, tempus praeterfluit, antequam armis satis instructi paratique sint, et cum in comitiis splendidissime se gerere consueuerint, permolestum illis est, si vitae adhuc actae commoditatem belli incommodis mutare debent.

Bote-

Boterus in descriptione Regni Polonici, ab exercitu, ad terram aliquam defendendam constituto, quatuor requiri, inter alia dicit; *primo*, vt in ea ipsa, quam tueri debet, terra natus sit: nam cum exterorum minus, quam inquilinorum, interest, vt Respublica salua et incolumis conseruetur, illis etiam minus tuto confidi potest; *deinde*, vt haud exiguus eius numerus comparetur: alias enim clades, quae illi facile inferatur, satis mature compensari nequit; *tum*, vt animosus sit: magna enim multitudo, cui animus deest, victoriam potius impedire, quam maturare solet; denique, vt expeditus et alacer sit, quo opportuno tempore congregatus hostibus citato cursu obuiam ire possit. Tria priora quod attinet, illis exercitus Polonicus quodammodo gloriari potest; virtus autem postrema prorsus fere illis deest, praesertim antequam in aciem prodeant. Cuius virtutis defectus partim ab angusta Regum potentia, cuius idonea argumenta Polonici annales suppeditant, partim a pecuniae inopia, quae pecunia tamen neruus belli a Latinis iure dicitur, proficiscitur. Quod posterius inter alia ex eo patet, quod milites mercenarii per totum semestre non nisi semel, imo interdum ne semel quidem stipendia accipiant, sed aut direptionibus, aut radicibus aliisque siluarum prouentibus, si quos repererint, misere victitare necesse habent; quid? quod eos necessitate coactos saepissime carne equina pastos esse Hauteuillius dicit. Ita ducibus quotannis, imo interdum binis tantum quibusque annis, non nisi semel stipendia soluuntur.

Haec autem solutio ita instituitur. In comitiis commissarii aliquot ad id negotium deliguntur, qui in locum quendam a palatio regio satis longe remotum se conferunt, ne Rex, cuius nomine tamen omnia fieri solent, se illis immisceat. Ibi igitur cuiuis duci militari statutam pecuniae portionem praebent, de qua tamen plerumque aliquid detrahant, quod praecipue extraneis accidit. Quibus tamen stipendiis duces commodius, quam miseri isti milites possunt viuere; quamuis enim manipulos incompletos aliis militibus collectis vt suppleant, cogi non possint; interim tamen eandem, ac si illud fecissent, pecuniam accipiunt.

Cum igitur copiis stipendia debita tam negligenter soluantur, imo eae interdum illis plane defraudentur, milites saepe conspiratione facta seditionem excitant, quod hoc modo fieri solet. Duces, cum in aula regia et comitiorum conuentu vt stipendia sibi soluantur, diutius frustra rogauerunt, congregati tumultum commouere solent, quem ipsorum lingua *Rokosz*, id est, *Imperatorum desertionem*, vocant. Hunc igitur in modum congregati aliquem ex suo ordine Marschalcum et alium Legatum, quem etiam Substitutum suum appellare solent, sibi deligunt. Quorum vterque protinus iurare debent, se omnibus, quantum possint, viribus laboraturos esse, vt stipendiorum solutionem a Republica impetrent. Quo facto Marschalcus, qui dicitur, Imperatoris munus suscipit; quod quantas turbas et incommoda pariat, vnusquisque facile intelligat. Cum enim exercitus hostibus obuiam prodire, aut imperii fines tueri debeat, suam ipsius terram exspoliari et vbique deuastare incipit.

Cuiusmodi exemplum sub Iohannis Casimiri imperio accidit, cum aliquis, cui nomen erat Suiderscio, Marschalcus, et alius, Borzeccius nomine, Legatus seu Substitutus crearentur. Quanquam huic conspirationi, quam Rex facili negotio rursus dissoluit, non tam neglecta stipendiorum solutio, quam male animatorum quorundam, qui his turbis consilia sua se facillime expedire posse sperarent, prauitas locum videtur dedisse.

Sunt alia, quae in exercitu Polonico turbas et seditiones moueant, in populo autem iustas querelas excitent. Inprimis ducibus militaribus est adscribendum, quod supremus exercituum Imperator dignitatem suam tueatur incolumem. Saepissime enim nobili cuidam diuiti, rerum militarium modice perito, aut prorsus ignaro, munus illud grauissimum Rex tradere cogitur. Cui muneri nobilis ille quamuis ita praesit, vt maxima inde incommoda sint timenda, Rex tamen munus illi semel delatum reuocare nequit, vnde nec mirum, si sub duce tam im-

perito saepius se turpissime dent Polonorum exercitus. Quod si autem amplissimi illi honores iis tantum deferrentur et relinquerentur, qui illis bene administrandis essent idonei, quantas res ab equestribus Polonorum copiis effici posse putes? Vtique numerosissimus peditum exercitus, in quo hostium vis maxima cernitur, facillime ab illis superari posset. Tum exercitui Polonico non parum obest, quod inferiores ipsius duces tam male et negligenter se gerant. Vt enim vno exemplo afferendo sim contentus, hi duces (praesertim nobili stirpe nati) in eo loco, vbi lustratio generalis instituitur, non nisi quaternis senisue post tempus definitum hebdomadibus praeterlapsis, plerumque conuenire solent; cuius consuetudinis mutationem meditari neque Regi, neque supremo exercituum Imperatori licet, ne forte illi homines, quorum opera admodum necessaria iis est, offendantur. Deinde haec consuetudo apud nobiles inualuit, vt integrum saepius mensem ante expeditionem finitam exercitum dimittant, neque huic incommodo sine periculo occurri potest. Quod autem duces tam tarde in eo, quo conuocentur, loco appareant, magna ex parte inde proficiscitur, quod iussa satis perspicua non obtineant. Cum enim in hunc vel illum Regni locum proficisci per literas iubentur, neque tempus, quo illuc peruenire, neque loca, per quae iter ipsis faciendum sit, definitum est.

Hoc modo igitur ad negotia priuata curanda, quamdiu ipsis placeat, in vno eodemque loco commorari, aut pro lubitu Regnum peragrare possunt; vnde fit, vt non modo loca, quae percurrant, admodum vexentur, verum etiam consilia saluberrima propter eorum absentiam successu careant. Id quoque rei militari Polonorum vel maxime nocet, quod duces praeter necessitatem in armis et reliquo apparatu, quo vtantur, tam ingentem pecuniam consumant. Sic enim primum breui tempore eorum res eo redit, vt, nisi stipendia iusto tempore ipsis soluantur, rerum vel maxime necessariarum penuria laborent, quarum iacturam in militibus gregariis, qui in extremam eo delabuntur miseriam, defraudandis compensare studeant. Deinde cum immodicis illis expensis omnes opes suas decoxerunt, calamitatis suae culpam in Regem aut Rempublicam transferunt, id quod in comitiis proxime insequentibus grauissimis discordiis ansam praebet. Si Polonis noui milites comparandi sunt, duces non modo pro acceptis pecuniis locis quibusdam ex arbitrio parcunt, sed ne militibus quidem (sicuti iam supra narraui) destinata persoluunt stipendia; vt miseri illi obuia quaeque corripere, et suas ipsorum prouincias exspoliare, quasi cogantur, neque duces, qui ipsis egregio (scilicet) illis praeiuerunt exemplo, id impedire valent.

Nonnulli viri prudentes et reipublicae bene gerendae periti in comitiis suaserunt, vt milites vniuersi in iisdem semper castris continerentur; ita enim fore affirmabant, vt ipsi se disciplinae facilius submittant, vt diripiendo et furando minorem Regni prouinciis inferant cladem; vt hostibus inopinatam incursionem facientibus statim promti paratique ad resistendum adsint; vt populus tributa concessa eo citius conferat, et ita stipendia exercitui eo facilius solui possint. Quod consilium quamuis plurimi approbarent, alii tamen a contraria stantes sententia hoc inprimis vrgebant, quod, si id fieret, exercitus aut vni aut pluribus esset committendus. Quod si prius obtineret, Imperatoris potentiam ita auctum iri dicebant, vt res nouas et reipublicae periculosas facillime moliri possit; sin vero posterius praeferretur, aemulationem in Imperatoribus orituram esse existimabant, quae reipublicae necessario damnum afferat. Qua de re postquam diu in vtramque partem erat disceptatum, posterior tamen sententia tandem vicit, vt eae, quae olim vigerent, turbae in hanc vsque diem in exercitu manerent.

Nihilominus tamen milites Polonici, inprimis autem copiae equestres, cum ad proelium ventum est, insignem et prorsus admirabilem virtutem ediderunt. Cuius pauca tantum aliquot exempla e Starouolscio petita huc afferam. Sub Sigismundi primi imperio supremus exercituum Imperator Lesniouius non nisi mille et quingentis hastatis armatus Moscouitarum exercitum quadraginta virorum millibus

millibus constantem in fugam vertit, nouem eorum millibus occisis. Alius Imperator, cui nomen erat Boratinio, duobus equitum millibus instructus tredecim Moscouitarum millia vicit, e quibus septem millia interfecit, et omnia eorum tormenta bellica secum asportauit. Sub eodem Rege Camenecius non pluribus, quam sex millibus equitum viginti quinque Tartarorum millia amplius reiecit, et circa idem tempus alius, nomine Tarnouius, tam prospero armorum successu valuit, vt quatuor virorum millibus viginti duo Turcarum Valachorumque millia profligaret, et quinquaginta duo tormenta bellica auferret. Sigismundo secundo imperante, Dux Radziuilus septem virorum millibus triginta Moscouitarum millia magna clade affecta cedere coëgit, arcemque Vlam iis eripuit; et princeps Sapieha castellum Vendam a viginti quatuor Moscouitarum et Liuonum millibus oppugnatam quinque virorum millibus non modo defendit, verum etiam oppugnatores ab ea repulit. Sub Stephano Rege Imperator exercituum Zborouius vix duobus equitum millibus instructus vniuersum Dantiscanorum rebellium exercitum ex diuersis nationibus collectum feliciter fudit, eorumque octo millia amplius in acie prostrauit. Sub Sigismundi tertii imperio Imperator Zamoscius sex circiter equitum millibus Archiducem Maximilianum, duodeuiginti propemodum virorum millibus armatum, vicit. Idem non nisi tribus millibus exercitum septuaginta Tartarorum incursionem in Poloniam facere ausorum millibus constantem reiecit. Eodem fere tempore Chodkieuicius tribus tantum virorum millibus instructus in Liuonia insignem de Suecis reportauit victoriam, nouem eorum millibus caesis, et quatuor millibus in captiuitatem abductis. Plura de Polonorum virtute exempla idem Starouolscius narrat. Iis autem cum iam commemoratis num omnes fidem sint adhibituri, nescio. Saltem veritatis in aliis rebus neglectae hic scriptor insimulari non solet.

Quicquid interim sit, re diligentius perpensa, exoptatum Polonicorum armorum successum fortunae potius singulari, quam prudentibus copiarum consiliis adscribendum esse intelliges. Duae enim virtutes praecipuae et ad bellum prospere gerendum vel maxime necessariae, ars consiliorum suorum occultandorum, et arcanorum ab hostibus decretorum callide perscrutandorum, nunquam non Polonis defuerunt. Prius quod attinet, res apud Polonos eo peruenit, vt dux quiuis militaris vel infimae conditionis ea, quae supremus Imperator gerere instituerit, haud secus fere atque ille ipse cognita habeat et perspecta. Posterius autem si species, exploratores nunquam emittunt, et proinde hostium quae sit conditio, et eorum consilia quo tendant, tam parum notum illis est, vt non prius aliquid experiantur, quam hostilis manipulus illis occurrat, quorum captiui, si quos ceperint, contumaces quidem, quae sit vera sui exercitus ratio, dicere per vim coguntur.

Quo modo exercitui Polonico stipendia soluantur, a me iam supra commemoratum est; nunc vnde pecunia in hunc vsum conuertenda sumatur, superest, vt paucis dicamus. Illa igitur partim a vectigali quodam generali, singulorum capitibus impositio, vti etiam a voluntariis Clericorum muneribus, (certum enim aliquid illis a Republica imperari nequit) partim a tributis perpetuis, Iudaeis, Tartaris, praediis, mercibus negotiatorum, opificibus et aliis impositis colligitur, vbi notandum est, omnes literarum artiumque liberalium studiosos ab annuis et consuetis tributis esse immunes. Pecuniis ad militum stipendia destinari solitis annumeranda etiam est pars quarta regiorum prouentuum, qua milites in Regni finibus collocati sustentantur. Quorum tributorum censuumque collectio quomodo sit instituenda, plerumque penes Regem est; interdum tamen etiam ordines in comitiis congregati hanc sibi sumunt potestatem, qui simul, coactae pecuniae in quem vsum sint conuersae, inquirere solent. Quo loco notandum est, quaestoris munus non diutius, quam vectigal, durare, ad quod colligendum sit constitutus.

Nunc de Polonici exercitus commeatu cum dicendum nobis sit, ante omnia Te scire velim, lixas duabus quidem de causis in eo non inueniri. Qua-

rum prior ea est, quod multos quidem, qui emerent, neminem vero, qui solueret, illi essent reperturi; altera, quod, quamuis periculum facere vellent, num pro mercibus suis pecuniam quandam auferre possent, verendum tamen illis esset, ne, antequam in castra peruenirent, omnibus rebus exspoliarentur, praesertim in Lithuania, cuius incolae Polonos rapacitate superant. Pari modo neque loca, in quibus militum frumenta condantur, vt in aliis terris fieri solet, in hoc Regno reperiuntur; vnde fit, vt duces inprimis haud exigua cum molestia multa impedimenta et alias res necessarias vbique secum ducere cogantur; vbi breui notandum est, eorum tentoria quamquam admodum subtilia, satis tamen ponderosa esse, vt ea ex vno loco in alium transferre res magni laboris sit. Sic etiam neque Rex, neque Respublica Polonica publica quaedam habet armamentaria. Quanquam enim Vladislaus Iagello aedificia quaedam exstruxit, in quibus tormenta bellica maiora reseruarentur, illud tamen admodum exiguo his temporibus est vsui, et reliqua tormenta, quorum multo maior est numerus vsusque praestantior, aut in aedibus nobilium aut in magnis vrbibus asseruantur. Quoties igitur Rex eorum indiget, toties aut pro lubitu, aut concessione a Reipublicae ordinibus impetrata ea inde arcessi iubet.

Cum neque metalla Polonis desint, tormenta noua, eaque non pauca, cum vetustorum vsus desierit, conflantur, et quidem plerumque a Germanicis tormentorum bellicorum fusoribus, dum Poloni ipsi huius artis parum sint periti. Armorum, quibus Poloni vtuntur, iam supra facta est mentio. Illud modo non incommode hoc loco interponi possit, quod Hartknochius ex antiquis Polonorum scriptoribus affert, Polonos armis valde grauibus quondam instructos fuisse, adeo, vt in expeditione a Rege Boleslao secundo contra Prussos suscepta, cum exercitui flumen Ossa esset transeundum, permulti milites nulla alia de causa, nisi armorum pondere aquis suffocati perirent.

Castella in Polonia sunt plurima; siquidem quaeuis fere vrbs et quiuis vicus alicuius momenti illis instructus est. Haec tamen castella his temporibus perexiguum seu potius nullum omnino afferunt vsum, paucis quibusdam exceptis, quae adhuc conditione florent prosperrima; reliqua enim nobiles, iis praefecti, prorsus corruere sinunt. Primis Poloniae castellis exstruendis crebrae vicinorum populorum incursiones ansam praebuere; *cum autem*, de se et popularibus suis Starouolscius inquit, *non simus cupidi aliena inuadendi, nostra facile vel pectoribus nostris tueri possumus; quamuis, si aliter animati essemus, castella tam splendida, vt vlla alia in Europa esse possint, excitare valeremus; illud autem cum vera virtute et animo forti neutiquam constare posse arbitramur.*

Inficias quidem ire non possumus, eas prouincias, quibus loca munita desint, inopinatis et repentinis hostium incursionibus factis miserum in modum affligi, vti Polonia, malum! saepius experta est; veruntamen haec miseria non est perpetua. Cum primum enim nobilitas congregari potest, hostes recedere oportet; id quod variis exemplis, quae nostra memoria contigerint, copiose demonstrari posset. Neque Polonis causae desunt grauissimae, quibus commoti suas prouincias castellis non muniant. Harum causarum sunt praecipuae, vt hoc consilio milites suos ad eo maiorem virtutem incitarent, hostium autem vim debilitarent, omni facultate loci tuti in ipsorum Regno inueniendi illis ademta. Et profecto cum respublicas creberrimis arcibus communitas intuemur, ab vno proelio infeliciter gesto extremam propemodum perniciem illis esse contractam intelligemus; quoniam hostes, cum munitorum locorum semel sunt potiti, ex iis rursus expelli quam difficillime possunt. Poloni vero omnem belli fortunam proeliis apertis discernendam committunt, et cum neque ipsi, neque aduersarii in locis bene munitis delitescere possunt, non prius a pugnando desistunt, quam eos Regno eiecerint. Sed praeterea quoque milites in praesidiis collocatos mollitie diffluere et quasi effoeminari Poloni autumant. Cuius confirmandi causa viros aliquot, quorum virtus bellica inprimis inclaruit, ex antiquitate repetunt, et in his nomi-

nominatim Alexandrum Magnum, qui Persepoli, et Hannibalem illum longe celeberrimum, qui Capuae diutius desidendo animum fortem et virilem exuerunt, vti etiam suum ipsorum Regem, Boleslaum, qui, cum Kiouiae diutius commoraretur, voluptatibus indulgere coepit.

Nunc Tibi, Vir Excellentissime, de primariis Officialibus militaribus, exercitui Polonico praefectis quaedam narrabo. In his primo loco duo Imperatores supremi sunt notandi, vnus Regni Poloniae, alter Magni Ducatus Lithuaniae, quorum iam supra mentio facta est. Imperator Regni Poloniae supremus sermone Polonico *Hetman Wielki Koronni*, et Imperator Magni Ducatus Lithuaniae supremus *Hetman Wielki Lithewski* appellatur. Hi Imperatores, quamdiu in castris agunt, eandem fere cum Rege habent potestatem, et quidem vterque seperatim in eum, cui praeest, exercitum; vterque enim sui iuris est, et ex alterius arbitrio haudquaquam pendet. Propter munus imperatorium neuter locum in Senatu obtinet; plerumque tamen, qui iam Senatores sunt, vt eo maior sit ipsorum auctoritas, ad hanc dignitatem extolluntur. Interdum Imperatores decem supremorum Regni Polonici Officialium numero interfuerunt, et cum summo in exercitum imperio officio supremi Marschalci, supremi Cancellarii et sic porro, simul functi sunt; siquidem Iohannes Zamoscius Marschalcus supremus et Imperator exercituum supremus simul erat. Postea vero haec consuetudo exoleuit, vt his temporibus munus Imperatoris exercituum supremi, vti etiam inferioris aut Palatino aut Castellano plerumque tradatur. Quamuis enim Palatini et Castellani decem supremis Regni Officialibus dignitate quodammodo sint superiores, dum illi in comitiorum conuentu sedeant, hi autem iuxta Regem stare debeant; nihilominus tamen hi posteriores potestate, quam in republica teneant, illos priores non parum excellere existimantur. Olim Imperatores illi per totam vitam amplissimos illos honores gesserunt; nunc autem ex statuto quodam, quod anno millesimo sexcentesimo sexagesimo sexto sancitum sit, ternis quibusque annis eorum transmutatio fieri dicitur.

Horum Imperatorum supremorum vterque Legatum suum seu Imperatorem inferiorem habet. Quibus in rebus eius functiones contineantur, iam supra in literis ad Virum Excellentissimum Ducem Nortfolciensem, perscriptis commemoratum est, quapropter eas hic repetere necessarium non videtur. Imperator Regni Poloniae inferior *Hetman Polny Koronni*, et Imperator Magni Ducatus Lithuaniae *Hetman Polny Lithewski* appellatur. Imperatoribus supremis absentibus hi non minorem fere, quam illi, habent auctoritatem, quid? quod olim vel illis praesentibus eadem vsi sunt potestate, quod autem postea immutatum est. Caeterum hi quoque haud secus, atque Imperatores supremi e Senatorum numero deligi solent.

Praeter hos alii sunt Imperatores, qui militibus ad fines Regni tuendos constitutis praesunt. Hi a nemine, nisi a Rege et a comitiorum conuentu pendent. Tum Dux Cosacorum, cuius potestas in constitutione anno millesimo sexcentesimo sexagesimo primo sancita praecipue nititur. Proximus ab eo locus assignari potest ei duci, qui in castris supremum in satellites regios exercet imperium, cuius officium in ea, quam supra laudauimus, epistola iam descriptum est. Supremos illos Officiales rei militari praepositos proxime sequuntur duo supremi armorum Praefecti, alter Regni Poloniae, alter Magni Ducatus Lithuaniae. Quorum functio in eo cernitur, vt exercitui tormenta bellica, et arma, caetera prospiciant. Hos excipiunt reliqui duces, et nominatim is, qui *Pissarz* copiarum dicitur, Vexillifer supremus, Marschalcus militaris, Dux satellitum seu excubiarum, et tandem ii, qui Duces maiores vocantur, et iidem fere sunt, ac nostri *Brigadiers*.

Tum sequuntur Tribuni, Centuriones et alii. Inprimis autem notandi sunt Notarii militares et Roto-Magistri. Illorum est, vt tribus quibusque mensibus milites, qui exercitui intersint, literis diligentissime consignent, et earum

exemplum vnum Thesaurario supremo, et alterum Marschalco Legatorum prouincialium mittant. In Lithuania vero singulis quibusque mensibus id fieri solet, et militum in literas relatorum exemplum Legatorum prouincialium Marschalco missum supremo exercituum Imperatori traditur. Roto-Magistri sunt centuriones seu praefecti copiarum in Regni finibus dispositarum, quo munere nemini, qui in Senatorum est numero, fungi licet.

De iure belli tandem notandum est, belli sine communi ordinum consensu indicendi potestatem Regi per se non conuenire; id quod tamen, repentina quadam a vicinis incursione facta, quondam fieri poterat, dummodo ii Senatores, qui tum penes Regem versarentur, id approbarent. Sub Sigismundo tertio in comitiis non modo maioribus, verum etiam minoribus consiliarii certi, iique non pauci constituti sunt, quorum arbitrium in bellis indicendis gerendisque ipse sequeretur. Hi consiliarii militares in hunc vsque diem permansere; neque tamen, quae ab iis decernuntur, ea omnia, nisi comitiorum generalium consensus accesserit, protinus rata habentur. Bella vero, quae offensiua appellantur, indicere, non ad hos consiliarios, sed ad comitiorum conuentum solum pertinet. Ita etiam sine eiusdem conuentus approbatione Rex neque exteris principibus opem ferre, neque eorum auxilio vti, neque extraneo cuidam castelli arcisue vllius imperium committere potest. Multis aliis legibus ad disciplinam militarem pertinentibus Poloni vtuntur, quas hic inserere nimis longum foret. Id modo adiiciam, quod perfugae non modo famam amittant, verum etiam omnes eorum opes confiscatas in exercitus vsum conuertantur; et quod nullae foeminae in exercitu tolerentur, quanquam hominum aliorum dissolutorum ex infima plebis colluuie collectorum tanta turba, castra sequi soleat, vt, vbi decem militum millia sint, ibi quinquaginta saltem abiectae illius turbae millia reperiantur.

Haec sunt, quae Tibi, Vir Excellentissime, de rebus Polonorum militaribus scribere volui, quae quamuis admodum tenuia, Tuaque persona parum digna, bonam in partem accipias, etiam atque etiam rogo atque obsecro. Caeterum permaneo Tuus

Vir Excellentissime

seruus obedientissimus

I. S.

EPISTOLA SEPTIMA

AD

VIRVM EXCELLENTISSIMVM,

DOMINVM DE CLEVERSKERK,

LEGATVM REGIS MAGNAE BRITANNIAE, WILHELMI TERTII,
ORDINARIVM AD REIPVBLICAE BATAVORVM GVBERNATORES.

DE

POLONORVM MERCATVRA, MONETIS ATQVE DIVITIIS, VTI ETIAM DE DANTISCO, VRBE ILLA LONGE CELEBERRIMA, EIVSQVE MORIBVS, IMMVNITATIBVS, VIRIBVS ET REDITIBVS.

Mercaturae negotium, Vir Excellentissime, in Polonia minus frequens est: nobiles enim sine nobilitatis dispendio eam exercere non possunt, plebeii autem plerumque opibus tam parum valent, vt singulari cum successu ei operam dare nequeant; quicquid igitur mercaturae in Polonia exercetur, id maxima ex parte

parte a peregrinis mercatoribus fieri solet. Praeterea Poloni, qui opibus quodammodo sunt praediti nimias in vestitus splendorem aliasque minus necessarias res impendunt pecunias, quo fit, vt commercium necessario labefactetur, imo potius plane corruat. Neque Polonici Regni situs ad mercaturam faciendam est amplissimus; portum enim, qui alicuius vtilitatis sit, et commerciis cum extraneis nationibus ampliandis inseruiat, si Dantiscanum exceperis, nullum habet. Vnde sequitur, vt eae res, quae inde exportentur, quamuis non paucae sint, et omnes fere et singulae facillime distrahantur, quam vilissimum tamen, cum incredibilis mercium exterarum, earumque pretiosissimarum copia vicissim importetur, conficiant pretium, adeo vt omnia, quae euehantur, vix tanti constent, quam quod pannorum laneorum et sericorum, tapetum, gemmarum, fructuum, aromatum, salsorum piscium, vinorum, stanni, chalybis aliarumque rerum ex Anglia, Batauia, Portugallia, Hispania et aliis terris illuc inuehatur.

Quae autem e Polonia exportentur, quaeque illuc importentur, ea omnia Starouolscius ex ordine recenset, qui praeter eas res, quarum mentionem iam fecimus, pretiosas etiam pelles, aurum et argentum, cum factum, tum infectum, cum variis eduliis atque cupediis ex aliis terris in Poloniam inferri dicit. Quae autem e Polonia in alias terras distrahantur, ea, scriptore eodem narrante, adore, hordeo, auena, farre, milio, aliisque frumentorum et leguminum generibus constant; deinde etiam lana, cannabis, linum, lupulus, tum herba quaedam, tinctorae inseruiens, coria, sebum, alutae, variae pelles, partim animalibus in ipsa Polonia nascentibus detractae, partim e Moscouia allatae, in Polonia vero vsui adaptatae, mel, cera, succinum, pix, cinis, mali, asseres, et materiae diuersae, cum nauibus, tum aedificiis exstruendis idoneae, vti etiam sal, cereuisia, opium, vitriolum, nitrum, lazurum, minium, aes, plumpum, ferrum, cuprum, carbones e terra effossi, vasa vitrea et fictilia inde exportantur. Ita etiam Polonia equos, ob insignem velocitatem, alacritatem et incessus leuitatem maximi aestimatos, vti etiam ingentem boum, ouium, porcorum, aliorum, quibus hoc Regnum vel maxime abundat, animalium copiam finitimis terris prospicit.

Quamuis autem tot et tam varia mercium genera e Polonia exportentur, pecunia tamen admodum parua illuc redit, cum extranei pro mercibus, quas venales eo deferant, nimiam eius copiam inde asportent. Exiguam illam, quam mercatores pro mercibus suis Dantisci accipiunt pecuniam, plerumque Hungaris et aliis populis pro vinis reddunt. Nihilominus tamen praeter ea, quae a Polonis ipsis cuduntur, numismata extraneae quaedam in Polonia monetae reperiuntur.

Moneta in Regno vsitatissima aut omnino cuprea est, aut cupro et argento mixta; quamuis enim prorsus argentea et aurea quaedam numismata ipsi cudere soleant, duo tamen priora genera maxime obtinent, quae nummis tam minutis constat, vt in summa quadam pecuniae persoluenda aut accipienda plurimum temporis et operae consumatur. Ad prius genus pertinent etiam Solidi, quos vocant, e cupro cusi et argento obducti, quorum tres grossum Polonicum conficiunt, (Dantiscani enim grossi maioris sunt pretii) et horum grossorum quinque grossum Misnicum seu quatuor Cruciatos valore aequant.

Huius monetae vilitas ad inopiam, qua Regnum Poloniae premitur, non parum confert. Eam tamen Poloni, cum pecunia ad stipendia exercitui soluenda ipsis deesset, qui exercitus iam conspiratione facta seditionem, quam sermone Polonico *Rokosz* appellari literis proxime superioribus dixi, commouisset, introducere quodammodo sunt coacti; quod quidem sic satis longo tempore ante factum est, dum Casimiri tertii duces militares hanc monetam cudisse dicuntur, de quo postea in comitiis anno millesimo quadringentesimo vndesexagesimo sub Casimiri Magni imperio Petricouiae celebratis ordines grauiter sint conquesti. Temporibus sequentibus ius monetae cudendae penes Regem videtur fuisse, donec tandem anno millesimo sexcentesimo trigesimo secundo Sigismundus tertius Reipublicae illud concederet.

Polonicos Solidos et Grossos proxime sequuntur sic dicti *Choustaci*, qui sunt nummuli argentei, et quidem non optimae massae, duos Misnicos Grossos seu octo Cruciatos pretio aequantes. Horum tres *Tinfonem* conficiunt, quae itidem moneta argentea est vilioris materiae, anno millesimo sexcentesimo sexagesimo tertio ad exercitum seditiosum pacandum primum cusa. Eius valor ad sex circiter Grossos Misnicos seu viginti quatuor aut quinque Cruciatos excurrere existimatur. Hae monetae autem neque Dantisci, neque in aliis Prussiae locis eiusdem sunt pretii, vti infra pluribus demonstrabitur. Sed monetae Polonorum argenteae praestantioris notae sunt *Attini*, quorum vnus nouem circiter Cruciatos conficit, et deinde trigrossi et segrossi; horum tamen trium numismatum his temporibus aegre in Polonia aliquid conspicias. Nummos quosdam aureos Casimirus Magnus primus cudit, quamuis et hi, et ii, qui ab eius successoribus conflarentur, iam parum sint vsitati, tum plerumque nummi extranei, iique tam aurei, quam argentei, in Regno Polonico obtineant. Aurei Ducatis constant, quorum singuli duobus Coronatis Francicis seu duobus Imperialibus Germanicis valent. Argentei plerumque in Germania cusi sunt.

Quanquam ex iis, quae iam diximus, Polonorum facultates atque diuitias non ampliſſimas esse apparet, eos tamen sine exterorum populorum auxilio iis, quae ipsi possederint se et Regnum suum commode sustentare nunquam non potuisse Starouolscius contendit. Idem tamen scriptor de suis popularibus dicit, non mirandum esse, si illi grandes thesauros non colligant, cum res optimas et maxime necessarias e terra sua dimittant, et a peregrinis non nisi superuacaneas et minime necessarias pro iis accipiant, quarum non alia sit vtilitas, nisi vt pestiferam luxuriam et innumera vitia pariant. Aliam causam, cur diuitiarum pristinarum plurimum Poloni necessario amiserint, eam affert Hauteuillius, quod creberrimis Moscouitarum, Turcarum, Cosacorum et Tartarorum incursionibus identidem factis, et innumeris hominibus in captiuitatem abductis, illorum prouinciae sint deuastatae, vti etiam, quod Regnum Polonicum tot bellis cruentis et contagionibus late serpentibus misere infestatum sit.

Hoc loco, posteaquam de Polonorum mercatura in vniuersum dixi, non inutile videtur, Tibi, Vir Excellentissime, momenta quaedam peculiaria, huc pertinentia, exponere. Et primo quidem de sale quaedam adiiciam, quae in priore harum descriptionum historicarum parte nondum commemorata sunt.

Meatus in salisfodinis ita sunt structi, vt vtrinque columnae crassae salis excisi stent erectae, quae impediant, quo minus terra deorsum corruat. Hae columnae igitur periucundum praebent spectaculum; cum enim luminis radii in eas incidunt, eae haud secus fulgent, ac si ex elegantissima crystallo essent elaboratae. Ex his fodinis maximae salis massae erutae aceruatim ad introitum earum circumcirca ponuntur, et in omnes Regni prouincias distrahuntur, Prussia sola excepta, cuius incolae non nisi Francico sale vtuntur. Hic sal eodem modo, atque frumentum, molis comminuitur. Harum salisfodinarum nonnullae in Polonorum nobilium sunt potestate, vti etiam metalla, in ipsorum ditione sita. Ex imperii statutis nullae in Polonia sunt fodinae metallicae, quae ad Regem pertineant, praeter eas, in quibus sal candidus reperitur, quae peculiari quodam iure ei sunt subiectae.

Cum in Polonia, tum in Lithuania ingens molarum est copia, in quibus frumentum, et inprimis id frugum genus, e quo cibum quendam, vulgo *Cachat* dictum, parant, pinsitur. Fullonicas autem et chartarias molas omnino nullas habent, quanquam ob multa flumina, eaque citato cursu delabentia percommode instituti eae possint. Sicuti autem in multis aliis rebus commoda sua Poloni admodum negligunt, ita et hic faciunt; dum in pannos et chartas ab extraneis coëmendas tantum pecuniae impendunt, cum vtrumque in sua ipsorum terra facillime sibi parare possint.

Deinde

Deinde corium quod attinet, quamuis nulla natio tanta eius copia opus habeat, atque Poloni, (siquidem omnes fere et singuli ocreis et curribus, quos currus *Ridevaus* dicunt, vtuntur) illud tamen vsui adaptare nimis molestum sibi ducunt, sed potius emolumenta ex hac opera redeuntia extraneis cedunt, qui haud leue manupretium ab ipsis exigunt. Recentibus piscibus commercium inter se Poloni exercent celeberrimum: quos pisces ipsi alio quodam modo, atque in aliis terris plerumque fit, capere solent.

Cum et in Polonia et in Lithuania lacuum et piscinarum tantus plerumque sit ambitus, vt aqua iis contenta alio deduci aegre possit, piscium capturam hyemi reseruare solent, cum aqua frigore obduruit. Tum primum magno foramine glaciem perrumpunt, per quod retia demittant. Deinde diuersis in locis minora quaedam foramina aperiunt, vt restis seu funiculi longae perticae alligati adminiculo ab vno foramine ad aliud circumquaque retia pertrahere possint, donec tandem ad prius illud foramen caeteris amplius ea reducant. Cum ambae retis extremitates rursus coiuerunt, illud, et vna cum eo pisces, in ea, quam rete percurrit, regione repertos, extrahunt. Pisces autem glacie impediti euadere aut retia transilire non facile possunt.

Siluae Poloniae et Lithuaniae omnes et singulae melle admodum abundant, quod aut in arboribus cauis, aut in speluncis, aut aliis quibuscunque in locis, vbi apes aluearia possunt condere, reperitur. Ex hoc melle varia mulsi genera a Polonis et Lithuanis confici iam supra commemoratum est, quo melle, vti etiam cera inde redeunte, in finitimas regiones diuendenda creberrime sunt occupati. Mireris quidem, vnde apes in regione tam frigida tantam mellis copiam parare possint; attamen in abietibus, quarum maxima ibi est frequentia, aliquid inuenire videntur, quod florum, e quibus aliis in prouinciis plurimam dulcis illius liquoris materiam petere solent, defectum compenset.

Antequam Tibi, Vir Excellentissime, Dantisci, vrbis illius celeberrimae vberiorem descriptionem tradam, paucis dicendum mihi est, vsum pecuniae Prussis plane ignotum quondam fuisse, sed merces eorum non nisi permutando ad vicinas gentes peruenisse, donec tandem seculo decimo tertio equites ordinis Teutonici, cum in Prussiam venissent, inter alia nummos cusos secum afferrent. Praecipua eorum mercatura succino seu electro constabat. Quod succinum Hartmannus, vnus e recentissimis Germanorum scriptoribus gemmis annumerat, eam afferens causam, quod neque metallum dici possit, dum nullo modo liquefieri, aut tundendo in aliam formam transmutari queat, neque sulphureorum seu bituminosorum genus quoddam, vocari, dum massa eius nimis sit densa (quamuis nihilominus tamen certum sit, succinum interdum inueniri, quod tam fluidum sit, atque oleum). Hoc succinum diuersis coloribus distinguitur; nigrum autem proprie *Agtstein* ab ipsis vocatur, cum reliqua genera *Bernstein* appellari soleant.

Descriptio vrbis Dantisci.

Dantiscum, alias Gedanum, vulgo *Dantzig* dictum, Prussiae regiae est metropolis et locus eiusdem prouinciae maximus, sub quadragesimo primo gradu et trigesimo minuto longitudinis, et sub quinquagesimo quarto gradu et vigesimo minuto latitudinis in territorio Dantiscano, vulgo *Werder* dicto, situs, quod territorium trium partium, quibus Prussia regia constat, vna est. Reliquae duae sunt Mariaeburgense et Elbingense territorium, quod vtrumque pariter *Werder* vocatur. *Werder* autem regionem lacubus et paludibus circumdatum denotat.

A quo haec vrbs primum condita sit, non satis constat. Becanus primam eius originem Danis adscribendam, ipsamque vrbem ab iis *Daneswick*, id est, *vrbem Danorum* appellatam esse contendit. Cum tamen haec appellatio Germaniam nimis sapiat, vocabulo *Dan*, *Cdan*, seu *Gdan*, terminationem Sclauonicam *Scke* (quae *vrbem* significat) additam, et proinde loco nomen *Danscke*, *Cdanscke* seu

Gdanscke, tributam esse, vero magis consentaneum est, quod nomen postea euphoniae causa in *Dantzig* seu *Dantzic* esse mutatum videtur. Haec vrbs octoginta circiter milliaria Polonica a Cracouia, quadraginta a Posnania, quinquaginta a Varsauia, triginta a Gnesna, viginti duo a Thorunio, viginti quatuor a Regio Monte, octo ab Elbinga, sex a Mariaeburgo, et quatuor fere Anglicana milliaria seu vnam horam cum quadrante a mari Balthico distat. Caeterum in exitu Vistulae in mare et quidem in territorii Dantiscani, de quo antea dixi, parte septentrionali, vbi ad occasum vergit, structa est.

Vrbem ipsam duo parui fluuii, Rodaunus et Motlaua, perfluunt, quorum prior locum illum in duas partes, antiquam et nouam vrbem distinguit. Meridiem et occasum versus montibus excelsis vrbs circumdatur, et anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo sexto contra Suecos firmis propugnaculis est munita. Alto et profundo vallo instructa est, cuius latitudo eo patet, vt carpenta in eo circumuehi possint. Ambitus eius tantus est, vt vix tribus horis circumiri possit. In altera parte, vbi Rodaunus in mare influit, castellum firmum exstructum est, in quo praesidium mille militum collocatum esse solet. Ex mari, a quo nimis longe distat, haec vrbs tormentis concuti nullo modo potest; a collibus autem iuxta positis id commode fiat; quapropter ibi opera quaedam bellica sunt exstructa, eademque perpetuo praesidio, firmis tormentis et reliquo apparatu militari semper bene instructa. His temporibus hic locus celeberrimum est emporium, praecipuis vrbibus Hanseaticis annumerandum. Suis legibus gubernatur, quanquam in Regni Polonici tutela sit, a quo etiam peculiarem Castellanum accipit. Dimidia suburbiorum pars ad Regnum Polonicum, et altera ad vrbem pertinet. Nonnullis in locis territorium vrbis aliquot milliaria extra moenia extenditur; cum in aliis locis possessiones regiae ad suburbia pertingant. In vrbe et in suburbiis viginti omnino sunt templa parochialia. Domus omnes lateritiae, plateae vero plerumque latissimae et saxis bene stratae sunt, quanquam per hyemem sordidiores, vt in plerisque Poloniae vrbibus. Primaria vrbis pars (quam incolae *vrbem rectam* vocant) iam dudum a Magno Ordinis Teutonici Magistro, Conrado Wallenrodo, anno circiter millesimo trecentesimo duodenonagesimo condita est. In vrbe ipsa horti nulli, in suburbiis plurimi sunt, et magnitudine et venustate conspicui.

Et vrbis et suburbiorum incolae plerique Germani sunt, numeroque ducenta eorum millia esse existimantur, quorum maxima pars iam ab anno inde millesimo quingentesimo vigesimo quinto Augustanae Confessioni addicta fuit. Ita etiam Lutherani soli ad vrbis gubernacula adhibentur. Interim tamen, qui alia sequuntur sacra tolerantur, liberoque religionis exercitio fruuntur.

In aedificiis publicis huius vrbis primum notanda sunt templa, in quibus duo praecipue, alterum Mariae, alterum Petro consecratum, quam celeberrima existimantur. Prius quidem optimo iure splendidissimum totius Prussiae aedificium appelles. Fornice altissimo et instrumento musico, quod organum vulgo dicunt, eximiae elegantiae est ornatum. Praeterea duodequinquaginta altaria, ter mille septingentae viginti duae fenestrae, et baptisterium, Antuerpiae elaboratum et viginti quatuor Imperialium millibus constans, in eodem templo reperiri dicuntur.

Tum sequitur curia, vbi magistratus sedere solet, quod magnificentissimum est aedificium, culmine altitudinis insolitae exornatum. In hac curia, quoquo te vertas, insignes deprehendes inscriptiones. Neque minus aedificium, in quo iudicia exercentur, elegantissimum est, lapidibus excisis iisdemque quadratis exstructum. A conditore *domus Arlusianae* nomen sortitum est.

In eadem vrbe tria sunt aedificia, vbi militum frumenta asseruantur, in quibus vnum praecipue variis annonis, aliisque rebus ad bellum gerendum necessariis abunde instructum est.

Vni-

Vniuersitatem, vulgo dictam, in qua gradus academici alicui tribuantur, Dantiscani quidem non habent, sed tamen gymnasium celeberrimum, in quo omnium facultatum, quas vocant, Professores docendi munere funguntur. Aedificium, in quo mercatores conuentus agunt, sic satis bonum est. Sancti Dominici palatium ob insignem pulchritudinem conspectu dignissimum est. Cui accedit Iesuitarum collegium, vt alia aedificia silentio transeam.

Territorium Dantiscanum decem circiter milliaria Germanica in circuitu patet. Ad Polonorum comitia haec ciuitas binos Legatos mittit, sicuti in priore huius libri parte iam dictum est. Suprema vrbis gubernatio penes triginta Senatores est, quorum plerique literati sunt. E mercatoribus quidem, vti etiam ex hominibus extraneis nonnulli, quamuis pauci, in Senatorum ordinem recipiuntur; ex aliis autem institoribus, artificibus et opificibus nemo ad hoc munus gerendum deligitur, vti etiam neque Clericus, neque a sacris Lutheranis alienus hos honores capessere potest, hac tamen exceptione, vt in vniuerso Senatu quatuor Caluini sectatores esse oporteat.

Qui semel ad senatoriam dignitatem adscendit, is per totam vitam eam obtinet. Primarii et supremi Senatores sunt quatuor Praefecti, seu, vt a Dantiscanis vocantur, Proconsules, e quorum numero quotannis vnus deligitur, qui Praesidis nomen gerit. Tum sequuntur tredecim Consules, qui quatuor illos Proconsules, si quis eorum ex hac vita decesserit, ex suo ordine deligunt. Iidem omnes reliquos Officiales et antiquae et nouae vrbis constituunt.

In rebus iudiciariis duodecim Scabinos seu Iudices habent, ad quorum tribunal omnes causas forenses deferri oportet. Ab his iudiciis ad tredecim Consules et quatuor Proconsules, et inde ad aulam Polonicam prouocatur. Trigesimus Senator ciuium Syndicus est seu Orator. Idem munere Magistri Cerimoniarum fungi debet, cum Ministri seu Legati extranei excipiendi, et eo, quo par est, verborum ornatu compellandi sunt. Omnes Scabinos loci dignitate antecedit, omnibus autem Consulibus et Proconsulibus est inferior.

E Consulum et Proconsulum numero Rex quotannis Burggrauium legit, qui in Senatu suam personam gerat, suoque nomine omnibus iudiciis capitalibus (quae alias exsecutioni dari nequeunt) subscribant. De extremis illis suppliciis Te scire velim, eos omnes, quibus Senatus gladii poenam adiudicauerit, semper intra moenia interfici, inquilinos quidem ante domum Arlusianam, extraneos autem haud procul ab vrbis porta, cui portae custodia adiacet. Ad furum autem et latronum supplicium dimidium circiter milliare Germanicum ab vrbe patibulum pulchrum est, quatuor columnis lapideis suffultum, in quo strangulatione vitam finiunt.

E ciuibus centum viri deliguntur, quorum functio est, partim, vt populi querimonias ad Senatum deferant, eiusque priuilegia tueantur, partim, vt Senatus mores et negotia obseruent. Iidem centumuiri in muneribus sacris ordinandis suffragiorum vna cum Senatu ferendorum habent potestatem. Neque in vrbe ipsa, neque in eius territorio sunt Episcopi, sed Clerici peculiare tantummodo Collegium conficiunt, aliam autem potestatem nullam habent, nisi vt eorum, qui a Senatu et centumuiris ad futuram electionem sint propositi, eruditionem explorent.

Haec electio ita instituitur. Primum is, qui officium ecclesiasticum quaerit, a Clericis examinatur, scriptumque de sua habilitate et copia verborum in concione sacra publice faciendorum sibi data testimonium accipit. Deinde ecclesia, cui nouo sacerdote opus est, Senatui et centumuiris eum proponit, sibique animarum curatorem dari rogat. Electione ex plurimorum sententiis rite facta, sacerdos designatus ad Clericorum Collegium remittitur, vt ab eo ordinationem, quam vocant, accipiat, quae imponendis manibus, recitandis quibusdam precum formulis et aliis nonnullis cerimoniis peragitur. Eodem fere modo pleraeque ecclesiae Lutheranae aliis etiam in locis sacerdotes suos eligere et ordinare solent.

Quatuor templa vrbana Pontificii tenent, quorum vnum Regis sacellum est, reliqua tria vero ad monachos pertinet. Pariter Caluiniani duo templa Dantiſci habent, in quorum sacerdotibus deligendis Senatui nihil iuris intercedit. In rebus nuptialibus singulare quoddam institutum Dantiſci obtinet, quod Officialis quidam, Pontificiis sacris addictus, idemque sacerdotali munere fungens, ibi versatur, qui alicuius cogendi potestatem habet, vt foeminam, cui donum quoddam, quamuis leuissimum obtulerit, aut saltem promiserit, vxorem ducat, etsi consilio prorsus alio illud factum sit; quod non parum molestiarum et turbarum gignit.

Potestas, quae Polonorum Regi in hunc locum conuenit, his praecipue continetur. Omnibus maleficis, quos magistratus vrbanus capitis condemnauit, veniam impertiri potest. Pars prouentuum e vectigalibus redeuntium dimidia ad ipsum pertinet, et ex mola illa, quae Rodauno adiacet, singulis horis, et diurnis et nocturnis singulorum Ducatorum quaestum faciat. In hac mola tantum frumenti molitur, vt reditus, Reipublicae et Regi quotannis inde venientes, vltra duodeuiginti Imperialium millia excurrant, praeter id lucrum, quod possessores eius inde capiunt. Ciuitas in vna monetarum suarum planitie Regis effigiem gestare debet; alteri autem vrbis insigne imprimere solet. Rex si Dantiscum venit, cum domesticis suis tres dies continuos ciuitatis sumtibus ali debet; attamen perexiguum satellitum suorum numerum in vrbem secum introducere ipsi licet. Caeterum Dantiscani scribam aliquem in aula regia constituere suisque impensis sustentare debent, quo munere Albertius, vir prudentissimus, Syndicus Dantiscanus, aut adhuc fungitur, aut saltem paulo ante, Doctore Connoro in Polonia praesente, functus est.

Vrbis priuilegia quod attinet, eius incolae sine peculiari Regis concessione monetas cudere, magistratus sibi deligere, leges sancire, et in causis ad aes alienum pertinentibus, quae quidem supra quingentos nummos aureos non excurrunt, decernere possunt. Si autem summa altius extendatur, ad aulam Polonicam prouocari licet. Quod tamen antequam fieri possit, ab eo, qui prouocat, centum nummos aureos in curia deponi oportet. Id quod ideo fit, vt populus ab his prouocationibus deterreatur: ciues enim Dantiscani pecuniam suam in Poloniam abduci aegerrime ferunt, et illud impedire summo studio laborant.

Ciuitas duo militum millia amplius semper habet, quibus se defendat, et duodecim eorum millia sine grauiore opum detrimento sustentare potest; quid? quod vrgente necessitate sexaginta virorum millia interdum coacta fuisse accepimus. Naues militares nullas, onerarias plurimas habent, quae trecenta, imo quadringenta mercium onera, et triginta circiter aut quadraginta tormenta bellica continet. Iter eorum maritimum ad Indiam occidentalem aut orientalem vsque non extenditur; fretum tamen Herculeum nauigant, et per vniuersam Europam merces quam plurimas distrahunt.

Primam ab Equitibus Ordinis Teutonici pecuniam cusam in Prussiam esse illatam, iam supra dixi. Hi Equites igitur, cum eos, quos secum attulissent, nummos haudquaquam sufficientes esse probe intelligerent, statim post aduentum suum officinas monetarias instituere, et ipsi nummos cudere tam felici successu coeperunt, vt pleraeque nationes, Prussos, quamuis artis monetarum cudendarum inuentores dici non possent, eam tamen artem primos, necessario omnium consensu, perfectissimam reddidisse faterentur. Idem celeberrimus ille Antiquarius, Spelmannus, confirmauit, qui etiam vocabulum nostrum Anglicanum, *Sterling*, ab *Oesterlingis*, natione Prussica, nomen sortitum esse arbitratur, quos Oesterlingos e patria in Angliam peruenisse, et nostrates praestantiorum et elegantiorum, quam priores fuerint, monetarum cudendarum artem primum docuisse tradit.

Nummorum in Prussia seu potius Dantiſci adhuc vsitatorum, *Ducatos, Ortos*, *Chouſtacos* et *Solidos* praecipuos esse existimo. Ducatus duobus Imperialibus seu nouem Solidis Anglicanis ibi valet. Ortus nummus est argenteus, sex circiter Grossos,

Grossos, seu viginti quatuor Cruciatos, seu duodeuiginti Dantiſcanos, seu triginta Polonicos Grossos pretio aequans. Chouſtacus decem Polonicos, seu sex Dantiſcanos, seu duos Misnicos Grossos conficit. Solidi tandem terni singulis Grossis Dantiſcanis valore pares sunt. Reliquum inter Dantiſcanam et Polonicam pecuniam discrimen illud est: Tinfo triginta Polonicis, Dantiſcanis autem duodeuiginti tantum Grossis par aestimatur. Ducatus, qui in Polonia duodecim in Solidis, hic tantum septem nummis aureis in pecunia vsitata valet. Quini Chouſtaci seu singuli Orti cum binis Chouſtacis singulos Florenos Dantiſcanos pretio aequant: quini enim Chouſtaci tricenis Grossis Dantiſcanis valent, et triceni Grossi Dantiſcani denos Grossos Misnicos conficiunt.

Anno circiter post Christum natum milleſimo centeſimo octogeſimo sexto Dantiſcum a Danis, duce Sabislao, Swentorohi nepote, et paulo post a Polonis occupatum est. Anno milleſimo trecenteſimo quinto Equites Ordinis Teutonici hac vrbe potiti sunt, et nouem annis post muris eam cinxerunt. Anno autem milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo quarto Caſimirus tertius, cognomine Magnus, eam recuperauit, eiusque incolas eximiis priuilegiis ornauit. Qui cum postea Augustanam Confessionem amplecterentur, et Archiepiscopi Maximiliani partibus aduersus Stephanum Batorium accederent, vrbs a posteriore proscripta, et anno milleſimo quingenteſimo septuageſimo septimo oppugnata est. Veruntamen viginti annis post aliis Principibus deprecantibus et pristinam religionis exercendae libertatem et reliqua priuilegia recuperauit.

Anno milleſimo sexcenteſimo quinquageſimo sexto a Suecis fortissime se defendit, et a Iohanne Caſimiro, Polonorum Rege, pertinacissime stetit. His quoque temporibus ad Regni Polonici ordines pertinet; siquidem anno milleſimo sexcenteſimo trigeſimo secundo ius Legatos ad comitia Regi creando destinata mittendi et suffragii per eos ferendi obtinuit.

Haec sunt, quae Tibi, Vir Excellentissime, de Polonorum mercatura monetisque, et de Dantiſco, vrbe illa celeberrima, his literis narrare constitui, quas Te beneuole accepturum esse spero atque confido. Caeterum permaneo Tuus

Vir Excellentissime

seruus obedientissimus

I. S.

EPISTOLA OCTAVA

AD

CAROLVM, COMITEM BVRLINGTONIENSEM,

DE

ORIGINE ORDINIS TEVTONICI; DE MAGNIS EIVS MAGISTRIS, CVM IN TERRA SANCTA, TVM IN PRVSSIA ET GERMANIA, ET TANDEM DE HODIERNO EIVS ORDINIS STATV IN IMPERIO ROMANO.

Ordo equestris Teutonicus, sacer dictus, Comes Illustrissime, eum in finem constitutus est, partim, vt esset praemium virtutis, partim, vt, qui eo ornarentur, ad maiorem in posterum magnis rebus gerendis sibi gloriam acquirendam instigarentur. Ipsa huius ordinis institutio ad Germanicae, seu, vt olim dicta est, Teutonicae nationis commoda praecipue spectabat, vnde etiam hic ordo nomen sortitum est. Cum enim Imperator Romanorum, Fridericus Barbarossa, ad terram sanctam recuperandam numerosum exercitum colligeret, ingens

nobilium Germanorum aliorumque virorum fortium multitudo sua sponte operam ei obtulit militarem. Huic igitur expeditioni sacrae multi alii viri illustres atque principes, et in his nominatim Philippus, Rex Franciae, Richardus primus, Rex Angliae, Fridericus, Dux Sueuiae, Duces Austriae et Bauariae, Philippus, Comes Flandriae, Florentius, Comes Batauiae, et plures interfuerunt. Eo tandem, quem dixi, Romanorum Imperatore, vita defuncto, Germani, qui tum in Aeona seu Ptolemaide, oppugnanda erant occupati, filium eius secundum, Fridericum, Ducem Sueuiae, et Henricum, Ducem Brabantiae, supremos exercitus sui duces sibi delegerunt. Quibus ducibus tanto armorum successu sunt vsi, vt eam, quam modo dixi, Ptolemaida, vti etiam Hierosolyma, et alia terrae sanctae loca expugnarent. Id quod praemio aliquo compensaretur, Henricus, Rex Hierosolymorum, cum eiusdem vrbis Patriarcha et aliis nonnullis Principibus singularem quendam nationi Teutonicae honorem exhibere decreuit, quod nouo quodam ordine equestri instituendo factum est. Huius Ordinis patronus primum sanctus Georgius esse debebat. Cuius tamen loco posthac sancta Virgo Maria optata est, quoniam Hierosolymis et quidem in monte Sionitico xenodochium ad hospites Germanicos recipiendos, quod ab ea Virgine appellabatur, iam antea erat conditum.

De huius xenodochii exstructione Ashmolius in equestri caeruleae Periscelidis Ordine describendo haec commemorat. Germanum nobilem, magnis diuitiis praeditum tempore belli sacri Hierosolymis habitasse, qui populares suos, religionis ergo in terram sanctam profectos, sed linguae ibi vsitatae et locorum, vbi commodo fruerentur hospitio, ignaros, misericordia ductus domum reciperet, et quantum posset, liberalissime haberet. Huic nobili viro deinde a Patriarcha concessum esse, vt his peregrinatoribus sacellum exstrueret et sanctae matri Dei consecraret. Inde sequentibus temporibus eos, qui in hunc Ordinem equestrem essent recepti, Equitum Marianorum nomen gessisse. Ad hoc institutum conseruandum et illustrius reddendum alii nobiles Germani insignes opes contulerunt, vt breui tempore hi Equites non numero tantum, sed etiam diuitiis crescerent; caeterum vero contra incredulos fortitudinem, et erga suae religionis socios beneficentiam, quantis possent viribus, exhibere contenderunt.

Anno millesimo centesimo nonagesimo Henricum Walpotum, primum sibi Magnum Magistrum delegerunt, et anno post Imperatoris Henrici sexti rogatu per Pontificis Coelestini tertii diploma eorum ordo sub nomine ordinis Equestris Teutonici xenodochii Hierosolymitani Beatae Virginis Mariae confirmatus est, vbi paupertatis, castitatis et obedientiae votum fecerunt, simulque neminem nisi Germanum in suum Ordinem se esse recepturos religiose promiserunt.

His equitibus a Pontifice confirmatis ciues nonnulli Bremenses et Lubecenses, opibus valentes se adiunxerunt, qui tantum pecuniae contribuerent, vt Aconae seu Ptolemaide, Syriae vrbe, aliud ex ea xenodochium exstrui posset. Cum autem octoginta septem annis post Christiani et hunc locum et Hierosolyma cum terra sacra vniuersa rursus amitterent, et sub Saladino, Aegypti Calipha, seu Duce, Saracenorum potestati eum cedere cogerentur, Magnus Magister, qui tum erat, Hermannus, cum Equitibus, residuis in Germaniam se contulit, ea praecipue causa commotus, quod anno millesimo ducentesimo vndetrigesimo Imperator Fridericus secundus et Pontifex Honorius tertius, (aut, vt alii volunt, Conradus, Dux Masouiae, anno millesimo ducentesimo vigesimo sexto) Prussiam ipsis donassent. Quam etiam sibi subiecerunt, incolas ad religionem Christianam conuerterunt, vrbemque Mariaeburgum exstruxerunt, vbi etiam anno millesimo trecentesimo quadragesimo Magnus eorum Magister sedere coepit.

Hanc prouinciam ad annum vsque millesimum quingentesimum vigesimum quintum possederunt. Tum vero Albertus, Marchio Brandenburgicus, postremus huius Ordinis in Prussia Magister se eo, quo adhuc gauisus erat, iure solenniter abdicauit, et Sigismundo, Polonorum Regi, in tutelam dedit, qui Sigismundus

mundus Prussiam Ducatum, et hunc Marchionem primum eius Ducem declarauit. Sicuti autem nonnulli Equitum id aegerrime ferrent, ita alio Magno Magistro, Waltero de Cronberg, sibi delecto, protinus in Germaniam se receperunt, vbi adhuc versantur; quamuis non maxima sit eorum auctoritas, nisi quod Germanicorum Principum plerique filios suos, natu minores in eorum numerum recipi sinant.

Sacer ille Ordo equestris secundum Templariorum et Iohannitarum, seu (vti nunc vocantur) Melitensium Equitum regulas institutus est. Quo planius autem hi Ordines inter se distinguerentur, sancitum est, vt Mariani, de quibus nunc nobis sermo est, in pallio albo nigram crucem gererent, super qua aliam praeterea crucem, vulgo Censorum dictam, fuisse nonnulli tradunt. Eandem crucem in albis suis vexillis, vti etiam in scutis et in loricis gestare debebant. Insuper sancti Augustini regulam sequi iussi sunt. Principio totus Ordo viginti quatuor fratribus Laicis et septem sacerdotibus constabat; quanquam eos primum quadraginta omnino fuisse Heylius in prima descriptionis suae Imperii Romani parte affirmat. Cum his, tum illis, arma et tela gerere, et hoc ornatu missam celebrare, erat concessum. Barbam autem tondere nulli eorum licebat, sed ex Ordinis sui regula eam alere, et in saccis stramento refertis dormire debebant. Quae autem cum aliis, quibus primo vtebantur, institutis, postea rursus sunt abolita.

Huic Ordini omnes Principes Christiani, et in his praecipue Imperatores et Pontifices admodum beneficos et liberales se praebuere. Philippo, Franciae Regi, non satis erat, vt largis eum donaret muneribus, sed insuper etiam Ordinis insigne liliis Francicis exornare, eaque in quaternis crucium singularum extremitatibus gestare, Equitibus concessit.

De eorum fortuna et potentia ex breui illa, quam de continua Magnorum Magistrorum, quibus paruerunt, successione traditurus sumus, narratione optime iudicari poterit.

Primus itaque (vti iam supra dixi) erat Henricus Walpotus, natione Germanus. Hic anno millesimo centesimo nonagesimo electus est, et decem annis post Ptolemaide diem supremum obiit, vbi etiam sepultus est.

Secundus erat Otto de Kerpen, Germanus nobilis, qui illos honores, quos anno millesimo ducentesimo adeptus erat, sex tantum annos gessit, et pariter Ptolemaide vitae finem fecit, vbi etiam humo mandatus est.

Tertius erat Hermannus Barthius, ex Alsatia oriundus, qui anno millesimo ducentesimo sexto sub Philippi secundi imperio, et Innocentii tertii Pontificatu electus est. Quatuor annis post Ptolemaide ex hac vita decessit, eodemque in loco sepulturam nactus est. Sub his duobus Magnis Magistris hic Ordo haud mediocre incrementum primo cepit.

Quartus erat Hermannus de Salzen, nobilis Misnicus, anno millesimo ducentesimo decimo ad hanc dignitatem euectus. Sub eius Magisterio Otto et Fridericus secundus Imperio Romano, et Innocentius tertius, Honorius et Gregorius nonus Pontificatui praeerant, qui omnes et singuli conspicua in eius ordinem priuilegia contulerunt. Quoniam idem Magnus Magister Iohanni, Regi Hierosolymorum, aduersus Regem Syriae, Conradum, opem tulerat, huius Ordinis insigni a Rege priore, crux aurea, quod ordinarium Regni Hierosolymitani erat insigne, adiunctum est. Sub eiusdem Magno Magisterio, quod triginta annos durauit, Conradus, Marchio Thuringiae in Teutonicum Ordinem est receptus; alias idem Magister duo Germanorum nobilium et Equitum millia simul in eo habuit. Cum denique ea calamitas ipsi accideret, vt cum omnibus suis a Saracenis e terra sancta expelleretur, exercitu viginti virorum millibus constante armatus, in Prussiam se contulit, et a Polonis adiutus, incolas ethnicos e territorio Culmensi eiecit. Mariaeburgi, quem locum ante obitum suum ipse condidit, humatus est.

Quintus Magnus Magister erat Conradus, Marchio Misnicus, anno millesimo ducentesimo quadragesimo sub Friderici secundi imperio, et Coelestini quarti

Pontificatu electus. Hic Ordinis sui territorium mirifice amplificauit, et multa aedificia collapsa in integrum restituit. In Prussia ducali Regium Montem exstruxit, tandem vita defunctus et Mariaeburgi sepultus est.

Hunc anno millesimo ducentesimo quinquagesimo secundo sub Conradi quarti Imperio et Innocentii quarti Pontificatu Poppo de Osternau, sextus Magnus Magister, secutus est. Hic in nonnullis expeditionibus aduersus Prussos et Liuones, vti etiam aduersus Swantopolum, Pomeraniae Ducem, susceptis fortuna vsus est prosperrima. Tandem vero a Tartaris, qui vniuersam Sarmatiam seu Poloniam tunc temporis inundauerant, apud vrbem Lignitiam in proelio occisus, et Vladislauiae humatus est. Is, quem modo dixi, Swantopolus ab Ordinis Teutonici Equitibus ita in angustias redactus esse fertur, vt moribundus liberis suis demandaret, vt amicitiam eorum, quos ipse quondam, vt hostes acerrimos, maxime reformidasset, conseruare quantis possent viribus, studerent. Nihilominus tamen filius eius, Mestowinus, huius moniti negligens illis denuo bellum intulisse dicitur. Vbi tamen Equites, vt fama est, iterum victores discesserunt, totam Pomeraniam inundarunt, et tandem Ducem secum pacem componere coëgerunt. Tum tres fratres illius Ducis, quorum natu maximo nomen esset Samboro, in hunc ordinem se contulisse perhibentur.

Septimus Magnus Magister erat Iohannes Sangerhusensis, anno millesimo ducentesimo sexagesimo tertio sub Alexandri quarti Pontificatu ad hanc dignitatem euectus. Qui, posteaquam Prussorum gentilium superbiam admodum depressserat, et Ordini magnum denuo conciliauerat splendorem, (clade enim a Tartaris accepta eius auctoritati non parum decesserat) post duodecim annorum gubernationem mortuus et Treueris sepultus est. Sub eius Magisterio vrbs Brandenburga aedificata est.

Octauus erat Hartmannus, Comes Heidelbergensis, qui anno millesimo ducentesimo septuagesimo quinto sub Rudolphi primi Imperio et Clementis quarti Pontificatu ad hanc dignitatem peruenit. Hic Ordinis salutem maximo cum studio curauit, et Prussos non parum coërcuit. Sub eius Magisterio anno millesimo ducentesimo octogesimo primo castellum Mariaeburgense conditum est. Venetiis diem obiit et terrae mandatus est.

Nonus erat Burchardus de Sweden, anno millesimo ducentisimo octogesimo tertio sub Rudolpho primo Imperatore et Iohanne Pontifice electus. Postquam Magisterio Magno septem annos praefuerat, et per illud tempus Prussos sibi plane subiecerat, hac dignitate sua sponte se abdicauit, et Rhodum se contulit, vbi etiam vitam finiit et sepultus est.

Decimus erat Conradus de Feuchtwangen, anno millesimo ducentesimo nonagesimo sub Rudolphi primi Imperio, et Nicolai quarti Pontificatu creatus. Sub eo Magno Magisterio splendidas quidem possessiones Ordo consecutus, sed tamen etiam insigni clade in Syria affectus est, cum Imperator Saracenorum Aegyptiacorum vrbem Ptolemaida, quae quondam sedes Ordinis esset praecipua, expugnaret. Pragae mortuus et Trebnitiae sepultus est.

Vndecimus erat Godefredus, Comes de Hohenlohe, anno millesimo ducentesimo nonagesimo septimo, Adolpho Imperatorium, Coelestino quinto autem Pontificium solium possidente, electus, natione Venetus. Hic Ordini decem annos praefuit, et Rigam, Liuoniae vrbem, Russis eripuit, arcemque eius munitam diruit. Veruntamen haud ita diu post antiqua incolis priuilegia restituit, cum antea ad eo facilius eos coërcendos castellum exstruxerat. Tandem officio se abdicauit, et in Germania diem obiit.

Duodecimus erat Sigfriedus de Feuchtwangen, anno millesimo trecentesimo septimo, sub Alberti Austriaci Imperio, et Clementis quinti Pontificatu electus. Hic sedem suam Marpurgo in arcem Mariaeburgensem transtulit; ex quo tempore enim Syriam relinquere Ordo coactus erat, sedes eius perpetua illic fuerat.

Cum Magni Magistri munus duos anno gessisset, Mariaeburgi in viuis esse desiit, vbi etiam humo mandatus est.

Decimus tertius erat Carolus Beffartus, vir prudentissimus et fortissimus, anno millesimo trecentesimo nono sub Henrico Imperatore, et Clemente quinto Pontifice creatus. Hic anno millesimo trecentesimo duodecimo ad Lithuanorum incursiones cohibendas arcem Memulam in Curlandia condidit. Tandem gubernationis male gestae accusatus et Romam vocatus est. Vbi cum innocentiam suam certis argumentis demonstrasset, et domum redire coepisset, Viennae morbo correptus animam efflauit, vbi etiam humatus est.

Decimus quartus erat Vernerus Vrselensis, anno millesimo trecentesimo vigesimo secundo, sub Ludouici quinti Imperio et Iohannis vigesimi secundi Pontificatu electus. Hic quamuis singulari cum fide ac fortitudine officium gessisset, nihilominus tamen e templo, vbi sacris vespertinis interfuerat, reuertens a Iohanne Bunsdorfio, Ordinis fratre interfectus est.

Decimus quintus erat Ludouicus, Dux Brunsuicensis, anno millesimo trecentesimo vigesimo quinto electus, vir prudentissimus et religiosissimus; sed non diutius, quam quatuor annos, Magisterio praefuit.

Decimus sextus erat Dietericus, Comes Altenburgensis, anno millesimo trecentesimo vndetrigesimo, octogesimum agens aetatis annum, ad hanc dignitatem euectus. Hic erat princeps singularis eloquentiae et auctoritatis amplissimae, ac iudicia summa cum seueritate exercuit. Postquam templum Mariae consecratum Mariaeburgi condiderat, Thorunii mortuus, et Mariaeburgi in templo Sanctae Annae humatus est.

Decimus septimus erat Rudolphus, Dux Saxoniae, anno millesimo trecentesimo vndequadragesimo sub Ludouico quinto Imperatore, et Benedicto vndecimo Pontifice creatus. Hic magnis copiis collectis, Neumarcouiam non modo oppugnauit, verum etiam expugnauit. Interim vero Lithuani, irruptione in Prussiam facta, igni et ferro omnia deuastarunt. Quo nuntio audito tanta animi aegritudine hic princeps affectus est, vt mente captus ab officio amoueretur, et tandem immodico moerore consumtus Marienwerderi vitae finem faceret, vbi etiam funus eius sepulcro illatum est.

Duodeuigesimus erat Henricus Desmarienses seu Tuchmarienses, anno millesimo trecentesimo quadragesimo secundo sub Clementis sexti Pontificatu electus, qui cum Lithuanis et Russis proelium commisit illustrissimum, quo aduersariorum decem millia amplius sunt prostrata. Locus et mortis et sepulturae eius erat Mariaeburgum.

Vndeuigesimus Magnus Magister erat Henricus Kniprodiensis, anno millesimo trecentesimo duodequinquagesimo sub Imperatore Carolo quarto et Pontifice Clemente sexto constitutus. Sub huius Magno Magisterio Lithuani et Russi eam, quam paulo ante fecerant, iacturam vlturi, felici armorum successu, tam parum abfuit, vt vterentur, vt potius Magnus Lithuaniae Dux, Keystutus, ipse captiuus Mariaeburgum abduceretur, vnde ministri alicuius auxilio aufugit. Vnus ex Magni illius Ducis filiis sub eodem Magno Magistro Christianam Regio Monte fidem amplexus est; quo Imperator Carolus quartus commotus in ordinem Principum Imperii Romani eum recepit. Hic vnum et triginta annos integros Magisterio praefuit, per quod tempus permultis viris, insigni doctrina praeditis, Ordo Teutonicus abundauit. Tandem Mariaeburgi mortuus et sepultus est.

Vigesimus erat Conradus Zolnerus, anno millesimo trecentesimo septuagesimo nono sub Wenceslai Imperio et Vrbani sexti Pontificatu electus. Huic Lithuani et Samogitae sub Magnis Ducibus suis, Keystuto, Iagellone, Vitoldo et Suidrigilone plurimum negotii facessiuerunt. Postquam Magnum Ordinis Magisterium octo annos tenuerat, Mariaeburgi vita defunctus et sepultus est.

Vigesimus primus erat Conradus Valenrodensis, anno millesimo trecentesimo duodenonagesimo, Bonifacio nono sedem Pontificiam obtinente, electus.

Hic bellica quidem virtute singularem sibi comparauit gloriam, admodum vero morosus fuit, et in ipsos Ordinis sui fratres tam infensus, vt ne moribundus quidem eos ad se admitteret. Sub eius Magisterio Equites Ordinis Teutonici Nemenum, Lithuaniae fluuium, transgressi, haud procul a Cauna, castello, tria munimenta seu aggeres exstruxerunt, e quibus creberrimis et diuturnis excursionibus factis hanc prouinciam miserrime depopulati sunt.

Vigesimus secundus erat Conradus de Iungingen, anno millesimo trecentesimo nonagesimo quarto electus. Pacis nimium fere erat studiosus, eamque ob causam Ordini suo minus probatus. Nihilominus tamen duodecim annos ei praefuit, et tandem Mariaeburgi debitum naturae soluit eodemque in loco contumulatus est.

Vigesimus tertius erat Vlricus de Iungingen, superioris frater, anno millesimo quadringentesimo quarto sub Ruperti Imperio et Gregorii duodecimi Pontificatu creatus. Indole nimis erat bellicosus, adeo vt bellandi cupiditate Ordinis sui regulas saepissime negligeret. Eiusdem Ordinis fratres vexauit, nonnullisque eorum possessiones eripuit. Cum aduersus Polonos et Lithuanos plurima bella gessisset, tandem a Iagellone, Polonorum Rege, et Vitoldo, Magno Lithuanorum Duce, tanta strage affectus est, vt ipse cum ducentis Praefectis et quinquies mille aliis Equitibus occideretur, et supremus ipsorum Dux caperetur, quamuis primo impetu Lithuanorum exercitus septem virorum millia amisisset.

Vigesimus quartus Magnus Magister erat Henricus, Comes Plauensis, anno millesimo quadringentesimo sexto, sub Sigismundo Imperatore et Iohanne vigesimo tertio Pontifice, electus. Hic a Polonis vltionem repetere studebat; antequam vero quicquam memoria dignum efficeret, ab officio motus et primo Engelsburgam, deinde vero Lecstegum abductus, ibique in vinculis et carceribus detentus est, donec in misera illa conditione vitam morte mutaret, et Mariaeburgi sepeliretur.

Vigesimus quintus erat Michael Sternbergensis, qui Praefecti aulici in Imperatoris Sigismundi palatio munere antea functus anno millesimo quadringentesimo decimo quarto ad hanc dignitatem peruenit. Magisterii sui principio plurima a Iagellone et Vitoldo mala perpessus est, qui multas eius vrbes captas deuastarunt. Denique tamen eos recedere coëgit. Magni Magistri munus cum nouem annos gessisset, reliquum vitae tempus in otio transigere optauit, et, vt ab officio moueretur, precibus impetrauit, Dantisci itaque, quo habitatum concesserat, mortuus et Mariaeburgi sepultus est.

Vigesimus sextus erat Paulus Rusdorfiensis, anno millesimo quadringentesimo vigesimo tertio sub Martini quinti Pontificatu huic muneri praefectus. Sub hoc Magistro plurimae prouinciae et vrbes Prussiae, ingo Ordinis Teutonici excussō, Regis Polonorum, Casimiri quarti, fidei se tradiderunt. Cum nouem annos Magisterio praefuisset, exspirauit, et Mariaeburgi sepultus est.

Vigesimus septimus erat Conradus de Herlingshausen, anno millesimo quadringentesimo trigesimo secundo, sub Alberto tertio Imperatore constitutus. Hic Casimirum, Polonorum Regem Thorunii conuiuio excepit, pacemque perpetuam cum eo iniit. Per totum Magisterii sui tempus a bello abstinuit. Tandem vero nimio ob fratris vitam improbam moerore confectus animam efflauit. Mariaeburgi sepultus iacet.

Duodetrigesimus erat Ludouicus de Herlingshausen, anno millesimo quadringentesimo quinquagesimo, Friderico tertio sceptrum imperatorium tenente, creatus. Sub huius Magisterio iterum magna pars Prussiae ad Regis Casimiri partes accessit, cui Regi etiam praesidiarii milites Mariaeburgi quadringentis septuaginta sex nummorum aureorum millibus hanc vrbem cum multis aliis vrbibus et arcibus vendiderunt. Postea Rex Poloniae cum Ordine Teutonico denuo pacem contraxit, qua Pomereliam obtinuit, cuius prouinciae causa centum fere et quinquaginta annos

annos Poloni cum Equitibus bella gesserant. Hic Magnus Magister Regio Monte mortuus et sepultus est.

Vndetrigesimus erat Henricus Rheus, Comes Plauensis, anno millesimo quadringentesimo sexagesimo septimo sub Friderici tertii Imperio electus. Hic non diutius, quam vndecim hebdomadas hanc dignitatem gessit, quibus praeterlapsis Regio Monte obiit, et humatus est.

Trigesimus erat Henricus, Comes Richtenbergensis, anno millesimo quadringentesimo sexagesimo octauo, sub Friderici tertii Imperio, et Sixti quarti Pontificatu electus, homo turbulentus et implacabilis; siquidem Theodorum, Episcopum Prussicum, in vincula coniecit, vbi fame ipsi pereundum fuit. Cum duodecim annos Ordinem gubernasset, Regio Monte ex hac vita decessit, vbi etiam sepulcrum eius conspicitur.

Trigesimus primus erat Martinus Truchses Vetschhausensis, anno millesimo quadringentesimo octogesimo sub Friderico tertio Imperatore et Sixto quarto Pontifice, delectus. Regi Polonorum, Casimiro homagium praestitit, et Regiomonte in viuis esse desiit, vbi etiam terrae mandatus est.

Trigesimus secundus erat Iohannes de Tiefen, Heluetius, anno millesimo quadringentesimo vndenonagesimo, sub Maximiliani primi Imperio, et Iulii Pontificatu, electus. Primo Magisterii sui anno Regi Polonorum, Alberto iusiurandum fidei praestitit, et anno insequente opem contra Valachos ipsi tulit, vbi autem non proelio tantum victus, sed etiam vita priuatus est. Sepulcrum eius Regio Monte est.

Trigesimus tertius erat Fridericus, Dux Saxoniae et Marchio Thuringiae, anno millesimo quadringentesimo nonagesimo octauo ad hanc dignitatem euectus. Hic Regi Polonorum homagium praestare recusauit. Quam ob causam territorio eius duodecim annos continuos a Polonis deuastato, ipse in Saxoniam reuerti necesse habuit, vbi etiam diem obiit supremum.

Trigesimus quartus, idemque postremus Ordinis Teutonici in Prussia Magnus Magister, erat Albertus, Marchio Brandenburgicus, Sigismundi primi, Regis Poloniae, consobrinus, anno millesimo quingentesimo duodecimo, sub Maximiliani primi Imperio, et Iulii Pontificatu constitutus. Hunc propterea Equites Magnum sibi Magistrum delegerunt, quoniam ipsum, vt Regis Poloniae consanguineum, ab hoc auunculo suo, quae Prussiae loca Ordo adhuc amisisset, ea omnia recuperaturum esse sperabant. Sed falso. Etenim hic quoque iusiurandum fidei Polonorum Regi denegauit, et omnes ad Ordinem pertinentes vrbes communiuit. Quo bellum acerrimum, et ab vtraque parte maxime cruentum sibi contraxit. Cuius praecipua momenta haec sunt.

Anno millesimo quingentesimo vndeuigesimo dissensio inter eum et auunculum eius coepta est, et vtrinque pauca quaedam loca amissa et occupata sunt. Anno autem millesimo quingentesimo vndetrigesimo Wolfgangus Schoenbergensis, supremus Ordinis Teutonici Dux decem peditum et quatuor equitum millibus instructus Dantiscum accessit, et ab Episcopi colle qui vocatur quatuor globorum ignitorum fere millia in hanc vrbem iniecit. Quo tamen oppugnatis parum aut potius nihil nocuit; hi vero tormentis et sclopetis tam fortiter se defenderunt, vt nemo in conspectum eorum prodire posset, nisi triginta aut quadraginta globis excipi vellet.

Id quod non modo oppugnantium animos fregit, verum etiam seditionem intestinam in iis commouit. Haec erat conditio exercitus Ordinis Teutonici, cum duodecim copiarum regiarum millia, qui omnes et singuli equites essent, repente ad vrbem oppugnatione liberandam prorumperent. Quos equites simulac oppugnatores conspexerant, tam perturbati ab vrbe discesserunt, vt Polonis non difficile esset, ex copiis pedestribus eorum alios interficere, alios in captiuitatem secum abducere. Tum exercitus regius Dirschouiam, Stargardum et Choiniciam, arcem illam munitissimam, expugnauit, fortunaque illa secunda tam callide vsus

est, vt pleraeque vrbes et arces ad Ordinis ditionem pertinentes se dederent. Hoc modo igitur Equites, quae in Prussia tenuerant, ea omnia omnino amiserunt, et cum Magnus eorum Magister, Marchio Albertus, Regi tam potenti diutius resistere frustraneum laborem fore probe intelligeret, (quamuis maiores eius, sed quorum conditio tunc temporis longe praestantior esset, multos annos continuos maxima cum constantia ac fortitudine id fecissent) semetipsum suumque Ordinem auunculi sui arbitrio, submittere decreuit, quod etiam paulo post in foro Cracouiensi palam his ritibus factum est.

Regi solium erat exstructum, ei non admodum absimile, in quo ipse, cum post coronationem homagium ei praestatur, sedere solet. In quo vt consedit, Marchio etiam accessit, Regique Ordinis sui insignia tradidit, et iusiurandum fidei iurauit. Quo facto Rex insigne Prussicum, cui Polonicum erat adiunctum, Marchioni restituit, simulque Ducem eum declarauit eius Prussiae partis, quae adhuc Prussiae Ducalis nomen gerit, et in hunc vsque diem ab eiusdem Marchionis posteris gubernatur.

Ordine itaque Teutonico e Prussia expulso, Equites eius Capitulum suum quod vocant Mergenthemium seu Mariaeuallem, Franconiae vrbem, transtulerunt.

Ibi anno millesimo quingentesimo trigesimo primo Walterum de Cronberg trigesimum quintum Magnum Magistrum et Prussiae Administratorem sibi delegerunt. Hic de iniuria, Ordini suo a Marchione Alberto illata, ad Imperatorem Romanorum prouocauit; qui Albertus etiam a Pontifice diris deuotus est. Postea Walterus, vt Magnus Magister Ordinis Teutonici, in principibus Imperii Romani, et quidem proxime ab Archiepiscopis locum fortitus est. Postquam muneri duodeuiginti annos praefuerat, diem obiit, et Mergenthemii sepultus est.

Trigesimus sextus Magnus Magister Ordinis Teutonici erat Wolfgangus Schutzbarus, alias etiam Milchlingus dictus, Spirae anno millesimo quingentesimo quadragesimo tertio, die decimo sexto Aprilis electus. Antea Praefectus prouincialis Hassiae fuerat, et vnus e primis, qui Imperatori Carolo quinto in bellis, religionis causa ab eo gestis, opem ferrent. Marpurgum, pristinam Magnorum Magistrorum sedem, quam Landgrauius Hassiae adhuc sibi arrogauerat, Ordini restituit. Tandem multis aliis rebus praeclare gestis anno millesimo quingentesimo sexagesimo sexto ex hac vita decessit.

Trigesimus septimus erat Georgius Hundus de Wenkheim, Circuli Franconici Praefectus, qui cum sex annos Magisterio praefuisset, anno millesimo quingentesimo septuagesimo secundo Mergenthemii mortuus et sepultus est.

Duodequadragesimus erat Henricus de Bobenhausen, anno millesimo quingentesimo septuagesimo secundo in conuentu Equitum generali Vlmae celebrato ad hanc dignitatem euectus. Cum Georgius Fridericus, Marchio Brandenburgicus, Ducatum et nomen Ducis Prussiae sibi vindicare auderet, hic Magnus Magister Ordinis sui nomine literis eius institutum prohibuit. Posteaquam octo annos honores Magni Magistri Ordinis Teutonici gesserat, anno millesimo quingentesimo octogesimo iis se abdicauit, et Capitulo alius deligendi potestatem fecit.

Vndequadragesimus erat Maximilianus, Archidux Austriae, qui hanc dignitatem consequi summo studio laborauerat, simulque se consueto Ordinis vestitu vsurum esse promiserat. Deinde cum hic Magnus Ordinis Teutonici Magister in iis esset, qui Regnum Polonicum ambirent, Ordo, eo Rege creato, se eius ope Prussiam amissam recuperaturum esse maxime sperabat. Veruntamen, cum Sigismundo tertio sceptrum Polonicum traderetur, spes eius protinus rursus corruit. Nihilominus tamen non modo Magni Magistri Honores retinuit, verum etiam ob insignem, qua ornatus erat, virtutem supremus Ordinis Dux aduersus Turcas in Hungaria constitutus est, in qua expeditione corporis eius custodes non nisi Equitibus Ordinis constabant. Postquam triginta quatuor annos Magisterio praefuerat, Oeniponti ex hac vita decessit, eodemque in loco contumulatus est.

Quadra-

Quadragesimus Magnus Magister Ordinis Teutonici erat Carolus, Archidux Austriae, anno millesimo sexcentesimo vndeuigesimo electus. Quinque annis post a Rege Hispaniae Legatus in Portugalliam missus est; antequam autem eo perueniret, Madriti e viuentium numero sublatus est.

Quadragesimus primus erat Iohannes Eustachius de Westernach, anno millesimo sexcentesimo vigesimo quinto, die Martii vndeuigesimo, Mergenthemii electus. Paulo post anno millesimo sexcentesimo vigesimo septimo, octoginta duos annos natus, rebus humanis interesse desiit.

Quadragesimus secundus erat Caspar de Stadian, Praefectus prouincialis Alsatiae et Burgundiae, vti etiam Praefectus domesticus Altzhusae. Posteaquam huic dignitati quatuordecim annos summa cum gloria praefuerat, a Capitulo petiit, vt Leopoldum Wilhelmum, Archiducem Austriae, gubernationis socium sibi deligeret. Quo facto, Prussicam crucem, vt consensus sui signum, Magnus Magister ei dedit.

Quadragesimus tertius igitur erat hic Archidux, Leopoldus Wilhelmus, qui anno millesimo sexcentesimo quadragesimo quarto Caspari de Stadian successit. Hic Magni Magistri munus ad annum vsque millesimum sexcentesimum sexagesimum secundum administrauit, vbi vigesimo nouembris die Viennae vitam morte mutauit, eodemque in loco terrae mandatus est.

Eo ipso, quem modo diximus, anno Capitulum conuenit, vt defuncti Leopoldi Wilhelmi fratrem, Archiducem Austriae, Carolum Iosephum, in illius locum sufficeret; quoniam vero hic quoque eodem anno ex hac vita decedebat, noua electio instituenda erat.

Id quod anno millesimo sexcentesimo sexagesimo quarto Mergenthemii factum est, vbi Magnum Magisterium ad Praefectum prouincialem Austriae, Iohannem Casparem de Ambringen, peruenit, cui hic honos ea praecipue de causa contigit, quod Capitulum hoc munus a tam multis principibus per vim quasi adhuc quaesitum esse vidisset.

Quadragesimus quartus ille Magnus Ordinis Teutonici Magister Ducis Neoburgensis, Philippi Wilhelmi, filium tertium, Ludouicum Antonium, eundemque Abbatem Fescampensem, Mergenthemii his ritibus in ordinem recepit.

Ipse Magnus Magister cum Praefectis et Equitibus illum principem in templum primarium comitatus est. Comites Oettingenses, Hatzfeldenses et Fuggerani, qui ad honores eius inquirendos constituti erant, se nihil, quod gloriae eius ignominiosum esset, et impediret, quo minus in hunc ordinem Equestrem admitti posset, reperisse iureiurando affirmarunt. Tum Princeps se castitati operam daturum, in paupertate voluntaria victurum, et occasione oblata expeditionem contra incredulos suscepturum esse, iurisiurandi religione promisit. Quo facto, Magnus Magister album pallium cum cruce nigra, Ordinis insigne ei tradidit, his verbis ex consuetudine additis: *Aquam, panem et vestem Ordinis nostri, quamdiu viues, nos tibi daturos esse promittimus.*

Insequente die Magnus Magister se optare Capitulo indicauit, vt hic Princeps Magisterii socius sibi detur, suisque precibus locum fieri rogauit. Penes quos electio erat, tempus certum ad eam rem deliberandam sibi concedi postularunt, quo impetrato, multisque conuentibus habitis, se eum delecturos esse significarunt, nisi legibus certis, eum in finem ipsi propositis, subscribere grauetur. Quam conditionem cum accepisset, omnibus consentientibus est electus (*).

Prouinciae Ordinis in duodecim Balliuiatus seu territoria iam distribuuntur, quae sunt Alsatia (seu Burgundia) Confluentia, Austria, Etsch, Franconia, Hassia,

(*) Anno millesimo sexcentesimo octogesimo quinto hic Comes Palatinus, Ludouicus Antonius vere successit, quem anno millesimo sexcentesimo nonagesimo quarto vita defunctum, secundo (duodecimo) Iulii die, frater eius, Franciscus Ludouicus, Comes Palatinus, in hac dignitate secutus est.

sia, Biessa, Westphalia, Lotharingia, Thuringia, Saxonia, et Vltraiectum. Horum territoriorum priora quatuor adhuc ad iurisdictionem Prussicam, reliqua autem octo ad Germanicam referuntur. Vltraiecti inprimis Balliuiatum, quod attinet, is nunc prorsus in Batauorum est potestate. Harum prouinciarum vnaquaeque Praefectum habet prouincialem, quibus iterum nonnulli Praefecti domestici sunt subiecti. Duodecim Praefectis prouincialibus Capitulum constat, cui electio noui Magni Magistri Ordinis Teutonici competit. Huius sedes consueta, ex quo tempore Ordo Prussiam relinquere coactus est, perpetuo Mariaeualle seu Mergenthemii fuit.

Breuem illam de Ordine Teutonico eiusque Magnis Magistris benigne excipias, Comes Illustrissime, etiam atque etiam rogo, quod Te facturum esse pro Tua, qua ornatus es humanitate atque comitate facillime spero. Caeterum permaneo Tuus

Comes illustrissime,

seruus obedientissimus

I. S.

EPISTOLA NONA

AD

DOMINVM

THOMAM MILLINGTONIVM,

COLLEGII MEDICI PRAESIDEM.

DE

CONDITIONE STVDIORVM, LINGVA HODIERNA, ET INPRIMIS ARTE MEDICA POLONORVM, CVM DESCRIPTIONE RERVM QVARVNDAM NATVRALIVM, MEMORIA MAXIME DIGNARVM, ET PRAESERTIM MORBI CVIVSDAM, QVAE PLICA POLONICA DICITVR.

In Regno Poloniae, Vir amplissime et doctissime, Magnoque Lithuaniae Ducatu, duae sunt Academiae celeberrimae, Professoribus omnium Facultatum, quas vocant, florentes; vna quidem Cracouiae, a Casimiro Magno instituta, quam anno millesimo quadringentesimo primo Iagello ex coniugis suae, Hedwigae, testamento illustriorem reddidit, altera Vilnae, vbi principio quidem Gymnasium tantummodo fuit, a Rege Stephano fundatum, quod autem postea Valeriani, Episcopi eius vrbis, qui tam Collegia, quam reditus mirifice auxit, rogatu Pontifex Gregorius decimus tertius in Academiam mutauit.

In his duobus Academiis Latinitati seu Latino sermoni bene et pure discendo praecipue opera datur. Literas elegantiores quod attinet, eae a Polonis multo minoris, quam a caeteris nationibus aestimantur. Nihilominus tamen multi in iis sunt, qui versibus bene componendis maxime studeant; siquidem ad artem poëticam naturali quodam impulsu admodum feruntur. In colloquiis, praesertim potu largiore inuitati, quod saepissime fieri solet, auctores classicos identidem citant. Poëta ipsorum Sarbieuius Casimirus non parum decoris patriae suae attulit; siquidem in Odis suis Horatium imitari summo studio contendit, et genere scribendi haudquaquam contemnendo vti laborauit.

Multos historicos, qui Latino sermone scriberent, nominatim Cromerum, Starouolscium et alios complures Poloni habuerunt, qui omnes et singuli annales et constitutiones patriae literis consignarunt. Fuerunt tamen etiam in historicis Polonicis, qui vernacula lingua in libris conscribendis vterentur. Neque Theologi doctissimi, Philosophi peritissimi, Astronomi celeberrimi, Logici et alii viri eruditi ipsis defuerunt; siquidem magnus ille Astronomus, Nicolaus Copernicus, etiam ex prouincia Polonica, Prussia nempe regia, ex vrbe Thorunio, ortus est. Causa, cur praestantissimus ille vir non plura scripta reliquerit, ea esse videtur, quod eius tempore paucae, seu potius nullae officinae typographicae in Polonia essent, dum haec ars non ita paulo ante ibi recte florere coepit.

Linguas orientales Poloni prorsus negligunt, et tantum Latino sermoni pure loquendo et scribendo student. In quo sermone perdiscendo ita laborant, vt Doctor Connorus se seruum in Polonia habuisse mihi narrauerit, qui non nisi Latine secum collocutus sit. Quid? quod vel ipsam plebem in suis sermonibus hac lingua vsam esse legi, vti inter alia etiam ex priore huius libri parte in Stephani Batorii vita, apparet, qui Rex huic linguae maximam auctoritatem conciliare admodum laborauit.

Sicuti Poloni eandem cum Moscouitis, Bohemis, Croatis, Morauis, Silesis, Cassubiis, Bulgaris, Rhetis, Seruiis, Illyriis, aliisque nationibus habeant originem, ita, vt Cromerus ait, neque lingua ab iis differunt. Dialecti autem harum nationum ita inter se discrepant, vt nulla fere alias intelligere possit. Vocabula, in artibus mechanicis vsitata maxima ex parte ab antiquis Germanis petiuerunt, quibuscum olim, vti adhuc fieri solet, plurimum commercii illis intercessit. Imo adhuc vniuersae vrbes et pagi in Polonia reperiuntur, vbi sermo Germanicus obtineat, quod eo minus mireris, cum olim Germani colonias plurimas in hoc Regnum miserint; quae etiam causa esse videtur, quod adhuc multae nobilium Germanorum familiae ibi deprehendantur, vti ex eorum nominibus et insignibus iudicari licet. Caeterum Hebraicae quoque, Armenicae, Russicae, Tartaricae et nonnullis in locis Italicae etiam linguae vsus in Polonia est frequentissimus.

Linguam Polonicam neque vocabulis tam diuitem, neque pronuntiatu tam facilem esse, quam aliarum nationum linguas, ipse Cromerus fatetur. Cum enim Francicus, Italicus et alii sermones vocalibus literis plerumque constent, Polonicus ex meris fere consonantibus est compositus; verba enim habet, in quibus septem octoue consonantes vocali aut prorsus nulli aut vni tantummodo sint coniunctae, vt Chrzeszcz (quod vocabulum *vespam* denotat) quod cum multis aliis eius generis verbis Poloni ipsi vix pronuntiare possunt; quanquam in sermone quotidiano inter has consonantes sonum certum a vocalibus non adeo abhorrentem interponant, quem autem nullo modo scribere solent.

Linguam Latinam per totam Poloniam vsitatam esse, supra quidem dixi, id vero non ita intelligendum est, ac si liberi a matribus eam discant, vt in quibusdam Hungariae locis fieri solet, sed pariter atque alibi magistris vtuntur, qui eam ex certarum regularum praescripto illos doceant. Poloni autem multo facilius, quam aliae nationes eam discunt. Primo enim ipsorum indoles quasi ad eam procliuis est; deinde Syntaxis linguae Sclauonicae, vt vernaculae cum Latina Syntaxi vt plurimum conuenit, siquidem in vtraque lingua Nomina per Declinationes et Verba per Coniugationes flectantur; tum quoniam in omnibus pagis aut sacerdotes, aut alii viri idonei, ab iis, vel etiam ab Episcopis eo constituti, iuuentutem hac lingua instruunt; et tandem quia in omnibus vrbibus maioribus Iesuitae peculiaria Collegia habent, in quibus sermo Latinus cum adolescentibus assiduo exercetur.

Cum autem Polonus in hoc sermone ita profecit, vt aliis cogitationes suas in eo manifestare et de plerisque rebus loqui possit, se omnia, quae tam in scholis, quam in Academiis disci queant tenere arbitratur; siquidem Doctor Connorus neminem in Polonia sibi oblatum esse pro certo mihi narrauit, qui in doctrina ita profecerit, vt ii, quos in aliis terris inuenerit. Interim eos, qui Theologiae,

Medicinae aut Iurisprudentiae operam dent, singularem quandam et eximiam eius cognitionem vt consequantur, laborare, inficias ire non possumus.

Theologos Polonicos quod attinet, hi tantum quaerunt, quomodo Aristotelis Logicam et Metaphysicam cum Theologia sua scholastica possint coniungere. Quapropter de entitatibus, quidditatibus, modis, essentiis rerum, aliisque eiusmodi rebus praestantissimis (scilicet) loquentes eos identidem audies: quamuis enim res ipsas, de quibus agant, non intelligant, se tamen omnia praeclare gessisse putant, dummodo terminos logicos recte calleant. Albertum Magnum Poloni plurimi faciunt, eumque, si quid grauissime affirmare velint, haud secus atque Hispani et Itali Aristotelem, citant; quanquam etiam a Polonis magnus ille Philosophus non minoris, quam ab aliis nationibus, aestimetur. Rarissime tamen, praesertim in argumentis dubiis, veram eius mentem assequuntur; siquidem plurimos, eosdemque satis verbosos Commentarios, quorum alter alteri repugnat, in eius scripta ediderunt.

In Theologia Practica Polonicorum Theologorum oppido pauci admodum proficiunt. Veteris et noui Testamenti sensum perraro inuestigant; de Christianissimo autem veteris ecclesiae, et de historia ecclesiastica nihil fere intelligunt. Vt verbo dicam, eximia fidei Christianae praestantia exploranda raro cerebrum sibi fatigant, sed fide implicita, quam vocant, et coeca erga ecclesiae Conciliorumque decreta obedientia, solis ducibus vtuntur. Si quis dogmatum sacrorum causas rationi consentaneas inuestigare velit, id maxime improbant, quasi lex vel doctrina, a Deo profecta cum ratione conuenire nec possit, nec debeat. Thomas Aquinas et Scotus plurimum apud eos valent, et si in duorum illorum virorum celebrium scriptis scholasticis bene versati sunt, ad summum doctrinae gradum se adscendisse opinantur.

Iurisconsultorum magna copia in Polonia reperitur, inprimis Petricouiae et Lublini, vbi duo suprema Regni iudicia sunt. Hi et Romano iuri, et suis constitutionibus seu statutis cognoscendis operam dant. Regni proceres inter se causas forenses raro agunt. Sed si in controuersias inciderint, gladio potius eas dirimunt, numerososque exercitus in aciem producunt. Quamuis autem iure litem diiudicare constituant, ad nullum aliud tamen iudicium, quam ad conuentum comitiorum generalem causam deferunt. Veruntamen Poloni omnes fere et singuli admodum inuiti lites forenses agunt, idque nulla alia de causa, nisi quod rixandi et lucri faciendi libidinem timeant, qua causarum patroni infames sunt, quorum probitas et integritas in Polonia ita, quam in vllo alio Europae loco, in dubium vocatur.

Doctor Connorus ad causidicum quendam, Varsauiae aegrotantem, aliquando arcessitus est, cuius morbus is erat. Lingua eius cancro affecta, ita intumuerat, vt non modo totum os expleret, verum etiam in pollicis, crassi quidem illius, latitudinem ex eo propenderet, ita vt non nisi per nares spiritum posset ducere. Quem simulac Doctor Connorus conspexit, protinus nullum aliud remedium superesse dixit, nisi vt ad mortem se pararet; quae etiam haud ita multo post vere insecuta est. Sed hic causidicus litibus forensibus agendis magnas opes sibi pepererat. Quas maxima ex parte malis artibus dolisque nefariis acquisitas esse cum plerique existimarent, singularem illam et inauditam mortem naturali causae nullo modo adscribendam, sed potius poenam Dei manifestam habendam esse constanter iudicarunt, qui rabulam illum eodem membro, quo tot homines innoxios afflixisset, suisque bonis defraudasset, viuum adhuc castigare voluerit.

Medicos quod attinet, eorum non maximus in Polonia est numerus, et pauci illi, qui ibi reperiuntur, plerumque Francogalli, Itali, vel Germani sunt. In Polonia enim nati medicae arti rarissime student. In patria enim solidam eius cognitionem sibi comparandi occasio illis deest, et nobiles, qui opibus freti in terras peregrinas eius discendi causa proficisci possint, aut negligentia, aut superbia impediuntur, quo minus arti studeant, cuius cognitio tantum negotii, exercitium vero tam singularem prudentiam et cautionem requirat.

Doctor Connorus medicum adolescentem Romae sibi oblatum esse mihi narrauit, quem ardor suae artis solide discendae ex Polonia eo compulerit. Nonnulli popularium eius, qui eodem tempore Romae fuerant, patrem eius Polonicum rusticum, diuitiis valentem, et clientem seu mancipium Starostae alicuius, nomine Cowalscii, esse, Doctori commemorauerant; qui Staroста filium eodem modo atque patrem cum ex iure seruum vsurpare potuisset, patri necesse fuisse, vt filii libertatem centum Imperialibus redimeret, antequam eum in Academiam, et postea in terras peregrinas mittere ipsi liceret.

E quibus Tibi, Vir amplissime, facile erit iudicare, quam exigua in Polonia sint incitamenta ad literarum studia amplectenda. Homines enim plebeii, qui nobiles nouies fere numero superant, aut dura seruitute aut inopia pressi, minus idonei ad ea redduntur studia, et tamen homines humillimae et deterrimae conditionis disciplinis atque doctrina omni tempore plurimum profecisse certum est, primum quidem quoniam eorum corpora ad duram vitam agendam aptiora sunt, et deinde quoniam nulla alia via, quam meritis suis ad honores adscendere queunt.

Antequam de morbis in Polonia grassantibus, et de remediis morborum ibi vsitatis quaedam dicam, res quasdam naturales, quae in hoc Regno deprehendantur, maxime memorabiles, partim ex Doctoris Connori commentariis, partim ex aliis Polonorum scriptoribus fide dignis a me collectas paucis describam.

In Russia ad fluuium Sanum arbores nonnullae in terra defossae sunt repertae, radicibus prorsus carentes, et colore tam nigrae, quam ebenum. Quas a diluuio inde Noachico ibi delituisse huius regionis incolae tradunt. Sed potius diu post a flumine, quem modo dixi, e terra euulsae, et per arenam a putredine esse seruatae videntur. In plurimis cum Poloniae tum Lithuaniae locis deprehenduntur primo lapides, quae ligna antea fuisse dicuntur, tum multae glebae, quarum altera alteri est imposita, et quarum indoles a monocerotis cornubus non multum abhorret, et denique argentum, quod cum a rupibus haud secus atque capilli dependeat, argentum capillare seu vegetans appellatur.

Haud procul a Iauorisuia, in territorio Leopolienſi, ad Russiae Palatinatum pertinente, stagnum est, (quod Poloni *Skla*, id est, *vitrum*, vocant) vbi paruum oppidum quondam exstructum fuit, quod nunc in terram subsidit. Huius stagni aqua vehementi, sulphureo et foetido est odore, sed ita limpida, vt crystalli speciem habeat, sapore admodum insuaui. Hanc aquam medici Polonici aegrotis bibendam commendarunt, vt remedium ad amissam valetudinem prosperam recuperandam vtilissimum, et vnus ex iis, Sixtus Leo, qui in Polonia quam maxime celebratur, commentarium eruditionis plenum de ea scripsit. Vsus eius est frequentissimus, et aegrotis in multis casibus plurimum conducit. Multa alia quoque balnea a natura ipsa parata in hoc Regno reperiuntur, quae varia tubera et vlcera et ab hominibus et a pecoribus depellunt. In Comitatu Scepusiensi ad Poloniam maiorem pertinente est fons quidam a rupe delabens, cuius guttae in lapideam duritiem concrescunt, vbi per prata ad molas aqua eius decurrit. Lacus Biala (per antiphrasin sic dictus, *Biala* enim lingua Polonica *album* significat) Aprili et Maio pisces in se contentos puniceos reddit, qui vero postea colorem naturalem recipiunt. Lacum Crinicensem in Palatinatu Belzensi ad Russiam Rubram pertinente, binis aut ternis quibusque annis exaestuantem omnes vndas suas breui tempore per ignotas speluncas seu canales quasi abigere, ita vt pedibus fere transire possit, cum antea admodum profundus fuerit, paulo post autem per easdem vias vndas eiectas horrendo strepitu rursus attrahere Cromerus narrat.

Doctor Connorus sibi in Polonia relatum esse in commentariis suis tradit, anno, antequam ipse eo peruenerit, Velasci (quod oppidum Reginae proxime defunctae fuit) in fluuio Sano mullum quatuor vlnas Polonicas seu ex nostra mensura octo pedes amplius longum, pondere autem ducentas saltem libras grauem, fuisse

fuisse captum. Idem eiusdem generis et magnitudinis pisces in hoc fluuio quam plurimos esse, et, vt fama sit, compagem ossium integri hominis (qui paulo ante fluminis huius vndis suffocatus esse videtur) cum cultro et vagina in eiusmodi piscis ventre repertum fuisse commemorat. Praeterea hunc piscem squamis carere est notandum. Aliud insuper piscium genus in Lithuania deprehendi Doctor Connorus tradit, quibus homines ad tempestatis mutationes praesentiendas vtantur, dum eos vasculo indant, et obseruent, cum strepitum vehementiorem edant, quod tempestatis paulo post mutandae signum esse indubium putent.

Apud Louicium in Palatinatu Rauensi in Polonia inferiore seu maiore sita genus quoddam auium reperitur, quae magnitudine passeres fere aequant. Hae aues quoniam cum niue veniunt, et cum eadem rursus discedunt, niuis aues dicuntur. Nusquam fere alicubi in toto Regno conspiciuntur, nisi in hac regione. In Russia et Podolia genus quoddam coturnicum virides pedes habentium in campis reperitur, quae, si eduntur, spasma efficiunt. Ibidem genus quoddam hirundinum et merularum inuenitur, quae autumno exeunte pedibus attractis aliisque compositis aquis submerguntur, vbi per totam hyemem viuunt; vere autem ineunte, statim rursus emergunt et auolant. Interdum praematurae hyberno tempore retibus piscatoriis extrahuntur, vbi quidem prope ignem positae viuescunt, sed plerumque tamen paulo post rursus exspirant.

In Polonia maiore sunt porci, qui in omnibus cum aliis porcis conueniunt, nisi quod vngulas fissas non habeant. Ita etiam in Polonia, saepius autem in Lithuania genus quoddam animalium paruorum, mustelis haud absimilium, reperitur, quae sermone Polonica *Zaſſycz* appellantur. Horum pellis, pellibus hermelinis aliquanto vilior, per aestatem colore puniceo est. Cum primum autem niues cadunt, vna nocte prorsus albescunt, neque prius, quam verno tempore, pristinum colorem recipiunt. Magnitudine haec animalia sciuris non multum cedere videntur. In vna epistolarum praecedentium vrorum, quorum maximus in Polonia est numerus, mentio facta est. Illi igitur, cum ad iustam staturam excreuerunt, eximiae sunt magnitudinis, et valida cornua nigri coloris, extremitates versus parum introrsum flexa, habent. Quibus cornubus equum vna cum equite in aëra proiicere, imo arbores haud exiguas e terra eruere possunt. Inter eadem cornua duo aut tres viri vna commode sedere queunt. Cutis horum animalium admodum scabra est, et sub mentis ipsorum bina aut terna palearia dependentia crassa plerumque crescunt. Cornubus ipsorum venatores vti solent. Hoc loco alia quaedam animalia non satis nota, quae in hoc Regno offenduntur, describere poteram, cum autem in historia quadrupedum a Gesnero conscripta satis copiose de iis dictum sit, merito ea praetereo. Hoc tantum adhuc obiter notabo, quod vrsi Polonici per longum tempus, hyeme praesertim, sine cibo vitam agere possint.

Antequam hoc argumentum deseram, facere non possum, quo minus de rebus quibusdam maxime memorabilibus aliquid referam, quae Doctori Connoro, cum in Polonia versaretur, sint oblatae. Ex eius commentariis percepi, a duobus monachis, quibus nomina essent Ludouico et Fulgentio soleam equi ferream, in cuprum mutatam, vti etiam aliam massam ferream ipsi monstratam esse, quae fontis cuiusdam, in Hungaria scaturientis, efficacia eiusdem metalli indolem induerit; deinde, fragmenta quaedam crystalli naturalis ab iisdem monachis ipsi ostensa esse, in quibus mediis aqua fluida sit reperta; tum ab horum monachorum posteriore duo crystalli fragmenta, a montibus Sabaudicis allata, ipsi donata esse, quae, cum antea candorem lacteum habuerint, postea sua sponte pellucida facta esse hic monachus affirmarit.

Idem Fulgentius, Doctore Connoro referente, argentum fulminans fortuito quodam casu produxisse dicitur, hoc modo: Massam quandam argenteam chrysulca dissoluit, cui tartarum, quod vocant, in puluerem comminutum immiscuit, quod tartarum pariter mediocris caloris ope mox dissolutum est. Cum postea in vase testaceo humorem exhalari siuisset, vt haec mistura paululum arescereret,

ret, puluis calore aucto praeter ipsius exspectationem in lagena quadam magna cum strepitu erupit, et totum conclaue, vbi erat, fumo et vapore impleuit. E tribus vnciis puluerис, quas in vase habuit, vix tres drachmae, vase tamen illaeso, sunt relictae. Propositum eius, quod in hoc puluere parando haberet, fuit, vt aliquid argento obduceret. Sed aqua fluida, tartaro commixta, hunc effectum producere videtur.

Idem monachus praeclarum quendam salem volatilem, quem vocant, ex centaureo minore comparauit. Sic quoque liquorem quendam rosaceum, puluери nitrato incendendo aptum confecit.

Deinde etiam conclaue rerum memorabilium a Regis Iohannis Casimiri medico primario, Doctore Bernitio institutum, Doctor Connorus vidit, siquidem ab eiusdem Doctoris Bernitii vxore vidua Varsauiae illud ipsi monstratum est, quae foemina sermonem Latinum pure locuta est, in quo sermone cum eo consuetudinem saepius egit. In hoc conclaui permultas in lapides conuersas vuas, serpentes, ligna, bufones et alia, vti etiam ingentem concharum et mineralium copiam, et varia gummium genera fuisse dicit. Deinde vas vitreum, tempestatis vicissitudines praedicens, in serpentinae, quam vocant, formam factum, et diuersis gradibus, certorum articulorum seu flexuum adminiculo distinctis, constans, ibidem reperit, in quo contentum spiritum vini color manuum leuissimus aliquantum in sublime egisse dicitur. Porro columbam marinam seu piscem, a columbae forma haud abhorrentem, funiculo suspensum vidit, quem piscem in eam, vnde ventus spiret, regionem semper conuerti, et a quo guttas aliquot aquae tempestate pluuia decidere solere, Doctoris Bernitii vxor affirmat. Praeterea in hoc conclaui multa et magna alcium cornua, aliarumque belluarum ossa nonnulla monstrosa coniunctim posita conspexit. Omnia plantarum et herbarum genera is, quem saepius dixi, Doctor Bernitius diligentissime collecta chartis agglutinauerat. Tandem complures variarum rerum adumbrationes easdemque elegantes, ab ipsius Bernitii manu depictas, Doctor Connorus ibi reperit.

Poloni vitrum ex cineribus esculorum magnisque silicibus contusis conflant. Quas duas materias commixtas per duodecim horarum integrarum spatium coquunt, donec vitri indolem induere coeperint. Si subtilius, quam plerumque esse solet, illud fieri volunt, singularem quandam terram, colore atque duritie tartaro haud absimilem, admiscent. E qua terra vitrum, prout multum aut parum eius ipsi admiscetur, diuersos colores attrahit. Si materiis, quibus vitrum conflatur, sal immiscetur, liquidiores eae fiunt, et facilius tractari possunt.

Interdum fieri solet, vt homines, qui in hoc vitro conficiendo occupentur, aut liberi ipsorum fragmentis vitreis clibano circumiacentibus nudos pedes vulnerent; vbi mirabili curatione vtuntur. Quantum feruidae illius materiae cochleare capit, tantum vulneri imponunt. Id quod fragmenta vitreae e carne confestim extrahit, et tum vulnus emplastro dolores leniente imposito facillime sanatur.

Artem medicam eiusque exercitium in Polonia quod attinet, ea admodum imperfecta sunt. Ipsi Doctores medicinae de iis, quae in anatomicis et chymicis recenti memoria sunt inuenta, nihil sciunt. Quid? quod materia medica illis vix nota est; saltem eorum, quam de illa habent, cognitio non est amplissima. Medicamenta, quibus vtuntur, omnia omnino e Galeno sunt petita, et ea quidem deterrima. Recentiorum scriptorum, praesertim Anglicanorum, notitiam habent peranguſtam; nisi forte merum eorum nomen audiuerint. Medicis quidem Anglicanis hanc laudem tribuunt, quod artis peritia omnes caeteras nationes antecellant; id pariter tamen a rumore potius, quam a solida nostrum, nostrorumue scriptorum cognitione proficiscitur.

In curationibus suis iisdem, quibus nos, rebus, vt mercurio, chalybe, antimonio, china chinae, salibus volatilibus, spiritibus volatilibus, aliisque rebus vtuntur, quae omnia in Poloniam, inprimis autem Varsauiam deferuntur, aut a

Germanicis pharmacopolis parantur. Ita Reginae proxime defunctae pharmacopola erat Germanus, artis chymicae peritissimus. Quanquam autem Poloni iisdem medicamentis vtuntur, quae nos aegrotis adhibere solemus, ratio tamen, quomodo ad singulos morbos depellendos singulis quibusque vtantur, illis ignota est. In deliberationibus suis singularum rerum causas non explorant, sed contenti sunt, dummodo scriptoris aut Professoris alicuius auctoritate sententiam suam confirmare possint.

Morbi, qui in aliis terris grassantur, iidem in Polonia vsitati sunt. Lues venereae admodum frequentes sunt, ratio vero illarum per saliuam depellendarum minus, quam apud nos, consueta est, sed sudando potius foedo illi malo mederi student.

Doctor Connorus, se in Polonia commorante sex circiter milliaria a Varsauia hominem quendam eruditionis expertem in silua quadam vixisse narrat, qui omnes morbos venereos ad summum intra septem octoue dierum spatium balnei cuiusdam, cum trium quatuorue herbarum (quas autem nunquam manifestare voluerit) generibus antea decocti, ope sanare conaretur. Huius balnei praecipuam materiam helleborastrum et capillum veneris seu adianthum nigrum, quantum ipse iudicare potuerit, fuisse, Doctor Connorus existimat. Hic igitur vnguentarius aegrotos suae curae traditos in his herbis decoctis et adhuc calidis quatuor dies continuos lauit, easdemque ipsis, quamdiu balneo vterentur, saepius bibendas praebuit. Quatuor diebus posterioribus angusto quodam eundem in finem constructo tepidario eos texit, quo herbarum illarum decoctarum vapore calido eo vehementius ferirentur. Quid? quod culcitram plumariam huic tepidario superstrauit, ne minimum quoddam erumperet, sed omnis vapor in nudum aegrotorum corpus repelleretur; quid ipsis sudorem expressit quam vberrimum, vbi pariter, sicut antea, herbae illae decoctae erant bibendae. Quo sudore, lauacro et potu hunc hominem multis lue venerea laborantibus egregiam et prorsus mirabilem opem tulisse Doctor Connorus ex virorum fide dignorum testimonio tradit; magnum autem hominum concursum perpetuo ad ipsum factum esse, et mercedem totius sanationis eius vltra duos Imperiales non excurrisse, idem sua experientia affirmat.

Alios morbos quod attinet, scorbutus Polonis parum notus, seu potius prorsus ignotus est, ita etiam ipsi febribus malignis raro affliguntur, periculose nunquam laborant; sicuti etiam neque pleuritis seu dolor laterum, neque reliquae corporis affectiones tantum periculi in Polonia, quantum in aliis terris secum afferunt. Vulnera et vlcera crurum plerumque insanabilia ibi existimantur. Superioris Polonorum Regis sororem, e Ducis Radziuili stirpe ortam anno aetatis sexagesimo quarto menstruis adhuc laborasse Doctor Connorus mihi narrauit; qui etiam, se Varsauiae agente, virum quendam medicamento ad aluum ciendam adaptato vsum esse, et antequam illud effectum praestiterit, cum foemina quadam concubuisse, tradit, eoque factum esse, vt foeminae huius aluus sine mora vehementissime moueretur; vir autem ne minimam quidem huius medicamenti operationem sentiret.

Praeter eos autem, quibus aliae quoque nationes afficiuntur, morbos duo insuper mala peculiaria in Polonia sunt vsitata, quorum vnum a Polonis quidem *Colton*, a nostratibus autem, Anglis scilicet, *Plica* (*), alterum autem *Rosa* vulgo vocatur. Prioris mira profecto est conditio, et artis medicae periti in suis scriptis eius mentionem saepissime facere solent; vti etiam Doctor Connorus omnium, de quibus vnquam audiuerit, morborum eum maxime memorabilem esse affirmat. In eo autem hic morbus cernitur, vt capilli, haud secus atque lanae coactae, inter se implicati, perplexi et intricati sint. Interdum hae tricae per totum caput sunt expansae, eaedemque non tantum ita latae, vt humeri iis obtegantur, sed etiam

(*) Germanice nonnulli *Iudenzöpfe* vocant.

etiam tam longae, vt ad mediam vsque corporis partem dependeant, quapropter qui hoc morbo affecti sunt, eas in peram quam vocant capillarem inserere et ita gestare solent. Plerumque autem cirri perplexi, et vulgo quidem ab vno tantum latere, dependent. Aliis capilli ad caput agglutinati quasi sunt, ita fere, vt infantibus porrigine affectis accidit; quanquam alias Plica laborantes a scabie infestari non solent. Hos capillos perplexos Hauteuillius canum aquatilium auribus comparat. Doctor Connorus, se in Polonia praesente, virum aliquem nobilem in palatio regio viuentem, hoc malo ita affectum fuisse commemorat, vt eius capilli, perplexi ab humeris, sicuti pallium, dependerent.

Vna vero nocte capilli ita implicantur. Etsi multi sunt, qui huius morbi originem ignauiae et negligentiae Polonorum adscribere velint, (siquidem Doctor Connorus ipse, cum modo in Poloniam venisset, in eadem sententia fuit) non tamen fieri posse videtur, vt tam breui temporis spatio eiusmodi implicatio oriatur, quamuis capilli non depectantur, praesertim, cum Poloni circa aures, sicut monachi, tonderi soleant.

Affectiones hunc morbum comitantes eaedem fere sunt, atque eae, quae luem veneream sequuntur, vt grauedo, conuulsiones membrorum, sed aliae plures. Sed neque putredinem seu cariem in ossibus, neque vlcus in ore, aut in aliis corporis partibus hic morbus gignit. Capillo resecto, non modo eas, quas dixi, affectiones multo vehementiore impetu redire, verum etiam oculorum aciem admodum corrumpi, imo nonnunquam coecitatem omnino consequi, vti etiam dolores capitis excitari, magnos cruciatus in articulis oriri, vomitum vehementissime cieri, omnia membra breui tempore rigere et debilitari, in digitorum vnguibus maculas paruas albi coloris efflorescere, et tandem in toto corpore tubera et pustulas produci vulgo dicunt.

Doctor Connorus autem toto coelo eos errare affirmat, qui omnes eas, quas recensuimus, affectiones capillorum resectioni adscribant: semetipsum enim eiusmodi cirros resecuisse, nunquam autem sanguinem aut aliud quoddam sensus alicuius signum secutum esse, imo Polonos ipsos nullum eius exemplum afferre posse dicit. Hauteuillius pariter exempla plicae resectae sine malis illis effectibus consequentibus se scire affirmat.

Nonnulli existimant, hunc morbum esse contagiosum; adeo, vt, qui apud eum, qui eo affectus sit, dormiat, eiusque sudorem attrahat, ei hoc malum necessario adhaerescat. Quid? quod alii haereditarium illud esse, et a parentibus ad liberos propagari arbitrantur. Verumtamen exempla nota sunt, quod homines eo affecti fuerint, quorum parentes ab ea liberi essent. Quapropter illud a nutricibus necessario proficisci, alii putant; cui opinioni vtrum fides adhibenda sit, nec ne, prudentiores iudicent. Tandem hunc morbum non semper in Regno Polonico saeuire nonnulli contendunt.

Sed non homines tantummodo, verum etiam bestiae eo afficiuntur; siquidem equos, canes et alia animalia hac lue saepius laborasse audiuimus. Peregrini etiam, cum aliquod temporis spatium in Polonia commorati sunt, eam nanciscuntur; quanquam Hauteuillius extraneis, quamuis vel diutissime in Polonia fuerint, hoc malum nunquam accidere affirmat, eam afferens causam, quod hi capillos, cum primum implicari coeperint, protinus resecent, id quod Poloni nullo modo facere audeant, verentes, ne eo coecitatem sibi contrahant.

Plebs in hoc morbo ita superstitiosa est, vt vetulae, si infantes aliquamdiu infirma valetudine laborasse viderint, eorum capillos ipsae implicent et perplexentur, matribus persuadentes, hanc infirmam liberorum valetudinem a nulla alia causa, nisi a plica occulta, quae erumpere non possit, proficisci. Sed in aliis quoque rebus Poloni admodum superstitiosi sunt, ita, vt exempli causa nullam ciconiam interficiant, verentes, ne hoc faciendo grauissimum sibi malum contrahant. Consuetudo, cuius in praecedente aliqua epistola iam mentio facta est, qua hominibus mortuis caput amputant, tam frequens inter eos est, vt vel ipsa Regina

proxima defuncta ad id praecipiendum quondam induceretur. De popularium suorum, Francogallorum in regione quadam Varsauiae ipsis concessa (quae propterea *Petit Paris* seu *Lutetia Parisiorum minor* vocabatur) habitantium morte creberrima ad eam relatum erat. Quo igitur mori desinerent, eum, qui postremus humatus sit, rursus effodi et capite truncari iussit. Sed monachus quidam, ex Capucinorum ordine, qui a Confessionibus illi erat, hoc approbare constanter recusauit, et statutis ecclesiasticis prorsus repugnare, eam docuit. Verum insuper monacho cuidam Dominicano, qui huic actioni interesse iussus erat, anathema minitari necesse habuit; alias enim, quamuis Regina melius esset instructa, ea effossio non esset intermissa.

Sed vt ad plicam redeamus, ea in Lithuania frequentior est, quam in Regno Poloniae; finitimae autem prouinciae, vt Moscouia, Tartaria, et aliae terrae, ab ea prorsus liberae sunt.

Superior Polonorum Rex, Iudaeo quodam, Doctore Iona, medico primario vtebatur. Hic saepissime hoc malo laborantibus frictione et vnctione adhibenda et capillo resecando curationem admouit felicissimam. Caeterum huic morbo Alopecia seu capillorum defluuium saepissime coniunctum esse solet.

Causam plicae Poloni eam afferunt. Tradunt nempe, anno millesimo ducentesimo septuagesimo nono horrendam a Tartaris in suam terram irruptionem esse factam, ab iisque ingentem incolarum multitudinem interfectam, et eorum corda e corporibus euulsa, veneno infecta atque in fluuios abiecta. Vnde factum esse, vt aquae inquinarentur, et, qui ex iis biberet, graue illud malum sibi contraheret. Cui narrationi Doctor Connorus fidem non adhibet, sed causam huius mali occultam esse, et a nullo adhuc medico explorari potuisse arbitratur. Extraneorum plerique negligentiae Polonorum illud adscribunt, qua opinione eo inprimis confirmatur, quod semetipsos ob eam, quam supra attulimus, causam hoc morbo non infestari videant.

De Episcopo Posnanienſi Doctori Connoro, et quidem, vt videtur, ex ipsius ore, narratum est, eum adolescentem etiam plica laborasse, et, cum eam suis ipsius manibus resecuerit, non modo aciem oculorum eius valde hebetatam, vt sat longum temporis spatium coecutiret, sed etiam ingentes membrorum dolores et acerbos cruciatus secutos, imo pedes euidentissime distortos esse. Postea capillos eius rursus creuisse, et quidem pariter ita, vt antea, perplexos. Tum vero et parentes et praeceptorem quam seuerissime ei interdixisse, vt iterum plicam resecare auderet. Quamdiu huic interdicto morem gessisset, a doloribus pristinis prorsus liberum eum fuisse; postquam vero ei parere desiisset, et taedio impulsus cultro clam arrepto hoc malum, vt antea, sanare constituisset, priores affectiones corporis et quidem multo maiore cum vehementia confestim reuersas esse. Tum neque cultrum, neque forficem ei relinquere omnem familiam iussam esse, ne forte denuo pristina mala sibi contraheret. Nihilominus tamen vnum cognatorum eius misericordia motum ipsi cultrum clam suggessisse, quo tertium sibi cirros resecaret. Quo facto innumerabiles et intolerabiles fere dolores cum multis aliis incommodis esse subsecutos. Ex eodem Episcopo Doctor Connorus audiuit, in vna nocte capillos, quamuis diligentissime et saepissime pectantur, ita inter se implicari, vt, si capilli saepius resecentur, dolores et alia incommoda multo esse grauiora, quam si per aliquod tempus alantur; eum, cum primo iterumque cirros suos resecaret, humidam quandam et leuem materiam capillorum suorum meatus copiose penetrantem, simulque cincinnos valde incuruantem et contrahentem manifesto sensisse; et denique ei, si caput obtexerit, humoribus, qui e capite erumperent, interceptis et caput versus repulsis, intolerabilem aestum atque cruciatum creatum esse.

Haec Episcopi Posnanienſis narratio confirmat id, quod microscopiorum ope iam experti sumus; vnumquemque pilum genus quoddam tuborum paruorum esse,

esse, quibus tam nutrimenta, quam ii, quos antea dixi, vapores ad extremas partes videantur duci.

Alter morbus, in Polonia inprimis saeuiens, *Rosa* est, quam eius mali, quod erysipelas Graeci vocare consueuerint, genus quoddam esse Hauteuillius arbitratur. In facie inprimis hic morbus se exserit, et creta radendo comminuta loco affecto imposita depellitur. Missio autem sanguinis hoc morbo laborantibus nisi mortifera, saltem tamen admodum periculosa esse dicitur.

Haec sunt, Vir amplissime, quae de Polonorum eruditione, inprimisque de arte medica, vti etiam de memorabilibus quibusdam naturae rebus Tibi tradere. Quae quamuis ea, qua par est, diligentia tractata non sint, Te tamen pro ea, qua ornatus es, facilitate, mihi ignoturum et has literas benigne accepturum esse spero. Caeterum permaneo Tuus,

Vir amplissime

seruus obedientissimus

I. S.

EPISTOLA DECIMA

AD

DOMINVM BRIDGESIVM,

DOMINI CHANDOISII FILIVM NATV MAXIMVM ET REGIAE SOCIETATIS SODALEM.

DE

DVCATV CVRLANDIAE, EIVSQVE STATV HODIERNO; DE ORIGINE ORDINIS LIVONICI, ET EIVS STATV SVB ALIQVOT MAGNIS MAGISTRIS, VSQVE AD GOTTHARDVM KETTLERVM, PRIMVM CVRLANDIAE DVCEM; VTI ETIAM CVM DE HVIVS, TVM SEQVENTIVM DVCVM IMPERIO.

Ea quidem, quam literis mandatam ad Te, Vir generosissime, misi, Ducatus Curlandiae descriptio haud exigua cum festinatione, et e scriptoribus non parum confusis congesta est; huius tamen defectum ea relatione quodammodo compensatum iri, spero, quam Vir Illustrissimus, Liber Baro de Blumberg, qui in proxime superioris Ducis Curlandiae palatio egit, per Doctorem Connorum tradidit.

Ducatus Curlandiae, prouincias duas, Curlandiam stricte sic dictam et Semigalliam complectens, septentrionem et occasum versus mari Balthico, ortum versus Magno Lithuaniae Ducatui, et meridiem versus Ducatui seu Prouinciae Samogitiae finitima est. In longitudinem trecenta circiter Prussica seu quinquaginta Germanica milliaria patet, si a Memelia, Prussiae vrbe, vsque ad Rigam, Liuoniae vrbem, numeres. Latitudo huius Prouinciae a mari Balthico ad Lithuaniam et Samogitiam aliis in locis triginta, aliis viginti quatuor, aliis adhuc pauciora milliaria conficit.

Prouincia ipsa admodum plana, fertilis, et ab antiquis inde temporibus incolis frequens est. Pars Liuoniae est, et cum Ordinis Teutonici Equitibus adhuc erat subiecta, plus quam dimidia eius pars haberi poterat; nunc autem admodum angustis limitibus est inclusa. Nonnulli Liuoniam in regiam et in ducalem diuiserunt, quarum prior in Regis Sueciae, posterior autem in Ducis Curlandiae potestate est; quanquam circa seculum nonum etiam haec eatenus Regi Sueciae sub-

iecta fuit, vt certum tributum ei quotannis solueret. Nonnulli scriptores Curlandiam peninsulam esse tradiderunt; sed haec opinio facillime refutari potest.

Ex Baronis de Blumberg narratione anno demum millesimo quadringentesimo duodenonagesimo Curlandia prorsus subiugata et ab Equitibus Ordinis Teutonici occupata est, postquam Volquinus secundus Magnus Liuonici Ordinis Magister non multo ante in suam terram eos arcessiuerat.

Prima fidei Christianae amplectendae fundamenta Ansgarius, Danorum Suecorumque Apostolos in Liuonibus iecit, vti Adamus Bremensis in sua narratione de nationibus septentrionalibus commemorat. Postea seculo vndecimo exeunte mercator quidam Regis Daniae iussu templum ibi aedificauit; quod autem parum profecit, donec aliquis e sequentibus Danorum Regibus Waldemarus secundus, Episcopatum ibi fundauit. Veruntamen ne hoc quidem Christiana religio in Liuonia recte florere coepit, id quod duodecimo demum seculo factum est, cum anno millesimo centesimo octogesimo Meinhardus de Segeberg ex vrbe Lubecia oriundus, in religione salutari latius propaganda singularem curam impenderet, et per Archiepiscopum Bremensem primus Liuoniae Episcopus constitueretur.

Hunc anno millesimo centesimo nonagesimo quarto Bertholdus, Abbas Cisterciensis in Francia, excepit, qui vrbem Rigam condere coepit, et primo quidem Episcopus, deinde vero Archiepiscopus Rigensis appellatus est. Sed primo statim anno post electionem in proelio cum infidelibus commisso cecidit.

Post hunc alius, Albertus nomine, creatus est, sub cuius Archiepiscopatu Pontifex Ordinem Equestrem Liuonicum instituit, vt per eum fides Christiana eo latius diffunderetur.

Primus huius Ordinis perfecta et absoluta potentia valens, Magister erat Vinno, anno millesimo ducentesimo quinto electus. Hic Vendam, Segeuoltum et Ascherodum exstruxit. Waldemarus secundus autem, Rex Daniae sub suo imperio Reualiam, Naruam et Vitemburgum in Estlandia, et Piltenum in Curlandia, vbi antea Episcopatum fundauerat, condidit. De postremi huius loci aedificatione sequentia narrantur. Rex Waldemarus, cum nouam vrbem condere constituisset, Ernemodum, Episcopum, huic regioni a se praefectum, interrogasse dicitur, quo in loco fundamentum eius commodissime poni posset? Cui Episcopus respondisse fertur; Si Tibi, o Rex, placet, illuc fundamentum ponas, vbi hic *puer* stat. Vnde hic locus nomen esse sortitus videtur; *Pilten* enim, vt Pontanus tradit, huius prouinciae sermone *puerum* seu *ministrum* significat. Caeterum Vinno cum duodeuiginti annos Magisterio praefuisset, illud

Volquino, secundo absolutae potentiae Ordinis Magistro anno millesimo ducentesimo vigesimo tertio concessit, a quo Felinum in Estlandia eodem anno aedificatum est. Anno millesimo ducentesimo trigesimo quarto Magnus Ordinis Teutonici in Prussia Magister, Hermannus de Salza, eius Ordinem cum suo et regulis et vestitu coniungi ab eo petiit. Cuius preces quamuis Volquinus reiiceret, illud tamen post eius obitum anno millesimo ducentesimo duodequadragesimo factum, et haud ita multo post a Pontifice Gregorio nono, et Imperatore Friderico secundo confirmatum est.

Tum eodem anno millesimo ducentesimo duodequadragesimo a Prussico seu Teutonico Ordine Hermannus Balkius primus prouincialis Ordinis Liuonici Magister constitutus est.

Secundus erat Henricus de Heimburg, anno millesimo ducentesimo quadragesimo creatus, qui aeque parum, atque decessor suus, Curlandos, paganismo adhuc deditos, bello persecutus est, quamuis et Vinno et Volquinus id fecissent.

Tertius erat Dietericus de Groningen, quem anno millesimo ducentesimo duodequinquagesimo Equites Liuonici a Prussis Magistrum prouincialem acceperunt. Hic magno exercitu collecto Curlandos oppressit, loca quaedam, quae sibi

sibi resisterent, cepit, Goldingamque in Prouincia Curlandiae aedificauit. Curlandi igitur, cum ad fidem Christianam amplectendam se vi coactum iri vererentur, Ducis Lithuaniae, qui tum erat, Mindogi, tutelae se tradiderunt; quanquam Curlandiam iam longo tempore ante in Lithuanorum potestate fuisse Lithuanici scriptores narrant.

Quartus Magister prouincialis erat Andreas de Stuckland, anno millesimo ducentesimo quinquagesimo constitutus. Hic tam praeclare se gessit, vt non modo breui tempore Semigallos ethnicos cogeret, vt Ordini Teutonici tributum et obedientiam promitterent, verum etiam eum, quem supra dixi, Mindogum oratione eo flecteret, vt, cum religionem Christianam amplexus, et Pontificis Innocentii quarti iussu per Henricum, Episcopum Culmensem, et Albertum, Archiepiscopum Rigensem, Rex Lithuaniae coronatus esset, anno millesimo ducentesimo quinquagesimo secundo cum aliis prouinciis Curlandiam quoque Liuonico Ordini restitueret. Nihilominus tamen horum Equitum iugo se submittere Curlandi adhuc recusabant; siquidem multa inter eos bella gesta esse in sequentium Magistrorum prouincialium vita legimus.

Quintus erat Eberthus, Comes Seynensis.

Sextus erat Hanno de Sangerhausen.

Septimus erat Burchardus de Hornhausen.

Octauus erat Georgius de Eickstaedt.

Nonus erat Wernerus de Breithausen.

Decimus erat Conradus de Mandern, qui anno millesimo ducentesimo vndeseptuagesimo Mittauiam, Semigalliae vrbem, condidit.

Vndecimus erat Otto de Rodenstein.

Duodecimus erat Andreas, cuius cognomen obliuioni datum est.

Decimus tertius erat Walterus de Nordeck.

Decimus quartus erat Ernestus de Rasborg.

Decimus quintus erat Conradus de Feuchtwangen.

Decimus sextus erat Willekenus de Schurborg, qui in proelio vita priuatus est.

Decimus septimus erat Conradus Herzensteinius, anno millesimo quadringentesimo duodenonagesimo electus, sub cuius gubernatione Semigalli contumaces prorsus sub iugum missi sunt; veruntamen ab iis plurimas adhuc molestias Ordini postea creatas esse nonnulli dicunt.

Caeterorum huius Ordinis Magistrorum prouincialium successionem inuenire non potui, vsque ad annum millesimum quingentesimum decimum tertium, quo anno Walterus de Plettenberg tertius absoluta potentia praeditus huius Ordinis Magister factus est. Cum enim Magnus Magister Ordinis Teutonici, Albertus, Marchio Brandenburgicus Ordinem suum, Polonorum Regi, Sigismundo Augusto traderet, hic Walterus de Plettenberg officii, quo ei adhuc obstrictus fuerat, liberationem ab ipso precibus impetrauit.

Ab hoc inde tempore Ordinis Liuonici Magistri, Capitulo suo consentiente, certos gubernationis socios sibi deligere solebant. Hi erant

Wilhelmus de Fürstenberg, Henrici de Galen, quarti absoluti Liuonici Ordinis Magistri, socius, et proxime

Gotthardus Kettlerus, Wilhelmi de Fürstenberg quinti absoluti Liuonici Ordinis Magistri, socius, sub quo nonnullae Liuoniae vrbes, vt Riga, Reualia, Torpatum, et aliae plures Lutheri doctrinam sunt amplexi.

Sextus idemque vltimus absolutus Ordinis Liuonici Magister erat Gotthardus Kettlerus, quem postea anno millesimo quingentesimo sexagesimo secundo Sigismundus Augustus, Rex Polonorum, Ducem Curlandiae et Semigalliae declarauit.

Huius Ordinis sedes pluribus in locis, plerumque tamen in vrbe Riga, ad fluuium Dunam sita, fuit. Anno autem millesimo quingentesimo duodequinqua-

gesimo, cum Iohannes Basilouitius, famosus ille Moscouitarum tyrannus, terribili exercitu armatus, vicinas prouincias deuastaret, totamque Liuoniam sibi subiicere moliretur, Equites hanc vrbem relinquere sunt coacti. Tum statim quidem ad Imperatorem Carolum quintum confugerunt, eiusque auxilium implorarunt. Hic vero bellum Turcarum, quo tum implicitus esset, excusauit, iisque suasit, vt alibi auxilium quaererent. Id quod effecit, vt in duas partes scinderentur, quarum vna, trans Dunam habitans, Regem Sueciae, altera vero, cis Dunam degens, Regem Poloniae, Sigismundum Augustum, principem sibi optaret, qui posterior illud eo remunerauit, quod Curlandiam et Semigalliam Ducatus declaret, eique, qui tum erat, Ordinis Magistro, Gotthardo Kettlero, haereditario iure traderet.

Primus itaque Curlandiae Dux erat hic Gotthardus Kettlerus, qui non solum religionem puram a Luthero paulo ante instauratam amplexus est, sed etiam vxorem duceret, id quod nullus ex Ordine ipsius ante eum fecerat. Moriens duos filios, Fridericum et Wilhelmum, reliquit, quorum maior

Fridericus anno millesimo quingentesimo octogesimo septimo patri in imperio successit. Ipso autem sine haeredibus vita defuncto, anno millesimo sexcentesimo secundo gubernatio prouinciae ad fratrem eius

Wilhelmum, peruenit, qui ab exsilio, in quo adhuc delituerat, redux, a Curlandis eximia cum laetitia exceptus est. Vnum habuit filium, quem Rex noster, Iacobus primus, e baptismate suscepit, quo factum est, vt et ipse nomen Iacobi sortiretur.

Hic anno millesimo sexcentesimo vndequadragesimo post patris obitum Ducatus Curlandiae et Semigalliae haereditate accepit. Nauium structurae valde deditus erat; sicuti etiam omnia ad eam necessaria in sua terra habuit.

Nauigationis ope in Guinea fluuium Semigalem, et in America insulam Tabacum, Caribicarum insularum vnam, tum temporis prorsus incultam, detexit. Vbi arcem struxit, quam ex suo nomine Iacobi arcem vocauit. Idem in rebus huius insulae bene digerendis amplissimos sumtus impendit, quo eius incolae et commode et tuto viuere possent, et eam multos annos eosdemque continuos tranquille possedit.

Denique factum est, vt Seelandus quidam, diuitiis admodum valens, cui nomen erat Lambsonio, idemque vnus e gubernatoribus reipublicae Batauorum, in angulo quodam huius insulae appelleret, et post diuturnas controuersias impetraret, vt pro tributo certo quotannis Duci soluto ibi manere sibi liceret. Cum vero aliquanto post inter Suecos et Polonos bellum oriretur, quae causa fuit, quod Dux a prioribus captiuus abduceretur, Lambsonius ille hanc insulam quoque ei plane surripere decreuit. Id quod hoc modo effecit. Manu quadam collecta, arcem Iacobi petiit, eiusque praesidio Principis sui captiuitatem significauit, eique suasit, vt, cum hoc rerum statu ne minimum quidem auxilium ipsi sperandum esset, aut tam arcem, quam insulam sibi traderet, aut, nisi hoc faceret, vltima quaeque exspectaret. Tum milites protinus seditionem mouere coeperunt, et suum praefectum in vincula coniectum coëgerunt, vt cum Lambsonio illo depacisceretur, arcemque cum insula ipsi dedi pateretur, vbi tamen hic Lambsonius, se non modo insulam, verum etiam inuentarii cuiusdam eundem in finem instituti ope omnia, quae in ea inuenerit, Duci, cum primum captiuitate liberatus fuerit, restituturum esse promisit.

Cum autem postea Dux libertati redditus primum ab eo, quem saepius dixi, Lambsonio, deinde a gubernatoribus reipublicae Batauicae ipsis hanc insulam sibi restitui per longum tempus summis precibus rogasset, neque tamen quicquam impetrasset, ad Regem nostrum, Carolum secundum, tandem confugit, insulamque eius tutelae plane subiecit, promittens, se sub titulo concessionis, seu vt donum Regni Anglicani eam esse accepturum. Cuius promissi confirmandi ergo hoc pactum rite constitutum est.

Notum

Notum esto omnibus et singulis, quibus haec formula conspicienda offeratur, anno millesimo sexcentesimo sexagesimo quarto die decimo septimo mensis Nouembris per vtrinque constitutam et iisdem plane verbis conceptam pactionem inter Serenissimum et Potentissimum Principem Carolum secundum, Dei gratia Regem Magnae Britanniae, Franciae et Hiberniae, defensorem fidei, etc. ab vna, et inter Serenissimum Principem, Iacobum, Ducem Liuoniae, Curlandiae et Semigalliae ab altera parte has conditiones esse factas. Dat et concedit Rex, ille Potentissimus Serenissimo illi Principi, vti etiam haeredibus et successoribus eius perfectam libertatem cum nauibus iis, quae ipsius aut successorum ipsius (non autem subiectorum) peculium sunt, in omnibus fluuiis et portubus, litoris Guineae, prouinciae Africanae, Regi parentibus negotiationis et commercii exercendi, omniumque omnino mercium inde deportandarum, dummodo eae quotannis vltra duodecim librarum Sterlings millia non conficiant, quae ex eo pretio computari debent, quod in eo loco, vnde merces sunt deportatae, solutum est. Praeterea Serenissimo illi Duci liceto, inter castella et propugnacula, quae in hoc litore in Regis aut subiectorum eius potestate sunt, vnum aut plura loca condere, quo merces deferantur, et vbi asseruentur. Quae immunitates omnes et singulae tamdiu durare debent, quamdiu Potentissimus ille Rex et Serenissimus Dux pacem et amicitiam inter se colent. Vicissim pollicetur Serenissimus Dux Curlandiae, pro illis a Potentissimo Magnae Britanniae Rege sibi factis promissionibus suo suorumque haeredum et successorum nomine, se Regi castellum Sancti Anareae, in Guinea situm, cum omnibus eiusdem prouinciae arcibus et propugnaculis, quot eorum in sua, Ducis Curlandiae, potestate adhuc fuerint, vti etiam omnia eorum tormenta bellica, globos, puluerem nitratum et alia instrumenta militaria, prorsus esse concessurum.

Porro Dux Curlandiae, suo suorumque haeredum et successorum nomine promittit, se Potentissimo illi Regi, eiusque haeredibus et successoribus pro omnibus bonis et mercibus, aut in portus Guineae ad Regem pertinentes inuehendis, aut ex iis euehendis, ternas quasque centesimas vectigalis loco esse persoluturum, et quibus quaestoribus huius vectigalis aut singulis aut pluribus a Rege deligendis.

Deinde Potentissimus Magnae Britanniae Rex dat et concedit Serenissimo Curlandiae Duci, eiusque haeredibus et successoribus totam et integram insulam Tabacum, sub duodecimo gradu latitudinis septentrionalis et sub trecentesimo decimo sexto gradu longitudinis sitam, Caribicarum, quae dicuntur, insularum vnam, cum omnibus eius prouinciis, portubus et maioribus et minoribus, fluuiis et vsibus, ita quidem, vt Rex huius insulae tutelam sibi reseruet.

Veruntamen Dux Curlandiae, eiusque haeredes et successores nullo modo permittere et concedere debent, vt alii, qui non suo aut Regis Magnae Britanniae imperio subsint, in hanc insulam immigrent, aut colonias eo mittant, aut domos ibi exstruant. Regis autem illius, eiusque haeredum et successorum parentibus semper liceto, hanc insulam incolere, colonias eo deducere, et domos ibi possidere; iidem omnibus iis priuilegiis, libertatibus, immunitatibus et beneficiis fruuntor, quae Serenissimi illius Ducis, eiusque haeredum et successorum, ciues habere, vsurpare et percipere aut debeant aut possint, idque sine vlla interpellatione aut impeditione; denique iidem ciues vlla tributa aut onera quocunque tandem nomine sibi imponi vt patiantur, non cogantor, nisi quantum ad insulam defendendam necessario requiratur, in quo tamen ipso perfecta inter Regis Magnae Britanniae et inter Ducis Curlandiae ciues aequalitas obseruari debet. Porro Serenissimus Dux Curlandiae promittit, se cum haeredibus et successoribus suis neque per se, neque per alios, ad suam ipsius, aut successorum aut ciuium emolumentum, merces, opes et res vllas neque ex hac insula Tabaco euecturum, neque in eum inuecturum, neque iussurum, vt eae inuehantur aut euehantur, nisi ex portu Anglicano, aut Curlandico quodam, aut ex portu Dantiscano, et in eosdem.

Tandem, vt a Magnae Britanniae Rege Duci Curlandiae insulam Tabacum donatam esse, et sub illius tutela ab hoc possideri manifesto appareat, sta-

tutum est, vt, quotiescunque Rex ille Magnae Britanniae, aut eius haeredes et successores vellent, aut, si inter Magnae Britanniae aliumque Regem, aut Principem aut Rempublicam (solo Polonorum Rege excepto) bellum oriretur, Dux Curlandiae cum haeredibus et successoribus suis nauem militarem bene structam cum quadraginta magnis tormentis ex metallo conflatis in portum aliumue locum a Rege illo aut eius haeredibus et successoribus eo destinatum suis impensis identidem mittere deberet. Tum Rex, aut eius haeredes et successores, hanc nauem praefectis et militibus se armaturos, stipendiisque et commeatibus instructuros esse, suo quidem sub imperio suisque sumtibus promittunt, quamdiu nempe haec nauis operam illi nauabit, quod vltra annuum spatium nunquam fieri debet.

Testimonii et certioris confirmationis ergo hae duae partes illustres, Serenissimus et Potentissimus Rex Magnae Britanniae et Serenissimus Dux Curlandiae huic pacto manibus suis subscripserunt, suisque sigillis maioribus illud confirmarunt.

Tum Magnae Britanniae Rex ardentissimo Ministri Curlandici rogatu literas ad Reipublicae Batauicae gubernatores misit, quibus insulam Tabacum Duci Curlandiae a se donatam esse significaret, iustisque eius precibus locum dari rogaret. Verum hi gubernatores Lambsonio nimis fauebant, qui regiam donationem vanam et irritam declarare non dubitaret, per quam a Rege aliquid concessum esset, quod ad ipsum plane non pertineret. Hoc modo literae illae regiae parum aut nihil valuerunt; donec tandem classis Francicae praefectus, Comes de Etrees, insula Tabaco potiretur, Batauosque ibi deprehensos funditus fere euerteret; quamuis haud ita multo post eam rursus relinquere satius ipsi videretur.

Quamuis autem spes lucri Francogallos quosdam, partim nobiles, partim mercatores, impelleret, vt hanc insulam modo captam sibi tradi a Rege suo peterent, ille tamen eorum preces omnino reiecit, addita ea causa, quod haec insula Principis alicuius esset, a quo nemo vnquam laederetur.

Rebus ita se habentibus, Dux Curlandiae non diutius exspectans naues aliquot instruxit, quibus insulam recuperaret, vbi Rex Magnae Britanniae ipsius rogatu literis regiis ad gubernatores insulae Barbatae, et nominatim ad summum eius praefectum, Ionathanem Atkinsium, anno millesimo sexcentesimo octogesimo, die Ianuarii vndeuigesimo, scriptis eum iterum adiuuit, in quibus illum praefectum rogat, vt Ducis nauibus et militibus non modo omnibus rebus necessariis succurrat, verum etiam oblata occasione eorum propositum, quantum possit, prosperet.

Idem Magnae Britanniae Rex iam aliquanto ante quidem literas eiusdem argumenti ad eundem praefectum, in naui Curlandica, cui nomen erat *der Blumentopf*, miserat. Verum ipse praefectus huius nauis, Nagelius, illas literas vna cum naui piratis Algericis per proditionem in manus tradiderat.

Cum igitur literae regiae ad praefectum insulae Barbatae essent allatae, Dux animo recepto gubernatorem in Tabacum misit, qui eam occuparet. Tum paulatim nonnulli alii eum sunt secuti, donec ab Anglis adiutus coloniam maiorem ibi constituere forte polleret.

Anno millesimo sexcentesimo octogesimo primo Dux cum centurione Pointio conditiones quasdam iniit, et ei eiusque sociis centum et viginti iugerorum millia in ea, quam saepius diximus, insula, et quidem sub aequissimis legibus, dedit.

Haec insula in Caribicis seu Antillanis insulis perquam commode sita est. Plurimis iisdemque praeclaris portubus et fluminibus abundat, rerumque vtilium permultas producit. Caeterum eius ratio ea est, vt, si aut in Francogallorum aut in Batauorum potestate ea versetur, magnum Anglis inde periculum metuendum sit. Nam

Primum cum anno millesimo sexcentesimo sexagesimo quarto, et duobus proxime insequentibus annis Batani hanc insulam tenerent, e nauibus Anglicanis, in colonias Americanas proficiscentibus, aut inde redeuntibus, in bello, quod tum

tum erat, centum amplius oblatos in Tabacum abduxerunt. Quod in posterum vt caueretur, non sine causa satius ductum est, Duci Curlandiae sub Regis Magnae Britanniae tutela, quam vlli alii nationi eam relinquere.

Secundum, tam Francogalli, quam Batani eo, quod modo dixi, bello eruptione ex hac insula facta, Sancti Christophori insulam, Montem Seratum, Antegoam, Berbudam, aliasque complures insulas expugnarunt, aut saltem spoliarunt, eoque detrimentum Anglis intulerunt grauissimum.

Tertium, eodem bello Regi Carolo secundo admodum difficile fuit, insulam Meuis classe idonea a Batauis defendere.

Quartum denique, cum Tabacus tutis portubus aliisque locis ad ancoras iaciendas aptis, melius, quam vlla alia insularum Caribicarum, sit instructa, Regni Anglicani hostes, si eam possideant, commodum receptaculum facillime ibi inuenire possunt.

Multa plura de hac insula commemorari possent, quae breuitatis studiosus praetereo. Hoc modo adiiciam, quod ex Geographi cuiusdam Francici sententia, aut herba Nicotiana, vulgo tabacus dicta, ab hac insula, aut haec insula ab illa herba nomen acceperit.

Postquam is, de quo iam dicimus, Dux Iacobus patri Wilhelmo in imperio successerat, Charlottam, Electoris Brandenburgici, Georgii Wilhelmi, filiam, vxorem duxit, quae anno millesimo sexcentesimo septuagesimo sexto vitam morte mutauit. Ex ea tres filios, totidemque filias suscepit. Filius natu maximus erat Fridericus Casimirus, qui patri vita defuncto in imperio successit. Secundus est Ferdinandus, Legatus primarius in exercitu Electoris Brandenburgici. Tertius, cui nomen erat Alexandro, ad Budam globo e tormento explosо vulneratus, et Viennam repetens mortuus est. Filia natu maxima Louisa Elisabetha, Friderico, Landgrauio Hassiae Homburgensi, matrimonio iuncta est. Secunda, nomine Charlotta, in aula Regis Sueciae adhuc innupta viuit. Tertia vero, Maria Amalia, anno millesimo sexcentesimo septuagesimo tertio, die vigesimo primo Maii, Principis Serenissimi, Caroli, Landgrauii Hassiae Casellensis, coniux facta est.

Post Ducis Iacobi mortem imperium per ordinem successionis ad filium eius natu maximum, Fridericum Casimirum, descendit, qui antea in primo Francico bello sub Rege nostro hodierno in Batauia militauerat, et nonnullas legiones equitibus et Dragonis, qui vocantur, constantes secum adduxerat. Vbi cum Principis de Nassau-Siegen filia, Sophia Amalia, matrimonium iniit, quae anno millesimo sexcentesimo duodenonagesimo die vigesimo quinto mensis Decembris in puerperio animam efflabat. Ex hac coniuge tres filiae sunt superstites. Anno millesimo sexcentesimo nonagesimo primo alteras nuptias cum Electoris Brandenburgici nunc regnantis sorore Elisabetha Sophia, contraxit, quae duos pluresue filios ipsi in lucem edidit. Anno millesimo sexcentesimo nonagesimo octauo sub Februarii initium Mittauiae diem obiit supremum, filio natu maximo, Friderico Wilhelmo, cuius aetas vltra sex annos tum temporis nondum peruenerat, relicto successore.

Dux Curlandiae cliens est Regni Polonici, eodem fere modo, quo Electores Imperatoris Romani sunt clientes. Nouo enim Polonorum Rege electo, Dux Curlandiae, clientelam eius per Legatum rogare debet, quam vexillo ipsi tradito accipit, in cuius altera parte Polonicum, in altera autem Curlandicum insigne conspicitur: quo facto, Legatus considere et caput obtegere iubetur, aliasque quam humanissime tractatur.

Omnia iura, Principibus Germanicis absoluta potestate praeditis conuenientia, hic etiam Dux exercet. Suo nomine monetas cudit, iudiciisque nobilium suorum cum maioribus, tum minoribus praeest, nisi quod in paucis quibusdam causis ad aulam Polonicam prouocari licet.

Possessiones fiscales habet amplissimas, (sicuti etiam maxima redituum eius pars ex iis prouenit) apparatuque aulico admodum splendido vtitur; cum totidem

totidem Officiales primarios, quod alii principes, habeat. Quorum praecipui sunt:

Praefectus aulae prouincialis, seu Minister primarius.
Cancellarius supremus.
Marschalcus supremus, et
Burggrauius supremus.

Hos sequuntur
Praefectus prouincialis supremus Goldingae, et
Praefectus prouincialis supremus Tucci, vterque in Curlandia. Tum
Praefectus prouincialis supremus Mittauiae, et
Praefectus prouincialis supremus Selburgi, vterque in Semigallia.

Hi Praefecti prouinciales supremi omnes et singuli nobili stirpe orti, in Curlandia aut Semigallia nati, tandemque agris et fundis praediti esse debent.

Hos sequuntur gubernatores, Officiales militares et alii plures.

Nobilitas Curlandiae peruetusta egregiisque immunitatibus ornata est, tantique generum antiquitatem nobiles faciunt, vt nobilem nouum nullo modo in suo ordine pati velint.

Antequam in hac prouincia describenda pergam, pauca quaedam de Ordine Liuonico adiungam, quae quidem iam supra merito commemorari debebant, vbi de hoc Ordine inprimis egi.

Prouincialis huius Ordinis Magister magnum Capitulum Prussiae eligere solebat. Anno igitur millesimo quadringentesimo vndequadragesimo cum Liuonici Equites Henricum quendam de Bukenode Magistrum Ordinis sibi delegissent, rationem huius electionis reddere eos oportebat, et nihilominus tamen pati, vt noua posthac electio in Prussia institueretur.

Magistrum Ordinis prouincialem Marschalcus Ordinis sequebatur.

Proximi ab eo erant varii Praefecti et Aduocati. Praefecti vndecim omnino erant, quorum duo priores in Curlandia, et tertius in Semigallia versabantur. Aduocati erant nouem, quorum pariter duo ad Curlandiam, et vnus ad Semigalliam pertinebant.

Hi Equites *Gladiferorum* nomen gerebant. Principio ornatus eorum pallio albo cum duobus gladiis in pectore decussatim coniunctis stellaque rubra constabat. Postquam vero cum Ordine Teutonico vniti sunt, eiusdem vestitum et crucem acceperunt.

Neque Curlandia, neque Semigallia, eodem modo, atque Polonia, in certa territoria seu Palatinatus distribuitur. Quapropter praecipuae tantum vrbes vtriusque prouinciae sunt notandae.

In Ducatu igitur Curlandiae inprimis obseruandae sunt Goldinga, metropolis, Vinda, vrbs Episcopalis, deinde Piltenum, Liba, Erdwalia, Angermunda, Grubinum, Tuccum, Frauenburgum, Vschwendum, Talsenum, Candauia, Durbinum, Hasenpotum et Oendanga.

Goldinga, ad fluuium Vetam sita, septem circiter milliaria Germanica a Vinda occasum versus, et duodecim fere a Mittauia, Simigalliae vrbe, ortum versus distat. Territorium huius vrbis latissime patet.

Vinda, seu Vindauia, Polonice Kiescz, vrbs et Palatinatus, cum arce ad mare Balthicum sita, qua Liuonici Equites sede quondam vsi sunt, et vbi conuentus generales egerunt. Iam plerumque praesidium Polonicum, sub Ducis tamen Curlandiae imperio, in ea collocatum est. Hic locus et proxime Liba sunt duo portus Curlandici.

Piltenum, vrbs et Palatinatus huius Ducatus. Nobilitas huius vrbis, Protestantium, qui vulgo vocantur, sacris addicta, Regi Poloniae vltro se subiicere constituerat. Ille vero cum Romano-Catholicum Episcopum (cuiusmodi olim ibi

ibi fuerat) ei rursus praeficere vellet, nobilitas consilio mutato summum principatum in se Duci Curlandiae tradidit.

Nobilium Curlandicorum ii, qui hanc regionem incolunt, sunt ditissimi. In quibus genera illustrissima habentur, de Maydel, de Beher, de Sacken, de Mannteufel, et alia plura.

In Ducatu Semigalliae haec inprimis loca sunt notanda, Mittauia, Bausca, Doblinum, Selburgum, Radziwilischium, Nitauia, Birza, Pozwolia, Lunca, Dalenum, Schuddinga, Pilkallum, Beherum, Nerstenum et Salattum.

Vrbs primaria non huius Ducatus modo, verum etiam omnium Duci Curlandiae subiectarum prouinciarum est Mittauia seu Mittouia, vbi etiam Curlandiae Duces plerumque habitare solent. Ad fluuium Muszam sita est, circuitu haud exiguo patet, et duodecim fere incolarum millia habet. Moenia eius deterrima quidem sunt, vrbs ipsa tamen bene munita et castello egregio, duobus propugnaculis, palude circumdatis et firmo praesidio armatis, constante, instructa est. Cum lapides grandiores ibi desint, non modo plateae non sunt stratae, sed etiam ciuium domus haud secus, atque in Polonia, aut ex mero ligno, aut lateribus sunt exstructae. Caeterum hic locus septem circiter milliaria Polonica a Riga, Liuoniae regiae vrbe, et quatuor tantum a prouinciae Samogitiae finibus distat. Haud ita multo ante a Suecis bis capta, nunc autem restituta est, et Ducis Curlandiae imperium prorsus agnoscit.

Bausca, locus munitus est, forti castello firmoque praesidio instructa.

Religio huius prouinciae prorsus Lutherana est, paucis tamen quibusdam Caluinianis et Pontificiis admixtis.

Quibus posterioribus Dux superior Regis Polonorum rogatu, concessit, vt duo templa, vnum Mittauiae, et alterum Goldingae sibi aedificarent. Tum Iesuitae se eos esse contenderunt, qui templum Mittauiense cum omnibus eo pertinentibus rebus sibi redemissent, proinde neque se a sedibus ibi figendis prohiberi posse. Quamuis autem ipsi saepissime oppressi sint, et haud ita multo ante ipsorum Collegium dirutum sit, ad hanc tamen vsque diem ex hac vrbe nondum prorsus potuerunt exterminari.

Quoniam adhuc omnium Ducum Curlandiae coniuges Reformatam professae sunt religionem, eidem cum illis fidei addictis templum Mittauiae peculiare concessum est, quo praeter alios omnes Caluiniani, Liuoniam incolentes, vti etiam mercatores Anglicani, Rigae commorantes, ad sacra celebranda conuenire solent: Pertotum enim Sueciae Regnum sacrorum suorum libere peragendorum potestas Reformatis nusquam permittitur, nisi Holmiae, vbi Hugenottis, qui e Francia illuc confugerant, templum sibi exstruere concessum est.

Imperii formam in Curlandia quod attinet, primo notandus est

Conuentus Ordinum huius Ducatus generalis, quorum conuocatio hoc modo fieri solet: Quoties negotia publica requirunt, Dux ad omnes et singulos prouinciales praefectos suos literas mittit, per quas illis significat, quibus de rebus Ordinum arbitrium cognoscere cupiat, simulque praecipit, vt vnusquisque praefectus nobilitatem territorii suae fidei traditi viros certos deligere iubeat, qui ipsius nomine, et ab ipsa, quid agere debeat, satis instructi deliberationibus publicis intersint. Horum virorum electio eodem modo, atque in Polonia optio

Legatorum prouincialium, instituitur. Qua electione facta, Mittauiam conueniunt, vbi quatuor consiliariis supremis in consilium adhibitis, de negotiis publicis deliberant.

Proxime obseruandum est, quatuor supremos consiliarios seu Ministros publicos quotannis Mittauiae bis conuenire, semel quidem proximo die Lunae post Epiphaniorum diem festum et tum die Lunae post diem festum Sacrosanctae Trinitatis: vbi semper quinas saltem hebdomadas congregati iudicia hoc modo exercent.

Prima hebdomas plerumque negotiis publicis transigitur, vbi Ducis ipsius praesentia et auctoritas necessaria est.

Secunda hebdomade eae causae inquiruntur, quae per prouocationem ab inferioribus iudiciis ad supremum illud tribunal deferuntur.

In tertia hebdomade causae capitales, et

In quarta causae sacrae et ecclesiasticae diiudicantur.

In quinta denique eademque postrema hebdomade ciues admittuntur, si quid habeant, de quo querantur, aut quod rogent.

Caererum in causis forensibus, quae quidem alicuius momenti sunt, hic ordo obseruari solet:

Primo nobiles causam ad Praefectum Prouincialem Supremum deferunt; Praefectorum enim prouincialium ordinis inferioris iurisdictio non latissime patet, et non nisi in causis minoris momenti locum habet.

Deinde si prouocatio necessaria videatur, ad quatuor consiliariorum supremorum iudicium, de quo supra dixi, confugiunt. Causae capitales, cum de nobilis cuiusdam vita sententia ferenda est, ad summam illud iudicium omnino pertinent; vbi tamen quatuor Supremi Praefecti prouinciales vna cum quatuor Consiliariis Supremis iudicum munere fungi debent. Si quis horum Praefectorum prouincialium supremorum forte absit, Praefectorum prouincialium inferiorum aliquis in eius locum suffici potest.

Tandem et in ciuilibus et in capitalibus causis ad aulam Polonicam prouocari licet, quae Iudicia Postcurialia Curlandi vocant.

In rebus ecclesiasticis quatuor illi consiliarii supremi ius dicunt, adiuncto tamen Superintendente, quem vocant, et quatuor Praepositis.

Iudicia inferiora vrbium aut magistratui vrbano, aut vicino Praefecto prouinciali, cuius ditioni reus subest, competunt. Ab his iudiciis non nisi ad Praefectos prouinciales superiores prouocatio fieri potest, in quorum sententia acquiescere vnusquisque debet.

Ii, qui in Curlandia *Iudices virorum* dicuntur, non sunt alii, nisi iustitiae executores, qui in causis ciuilibus vnicuique per vim tribuunt, quod ipsi in iudiciis adiudicatum est, si aduersaria pars iudicum sententiae omnino satisfacere forsitan recuset.

Nego-

Negotiationem in Curlandia quod attinet, eiusdem fere, atque Polonica, est conditionis.

Frumentum Curlandicum atque Liuonicum diligentius, quam Polonicum, a Batauis coëmitur, eam quidem ob causam, quod melius curatur et obseruatur, quam in aliis terris; in his enim prouinciis frumentum in stramine, vti nostrates polentum siccare, et sic demum triturare solent. Attamen cum nimia ligni copia eo consumatur, Rex Sueciae omnibus parentibus suis, quo minus in posterum id facerent, interdixit.

Denique de Curlandia notandum est, hunc Ducatum, si forte Ducum posteri viriles prorsus exspirauerint, ad Regnum Polonicum redire, id quod etiam Prussiae Ducali euenturum esset, si de Electorum Brandenburgicorum stirpe proles virilis non foret superstes.

Haec sunt, quae de Curlandiae Ducatu ad Te, Vir generosissime, scribere constitueram. Fatendum omnino mihi est, ea non tam copiose et diligenter, vt par, et Tua Persona dignum esset, tradita esse atque elaborata. Tua tamen, humanitate et facilitate fretus, a Te me excusatum, et exiguum illud opus bonas in partes acceptum iri spero atque confido. Caeterum permaneo Tuus

Vir generosissime

seruus obedientissimus

I. S.

* * * * * * * *

Bernardus Connor, natione Anglus, inter illos in Polonia recensendus est medicos, qui non in medicina tantum, sed et in aliis scientiis clari, inque regno vtiles fuere. Ex eius, quam hic legisti, historia, eleganter satis et cum diligentia scripta, a paucis in Polonia lecta quia Anglorum idiomate ab eo fuit exarata, sub titulo: *The History of Poland*, deinde in Germanicam linguam a. 1700 translata, celebris Thomae Fritschii cura, apparet, eruditum hunc medicum, iter discendi causa per varias Europae provincias instituisse, et in Poloniam quoque, quod illis temporibus mirum, venisse, vbi a Rege *Ioanne III* archiater eius fuit nominatus, et paulo post cum filia Regia vnica, *Theresia*, Electori Bauariae desponsata, Varsauia Bruxellam missus, vt illius in itinere tueretur Sanitatem.

Anno 1696 iterum in Angliam rediit, vbi collegii medici Londinensis, et simul Societatis Scientiarum Anglicanae Socius factus, in *tentamine de secretione animali*, arduam hanc materiam singulari modo explicare conatus fuit. Promisit librum *de oeconomia animali*, nec non alium *de principiis medicinae et fermentatione* in lucem edere, qui si prodierint, ignoro. Scripsit etiam *Euangelium medici*, *seu medicinam mysticam de suspensis naturae legibus*, *siue de miraculis*, qui a. 1697 Londini, a. 1699 Amstelodami, et a. 1706 Ienae typis fuit exscriptus, sed, quod non diffitendum, inter libros prohibitos reiectus. Medicinae praxin Londini cum laude exercuit, diues inde factus, qui si in Polonia mansisset, aliisque etiam scientiis, vti fuit amator, operam dedisset, sine dubio in paupertate fuisset mortuus. Polonis enim suspecti sunt medici docti, qui sibi persuadent, medicastrum secreta venditantem, plus posse iuuare, quam medicum omnibus ad cognoscendam naturam humanam scientiis instructum.

ITER
IN
MOSCHOVIAM

AVGVSTINI LIBERI BARONIS DE MAYERBERG
CAMERAE IMPERIALIS AVLICAE CONSILIARII

ET

HORATII GVILIELMI CALVVCCII
EQVITIS AC IN REGIMINE INTERIORIS AVSTRIAE CONSILIARII

AB

AVGVSTISSIMO ROMANORVM IMPERATORE

LEOPOLDO

AD

TZAREM ET MAGNVM DVCEM

ALEXIVM MICHALOWICZ

ANNO M. DC. LXI ABLEGATORVM,

DESCRIPTVM

AB IPSO AVGVSTINO LIBERO BARONE DE MAYERBERG

IN LATINVM IDIOMA AB EODEM TRANSLATVM.

ITER
IN
MOSCHOVIAM

AVGVSTINI LIBERI BARONIS DE MAYERBERG
CAMERAE IMPERIALIS AVLICAE CONSILIARII

ET

HONATII GVILELMI CALVVCCII
EQVITIS AC IN REGIMINE INTERIORIS AVSTRIAE CONSILIARII

AB

AVGVSTISSIMO ROMANORVM IMPERATORE
LEOPOLDO

AD

TSAREM ET MAGNVM DVCEM
ALEXIVM MICHAELOWICZ

ANNO M DC LXI ABLEGATORVM.

DESCRIPTVM

AB IPSO AVGVSTINO LIBRO SVPRA DE MAYERBERG

IN LATINVM IDIOMA AB EODEM TRANSLATVM

LECTORI
EDITOR HVIVS COLLECTIONIS S.

Opus hoc certe rarum, ſcitu haud inutile, et lectione iucundum, in hac mea collectione ante oculos Tibi poni curaui. Varia quidem in hoc libello inueniuntur, quae minime ad Poloniam ſpectare videntur, ſed varia etiam in eodem, quae Poloniam attinent, dicuntur. Quod ſi ea ſola tantum, quae ad Poloniam pertineant, Tibi exhibuiſſem, abiectis rebus mere Moſchouiticis, ſcriptum habuiſſes mutilum, et ſine rerum hiſtoriarumque nexu mancum. Cum a commodo Polonorum haud abhorreat, et vicinorum Moſchouitarum, etiam ſi priſtinorum, mores geniumque cognoſcere, penitiusque inſpicere, malui in eam peccare partem, quae plus, quam minus offerat. Statuta autem Moſchouitica, huic operi adiecta, ſtudio, et vti ſuſpicor, iure omiſi. Parum enim Polonorum intereſt, antiqua Moſchouiae iura ſcire, noſtris temporibus iam valde immutata. Si quis vero literatorum Moſchouitarum fortuito in hoc Mayerbergi iter incidat, et in dedecus nationis Moſchouiticae id iterum typis fuiſſe exſcriptum forte putet, ei ſincere profiteor, tantum abeſſe, vt iter Mayerbergi hodiernis ſit opprobrio Ruſſis, vt potius ſummae ſit iis laudi, qui barbaros ſuos maiores longe poſt ſe reliquerunt, qua de re iam in Rudauſcii annalibus imperante in Polonia Ioanne Caſimiro *pagina quinquageſima ſeptima, in annotatione trigeſima octaua ad veritatem dixi. Ad extremum haec translatio Latina, ab ipſo Auctore peracta, eiusdem erit pretii atque auctoritatis, quam primum exemplar,* Voyage en Moſcovie depuis 1661 jusqu'en 1663, *Lugduni Batauorum anno 1668 editum. Idem Opus Belgii idiomate donauit* Gerbrand van Leeuwen. *Nihil amplius habeo, quod dicam, quam vt valeas. Scrib. Varſauiae die 26 Iul. 1767.*

ITER IN MOSCHOVIAM.

Rerum in Imperio Ruſſorum viciſſitudines vſque ad Tzarem Alexium Mihalowiez.

Ruſſorum Imperium, quod nunc Moſchouiticum appellamus, ad vtramque Boryſthenis oram late olim extendebatur. At ineunte vndecimo aerae Chriſtianae ſeculo Polonis prius hinc, et deinde illinc Lituanis illud impetentibus, longa quadringentorum ferme annorum aduerſi Martis ira valde acciſum fuit. Totum enim Boryſthenis a fonte ad oſtium fere tractum cum alba et nigra, ſeu rubra, aut parua, Ruſſiis, ac ampliſſima Seuerienſi ditione Poloni, et Lituani Ruſſis Principibus per multas expeditiones paulatim extorſerunt. Imo Vitoldus Magnus Lituaniae Dux magnam etiam Nouogardiam, et Pleſcouiam eis anno 1414 eripuit. Verumtamen, cum ſenior Ioannes Baſilides Tartaricae ſeruituti ſe, Moſchouiamque ſuam magnanimo auſo ſubduxiſſet, Nouogardiam magnam anno 1477 poſt ſeptennalem obſidionem regnante in Polonia Tertio Caſimiro recuperauit. Quomodo deinceps transfugientibus a Lituano Alexandro genero ſuo ad ſe Ducibus Seueriae eam fere totam in ſuam poteſtatem redegit. Eius vero filius et ſucceſſor Baſilius anno 1509 Sacerdotum proditione Pleſcouiam, et quinquennio poſt Smolenſciam per transfugam Michaelem Linckzium Sigismundo Primo ademptam retraxit.

Stephanus deinde Batoreus trina contra Moſchouiam expeditione fortiter, ac feliciter adminiſtrata ſuperbam iunioris Ioannis Baſilidis ceruicem adeo inflexit, vt pacificam Gregorii XIII. Romani Pontificis interpoſitionem ſpecioſis promiſſis callidus hypocrita imploraret. Vices ille ſuas Antonio Poſſeuino Societatis Ieſu Theologo delegauit, qui, cum pacta ſatis per leges perpetuae pacis vtriusque vſui aptas concinnare non valeret, ſuſpendere ſaltem tantiſper eorum voluit iras. Stephanum itaque ad decennales inducias a Ioanne praeuia Liuoniae reſtitutione redemptas anno 1582 induxit, vt interea rationem recuperandae ſuis armis, et expenſis Eſthoniae a Suecis ſibi extortae, et per pacta Polonis ſimiliter reddendae, Iuanus iniret: atque Smolenſciae, Seueriaeque pariter reſtituendarum conditiones formarentur.

Stephano ipſis Idibus Decembris anno 1586 Grodnae ab epilepſia e viuis erepto Sigismundus Tertius Ioannis Sueciae Regis Eſthoniae detentatoris filius octauo poſt menſe ſuffectus fuit. Iuani vero filius Theodorus, qui poſt defunctum anno 1584 quinto Kalendas Aprilis parentem haereditarium Moſchouiae ſceptrum leuiri Hoduni manibus moderabatur, quamuis ab obligatione reſtituendi Eſthoniam, quam Suecia ex pacto in electione Sigismundi ſui Poloniae reddere tenebatur, liber eſſet, Naruam nihilominus Sueticam in Ingria anno 1590 expugnauit. At quinquennio poſt opera Ernfridi Liberi Baronis a Minckowicz, et Nicolai Warcolſch a Nebſchitz Rudolphi Imperatoris Legatorum Sigismundus foedus cum eo ad annos viginti duraturum percuſſit, quod anno 1598 poſt huius mortem cum ſucceſſore Boriſſo Hoduno miniſterio Leonis Sapiehae Cancellarii Lituaniae confirmauit.

Anno deinde 1604 qui monachum exuerat, Griska Vtrepeia Demetrii Iuanowicz ab eodem Boriſſo Vglitzae per ſicarios clam e viuis ſublati perſonam induit; Attamen, licet Polonicis fultus auxiliis, imprudenter ductae impoſturae intra ſeſquiannum poenas luit. Vacuum vero Tzareum ſolium Baſilius Iuanowicz ex Ducibus Suiskiis communi Moſchorum conſenſu conſcendit. Porro impoſtor alter priori trucidato haud minus fallax Tzarem Demetrium ſe eſſe, ac tumultui ſeſe ſuffuratum mentiens nouis denuo turbis Moſchouiam inuoluit.

Harum opportunitate Sigismundus anno 1609 die prima Octobris Smolenſciam arcta obſidione cinxit, vnde Moſchi tot hoſtibus impares Tzarem ſuum Baſilium

filium ob aduerſam fortunam ſuam faſtidioſe deſpectum exauthorarunt, et Vladislaum Sigismundi filium ſub conditione ſuſcipiendi baptiſmum et fidem Moſchouitico ritu profitendi ei ſubrogarunt. Cum tamen Sigismundus hanc foeditatem merito auerſans, et Magnum Ducatum ipſe poſt fata demum ſua Vladislao tradendum ambiens, eum Moſchuam, vt illi efflagitabant, mittere cunctaretur, ipſi vero ante adimpletam hanc conditionem Smolenſciam dedere pernegarent, eam tandem Idibus Iuniis anno 1611 forti manu expugnauit. Polonos tamen tunc Moſchuam inſidentes Moſchi deinceps inde eiecerunt; ſed non prius, quam totam prorſus vrbem incendio ii deleuiſſent, et immanem in inquilinis ſtragem edidiſſent.

Tot iniuriis, et damnis Moſchouitae irritati Michaelem Romanowium Filareti Metropolitae Roſthouienſis filium, nobilis, ſed non clari, generis hominem, abdicato Vladislao dominum ſibi praefecerunt.

Is ſolenni adornata legatione apud Romanorum Imperatorem Matthiam inſtitit, vt reddendae Moſchis, et Polonis pacis author eſſe vellet. Exoratus facile Matthias Eraſmum Heidelium caduceatorem ablegauit, qui anno 1615 Wieſmae inter delegatos vtriusque partis medius vltro, citroque curſans, eos tamen ad vtrinque grata pacis praeſcripta adducere nequiit. Quin imo anno ſtatim inſecuto Moſchi Smolenſciam armis irritis tentarunt. Et deinde Vladislaus cum valido exercitu in Moſchoviae interiora penetrans ipſam vrbem Moſchuam longa obſidione, et oppugnatione preſſit. Cum tamen et ipſe domeſticis premeretur anguſtiis, inſtituto circa pagum Diuulinum colloquio exeunte anno 1618 inducias ad annos bis ſeptem et ſenos menſes partes pepigerunt.

His expirantibus Moſchi magno apparatu Smolenſciam Duce Michaele Boriſſowicz Schino, cui poſtea vti proditori Moſchuae in publico foro ceruices fregerunt, inuaſere. Verumtamen a ſuperueniente Vladislao repulſi, male mulctati, et caſtris tandem exuti, in honeſtiores pacis conditiones anno 1634 apud riuum Polanouam inter Wieſmam, et Drohobuſum conſenſerunt, per quas Vladislaus omne ius ſuum ad Moſchouiae Principatum Michaeli cum titulo cedens, Ducatus Smolenſciae, et Seueriae cum ſuis titulis in perpetuum poſſidendos retinuit.

Mortuo Michaeli Magno Moſchorum Duci ſuccedit filius Alexius.

Poſt fata Michaelis ſubitanea morte quarto idus Iulii anno 1645 extincti, etiamſi filius eius Alexius foedus hoc renouato erga Vladislaum prius, et deinceps illo e vita ad XIII. Kal. Iunii anno 1648 decedente erga Ioannem Caſimirum eius fratrem et ſucceſſorem iureiurando confirmaſſet, nihilominus illud poſtmodum inſuper habere voluit.

Vrebat Moſchos recordatio cladium, quibus Poloni Demetrianae fallaciae aſſertores inuaſi imperii ſui prouincias populationibus et incendiis late vaſtauerant. Et vellicabant ad vindictam eorum animos Smolenſcienſis, et Seuerienſis Ducatus a Sigiſmundo difficillimis ob easdem turbas Moſchouiae temporibus ab ea auulſi, et ab Vladislao contra ipſorum conamina per extortas ingratae pacificationis leges fortiter retenti. Captabant itaque occaſionem amiſſa recuperandi, damnaque et iniurias ſimul vltore gladio Polonis reponendi.

Cautum inter alia Polanowienſis tranſactionis pacta fuerat, vt ad tollendas in perpetuum diſſidiorum anſas, quas eousque errores titulorum porrexerant, horum certa praeſcriberetur formula, qua reges Poloniae, et Tzares Moſchouiae inuariabiliter in epiſtolis inuicem ſcribendis vterentur. Collegerant itaque attento ſtudio, et accurate aſſeruauerant Moſchi plures Poloni Regis ad Tzarem literas, in quibus affectato (vti aiebant) contemptu, vt autem Rex praetendebat, incuria librariorum, et ignorantia Moſchouitici idiomatis et characteris errores aliquot leuiſſimi irrepſerant. Cumque per rebellionem Coſacorum Zaporouiorum retuſam Polonicorum aciem armorum, eaque potenter diſtracta Moſchi viderent, capillos optatae iam diu, et per opportune ſeſe offerentis occaſionis prompta manu ſtrinxerunt.

Qui per Legatos ad Ioannem

Per Legatum Georgium Haurilowicz Putzkin eiusque ſocios queſtus eſt prolixe Alexius apud Ioannem Caſimirum Regem de mutilatis et variatis ex deſti-

Caſimirum Poloniae Regem de mutilatis et variatis contra pacta in literis ad ipſum tituli ſui

nato dolo ad ſui contumeliam in Regiis literis titulis ſuis, petiitque, ac pertinaciter vrſit, vt in earum cuiuscumque conditionis ſcriptores lata ab Vladislao perduellionis lege ageretur.

Atque de variis authoribus, qui victorias Vladislai IV. contra Moſchos ſcripſerant, expoſtulat.

Poloni, qui videbant, haec a Moſchis obtendi, vt illo tam incommodo reipublicae tempore reſiliendi a foedere cauſas nanciſcerentur, quo obuiam conſilio irent, retponderunt, decreuiſſe Regem, vt dies accuſatis ad dicendam in proximis Comitiis cauſam condiceretur, ad quae Alexius nuncios ſuos accuſatorum partibus functuros cum probationibus mitteret, certus, quod in ſontes etiam poena capitis Rex eſſet animaduerſurus.

Legatus Putzkin admiſſo Regis decreto alteram produxit, maiorique grauiorum verborum mole exaggerauit querelam. Quod, nimirum, Ioannes Alexander Horczin, Eberhardus Waſſenbergius, Twardouius, Academia Vilnenſis, aliique libris recenter cum ſcientia, et conſenſu Regis, Senatus, et Ordinum vulgatis Vladislai de Moſchis trophaea, de Moſchouia triumphos in ſummam defuncti Tzaris Michaelis, procerum, ceterorumque omnium Moſchorum ignominiam praedicaſſent. Hoc autem foederis Polanowienſis, cuius praeſcripto illa aeterno debuiſſent ſilentio ſuffocari, apertam fuiſſe violationem, neceſſario ab Alexio armis vindicandam, ni huic Smolenſciae traditione, et proceribus quinquaginta aureorum myriadum ſolutione pro inflicta iniuria Rex, et Reſpublica ſatisfacerent.

Reſponderunt Poloni, ab accuſatis ſcriptoribus liberis hominibus in libera Republica libros a Moſchis impugnatos Rege, ac Senatu inſciis editos fuiſſe. Quomodocunque tamen res ſe haberet, non intelligere ſe, qua congruentia laeſam ab illorum ſcriptis Tzaream exiſtimationem Smolenſciae reſtitutio, et irrogatam Moſchouiticae genti iniuriam auri penſio poſſent compenſare. Futurum potius, vt per has viris Principibus, et honeſtis hominibus indignas prorſus iniuriarum ſuarum nundinationes eorum fama magis periclitaretur.

Satisfacit huic querelae Ioannes Caſimirus, iubendo iuxta legatorum inſtantiam, vt paginae aliquot librorum ab accuſatis Authoribus editorum comburerentur.

Non fuit ore tam duro legatus, vt in propoſitione perſiſteret; ſed declarauit, abunde ſibi ſatisfieri a Polonis poſſe, ſi paginae illae ex libris detraherentur, quae Tzari et genti ſuae iniurie detraherent, vt publico igne merito exuſtae non meritae a Moſchis iniuriae actionem extinguerent, et violatae temere Maieſtatis poenas darent. Quod obtinuit. Sed quamuis combuſtae paginae illae fuerint, memoria tamen eorum, quae continebant, combuſta nequaquam fuit, imo per flammas illas illuminata luculentius claruit. Excitata enim inde hominum curioſitas fuit ad noſcendum, quid tandem eſſet id, quod Moſchouitae tanta contentione occultatum vellent, vt eius propalatores ad ignem damnarentur. Et vero inſipientia Anticyram ad bibendum elleborum amandari digna eſt, vt ſuccenſere quis velit ſcriptoribus ad poſteros, quae ipſe vel peccauit, vel ab aduerſa fortuna paſſus fuit, veraciter tradentibus. Etenim quoad priora ipſemet, ea minime committendo, occurrere poteſt, ne ſcribantur. Ni fecerit, qua iuſtitia poſcit, vt maior bonae famae ſuae ratio ab extraneo quoquam ſcribendo habeatur, quam ipſe delinquendo habuerit? Quoad poſteriora vero, cum verti ipſi vitio nequeant, quae contraria prudentibus ſuis conatibus accidunt, et ab iniqua ſua forte temere immiſſa aequo animo fortiter ſuſtinuit, non eſt, cur indignetur, quod ſcriptis conſignentur, quae fortunam, non ipſum, culpant.

Et alterae ſententiam in Comitiis contra reos ferendo.

Proſecuturi deinceps introductam de titulis actionem comparuerunt praeſtituto tempore in Comitiis Varſauiae habitis Moſchua miſſi Affanaſius Oſypowicz Ronſczyczowius, et Almaſius Ivanowius. Poſt actam ad amuſſim Polonici iuris magna partium contentione cauſam ex comitiorum ſententia Rex Ioannes Caſimirus definitiue pronunciauit.

I. Actionem hanc mere perſonalem quoad vita iam functos ex Reipublicae lege extinctam eſſe, nec in eorum haeredes poſſe tranſire.

II. Vladislai fratris conſtitutione de titulis non teneri eos, qui ante illam errores in iis commiſiſſent.

III. Si

III. Si qui purgare innocentiam ſuam iureiurando poſcerent, iuxta Reipublicae iura hoc eis haud eſſe denegandum.

IV. Erroris alicuius leuis, qui ex incuria, aut ignorantia praeter intentionem ſcriptoris irrepſiſſet, non eſſe habendam rationem.

Et V. Qui in viuis agentes legitime citati ſiue perſonaliter, ſiue per procuratorem iudicio ſe ſiſtere neglexiſſent, ſecundum Reipublicae ſancita perduellionis poena damnarentur.

Cui Moſchi haud acquieſcunt.

Non acquieuere huic ſententiae Moſchi; ſed contra eam, quam iniquam et deluſoriam dicebant, proteſtati, neque eiusdem exemplar Domino ſuo deferre voluerunt.

Mittuntur ab Alexio alii Legati, qui pro Coſacis interueniunt.

Datis itaque ad Alexium literis, et ablegatis deinde ad eum Alberto Praelawski, et Caſimiro Vniechowski demonſtrare ei ſententiae a ſe latae aequitatem Ioannes Caſimirus conatus eſt; ſed incaſſum. Reſpondit enim Alexius, miſſurum ſe propediem magnos legatos, qui poenam de ſontibus a Rege et Republica efficacius poſtularent.

Conuenerunt ergo anno 1653 magni Tzarei legati Regem in caſtris ad Leopolim agentem, repetitoque poſtulato poſt multa vtrinque adducta dixerunt tandem, Dominum ſuum libenti animo hanc deſerturum inſtantiam, ſi tanti apud Regem ponderis ſuam viderit fuiſſe interuentionem, vt rebellionis crimen Coſacis Zaporouiis condonaret, eosque obliteratis omnibus praeteritis in ſinum gratiae ſuae clementer reciperet.

Quod non obtinent.

Rex ad excludendum quoscumque belli praetextus commiſit nonnullis ex proceribus, vt rationes Tzari in hac ſua petitione gratificandi cum legatis eius diſpicerent. Verum enim vero, cum Moſchi pro rebellibus pacta Zborowienſia repeterent, et Regii ea per recentiorem repetitam rebellionem ab ipſiſmet Zaporowiis iterato proculcata fuiſſe, ideoque illos eorundem beneficio ſua culpa bis cecidiſſe, efficaciter demonſtrarent, inſtarunt legati, vt ſaltem radix contentionis cum Zaporouiis ſuccideretur, ſupprimendo religionem, quae a conſenſu cum Romana Eccleſia Vnitorum appellata in extirpationem Graeci ritus ſemper conſpirando bellum illud Zaporouiis conflauerat. Repulſi tamen conſtanter cum exaggeratione facinorum, et ſacrilegiorum a Zaporouiis vbicumque in homines Graecae, vt ipſi, addictos Religioni, eorumque templa, et ſacram ſupellectilem patratorum acquieſcere ſunt viſi; nam deteſtatis Coſacorum ſceleribus, iisque indignantes plene ſibi, et Domino ſuo ſatisfactum eſſe profeſſi ſunt.

Quomodo nec, vt ſupprimerentur vniti

Alexius arma contra Polonos mouet.

Vix tamen ad Alexium redierant, cum ille miſſo exercitu Kyouiam, Bialoczerkuiam, aliaque loca ſibi a Zaporouiis in pignus fidelitatis tradita ſuis firmauit praeſidiis, et rebelles in ſua contumacia confirmauit. Mox promota in Albam Ruſſiam inuaſione ea tota breui potitus fuit. Nec contentus; ſed a ſucceſſibus animos ſumens, vniuerſam Lituaniam defenſoribus deſtitutam illata vi exuſtam, exciſam, vaſtatam ſibi ſubiecit.

Ioannes Caſimirus cum Regina Ludouica Maria in Sileſiam ſe recipit.

Inter haec mala, aliaque tam domeſticae proditionis, quam Sueticae inuaſionis diu conflictatus Ioannes Caſimirus tandem oppreſſus ſuccubuit, et Regno exutus ad aſylum in Sileſiam cum coniuge Ludouica Maria confugit. Inde Auguſtiſſimum Imperatorem Ferdinandum Tertium ſe: re: amitinum ſuum confidenter rogauit, vt ſequeſtrem ſe pacis cum Moſchouia interponeret, futurum enim, vt potentiſſimo hoc hoſte amoto ipſi ab oppreſſione, quae extorrem eum fecerat, reſpirare daretur.

Ad quorum inſtantiam mittuntur in Moſchouiam, a Ferdinando III. Imperatore Legati ad conciliandam inter

Annuit petitioni Ferdinandus, ablegauitque ſine mora anno 1655 Allegrettum de Allegrettis, et Ioannem Theodorum a Lorbach, qui ſuo nomine Moſcho Tzari pacem cum Polonis ineundam ſuaderent, eiusque leges ad partis vtriusque placitum amica perſuaſione arbitrarentur. Cumque praecauere vellet, ne vlla, vel extrinſeca, cauſa Moſchouitis daretur ſuſpicandi, quod ex compoſito cum Polonis legationem illam adornaſſet, ne timorem in his inde coniectantes duriores eius ſanciendae conditiones praeſcribere praeſumerent, voluit, vt ablegati ſui euitatis

Polonos, Moſchosque pacem.

Polonicis ditionibus per Germanicas Lubecam profecti, naui ibidem conſcenſa in Liuoniam nauigarent, Moſchuam inde petituri.

Qui iuducias tantum obtinent.

Admiſit Alexius oblatam operam, et inſtituto anno 1656 Vilnae Legatorum vtriusque partis conuentu, cum dirimi ab induſtria caduceatorum perpetua pace contentiones minime poſſent, ad Polonica tamen tunc proxime futura comitia pactis induciis die 3 Decemb. dilatae fuerunt. Magno vtique Polonorum commodo, dum interim Moſchus omnem iram ſuam contra Suecum in Liuoniam effudit, vnde ipſis poſtmodum hunc hoſtem aliorſum diſtractum, auxiliariorum maxime Caeſaris armorum ope, a Regni ſui detentione deturbare procliue fuit.

Sed iis violaris Imperator Leopoldus authorem cum Collega in Moſchouiam ablegat, vt de pace agant.

Vtrimque tamen parum religioſe armiſtitii pacta cuſtodita fuere. Quare denuo recrudeſcente bello Auguſtiſſimus Rom. Imperator Leopoldus Dominus meus Clementiſſimus, vt lachrymabilis Chriſtiani ſanguinis effuſio ſiſteretur, et vniuerſo Orbi aquilonari mediante aquila Auſtriaca alma pax redderetur, paternis voluit veſtigiis inſiſtere. Mihi itaque et Horatio Guilielmo Caluuccio Sacri Romani Imperii Equiti, atque in dicaſterio Interioris Auſtriae iuſtitiae Sacerdoti benigniſſime mandauit, vt maturato itinere ad Alexium proficiſceremur, amicam Maieſtatis ſuae Caeſareae interpoſitionem ei oblaturi, cuius admiſſae miniſtri poſtmodum eſſe deberemus.

Eidem autem, quo Auguſtiſſimus parens ſuus motus fuerat, reſpectui inhaerens, Poloniae Regiam declinare nos iuſſit, cum prius a Iacobo Curlandiae Duce petiiſſet, vt collimitaneos Moſchouiticae ditionis Praefectos de futuro noſtro aduentu praemoneret, quo ſtatim, ac eo acceſſiſſemus, excipi, et nulla interiecta mora recta ad Tzarem deduci poſſemus. Antiqua enim Moſchouitarum conſuetudo exterorum Principum legatos ab ingreſſu in prouincias ſuas arcet, quamdiu Magnus Dux de eorum aduentu certior redditus intro ſuſcipi eos non mandauerit.

Diſcedunt Vienna, et per Morauiam, Sileſiamque Gneſnam veniunt.

Ad XIII. Kal. Mart. anno 1661 Vienna diſcedentes nono Olomucium priſco nomine Eburum Marcomannorum regionis caput iniuimus. Hic a recto minoris Poloniae itinere deuii, vt Curlandiam adiremus, viam fleximus, et ad laeuam conuerſi Sileſiorum metropolim, conditoris, ſiue inſtauratoris ſui, Vratislai Bohemi nomen retinentem, biſque centenos mille paſſus Vienna diſtantem tertio Kal. Mart. ingreſſi ſumus. Vbi a ciuico Magiſtratu in obſequium communis Domini per binos Senatores viſitati, et Liberi patris xeniis donati fuimus.

Poſt biduum Vratislauia exeuntes ad quadrageſimum quintum inde lapidem oppidulum Militſcium praeteruecti limites Poloniae Maioris apud Freyhainium attigimus. Per hanc quinquaginta paſſuum millia progreſſi apud pagum Pogorelitzium trans fluuium Vartam pontone traiecimus. Inde ter quindecim millibus emenſis Gneſnam venimus, vrbem ab aquilarum nido ex augurum conſilio circa annum noſtrae redemptionis 550. a Lecho Polonorum primo Duce eius conditore denominatam.

De Vrbe Gneſna.

Hic ille, eiusque poſteri vsque ad Cracum Cracouiae auctorem, et incolam, hic deinceps Piaſtus, plurimique eius deſcendentes ſedem habuerunt. Et huc Boleslaus Chobri Piaſti atnepos martyris Adalberti ſecundi ibidem Archiepiſcopi corpus ab interfectoribus Pruſſis redemptum transferri, ibidemque decenter tumulari curauit. Archiepiſcopatus ſiquidem dignitate vrbs illuſtratur, a primo inter Polonorum Duces Chriſtiano Miecislao Piaſti abnepote circa annum 965 ſedente in Petri Cathedra Ioanne XIII. eum confirmante inſtituti. Cui paulo poſt quartodecimum ab Incarnato Deo ſeculum nouus ſplendor acceſſit, cum Nicolaus Tramba a concilio Conſtantienſi Primatialem in Polonia dignitatem conſecutus eſt. Et maior, cum poſt ſeculum Ioannes Laski perpetuae in Polonia Pontificiae legationis munus non tantum ſibi ſoli, vt olim Henricus Kitlitzius ab Innocentio Tertio; ſed et ſucceſſoribus ſuis a Concilio Lateranenſi obtinuit. In politicis autem Archiepiſcopus Gneſnenſis ſumme poſt Regem conſpicuus eſt, imo interregni

gni tempore Regis vmbram aliquam repraeſentat, praeclarisque ſemper praerogatiuis excellit (*).

Inde poſt triginta paſſuum millia apud oppidum Pacoſſum Noteſio traiecto Brombergam, ſiue Bidgoſtiam, Regiam in Pomerellia vrbem flumini Berdae incumbentem, parique interuallo a Pacoſſo ſeiunctam, per nuperam Suecorum in Poloniam irruptionem reciprocante ſucceſſus Marte miſerabili ſui concuſſione captam, et recuperatam, venimus. Ingreſſu tamen in eam ciues nos ferocius, quam Suecos, prohibuere. Quapropter in peſſimo extra moenia diuerſorio pernoctare debuimus.

De Pomerellia.

Pomerellia, olim Pomeraniae pars a Guttonibus ex aboriginibus Vandalis gente Germanica habitata, a Sarmatis deinde Venedis, ſiue Vendis, eorum nomen ſibi aſſumentibus occupata, Caſſubiae partem comprehendens, diu propriis ſuis Principibus paruit, donec anno 1290 a Meſtouino ſubditorum precibus annuente Maioris Poloniae Duci Primislao, poſthabitis agnatis anterioris Pomeraniae Ducibus, ac filiabus ſuis Rugiae Principi, et Adolpho Holſatiae Comiti nuptis, teſtamento legata pomum Eridis inter hos fuit. Sed dum decertant, Teutonicus Ordo armatus et ipſe concertationi accurrens praeualuit, ita vt anno 1310 ſubactam Pruſſiae ſuae Aeſtiis extortae adnecteret.

De Pruſſia.

Etenim, cum incurſionibus continuis Maſouia ab ethnicis Pruſſis miſere vaſtaretur, Conradus Dux vires ſuas ad eam tuendam impares ſentiens, onus hoc Friderici II. Rom. Imperatoris auctoritate anno 1226 die 29 Maii in Marianos Equites, e Syria pridem a Saracenis exactos, et a quarto Magiſtro Ordinis Hermanno de Salza tunc rectos, deriuauit, regione, quae a Viſtula, Mocra, et Deruancia fluentis concluditur, eis attributa, adiectoque inſuper vniuerſo Culmenſi tractu ſibi reſtituendo, cum debellatis Pruſſis prouincias his extortas illi ex pacto cum eo partirentur. Crucigeri itaque impigre rem gerentes Pruſſos victricibus armis deuictos ſubegere, et deinde ab Vladislao Loctico Poloniae Rege in ſubſidium oppugnatae a Ioanne, et Valdemaro Marchionibus Brandeburgenſibus arcis ſuae Gedanenſis acciti eam liberatam ſibi pro belli expenſis retinuerunt. Et anno 1310 etiam oppidum expugnarunt, vniuerſamque Pomeraniam ab iisdem Marchionibus Henrico Imperatore aſſentiente coemptam ſibi aſſeruerunt. Bello deinde per varias viciſſitudines diu protracto Poloni, et Crucigeri inter ſe decertarunt, quousque hi anno 1343 Magno Caſimiro diploma extorquerent, quo conſentientibus Regni ſui laicis proceribus omne ſuum ad Pomeraniam, ditionemque Culmenſem ius in illos contulit. Porro anno 1408 tanta ſuorum ſtrage Crucigeri a Iagellone ad Gruneualdum caeſi ſunt, et tanta impotentia flagitioſum in ſubditos ſuos imperium interſtinis odiis diſcordes exercebant, vt hi tunc ad victorem, atque anno deinceps 1454 adminiſtrante Ordinis Magiſterium Ludouico ab Erlingshauſen ad illius filium Caſimirum fere omnes deficerent. Tantumque abſuit, vt amiſſa ſucceſſores retraherent, quod potius ipſimet Polonis homagium praeſtare fuerint adacti. Tandem Albertus Friderici filius ex Marchionibus Brandeburgicis lineae Onolsbachianae trigeſimus quartus Ordinis Magiſter auitae Catholicae religioni vale dicto Lutheri doctrinam ſectatus anno 1525. VI. Idus Martii auunculo ſuo Sigismundo Primo Poloniae Regi Caſimiri filio ius Ordinis in tota Pomerellia, et parte Pruſſiae ceſſit, retenta huius longe ampliori parte fiduciario iure ſub Ducis in Pruſſia titulo in haeredes ſuos tranſmittenda. Inde diuiſa Pruſſia in Regalem, et Ducalem fuit.

De Pruſſia Regia.

Pruſſia Regia Varmienſi, et Culmenſi conſtat Epiſcopatibus. Culmenſi, Marieburgenſi, et Pomerelliae Palatinatibus. Torunio, Elbinga, et Gedano maioribus, plurimisque aliis minoribus vrbibus.

Poli-

(*) Archiepiſcopus Gneſnenſis, qui Poloniae regni et M. D. Lith. primus eſt Princeps, inde dictus *Primas*, non vmbram Regis repraeſentat interregni tempore, ſed re vera cum ſenatu et ordine equeſtri Regis vices gerit, et hanc ob cauſam etiam *Vice-rex* illo tempore appellatur.

Politicum eius regimen tribus incumbit Ordinibus. Conſtituunt primum Epiſcopi Varmienſis, et Culmenſis: Palatini, Caſtellani, et Succamerarii, qui ſunt limitum iudices, Culmenſes, Marieburgenſes, et Pomerellienſes: maioresque ciuitates Torunium, Elbinga, et Gedanum. Horum conſilio omnia Pruſſiam, ſuam concernentia Rex dirigere tenetur.

Alter Ordo nobilitatis eſt, quae conuentus ſuos, et diſtrictus peculiares habet, vtpote Culmenſis Kowalewi, et Golubae: Mariaeburgenſis Chriſtiburgi: Pomerellienſis Derſauiae, Suece, Ticholiae, Glukouiae, Mirachouiae, Putzki, et Lawenburgi nunc in Electorem Brandeburgicum cum Bythouia alienati. In quorum ſingulis a iudice, et Scabinis ex ſuo corpore deſumptis ius in cauſis ſuis ciuilibus audit.

Tertius autem ex minoribus conſtat ciuitatibus, quae ſingulae oppidanis ſuis iuſtitiam adminiſtrant.

De Pruſſia Ducali.

Ducalis vero Pruſſia in plures olim prouinciolas diuiſa, nunc ſub Samblandico, Natangico, et Oberlandico comprehenditur circulis. Hi omnes deuoluto ab Alberto anno 1568. 20 Martii fato functo in eius filium Albertum Fridericum, eiusque pro tempore curatores, atque poſt eiusdem anno 1618. 28 Auguſti ſubſecutam mortem in Georgium Wilhelmum Electorem Brandenburgicum ſucceſſiue iure, nunc huius filio Friderico Wilhelmo, ab omni clientelae nexu per recentia anni 1657. pacta Bidgoſtienſia ſoluto, parent.

Ducatus totius adminiſtratio quaternis praeſertim Magiſtratibus commiſſa eſt. Primum locum obtinet ſupremum Regimen, ad quod Ducis Vicarius, Prouinciae ſupremi Aulae Praefectus, Burgrauius, Cancellarius, et Mareſchallus adſciſcuntur. Secundum Conſiliariorum Prouincialium Collegium, ex quatuor Capitaneis maioribus, et octo minoribus ex nobilitate omnibus conſtitutum. Qui ſinguli capitaneatus ſui nobilibus, ſicuti municipia ciuibus ſuis, ius dicunt. Tertium ſupremum Appellationis tribunal nuper anno 1657 inſtitutum, quod ex Praeſide, quinque nobilibus, et tribus Iureconſultis conſtat. Et quartum Iudicium Aulicum, cui ſub Praeſide nobili aſſident quini nobiles, et trini ex ciuium coetu. Duos habet Prouincia Ordines, equeſtrem alterum, qui Comites, Barones, et Nobiles includit, ciuicum alterum ex ciuitatibus conflatum, quae ſigillatim in Comitiis prouincialibus ſuffragium ferunt.

Poſt terga itaque relicta inhoſpitali Bromberga quadraginta millium itinere Tucholiam eidem adiacentem flumini, et Suecici belli oppreſſione adhuc languentem ingreſſi ſumus. Inde quinquaginta paſſuum millia vecti Schoiniciam, ſeu Scarſeuiam, oppidum cum arce Ferſae imminens amni Gothici et ipſum Martis iniuria afflictum, in quo Palatini tribunal nobiles iudicantis rabularum clamoribus ſtrepit: biſque duodena paſſuum millia vlterius pergentes Gedanum celeberrimum ad mare Balticum emporium ad IV. Idus Martii iniuimus.

De Vrbe Gedanenſi.

Quod habuerit Dantiſcum conditores Danos, non Viſimirum Poloniae Regem, vt Gaguinus autumat, euinci ex nominis etymo poſſe videtur, quin imo Pontanus in ſua rerum Danicarum hiſtoria affirmat, repertum a ſe apud Pomeranorum Chronographos fuiſſe, quod cum Rex Daniae Valdemarus I. Sobislao Pomeraniae Principi circa annum 1165 bellum mari intuliſſet, arcem, ſeu propugnaculum Danſwicum ad Viſtulae oſtium excitauerit; quamuis Cluuerio popularibus ſuis adulanti libuerit hanc etymologiam e coelo deriuare, dum a ſinu Codano, vel Godano, quod nunc mare Balticum appellamus, imo potius ab vtriusque auctore, antiquo, ſcilicet, Germanorum Numine Dan, ſiue Godan, vico nomen inditum fuiſſe aſſeruit. Sobislaus tamen, qui mox Valdemaro diſcedente eum occupauit, iura ciuitatis primus ei dicitur conceſſiſſe. Ab eius autem ſucceſſoribus in Marchionum Brandeburgenſium, ab his in Polonorum, et per eos in Marianorum equitum poſſeſſionem tranſiit, quorum excuſſo iugo anno 1454 Caſimiro Iagellonidi Poloniae Regi certis pactis vltro ſe ſubiecit. Et anno 1632 in coacto Varſauiae poſt mortem Sigismundi Tertii ad ſucceſſorem eligendum generali Ordinum conuentu

uentu praerogatiuam ferendi in electione Regum ſuffragium obtinuit. Ab anno tamen 1343 vrbs vetus, quomodo deinceps noua, moenibus cincta fuerat. At, cum ab illis arenae montibus a meridie et occaſu ſibi imminentibus aliquam in tecta ſua tempeſtatem deiici poſſe videret, eos anno 1656 et ſequenti, dum Carolus Guſtauus Sueciae Rex exitium ei intentaret, ſuburbiis vel dirutis, vel incenſis, firmiſſimis muniuit operibus. In Reipublicae adminiſtratione primas obtinent partes quaterni Conſules, cum bis ſeptenis Senatoribus, ex quibus Rex quotannis Burgrauium ſuum eligit. Secundas Scabinorum, quos iudices, ſiue iudicii adſeſſores diceres, Magiſtratus, ad quem cum ciuilium, tum criminalium cauſarum notio ſpectat. Et tertias magnum centumuirorum concilium, data tamen in multis ad Regem prouocatione. Plurimi ibi Lutheri aſſeclae, non pauci Caluini, pauciſſimi priſcae Catholicae Romanae fidei. Omnes tamen pari iure libero ſuae quique religionis exercitio gaudent. Ibi Senatus pro ſua erga Sacram Caeſaream Maieſtatem reuerentia binis ex corpore ſuo, qui nos viſitarent, miſſis, honorario vino nos donauit.

Proſequitur Author iter,

Ad XVI. Kal. Aprilis profectionem noſtram proſequentes ſtatim extra Dantiſcanam vrbem exundantem Viſtulam, olim Vandalum dictum, antiquiſſimis temporibus inter Germaniam, et Sarmatiam terminum, labore non exiguo pontonibus ſuperauimus.

Per decies deinde ſeptena arenoſae viae paſſuum millia oram maris Baltici, quod Melae, et Plinio ſinus Codanus, Ptolomaeo Venedicus, Tacito vero mare Sueuicum eſt, qua oblongus vtrinque ab aequore, et aeſtuario aggeſtae arenae cumulus, modo Neringa inſula appellata, Gedanenſis vsque ad pagum Armlenium, et inde Natangienſis iurisdictionis, ſe extendit, legentes ad Pillauienſe traiectum quarta poſt die cum ſole oriente peruenimus. Silebant venti, vnde per ſummam malaciam a nautis Pillauiam feliciter tranſuecti ſuimus.

Et Pillauiam venit.

Pagus iſte (frequentem accipenſerum piſcationem ſi exceperis) penitus ignobilis vix a Coſmographis notaretur, niſi duplex apud eum excitatum munimentum eundem illis commendaſſet. Vtrumque autem Habi faucibus, per quas in Balticum aquas ſuas euomit, et vectigalia deglutit, ita imminet, vt nauigia per eas commeare ſine maximo diſcrimine iis inuitis minime poſſint. Horum et vigiliarum ſimul ſummus praefectus Petrus de la Caue humaniſſimo nos officio proſecutus eſt.

Eodem die vlterius profecti vidimus a dextris in aeſtuarii litore oppidum Fiſchhuſium, anno 1269 a Crucigeris eo loci, vbi ab Ethnicis incolis anno 997. IX. Kal. Maii Sanctus Adalbertus, Pragenſis prius Epiſcopus, deinde Archiepiſcopus Gneſnenſis, palo alligatus, ſeptemque transfixus haſtis martyrio affectus fuerat, conditum, et deinde Epiſcoporum Sambienſium ſedem, donec Georgius a Polentz Eccleſia hac ſponſa ſua ſpirituali cum religione repudiata in amplexus Balgenſis foeminae ruens, eandem Alberto Primo in Pruſſia Duci in perpetuum vſum traderet alienatam.

Inde Regiomontum,

Poſtero autem quinque et triginta millium itinere Regiomontum iniuimus, vrbem amplam a Sexto Teutonici Ordinis Magiſtro Poppa ab Oſterling anno 1260 in Ducatu Sambiae, ſiue Samlandiae non longe ab oſtio Pregolae fluminis Angerapii, et Alliae vndis commixti conditam, et in honorem, et memoriam Ottocari Regis Bohemorum, cuius auxilio prouinciam illam Crucigeri ſubigerant, Konigsbergam vocatam, a Bartholdo Auſtriaco anno 1300 oppido de Lebenick, et a Winrico Kniprode anno 1380 tertio oppido Kniphoff appellato auctam, atque nunc frequenti academia ſub Lutheri auſpiciis ab Alberto Duce fundata, et Ducali ſede Polonicae iam tutelae ſubducta conſpicuam.

Atque per peninſulam Curoniam Memelam.

Nec data mora vix orta luce inde mouentes Sambiam prius tranſuerſim ſecauimus. Peninſula dein Curonia ab indigenis Neringa dicta, quam longus inter Balticum mare, et Curonienſe aeſtuarium aſſurgentium arenarum efficit tractus, nos excepit. Poſtque centena paſſuum millia pelago fere ſemper laeuas rhedarum noſtrarum rotas placide alluente in conſpectum Memelae arcis VIII. Idus Martii a vecto-

vectoribus noſtris expoſiti fuimus. Vnde in eam cum ſolis equis noſtris, et ſarcinis nauigio transfretauimus.

Excitata illa poſt oppidum ſuum Chriſtimemel anno 1279 aedificatum in extrema Pruſſia prope Ragnetam apud flumen Memel, vbi dulces vndae Curoniae cum ſalſis marinis commiſcentur, ad propulſandas Lituanorum incurſiones anno 1312 ſub Tertiodecimo Teutonici Ordinis Magiſtro Carolo Beffarto Treuirenſi fuit, ingentique vallo, ac foſſa munita.

Memoratae iſtae vtriusque Neringae arenae cum Sudinia, ſiue Sudauia, inter eas, et mare prominente lingua ſunt illa Venedici ſinus litora, in quae Zephyro hinc, aut illinc Borea tempeſtatem excitante euulſum e ſinu ſuo ſuccinum, ſeu electrum, priſcis gleſſum, herba ſua, ſeu muſco, inuolutum, aequor eiectat, quod nos ibi ipſi, licet ſeri poſt vindemiam racematores, legimus.

Memelae ſiue arcis praefectus, ſiue vrbanus Magiſtratus tam inurbane erga nos ſe habuerunt, vt exorari ſe a noſtris precibus paſſi non fuerint, ad mandandum, vt nobis de vehiculis vsque in proximam Curlandiam pro mercede proſpiceretur. Ibi itaque totum biduum haerere debuimus, donec in vicariam operam pagana ploſtella conduceremus, quibus ad V. Kal. April. quinque et viginti mille paſſus profecti Heiligauiam Samogitiae vicum venimus, ibique pernoctauimus.

De Samogitia. Samogitiae Ducatus magni olim Lituaniae ad proferenda pomaeria ſua momenti, nunc amplitudinis eius acceſſio, hanc, Semigalliam, Curlandiam, maris Baltici, Curonii lacus, Nemenique amnis vndas limites habet. Syluis obſitus eſt, in quibus frequentes pererrant alces, et frequentiora apum examina mel fabricant laudatiſſimum. Glebam tamen habet feraciſſimam, quae ligno, non ferro, proſcinditur. Aeſtii origine Germani eum olim cum Pruſſia, et Liuonia incoluere. Receptis vero decimo poſt noſtram reparatam ſalutem ſeculo Italis Columnis, per varia tempora a vicinis Pruſſis armis exercitus, tandem in Lituanici corporis, cuius diu altor fuerat, membrum cooptatus, a Vitoldo Pruſſis Crucigeris anno 1404 traditus fuit. Quo tamen quadriennio exacto poenitudine ductus eos per Romboudum Mareſchallum inopinato exuit. Cumque illi triennio poſt per Turonienſe cum eo, et Iagellone foedus iure ad illum ſuo ſe abdicaſſent ſub lege, eum denuo, poſtquam ambo ſatis conceſſiſſent, recipiendi; ad renunciandum tamen huic in perpetuum pacto anno 1422 adacti fuerunt. Interim incolae Iagellone Apoſtolice adlaborante, et duodecim parochiales eccleſias iuxta numerum diſtrictuum fundante, et dotante, ad Chriſtiana ſacra conuerſi, anno 1417. IX. Kal. Nou. primum Epiſcopum Matthiam a Legatis Conſtantienſis ſynodi Archiepiſcopo Leopolitano, et Epiſcopo Vilnenſi vrgente eodem Iagellone acceperunt, ſede eius Medniciae ad Wirzwitzam amnem locata, cui nunc Alexander Sapieha vigeſimus ſextus Antiſtes praeeſt, cuiuſque ſuffraganeus Epiſcopus eſt Spigacenſis. Captum quidem anno 1655 a Moſchis nobile Palatinatus Trocenſis in ipſo Viliae, Nemenique confinio oppidum Cauna, atque incendio fere deletum fuit, verumtamen, licet eidem ad annum vsque 1662 incubuiſſent, vlterius ſe nihilominus in collimitaneae Samogitiae Suecos iam reſpectantis inexplorata ſibi nemora inſerere abhorrentes intactam eam reliquerunt. Non ſic Sueci, qui ea direpta etiam humiles illos laborioſiſſimi roboris equos, quos frequentiſſimos alebat, fere omnes abegerunt.

In Curlandia nomine Ducis Iacobi author excipitur et Grobinum ad eum deducitur. Altera die, cum ſtatim extra vicum decurrentem ei agnominem fluuium inter Sudauiam, et Curlandiam limitem naui transmiſſiſſemus, paululum progreſſi vidimus opperientes aduentum noſtrum quatuor ex Ducis Aula nobiles prouinciales, qui cum tribus rhedis nomine Domini ſui nos officioſe exceptos Rutzauiam ad decimum inde lapidem deduxerunt. Cumque ſequenti octonis paſſuum millibus decurſis circa veſperas ad bis mille Grobino appropinquaremus, obuium habuimus Ioannem Fridericum Reck Prouinciae Aulae Praefectum cum quatuor aliis rhedis multis nobilibus ſtipatum, qui nos denuo nomine ſui Ducis perhumaniter excipiens in ipſa ſui Domini rheda in arcem introduxit. Ibi in atrio ex rheda exeuntes ipſe Dux nos excepit, et in cubicula hoſpitalia deduxit.

Poſtero

Poſtero die tam erga illum, quam eius coniugem Aloyſiam Charlottam Friderici Wilhelmi Electoris Brandenburgici ſororem Principem prudentiſſimam officio a Caeſare nobis clementiſſime iniuncto ſatisfecimus.

De Liuonia. Liuoniae amplam ad ſinum Chylipenum, regionem incoluerunt olim Venedi, gens Sarmaticas quibus ſubmotis Aeſtii Germani a Rheni, ſiue potuit Viſurgis ora longe ante Chriſti aduentum illo tranſmigrati ſucceſſere. Hi moribus quidem fuere rudibus; ſed natiua ſimplicitate dociles ad politiores. Quamobrem ſub Imperio Friderici Aenobarbi appellentibus ad litora ſua mercaturae gratia popularibus ſuis Germanis faciles ad commercium ſe conceſſerunt, ab iisque edocti fuere, non tantum in compendium rei familiaris, prout Germanorum oſor Piaſecius iocatur, ne more ſuo priſco abiicerent ceram exſucto melle, ſed in lucrum longe magis aeſtimabile, ne vlterius derelicto fonte aquae viuae ſoderent ſibi ciſternas diſſipatas, quae continere non valent aquam: Ne omnipotentis Dei ſalutari inuocatione neglecta nihil potentium Daemonum pernicioſam opem vlterius implorarent. Nam Meinhardus Canonicus, ſiue Monachus, Segebergenſis iisdem permixtus eo anno 1170 adnauigans, vt pretioſas Liuonicarum margaritas animarum incommodorum ſuorum, et vitae, ſi opus foret, impendio emeret, multas ſudoribus ſuis comparatas Catholicae fidei monili intexuit, et in ſupremum tandem earundem inſtitorem ab Archiepiſcopo Bremenſi Hartwico II. conſenſu Innocentii Tertii Pontificis Maximi conſecratum euaſit. Verumtamen, cum a paganis, et Schiſmaticis Liuonia tunc fere vndiquaque cingeretur, plures, qui ibi domicilia fixerant, Germani in praeſidium ſuum, et incolarum, quos ſub clypeo protectionis ſuae tuendos Chriſtiana charitate ſuſceperant, hortante Alberto Epiſcopo Liuoniae Tertio ſacrae militiae, cuius teſſera erant duo rubei gladioli cum ſtella circa pectus decuſſatim pallio aſſuti, ſub fratrum Enſiferorum titulo nomina dederunt, electisque ex ſuo corpore Wieno Magiſtro, et commendatoribus, qui cum Archiepiſcopo Rigenſi, et Praefulibus Dorpatenſi, Reualienſi, Oſilienſi, et Curonienſi, quos auctoritate Romani Pontificis inſtituerunt, totius regionis adminiſtrationem gererent, diu vicinorum iniurias a finibus ſuis valide propulſarunt. Fatiſcebat tamen vndique impetitus ſub onere ſuccollato impar viribus Ordo, quapropter Volquinus eius Magiſter eum Teutonico in Pruſſia Cruciferorum Ordini, cruce ipſius cum patrocinio ſub tributarii obſequii promiſſione aſſumpta moderante eius Magiſterium Conrado Turingo coniunxit. Albertus tamen Brandeburgicus huius tribus fere poſt ſeculis ſucceſſor accepta a Liuonienſibus equitibus ingenti auri vi obedientiam eis, et tributa inpoſterum omnino remiſit.

Per rimas deinde Pruſſiaci exempli irrepſerunt in Liuoniam Lutheri dogmata, quae vniuerſus equitum ordo prius, et mox ipſi Epiſcopi tam auide admiſere, vt eorum ſinguli contra prioris inſtituti placita thori ſociam ſibi aſſumerent, et Ordinis, vel Eccleſiae fundos, ac praedia, venderent, vel in liberos ſuos haereditario iure tranſmitterent. Satagentes autem, quae ſic occupauerant, valido praeſidio firmare, Sigiſmundum Auguſtum Poloniae Regem ſuis opportunum auſis iudicarunt, norant enim eum rerum fidei incurioſum, et non dubitabant, quin exemplum parentis Sigiſmundi, qui Teutonicorum Equitum nomen in vicina Pruſſia expunxerat, eſſet imitaturus. Huic itaque conciliatore Nicolao Radziuilio Nigro Palatino Vilnenſi Caluini ſectatore Magiſter Ordinis. Gothardus Ketlerus nobilis Weſtphalus anno 1559 vltima Auguſti die prius Vilnae, deinde XVI. Kalendas Martii anno 1560 Rigae: et Wilhelmus Archipraeſul Rigenſis, etiam conſentientis Collegii Canonicorum ſuorum nomine, poſtridie eius diei Liuoniam cum Vrbe Riga ſubiecerunt. Curlandiam tamen, et Semigalliam Ketlerus tanquam Poloniae beneficium pro ſe, proleque ſua retinuit, pro quibus tandem anno 1561. quarto Kal. Decembris Vilnae ipſi Sigiſmundo Auguſto clientelaris obſequii praeſtitit iusiurandum, acceptoque Ducis in Liuonia Curlandiae, et Semigalliae titulo crucem ei, aliaque Ordinis inſignia tradidit. De Curlandia.

Magnus vero Holſatiae Dux etiam Epiſcopatum Piltenſem, ſiue Curonienſem, ab eius Epiſcopo Ioanne a Muninchauſen anno 1559 Friderico Secundo Daniae Regi venditum, et ab hoc ipſi, vtpote germano ſuo, loco paternae in Ducatu Holſatiae haereditariae portionis anno ſubſequenti attributum, cum omnibus Vltradunenſibus, quae Mariae vxoris ſuae patruo Iuano Moſchorum Tzari eripuerat, Polonicae tutelae ſubmiſit.

Hos autem Sigiſmundi Auguſti contractus a ſupremo omnium in orbe beneficiorum directo domino reprobatos fuiſſe ſucceſſus oſtendit. Moſchus illo adhuc viuente maximam Liuoniae partem occupauit, in eaque perſtitit, donec a Stephani Regis virtute et fortuna inde abſcedere cogeretur. Ericus tamen Sueciae Rex Reualiam iamdiu tunc interceperat, et per hunc pontem non ipſe duntaxat in Eſthoniam tranſierat; ſed deinde eius ſucceſſores Ioannes, Carolus, Guſtauus Adolphus, et Carolus Guſtauus tam vltra felicia promouerunt arma, eaque tam firmiter ſiue contra Moſchos, ſiue contra Polonos ſtabilierunt, vt modo, exceptis Duneburgo, Roſitenia, Lutzenio et Marienhuſio a Moſchouitis inſeſſis, Liuoniam vniuerſam cum Eſthonia, dominio per nuperam Oliuenſem tranſactionem confirmato, cumque Oſilia Danis antea per pacta Bremſebroenſia anno 1645 extorta Suecia poſſideat, et ita Liuoniae totius poſſeſſio Polonis exciderit. Ac par forſitan fatum in Pruſſia eos maneat, dum iam in fabulae praeludium ius clientelare in prouinciis Alberti Ducis a Sigiſmundo ipſis aſſertum eius pronepos Ioannes Caſimirus Friderico Wilhelmo Electori illius ex nepti Anna abnepoti perpetua abdicatione ceſſit.

Tanquam igitur Gothardi illius deſcendens Dux Iacobus Curlandiae, et Semigalliae habenas moderatur. Quas tamen molli admodum manu tractare debet, nobilitas enim prouincialis ob nimias exemptiones oris eſt adeo delicati, vt, ſi durius coërceatur, calcitroſa et contumax ſeſſorem excutiat, fautoribusque in Aula Regia largitione conciliatis numquam careat. Quod praeteritis annis expertus fuit Wilhelmus eius parens, qui, cum Magni Noldae nobilis Curlandi ſeditioſum ſui contemptum ad obſequium ſibi debitum flectere nequiret, ideoque eum per ſatellites ſuos peremptum proſtraſſet, longa duodeuiginti annorum proſcriptione, et ſortis ſuae in Ducatu priuatione factum apud feudi Dominum aegre expiauit.

Reguntur prouinciae Curlandiae, et Semigalliae a quatuor regiminis conſiliariis, ſuo, nempe, Aulae Praefecto, Burgrauio, Cancellario, et Mareſchallo: a binis Aulae Conſiliariis: a quatuor ſupremis Capitaneis Nitauiae, Goldingae, Selburgi, et Tuccumii: et a ſeptem aliis inferioribus Grobinenſi, Durbenſi, Frauenburgenſi, Landauienſi, Schrundenſi, Bautskenſi, Windauienſi, et Doblinenſi. Hi iudicia ſuper nobiles, et ruſticos, ſui quiſque diſtrictus exercent, a quibus ad Ducem, ab hoc ad feudi Dominum Poloniae Regem appellatur.

Bona nobilium ab allodiis parum differunt, ipſique in ruſticos ſuos dominium tanquam in ſeruos exercent, eos ad operarum praeſtationem indefinite adigentes.

De Epiſcopatu Piltenſi.

Nobilitas tamen diſtrictus, olim epiſcopatus, Piltenſis, qui a fluuio Weda ad inſulam Oſiliam, Plinio Latrin, ab Hirris Aeſtyorum populis olim poſſeſſam excurrens partem haud minimam Liuonici ſinus includit, non prouinciae Duci ſubeſſe; ſed immediate Polono Regi contendit. Diſtrictus etenim, vt ſuperius innuimus, ab Epiſcopo ſuo Ioanne a Muninchauſen tanquam res haereditaria Friderico II. Daniae Regi venditus, et ab hoc fratri ſuo Magno attributus, eodem promouente ſimiles Sigiſmundi Auguſti ſpecioſos tutelae caſſes cum reliqua Liuonia induit. Poſt Magni fata rixas ſuper eo inter Stephanum Poloniae Regem, et eundem Fridericum iure haereditario eum ſibi vindicantem ortas Georgius Fridericus Marchio Anſpacenſis pacis ſequeſter anno 1585 ita diremit, vt Danus acceptis ab ipſo triginta thalerorum Imperialium millibus emptionis cauſa Muninchauſio numeratis omni in eum iure ſe abdicaret, eiuſque poſſeſſio in ipſum iure hypothecae transferretur. Polono vero eum ad ſe ab Anſpachio retrahere ea ruſuſa quando-

cumque

cumque liceret. Huic tamen arbitramento Grodnae die 15 Decemb. eiusdem anni coram Rege Stephano Dux Curlandiae Gothardus ſolenni proteſtatione contradixit. Qua minime attenta is in gentilem ſuum Balthaſarem Bathoreum facultatem eundem redimenti diſtrictum ſibi competentem aſſentientibus Reipublicae Ordinibus, et per binas conſtitutiones confirmantibus tranſtulit. Verumtamen contra obnitente Georgio Friderico antiquatae eae fuerunt, et anno 1598 ſaluo Ducis Curlandiae Friderici ad haec conniuentis iure praefati diſtrictus poſſeſſio non tantum Marchioni ad fruendum vlterius relicta; ſed eius etiam coniugi, more in Polonia paſſim vſitato, iure, vt vocant, aduitalitio communicata fuit. At anno 1609 et 1611 Dux Curlandiae Wilhelmus a Rege et Republica facultatem eundem reluendi impetrauit, qui ſolutis Ioanni Sigismundo Electori Brandeburgico defuncti Marchionis Georgii Friderici haeredi vniuerſali triginta millibus thaleris, et promiſſa viduae Anſpachianae annua mille florenorum praeſtatione diſtrictus poſſeſſionem plene nactus fuit. Cum vero in ea pendenda Dux negligentiorem ſe haberet, per commiſſarios Regios in Curlandiam miſſos vidua in eiuſdem poſſeſſionem anno 1617 iterum immiſſa fuit, quae ius ſuum cum diſtrictus poſſeſſione in Hermannum Maidelium ceſſione transfudit. Inde, cum anno 1639 viuere ea deſiiſſet, a Iacobo Wilhelmi filio adducente, quot eiuſdem aduitalitatis ius in Maidelium translatum extinctum fuiſſet, lites eiusdem ſucceſſori diſtrictuſque poſſeſſori Ottoni Erneſto Maidelio, imo etiam deinde nobilibus eiuſdem diſtrictus iuriſdictionis ſuae ſe ſubmittere detrectantibus, motae, quae adhuc durant, quibusque Epiſcopi Samogitiae, cum iure ſuo, tum ſpeciali Vrbani VIII. decreto huius epiſcopatus adminiſtratores, ſalutaribus interuenientes proteſtationibus noxia ſibi praeiudicia auertere non deſtiterunt.

Ad Wedae oſtium Windauiae (a Venedis forſan mare illud olim accolentibus ſic dictae) exurgit oppidum, vbi commodum Balticum aequor efficit portum. At capaciorem apud Libauiae inſulam e regione Grobini. Horum commoditate Dux Salomonem imitatus mercimonia per emiſſarios inſtitores exercet, onerariis ſuis, et roſtratis in Americam vſque, vbi paruulam Tabagi inſulam inſidet, et ad oras orientales, vbi adhuc minorem Cambiam poſſidet, emiſſis.

Pergit author in itinere.

Ad IV. Non. April. Grobinum deſeruimus, procurante ex Ducali mandato itineris noſtri promotionem Friderico a Drankowicz nobili Lituano, et Doblinenſi Praefecto, qui et Domini, et ſubditorum gratuitis in noſtrum commodum vecturis vſus, per ducenta paſſuum millia Tzetzenium in finibus Semigalliae (terrae finem popularium idiomate hoc nomen ſignificat) XVI. Kal. Maii nos aegre deduxit. Niues a verno tempore ſenſim liqueſactae, et crebri e coelo delapſi imbres tellurem profunde adeo penetrauerant, vt aequorum vngulas, plauſtrorumque rotas intra viſcera recipiens, harum aeque ac illorum motum ſemper cedens interciperet. Et riuulus quiſque puerulis alias vadoſus adeo intumuerat, vt ſpeciem magni referens fluminis tranſitum niſi per rates, quae tunc connectendae nobis erant, pernegaret. Accedebat regionis, quae non a Sueco occupatore, a quo tanquam patrimonium ſuum nunquam amplius (vt ſperauerat) reſtituendum ab omni belli iniuria illaeſa conſeruata fuerat; ſed a protectore Polono patroni confidentia deſolatam ſe luget, miſeranda vaſtitas, indeque agreſtium raritas, et iumentorum, caeterorumque omnium defectus. Haec omnia tam difficile nobis iter illud reddiderunt, vt diffiteri non debeam, quod in nullo vnquam tot labores exantlauerim.

Cum Tzetzenium veniſſemus, ſtatim per expreſſum nuncium de hoc Moſchum Kokenhauſi Praefectum certiorem fecimus. Quapropter altera die Ioannes Affanaſiowicz Zelabowski Duoranin, ſiue nobilis aulicus, deſtinatus a Tzare ad nos Moſchuam vſque deducendum Commiſſarius miſſo centurione quopiam nobis ſignificari curauit, paratum ſe ex mandato ſui Domini craſtina die nos excipere, ſtatimque ad eum nobiſcum quam maturrime proficiſci. Praemitteremus tantum ex tunc noſtra, et familiae noſtrae nomina, ac officia, et in craſtinum impedimenta.

Et ad Dunam peruenit.

His omnibus peractis mouimus et nos ad XIV. Kalendas Maii, et poſt breue octo millium paſſuum iter ad ripam Dunae e regione Kokenhauſi peruenimus.

Quem deſcribit.

Fluuius iſte Ptolemaeo ſub Rubonis nomine notus ortum, et nomen ducit ex lacu Dwina, quinquaginta millium ſpatium a palude Fronouia in ſylua Wolkonskia Ducatus Reſcouienſis, et a Boryſthenis ſcaturigine aequaliter diſtante, occaſumque prius, deinde arctum verſus praepeti curſu progreſſus flumina Vieliſſiam, Viuiatzycam, Szomkam, Caſplam, Widzbam, Luczoſam, Dobrzyniam, Krezywinam, Vlam, Obolam, Polotam, Iſzeczam, Dzieſnam, Dryſſam, Druiam, Dueram, Indricam, Eueſtum, Koknam, Vgram, et Muſzam ſecum permixta abripit, arceſque, et oppida Veliſium, Vitepſciam, Vlam, Polociam, Dieſnam, Druiam, Duneburgum, Kryſsburgum, Kokenhauſum, et Rigam adiens, in Liuonicum Baltici maris ſinum longo ſexcentorum millium paſſuum itinere fatigatus ſe, adductasque ex Ruſſia, et Lituania ſolidas per ignis eliquationem ex faxineis, vlmeis, tiliaceis, et ſalignis cineribus a fullonibus, et ſaponis confectoribus expetitas maſſas, bouina praeſtantiſſimi laboris coria, triticum, reſinam, canabim, linum, mel, ceram, ſeuum, pretioſaſque cuiuscumque generis pelles inter Pruſſos, Suecos, Danos, et Germanos diſpertiendas exonerat: ſalemque, vinum, ſolidos aureos, argenteoſque Ioachimicos in Lituaniam, et Moſchouiam omnibus, praeter ferrum, metallis carentem reuehit.

Cum in ripae edito haereremus, venit ad nos Lazarus Zimmermannus Moſchouiticus interpres ex iis, quos, quippe legere, et literas pingere doctos, dighiori vocabulo translatores Moſchouitae appellant, qui nomine Commiſſarii nobis dixit, vidiſſe eum ex copia literarum commeatus Sacrae Caeſareae Maieſtatis, et notula familiae noſtrae antecedenti die a nobis centurioni ab eo ad nos miſſo pro ſua notitia traditis, quod nos Sacrae Caeſareae Maieſtatis Ablegati vocaremur. Habuiſſe autem eum in mandatis a Domino ſuo, vt Caeſareos Legatos, non Ablegatos, exciperet, et deduceret. Quare peteret, vt certius eum de charactere noſtro edocere haud grauaremur.

Munierat Imperator duplicibus nos fidei ad Tzarem literis. Vnae Ablegatos nos vocabant, tradendaeque ei per nos erant in prima admiſſione, cum pacificam Maieſtatis ſuae Caeſareae interpoſitionem inter ipſum, Regemque Poloniae eidem oblaturi eramus. Minime enim decebat, vt huius ſolius functionis intuitu ſtrepitoſo Legatorum nomine inſigniremur. Alterae vero auguſtiore hoc praedicato nos honeſtabant, et eae promendae a nobis tunc demum erant, cum poſt admiſſam oblationem noſtram declarandum a nobis foret, quod ego nomine Caeſaris officio conciliatoris pacis in loco pro tractatibus habendis deſignando functurus, atque tunc ibidem, et nullibi antea, Legati cum plena ad agendam de pace inter partes facultate characterem aſſumpturus eſſem, dum Collega meus Moſchuae permanens parem illi, quam ab Imperatore apud Poloniae Regem ſuſcipere Baro de Liſola iuſſus fuerat, procurationem explanandi apud Tzarem quascumque ex literis meis in dies ortas inter tractandum difficultates percepiſſet, obiret.

Reſpondimus itaque, ipſum Commiſſarium iam ab vtroque memorato documento ſatis ſuperque edoctum fuiſſe, nos tanquam ſimplices tantum Sacrae Caeſareae Maieſtatis ablegatos ad Tzarem proficiſci; vnde mirum, quod cum nos excipere tanquam tales a mandato Domini ſui, vt aſſerebat, prohiberetur, impedimenta tamen noſtra Kakenhauſum tranſuectari curauiſſet. Admitteret igitur et nos, aut illa nobis remitteret, vt redire ad eum, qui nos ablegauerat noſtrum Clementiſſimum Imperatorem poſſemus, ipſe poſtmodum de hac repulſa Domino ſuo ſatisfaceret.

A qua recedit.

Hoc audito Commiſſarius eundem Lazarum ad nos remiſit, qui nunciaret, eum ad nos, quocumque tandem nomine veniremus, excipiendos paratum eſſe.

Conſuetudo Moſchorum, quibus commeatus a

Non latebat nos, quod Moſchi, quorum nemini extra patriam pedem eſſerre, domi ſtudiis vacare Tzare vetante licet, ideoque aliarum in Orbe gentium, et terrarum cognitione carent, patriam ſuam reliquis omnibus Mundi plagis anteferant,

ferant, ſe ipſi ſupra omnes nationes extollant, et Tzaris ſui potentiam, ac maieſtatem quorumcumque Regum, et Imperatorum viribus, et dignitati praeiudicante opinione praeponant. Quodque hinc exteros omnes tanquam infra ſe poſitos ipſi ex alto imaginatae excellentiae ſuae adeo deſpiciant, vt, ſi alicuius Monarchae Oratores ſint excipiendi, illi, quibus a Tzare hoc munus demandatur, petere audeant ab iis tanquam liquido debitum, vt priores e rheda, vel equo deſcendant, prioreſque caput aperiant. Et deinde, dum eos deducunt, honoratiora ſibi loca praeripere non erubeſcant. Hocque tam proterue, vt protracta aliquando ad horas pertinaci contentione videri tandem velint de iure ſuo ex vrbanitate deceſſiſſe, ſi conceſſerint, vt eodem temporis inſtanti Legati ſimul cum ipſis terram premant, pileumque deponant. Quapropter viſum fuit nobis tales anteuenire altercationes iniungendo interpreti, vt praecedens Commiſſarium praemoneret, me in legationibus obeundis tyronem haud eſſe, et perquam optime noſſe, quid nos, quid illum deceret. Abſtineret igitur nos excepturus ab vſitatis in his functionibus a gente ſua comoediis, in quibus nullo modo nos agere vellemus.

Magno Duce Legatorum exterorum excepti o eſt.

Flumen traiicientes vidimus eum ex arce equo vectum deſcendentem, et mox in ripa deſilientem, ſtandoque exſcenſum noſtrum octo circiter paſſus longe a naui praeſtolantem. Cum ad exſcendendum prior noſtrum ſe moueret, mouit et ille ſe verſus nos, ita vt in media aequaliter inter ſe, et nos diſtantia nos exciperet. Prior tamen tegumentum e capite ſuo detraxit, detegentibus nobis poſt illico noſtra. Ibi apertis vtrinque capitibus dixit, miſſum ſe a Magno Domino, et Tzare, etc. (integrum Domini ſui titulum memoriter recitauit) ad nos ablegatos amici, et fratris eius chariſſimi Leopoldi etc. (hic totum pariter Sacrae Caeſareae Maieſtatis titulum ex charta legit) excipiendum, et ad ipſum deducendum. Paratum ſe ad hoc libenti animo praeſtandum.

In ripa Dunae apud Kokenhauſium author decenter a Moſchis excipitur.

Reſpondimus decenter repetitis integre, ſed prius, vt par erat, Sacrae Caeſareae Maieſtatis, et dein Tzaris titulis. Et ille nos de ſalute noſtra, et phraſi Moſchouitica quam bene equitaſſemus? interrogans, dextram noſtrae miſcendam vtrique noſtrum, et cunctis ex honeſtioribus familiae noſtrae porrexit. In admotos deinde equos inſilientes ad caſulam extra oppidum nobis pro hoſpitio deſtinatam aſcendimus. Praecedebant nos peditum centuriae tres expanſis vexillis, et reſonantibus tympanis. Cumque animaduertiſſemus, commiſſarium noſtrum dextrum meum latus equitando texiſſe, ad euitandas altercationes vocauimus ſub colloquendi praetextu interpretem, qui ſiniſtrum Collegae mei clauderet, et ita ambo medii inter eos equitauimus.

Inde venit Marienburgum.

Eſt igitur Kokenhauſum ars Liuoniae in editis Dunae, et confluentis ignobilis riuuli ripis extructa, natura loci magis, quam arte munita, clade ſeptem millium Suecorum nobilitata, quam cum Derpatenſi prouincia, totoque vſque ad Petzurienſe coenobium tractu anno 1654 Suecis extortam Moſchi tunc detentabant. Ibi, cum multa ad iter neceſſaria deficerent, ſequenti die haeſimus. At XIII. Kal. Maii inde mouentes, IX. Marienburgum, vndecies decies mille continuae ſyluae quocumque felici carentis arbore paſſus profecti, venimus.

Vbi a Naſciokino conuiuio adhibetur.

Vix ingreſſis ſuperuenit ex Dorpato Athanaſius Laurentewicz Ordin Naſciockin, ex Dumni-Duoraninis, ſiue nobilibus Tzari a conſiliis, et Liuoniae tum Praefectus, qui, miſſo ſtatim ad nos quodam domeſtico ſuo de aduentu eo noſtro gratulatum, poſtero die, qui apud Moſchos Graeco Kalendario cum aſſueta indigetum ſuorum commemoratione vtentes celebratae Dominicae reſurrectionis fuit, ſumma cum vrbanitate nobis vſque ad aequos obuius nos conuiuio excepit.

De Moſchorum victus, et conuiuiorum ratione.

Ordinaria Moſchouitarum, etiam magnatum, victus ratio frugalitatis leges neutiquam violat. Super menſa oblonga, et anguſta deterioris lini mappa ſtrata locantur aceti phiala, piperis vaſculum, et ſalinum. Diſcumbentium ſingulis cum pane cochlear apponitur, ſed non ſemper. Orbis, mappula, culter, et furcinula, praeter proceres, nulli. Fercula inde inferuntur ſingulatim vnum poſt aliud, multiplicatis tamen, ſi plures adſint conuiuae, eiusdem ſpeciei patinis, apud primores

mores fere omnes, alioſque ditiores aeque cum reliquo menſae apparatu ſtanneis, iiſque ob mediaſtini indiligentiam ſordide denigratis. A vino ſublimato prandii fit initium. Obſoniorum autem primum pes eſt bubalus elixus frigidus aceto et crudis cepis conditus. Aliae deinde apponuntur ſiue elixae, ſiue aſſae, ſiue iuſculentae dapes; ſed vis aliqua allii, aut ceparum, quae Moſchorum ſunt quaeſitiſſima gulae irreitamenta, expers. Nulla ibi certe cupedia: nulla artis coquinariae, quae a tota Moſchouia exulat, ſcitamenta. His tamen cibis ſumma omnes auiditate adeo ſe ingurgitant, vt helluentur potius, quam comedant. Cumque carnem omnem circa os aliquod arroſerint, illud rurſus in lancem, vnde veſtitum acceperant, nudum proiiciunt, contractamque ex corroſione oris ſaliuam iuſculo commixtam digitis adhaerentem in eam concuſſa dextra excutiunt. Potus varia habent genera. Vinum, et cereuiſiam, quibus raro vtuntur. Medones omnigenos, quorum crebrior vſus. Et vinum diſtillatum, quod vtramque paginam facit. Diuerſis autem his potionibus diuerſa pariter cuiuscumque modi vaſa ſunt aſſignata. Paterae, crateres, cyathi, pocilla, ſimpula, ſcyphi, calices, canthari. Sed omnia, vt plurimum ſtannea, vel lignea. Raro argentea, et haec nigra, et ſordida, etenim ab iis mundandis Moſchi ſtudio abſtinent, ne atterantur. Quod ſi conuiuium amicis apparari velint, quomodo ſua omnia ad oſtentationem componunt, putant illud haud opipare inſtitutum, aut ſcite exornatum, niſi cum carnibus et auibus plurima etiam variorum piſcium, qui Moſchuae care veneunt, inerudito, licet, luxu, fercula apponantur. Delicati tamen adeo palatus non ſunt, vt illos, quamuis iuxta morem putidos, abiiciant, aut abhorreant. De bellariis parum ſunt ſoliciti, antequam enim ea apponendi hora adueniat, cibis farti locum pro illis in diſtento ventre non amplius inueniunt. Potandi motus a ſola temulentia praeſcribitur, nemoque ex triclinio, niſi elatus, exit. Durante conuiuio erumpunt frequentiſſime in repentinos ſonoriſſimi bombi ructus, qui per allii, ceparum, raphanorum, et vini adusti indigeſtam mixturam foetidi, et, licentia ſtoicorum, qui ructus et crepitus liberos eſſe volunt, crepitoſis imi ventris exhalationibus mixti peſtilentiſſima mephiti adſtantes afflant. Sudarium non in pera, ſed in pileolo, geſtant. Menſae autem aperto ſemper capite accumbunt. Si itaque emungendi nares neceſſitas inſtet, abſentis linteoli vices digiti implent, quos ſimul cum naribus mappa deinceps abſtergunt. Verba conſabulantium, vtpote hominum omnis diſciplinae, et literaturae rudium, inania prorſus ſunt, ac ſaepiſſime caſtis auribus offenſionis. Maledicentia, et exultatio in rebus peſſimis vel per mendacem alienae exiſtimationi detrahentem iactantiam ſunt plurimorum ſermonis apophtegmata, et ſales. Nec deſunt aliquando ſua his conuiuiis apophoreta. Semper vero conuiuatoris vxor elegantiſſima amicta toga, integroque mundo muliebri ornata binas, vel plures, poſt ſe pediſſequas trahens in coenaculum prodit, et digniori conuiuae pateram ſublimato plenam vino ſummis a ſe labiis delibato tradit. Quod dum ille haurit, in conclaue ſuum raptim aduolans, alia ſuperinduta tunica confeſtim ad par officium alteri exhibendum redit. Et repetita deinceps ſemper cum ceteris ſingulis eadem cerimonia, tandem ad ſummum ſe parietem recipit, ibique ſtando luminibus humi deiectis pendula ad vtrumque latus componens brachia accedentium ad ſe iuxta dignitatis praerogatiuam conuiuarum male iam a potu, et cibo olentia oſcula ore excipit patienti.

Verumtamen a Naſciokini conuiuio horum multa abfuerunt. Conſors enim eius non aderat, conuiuae autem ibi pauci, et hi militari eius imperio ſubditi, ideoque modeſto eum ſilentio venerantes. Et ipſe morum noſtrorum imitator minime ineptus comi facilitate a genere potionum, et perpotandi lege nos exemerat.

Naſciokinus explorare nititur, an author ſecurus de admiſſa a Polonis Caeſaris pacifica interpoſitione veniret.

Non tamen in omnibus Moſchouiticum exuiſſe ingenium oſtendit, dum nobis inter pocula querulus expoſuit, quod Dux exercitus Lituanici Michael Paczius contra pacta armiſtitii oppidulum aliquod obſidione premeret, inſtantiſſime petens, vt eum per literas ab hoc attentato retrahere vellemus. Etenim, cum reſpondiſſemus, neque armiſtitium per aliquem Sacrae Caeſareae Maieſtatis miniſtrum concinnatum, neque eam pro pacis ſequeſtro adhuc a partibus admiſſam ſuiſſe, ideoque nulla poſſe a nobis eiuſdem nomine in hoc officia interponi: Sed neque priuato noſtro, dum nulla nobis ſiue cum Paczio, ſiue cum vllo alio Lituano, aut Polono amicitia, imo nec ſimplex ex viſu cognitio intercederet, curioſe nos percontatus fuit, per quam viam eousque veniſſemus. Et audito itineris noſtri circuitu regeſſit, cur non potius per Poloniae, et Lituaniae compendia illud recta Moſchuam verſus direxiſſemus? vnico labore, et abſque vllo temporis diſpendio ex via periculum prius in Polonia facturi, an Regi illi eandem Caeſaream oblationem admittere libuiſſet. Reſpondimus autem, regiones illas ob illatas per tot annos a tot exercitibus vaſtationes vel vnico pediti propter alimoniae defectum imperuias tunc fuiſſe. Imperatorem vero confidiſſe, quod etiam Poloniae Rex pacificam ſuam interpoſitionem eſſet admiſſurus. Neque illi opus ad eam Regi offerendam opera noſtra fuiſſe, cum alius Caeſareus apud eum miniſter hoc munere congruo tempore functurus eſſet.

Moſchouitarum plurimi nihil vnquam gratis agunt, cumque ſolo morum ſuorum circino aliorum animos metiantur, dum compraehendere mente nequeunt, quod aliquis velit eſſe gratuito probus, ſuſpicionibus iugiter anguntur, inde euenit, quod candidam ſimplicioris alicuius ſermonis ſinceritatem inanibus argutiolis in deteriorem partem ſophiſtae ſuſpicaces detorqueant. Et praeſertim ſi eos, cum quibus agunt, literis ornatos eſſe audierint. Tunc enim, Saulis ad inſtar, qui Dauidem cauere coeperat, quia prudentem depraehenderat, omnia in iis, tanquam ſimplicitatis larua calliditatem tegentibus, ſuſpecta habent.

Naſciokinus itaque, quippe ingenio acri praeditus, expiſcari auebat, an ſecuri de admiſſa iam tunc a Polonis pacifica Caeſaris interpoſitione ad ſuum Tzarem eandem oblaturi proficiſceremur. Colluſionem enim inter Caeſarem, et Rem eandem oblaturi proficiſceremur. Colluſionem enim inter Caeſarem, et Regem Poloniae ſuſpicabatur, nunquam in animum admittens, quod ille ex mero zelo ſiſtendi Chriſtiani cruoris effuſionem nos ablegaſſet; ſed potius, quod ex compacto in gratiam potentiſſimi contra Poloniae inuaſores Regi nuper praeſtiti auxilii futurus ipſe, vel aliquis alius ex Auguſtiſſima Domo, eius in Regno ſucceſſor, operam pro componenda pace offerret in ſuum commodum laboraturam, vel certe nunquam affectu indifferenti inter Principes religione differentes, quorum alterum pacis ſequeſter communibus ſacris, et arcta ſanguinis cognatione contingeret.

Poſtero die abeuntes per millenos paſſus eques comitari nos voluit: Admiranda profecto apud Moſchouitas comitate.

Proſequendo is iter ſuum Petzuram venit.

Ad VI. Kalendas Maii, Nienhuſio quadraginta a Marienburgo paſſuum millibus poſt terga relicto, ab horrore Liuonicae Syluae in apricos Moſchouiticae ditionis Petzurenſes campos exiuimus, per quos denis verſtis (ſunt verſtae milliaria Moſchouitica Italicis aliquanto contractiora) vecti, ad coenobium Petzuram, quod ſepulchretum ſignificat, irrito conatu a Georgio Farensbachio auſpiciis Stephani Poloniae Regis anno 1581 oppugnatum, venimus.

De ritu, quo Ruſſi Chriſtum colunt.

In Ruſſia igitur Moſchouitica iam degebamus apud gentem, quae Chriſtum colit: Graeco tamen iamdiu a verae et vnicae eius ſponſae Eccleſiae Catholicae Romanae infallibili per certam Dei aſſiſtentiam iudicio damnato ritu, quem a Duce Volodimiro Suatoslai filio notho anno ſecundum eorum cum Graecis communem aeram ab orbe condito 6496 a redempto vero 987 Cherſonae, Heraclienſium Ponti accolarum in Scythica peninſula coloniae, a Turcis Sari Germeni vocati, imperantibus in Graecia Baſilio et Conſtantino ſacris vndis abluto per manus traditum mordicus ſemper retinuerunt. Irrepentibus tamen ſenſim in eum haud paucis a Graeco aberrantibus. Vt illud Iaroslai eius filii fuit, qui anno 1044 patruorum ſuorum Oleghae, et Ieropolchi in ethniciſmo reperito parricidio peremptorum oſſa damnato ante octauum tunc ſeculum Montaniſtarum more voluit baptizari. Et ſiquidem audieramus, conſeruari in monaſterii fano effigiem Diuae Virginis ex arbore

arbore enatam multis miraculis claram, pia noſtros cupido inceſſit animos eam pro felici auſpicio noſtri in Ruſſiam ingreſſus venerandi. Petiimus itaque a commiſſario, vt nobis facultas fieret templum adeundi. Quod licet verbis conceſſerit, opere negauit. Praemiſſo enim, qui aedituum praemoneret, vt copiam ſui nequaquam faceret, aditus in illud patere nobis eo venientibus haud potuit. Edocti deinde fuimus, quod externae religionis homines aeque, ac canes, ab aditu fanorum ſuorum Moſchouitae (quicquid olim vel fecerint, vel facturi ſint) nunc arceant. Quodque ſi quis curioſitate ductus in ea clanculum ſe intruſerit, manibus per brachia arreptum contemptim educant, et ſolum poſt eum verrendo quaſi impura contagione prophanatum expient. Imo quod neque vetus teſtamentum in ea inferri velint, ne polluantur, dicentes, multa obſcoena, et nefaria in eodem ſcripta contineri. Quare illud etiam a priuatis in aedibus ſuis lararіis eliminent, eiusque lectionem (pſalterio, et aliquot ex Prophetis locis exceptis) monachis omnino interdicant.

Petit author facultatem adeundi Petzorae templum, quae non datur.

Obſtante Moſchorum more.

De monachis in Ruſſia.

In hoc monaſterio, quomodo etiam in reliquis in Moſchouia frequentiſſimis laudabili magni Baſilii inſtituto ſeueriſſimae monachis praeſcriptae ſunt leges. Carnes enim iis perpetuo ſunt interdictae. Piſcibus tantum, ouis, ac lactariis conceſſis, quibus tamen veſci ſingulis per totum annum ſecundis, quartis, et ſextis feriis, ni feſtiuae fuerint, et continuo quadrageſimalis ieiunii decurſu (exceptis anniuerſariis humanati Diuini verbi, et ſolennis eius in vrbem regiam ingreſſus diebus) vetitum. Imo nec vinum ſublimatum, aut merum, aut aquam mulſam, aut zythum tunc bibere; ſed ſola aqua pura, vel per iniectum fermentum acida, Ruſſico idiomate Kuuas dicta, ſitim ſedare licitum. In templo ſtatis horis, etiam nocturnis, et antelucanis, communibus precibus intereſſe omnibus mandatum. Verumtamen ſanctiſſimis his conſtitutionibus fere omnes vel intra ipſa monaſterii ſepta praeuaricatores illudunt, et ſaepiſſime etiam extra. Nam apud notos, et conſanguineos opipare paſti contractum ab auſtera abſtinentia genii moerorem longo omnigenarum potionum hauſtu obruunt. Indeque iurgantur, rixantur, procantur, et per vrbis plateas omni decore poſtpoſito nunc pedites, nunc equites, nunc viliſſimis vecti ploſtellis, ipſi non raro aurigantes, habitu per mille ſordes contemptibili, longa illuuie ſquallidi vagantes, docent vulgus, quam praeconceperat de eorum ſanctitate opinionem non medicamentis, ſed certiori notitia abigere, et debitam alias monaſticae profeſſioni reuerentiam dediſcendo eos nauciſacere. Inter eos Abbates, et Priores, ac bini, vel terni dumtaxat in ſingulis coenobiis monachi ſacerdotes ſunt, remque diuinam per vices faciunt. Sed non ideo alios ſanctitate praecellunt, imo, quaſi per frequentiam ſacrificandi aliquam cum Numine familiaritatem contraxerint, timore, et reuerentia ſepoſitis confidentius peccant. Praeſertim cum grauioribus apud eos ſceleribus leviſſime dumtaxat animaduerſionis poena irrogari conſueuerit.

Coniectus, dum ego Moſchuae deſiderem, in carcerem fuerat adoleſcens quidam popi filius ob imagines ſacras pretioſis gemmis ornatas ab eo ex templo quodam furto ſubtractas. Quod cum inficiaretur, quaeſtioni adhibitus fuit, cumque torturae dolorem ferendo non eſſet, reum ſe ſacrilegi furti faſſus addidit, ſe ſacerdoti cuipiam monacho illius coenobii, e cuius templo ſacras icones furatus fuerat, longa ſtupri conſuetudine ſuccumbere ſolitum. Citatus ille ad tribunal, coramque cinaedo conſtitutus facta exaggeratae humanae fragilitatis excuſatione flagitium non iuit inficias. Iam quicumque Diuinae in nefandam Pentapolim vltionis reminiſcitur, pyram contra manifeſtum ſceleris, imo confeſſum, in punitionem inſtructam ſibi (ſcio) imaginatur. Et appoſite quidem, ſed non vere. Bonus ille noxae exemptus capitali pauculos dies ergaſtulo incluſus, inde in aliud coenobium ad farinam per dies ſexies ſeptem ſubcerniculo a furfure ſecernendam remiſſus fuit. Vbi elapſo exacti operis tempore ſingulorum in monaſterio profeſſorum cellas adeundo, oſtiaque earum pulſando, *goſpodi pomilui*, Domine (ſcilicet) miſerere, repetens, ibique ab vnoquoque ternos ſcuticae ictus dorſo excipiens

piens ſcelus valuit expiare. Puer vero patri popo redditus hac lege fuit, vt popi dominus damnum Eccleſiae a fure illatum aere ſuo reſarciret, in documentum ſeueriori in poſterum famulos ſuos diſciplina a maleficiis coërcendi. Ius tamen dominicum in delinquentem tamquam ſibi addictum pro exſoluta ſumma eouſque haberet, donec ille ſeruitiis ſuis iuxta ſtatutorum praeſcriptum aeſtimandis a nexu ſe redimeret. Tot autem opibus a piorum largitionibus dotata monaſteria dicuntur, vt ſimul cum inſulatis tertiam in Moſchouia fundorum partem poſſidere credantur.

Petzura poſt ſumptum prandium mouentes, poſtero die campos illos praeteruecti, in quibus Waltherus a Plettenberg Ordinis enſiferorum in Liuonia Magiſter modica duodecim millium bellatorum manu Baſilium Iwanowicz Magnum Moſchorum Ducem centum millia Ruſſorum cum Schytharum triginta millibus in aduerſam aciem producentem fudit, et vnici militis ſui iactura hoſtes occidione prope occiſos fere deleuit, quadraginta verſtis emenſis Pleſcouiam venimus. Cui ad mille paſſus iam vicini vidimus in patenti campo aduentum noſtrum praeſtolantes trecentos equites, quorum pars minima gregarii. Omnes fere erant officiarii veſtibus et phaleratis equis ad ſpectaculum ornati. Eorum vnus tribuni dignitate conſpicuus ex equo per interpretem nobis in rheda noſtra perſeuerantibus ſignificauit, miſſos ſe a Duce Ioanne Andrewicz Gauanski Boiaro, & armorum Praefecto generali Pleſcouienſi, vt nos ex mandato ſui Tzaris exciperent. Poſt noſtras gratiarum actiones pergentes nos vrbem verſus anteceſſerunt. Cumque in ripa fluminis Welikae Rekae, olim Turunti, moenia eiuſdem a meridie alluentis, illud naui traiecturi, deſcendiſſemus, venerunt ad nos ex iis principaliores, nobis datis dextris de felici noſtro aduentu congratulantes. In oppoſita ripa ſtabant numeroſi pedites, et equites, qui nos ſemper rheda vectos in vrbem per plateas vtrinque a diſpoſitis ſub quinquaginta vexillis ſclopetariis armatas ad hoſpitium nobis deſtinatum deduxerunt. Ibi quinquaginta ſtrelitzii, ſiue praetoriani, cuſtodes nobis dati, qui tamen nemini ex familia noſtra exitum prohibuerunt. Ipſe Dux Gauanski neminem, qui nos ſuo nomine viſitaret, miſit, neque lautiis honorauit, quam contra morem omiſſionem adſcripſimus inimicitiae, quae ipſi cum Naſciokino intercedebat, quaſi illius exemplum ſequi fuerit dedignatus. Etenim Moſchouitae Amicitiae apud cunctas nationes ſanctiſſimo Numini nullum templum, altare nullum vnquam dicarunt, eamque non ex re, ſed ex commodo aeſtimant, parati ſemper iuxta Biantis placitum ita amare, ac ſi ſtatim odiſſe debeant. Ab inuidia vero ſtimulati ſimultates inter ſe exercent, occaſionem captantes mutuo ſe ſupplantandi, quam oblatam arripere perbelle norunt. Percepimus tamen, eum curioſitati ſuae adeo indulſiſſe, vt extra vrbem inter equites incognitus nos exceperit, et dein ſub ruſtici veſte latens rhedam noſtram inter anfractus platearum vrbis laborantem ſuo niſu ſuſtentauerit.

Venit author Pleſcouiam, vbi honeſte a Duce Gawanski excipitur.

Hic eſt ille Gauanski ſuis cladibus orbi notus, qui ſtolide ferox ab animi inconſulti impetu abreptus vltro hoſti ſemper occurrit, aut inſtat, nunquam eius vires in iudicii ſtatera appendens, quique nullam ex imperatoriis artibus callens, nihilominus dignus habetur, vt imperet, quia ex Corecciis Ducibus in Volynia vlteriori per Baſilium Alexandrowicz Demetrii Koributhi Olgerdi Magni Ducis Lituaniae filii nepotem deſcendit. Quandoquidem iuxta Moſchorum morem inter exercituum duces genus, non experientia ſpectatur, et licet quis per omnes longae militiae gradus fortitudine, et prudentia ducentibus ad ſupremum conſcenſus mille ab hoſte reportatis laureis inclaruerit, ſubmittere tamen faſces debebit ignauo cuique, et imbelli ſuperuenienti, ſi auos ille illuſtriores ſortitus fulgore vix ſuo coruſcans eius nobilitatem, quamtumuis claram, obumbret.

Ad IV. Kal. Maii Pleſcouia exeuntes, ipſis Kalendis Solczam pagum apud fluuium agnominem per ter tricenas verſtas venimus, ibique lembis conſcenſis flumen Salonam, cumque ipſo lacum Ilmenium deinde ineuntes, ac ſeptuaginta bene habitatae ripae verſtas praeternauigantes, Nouogrodiam Magnam V. Non. Maii

appulimus. Vbi propter ingruentem pluuiam, non expectatis, quos nobis mittebat Vicepraefectus, equis, per diſpoſitos ſub triginta quinque vexillis a litore vſque ad hoſpitium nobis praeparatum vtrinque in plateis pedites pertranſiuimus. Interluit hanc vrbem Cheſinus, Ruſſis, dum lacum Ilmenium intrat, Lowat, dum vero ad Finnicum ſinum per lacum Ladogam ſe euoluit, Wolckow dictus.

De Ruſſorum ieiuniis.

Ibidem ille altera die, quae feriam repraeſentabat quartam, prandentibus nobis duodecim variarum potionum amphoras, ferculaque ter nouem ſubmiſit Ruſſicae abſtinentiae conuenientia. Multa enim Moſchouitis praecepta ſunt ieiunia, quae diſtricte admodum ſeruant. Singulis per totum annum Mercurii et Veneris diebus carnes, oua et lactaria a menſa faceſſere iubent, reliquis omnibus cibis admiſſis, modo apud paulo religioſiores zacharum abſit; ſed non omne, verum turbinatum, et in obeliſcos conglutinatum dumtaxat, eo quod per ouorum albumen depurgari ſolitum inaudierint. Quadrageſimale ieiunium exordiuntur ab hebdomada ſexageſimae, in qua tamen ſolis carnibus abſtinentes, ſed piſces omnino, oua, et lactaria etiam quarta et ſexta feria admittentes, eorum plurimi compotationi adeo indulgent, vt non interpolata vnquam per illud tempus temulentia mente capti Bacchantium ad inſtar lymphati errantes in mille facinora, et flagitia ruant. Sequenti vero ſeptimana poenitentes, iuſtitio indicto domi fere omnes incluſi ſolo pane ſecundario, flumineque puro, vel fermentato eorum plurimi ſunt contenti. Reliquis ſex addunt ſalſamenta, et ad libitum recentes piſces. Porro ſequitur Petri ieiunium ab octaua poſt Pentecoſtes vſque ad anniuerſarium Petri et Pauli diem. Dein ieiunium Diuae Mariae a Kalendis Auguſti vſque ad aſſumptam in Coelos Virginem Deiparam. Et tandem ieiunium Philippi, ſic dictum, quod circa Philippi ferias, quibus ſecundum Graeco-Moſchouiticos faſtos dies Nouembris decimus quartus attribuitur, vſque ad feſtum naſcentis Saluatoris protrahendum incipiat. Profeſtum decollati inter epulas Praecurſoris ieiuni omnino vſque ad ſolis occaſum, ſed Epiphaniae Domini, etiamſi in diem ſolis inciderit, ſola carnium abſtinentia venerantur. Ab auſtera hac ieiuniorum lege aliquem eximere nulli licet. Quin imo nec paruulis, nec infantibus matres diſpenſant. Coenobia vero, et omnes infulati, quippe ſub lege monachali perſeuerantes, arctiori adhuc nexu ad ſeueriorem ieiuniorum obſeruantiam obſtringuntur. Econtra poſt natalem Domini diem quatuordecim continuos ſoles, ſeptem vero ante Dominicam ſexageſimae, totidemque poſt Reſurrectionis, et Pentecoſtis feſta carnibus ſemper veſci ſibi licitum faciunt.

Eorundemque poſt Paſcha Hilaritate.

Et quidem in hebdomade poſt Paſcha tanta celebritate omnes, ſiue maiorum, ſiue minorum gentium, ſiue plebis vtriusque ſexus promiſcue genium exhilarant, vt eos putes inſanire. Etenim ab omni opere feriati, tabernis, officiniſque clauſis; at ganeis, popiniſque patentibus: ſilente per iuſtitium foro; verum reboante per turbulentorum clamores aëre, quocumque in loco prima vice obuiam ſibi inuicem fiunt, ſi aliqua inter ipſos cognitio intercedat, Chriſtus ſurrexit, alter alteri dicit. Iſque reſpondet, Vere ſurrexit. Illicoque os ori applicando (oblato plerumque prius viciſſim ſibi vel vero elixo, vel ex ſylua mentito, exteriusque variis illito coloribus ouo) mutuo ſe oſculantur. Popi vero omnes, ceterique Eccleſiaſtici, puero aliquo in leuamen ſacrae imaginis, aut crucis ferendae ſecum aſſumpto, ornatioribus amicti tunicis per vrbium, vicorumque compita curſitant, tribules ſuos, notoſque alios viſitant, et apud eos compotationem vſque ad plenam ebrietatem trahunt. Totque in publicis viis ſiue maſculini, ſiue foeminini ſexus potu obrutos iacere videbis, vt iudicare debeas, non tantum gratiae apud Deum promereri potuiſſe auſterum eorum ieiunium, quantum per violatas poſt illud licentia tam effroeni ſobrietatis leges eius in ſe attrahunt indignationis. Aera campana omnia continuo noctes dieſque tinnitu aërem verberant. Etenim non ab aedituis dumtaxat conuocandae ad pſalmodias et ſacrificia plebis, aut in ea excitandae deuotionis ergo ſtatis horis pulſantur; ſed ab ebria quoque cuiuscunque pertranſeuntis ſuperſtitione credentis, ſe per illum ſonum cognatorum, vel amicorum manibus gratiſſimum creare ſolatium.

Tzar toto primo triduo in admittendis ad manus oſculum proceribus, reliquiſque aulicis ſuis occupatur. Magnates, et qui ad eorundem conditionem per aulica munia contendunt aſſurgere, aliquot ei zebellinas pelles cum pane et ſale offerunt, quas ille vtroque hoc retento gratias dicens ipſis reddit. Ceteri ſine munere eum accedunt, dumque eius in pugnum contractae dextrae oſculum figunt, ſuam huic ſubiicientes, bina ex ea cadentia oua ſinguli excipiunt.

Sumpto prandio Vicepraefecti rheda ad nauigia per eundem militum apparatum vecti, laci vndas adhuc per vigintiquinque verſtas ea die ſulcauimus, et in pago Nauoluki apud popum, ſiue ſacerdotem pernoctauimus.

De Religione et hierarchia Moſchouitarum.

Cum nothus Volodimirus Rurichi pronepos ſacris ſe Chriſtianis addicere decreuiſſet, et a Baſilio Orientem cum fratre Conſtantino communicato imperio tum moderante leuari de ſacro fonte elegiſſet, Nicolaus Chryſobergus Patriarcha Conſtantinopolitanus Michaelem natione Graecum Ruſſiae metropolitam conſtituit, eique Volodimirum, eiuſque ſubditos ſacris vndis tingendi munus demandauit. Exinde eccleſiaſticae in Moſchouia Hierarchiae Patriarchae ſemper praefuerunt Conſtantinopolitani. Quorum tandem Hieremias, cum per Ruſſias curſitaret ad corradendas pecunias, quibus empto Portae Ottomannicae fauore Mitrophanem vnitum e Patriarchatu extruderet: Cumque in viliſſima paupertate ſub Turcico iugo gemens gentem Moſchouiticam, per erepta tunc Tartaris Regna Caſanenſe, Aſtracanenſe, et Sibirienſe, et Selymum Turcorum Imperatorem ingenti clade affectum in orbe glorioſam, tanquam futuram olim Orientis liberatricem, et praepotentem Graecae fidei aſſertricem ſuſpiceret, facile ab eius precioſis precibus exorari ſe paſſus fuit, vt eius ambitioni velificaretur concedendo, quod proprium habere Patriarcham poſſet a Conſtantinopolitano plane independentem. Reſpexit forſitan ad Synodum Chalcedonenſem in canone 17 ſtatuentem, quod, ſi ciuitas aliqua innouata fuerit, ciuiles, et publicas conſtitutiones Eccleſiaſticarum quoque paroeciarum ordo ſubſequatur. Menſe itaque Februario anno ab orbe creato 7097. a Chriſto nato 1588 dominante in Moſchouia Theodoro Ioannis Baſilidis filio primus Iobus in Patriarcham Ruſſorum Moſchuae ab ipſo Hieremia conſecratus eſt. Hunc anno 1605 Demetrius, impoſtoris nota ſub nomine Griskae Vtrepeiae apud Moſchos infamis, ſede deiectum ad clauſtri ſepta repedare coegit, et Ignatium Romanae (vt Moſchorum annales referunt) fidei hominem ei ſuffecit. Qui dein a ſucceſſore dilaniati Demetrii Baſilio Suisko in monaſterium miraculoſum Michaelis Archangeli in vrbe Moſchua detruſus locum fecit Hemogeni Caſanenſi metropolitae, communi eiusdem Baſilii, et cleri conſenſu ad tantae dignitatis faſtigium, ad quod Iobus rurſus aſcendere abnuerat, euecto. Sed malis auibus, etenim a furibunda plebe eodem cum promotore ſuo odio abreptus in ſubterranea incluſus caua inedia enecatus interiit. Electus igitur poſtmodum promotione filii Michaelis Magni Ducis, et Antiſtitum conſilio Philaretus Metropolita Roſthouienſis, cui ordine ſucceſſerunt Iaſaph, Ioſephus, et praeſens Nicon. Omnes vero abſolutam in Eccleſiaſticos, et ad Eccleſiaſticam diſciplinam, moreſque Chriſtianos ſpectantia implorata pro executione numquam denegata Tzaris auctoritate iurisdictionem exercent.

Poſt Patriarcham quatuor numerantur Metropolitae, Nouogrodienſis, Caſanenſis, Roſthouienſis, et Sarkienſis, qui Moſchuae in arce habitans ex mandato Tzaris Patriarchae tunc exulantis munera obibat.

Sequuntur deinde Archiepiſcopo Vologdienſis, Rezanenſis, Suſdalienſis, Tuuerenſis, Aſtracanenſis, Sibirienſis, Archangelenſis, et Pleſcouienſis.

His ſubſequuntur Columnae, et Viatkae Epiſcopi, agmenque claudunt innumeri Protopopi, Protodiaconi, Popi, et Diaconi.

Praeter hos Eccleſiaſticos numerant Moſchouitae Kyouienſem Metropolitam, Smolenſcenſem Archiepiſcopum, ac Micislauienſem, et Polocienſem Epiſcopos.

ſcopos. Sed cum ditiones iſtae controuerſi cum Polonis, et Lituanis iuris adhuc ſint, expectanda erit futura inter eos pacis tranſactio, vel communis Martis deciſio.

Antiſtites omnes ex monachorum ordine ad pedum aſſumuntur. Nulli autem eorum vxorem ducere, vel cum ante ducta cohabitare, multo minus concumbere fas eſt. Sacrum nihilominus faciunt omnes, quamuis contraria ſcripta ſit Archipraesbyteris, Praesbyteris, et Diaconis conſtitutio. Hi enim, antequam conſecrentur, vxorem virginem duxiſſe, et conſecrati cum ea maritorum lege conuiuere neceſſario debent, modo illa, quae concubitus ſui noctem ſubſequitur, die ſacerdotes ſacris obeundis abſtineant. Quod vt praeſtare poſſint, plures in ſingulis templis, vbi vnicum tantum erectum altare, vnicumque ſingulis diebus ſacrum peragitur, conſtituuntur; nullus tamen quarto intra hebdomadam ſacris operari obſtrictus eſt. Quod ſi vxor ſatis conceſſerit, niſi a Patriarcha, aut Metropolita ad aliquod tempus (vt Moſchuae fieri vidi) legi cum eo derogetur, facere vetantur, ad reliqua Eccleſiae officia tanquam vulgares miniſtri dumtaxat admiſſi. Nec altera ducta ſuffragabitur; quin imo tunc etiam ab his tanquam meri ſeculares nihil vlterius cum clero commune habituri arcebuntur, a ſublimi dignitatis ſacerdotalis faſtigio ad deſpicatiſſimam imae plebis conditionem, vnde omnes emergunt, praecipitati. Habitu a ſecularibus non differunt, niſi quod ſacerdotalem capitis tonſuram rotundo ad cutim ab Epiſcopo in conſecratione applicato, numquamque, niſi capillos tondendi gratia, deponendo tegumento operiant, diffluente vndiquaque ab eius extremo ambitu in humeros Nazareorum more prolixa caeſarie. Dignitatem vero ſuam plebei iſti omnes ita deiiciunt, vt continuis ſordibus, et pedore ſquallentes ipſi ploſtellum ſuum ducant: in frequentiſſimis vrbis plateis tanquam in ſolitario aliquo coenaculo comedant: ſique zona ſit grauis, in popinam intrent calices vſque ad coecum temulentiam exhaurituri. Idiotae ſunt vsque ad vnum omnes, cunctoſque a Ruſſica diſſidentes fide paganos appellant. Quapropter popus noſter dextram nobis in conſuetam lubentis hoſpitalitatis teſſeram porrigere noluit, ne contactu noſtrae contaminaretur.

Qualis ſit in Moſchouia imaginum cultus.

Ad hanc erroneae mentis ſuperſtitionem aliam addidit. Simulachra omnia, praeterquam in Eccleſiae altari, Moſchouitae reſpuunt; ſed a Graeco, vel Ruſſico penicillo delineatae Diuorum iconibus tabulae, poſtquam eas pro auro, vel argento permutatas (emere non licet) ſuas fecerint, et aqua aſperſerint luſtrali, in tanta apud eos ſunt veneratione, vt addubitare liceat, quonam eas cultu proſequantur. In aedibus ſuis priuatis plures quiſque habet, quae in coenaculorum, et cubiculorum angulis collocatae, et iuxta vniuſcuiuſque facultates argento, auro, ac gemmis ornatae tam familiarium, quam aduenarum cultui exponuntur. Coram iis luminibus accenſis praeces ſuas fundunt, eaſque profecto compendioſas, nam ſigno crucis per trinos dexterae digitos pollicem, indicem, et medium punctim coniunctos, manu a fronte ad pectus, inde ad huius dextram, et demum ad laeuam partem ducta ſe munientes, Domine miſerere, ſuo idiomate ingeminant pluries, oratione dominica, quam ruſticorum nullus, ciuium vero, imo et monachorum perpauci recitare norunt, inſuper habita. Si vero vir cum vxore ſua generationi operam dare velit, imagines velo aliquo operire tenetur. Cum Moſchouitarum aliquis alterius conclaue ingreditur, omnibus, quos ibi offendit, cuiuſcumque dignitatis fuerint, inſalutatis, circumlato confeſtim obtutu angulos perluſtrat, an imagines adſint. Quas ſi illico non viderit, interrogat, an non aliquis ibi Deus ſit? Oſtenſas autem ter ſe inclinando, et crucis ſigno muniendo veneratur. Inde erga adſtantes vrbanitatis officia adimplet. Peractis negotiis abiens imagines iterum eodem venerationis cultu proſequitur. Monachis, aut ſacerdotibus preces ſuas abſente imagine ad Deum fundere nullo modo licet. Si baptiſandus eſt puer, ſi connubia iungenda, ſi iuramentum praeſtandum, ſi defuncti cadauer terrae mandandum, imagines ſunt adhibendae. Ab intimis templorum parietibus circumquaque a priuatorum pietate appenſae pendent imagines. Harum aliquam ſi quis venerari deprehenſus a domino fuerit, obiurgari ſe ſtatim audiet, vnde tandem

Ad conferendum cum Tzareis deputatis in aliud conclaue tranſit.

Tranſiuimus itaque ad ſatis amplum conclaue, vbi e regione ianuae; ſed prope angulum dextrum, menſa iuxta Moſchorum morem oblonga, et anguſta ita collocata erat, vt a longitudinis totius ſpatio oſtium reſpiceretur. Ibi ſuper ſcamnum parieti affixum e conſpectu ianuae ſedere iuſſi ſumus, collocante ſe primario deputato ſuper alterum, quod in angulo cum noſtro coniungebatur, parieti ſimiliter innixum, ita vt ſolus anguſtum menſae illius ſpatium occuparet. Alter ex iis, tertiuſque vnus pone alium ſuper eodem ſcamno prope illum, ſed extra menſam, ſedebant. Cancellarius autem e conſpectu mei collegae humeris oſtio oppoſitis ſuper portatili ſcamno ſolus ad menſam reſederat. Interpretes Bauſcius, et Wibergus cum ſecretario noſtro, et tribus amanuenſibus Moſchis ſtabant.

Moſchi ſunt parum finceri.

Moſchouitae ab incunabulis Mercurio ſacrificant, et litaſſe omnes ab effectu credendum eſt. Bullam Romanam, ſiue cor aureum, e paruulorum collo matres numquam ſuſpendunt, vnde adulti mendacia ſua cumulatis ſemper mendaciis tuentur fronte tam perfricta, vt quamuis eos fuiſſe mentitos pro compertiſſimo habeas, adhuc tamen animi dubius haereas incertus, quid iudices. Quod ſi eos de mendacio per irrefragibiles demonſtrationes conuiceris, non ideo pudore aſperſi erubeſcunt, quin imo veluti in egregio deprehenſi facinore, ſubrident. Neque eſt, quod exterorum Principum Legati a Tzareis miniſtris linguam veraciorem expectent, ii enim omnes inueteratae verſutiae artes inſimul conuocant, vt ſiue falſa pro veris obtrudendo, ſiue neceſſaria ſcitu reticendo, illis fucum faciant, et rerum ſemel in congreſſibus ſtabilitarum vim, ſi libeat, per ſexcentas mendicatae interpretationis ambages adeo eneruent, vt corrumpant. A proſperis vero, vel improſperis caſibus ita afficiuntur, vt flante fortuna impotentes ſui vſque ad ſydera ab elato animo extolli; reflante vero in abyſſum detrudi ab eiuſdem deiectione ſe ſinant. Vnde fit, quod in negotiis inconſtantiſſimos ſe praebeant. Praeſertim cum maiora apud eos deliberationum momenta ex ſolis pendeant notitiis, quas a Mercuriis hebdomadariis apud Pruſſos, aut Batauos typis impreſſis, Moſchuamque interdum dumtaxat, et interpolate exteris mercatoribus transmiſſis, quaſi reſponſa Delphicae ex tripode vatis audiunt. Vel lixis et calonibus, gregariiſque militibus belli captiuis ſe extorſiſſe putant, dum miſeri illi ad quaeſtionem rapti, quamuis arcanorum Regis, et ducum ſuorum plane ignari, vt ſe a tormentis rediment, ea comminiſcuntur, quae vnicuique tamquam aptiora ad mitigandum blando palpo tortores ſuos ingenium ſuggerit. Haec omnia reddunt in Moſchouia exteris Legatis commiſſionum ſuarum proceſſum adeo ſpinoſum, ſucceſſumque ambiguum, vt non raro eos ſuſcepti muneris poeniteat.

Dux Trubetzki deputatorum caput ad Olgerdum Gedimini filium Magnum Ducem Lituaniae mediante eiuſdem filio Andrea Wigundo progenitore illorum Seueriae Ducum, qui ad ſeniorem Ioannem Baſilowicz Magnum Moſchouiae Ducem defecerunt, genus ſuum refert, et hoc nomine inter Boiaros alter ſedet. Etenim apud Moſchos generis claritudinis ſupra omnem iuſtitiam habetur ratio. Vnicum itaque in hac excellentia prioritatis ſuperiorem patitur Trubezki Ducem Tzerkaski, qui tanquam Regio Tartarorum ſemine ſatus ei ex iure liquido praeferri obtinet. Homo eſt exactae aetatis, pauci eloquii, minoriſque conſilii.

Alter Georgius Dolgoruki, ſiue longimanus, magno et ipſe natu Baſilium Iaroslai primi Tuuerenſis Magni Ducis abnepotem ſtirpis ſuae auctorem laudat. Is ob captum Marte fauente ad Vilnam anno 1658 die 21 Octobris Magni Ducatus Lituaniae Ducem campeſtrem, nec non Theſaurarium Vincentium Coruinum Gonſiewski magni Moſchuae ſit.

Tertius inferioris ſubſellii nobilis, cum ab ineunte adoleſcentia ſupra memorato Duci Trubetzkio iudicium ſuum per plures annos ſeruiendo probaſſet, meruit ab huius commendatione Tzaris ſeruitiis addici, in quibus conſilium ſuum in quibuscumque difficilioribus Regni negotiis in numerato ſemper apte expromens, ſolerti induſtria ſua adeo profecit, vt ab inferiori ſimplicis nobilis conditione ad immediate proximam ſupremae eueheretur, et armario, vbi ad Tzaris proprium

vſum deſtinata arma, et equorum ornamenta conſeruantur, biniſque magiſtratibus, altero, ſcilicet, qui Moſchuae ciuibus, et altero, qui cauponibus in vniuerſa Moſchouia ius dicit, magno rei ſuae familiaris augmento praeficeretur.

Quartum vero Almaſium Iuanow imae ſortis hominem eſſe, ipſum eius nomen indicat. Etenim Moſchi in ſubſignando, et cum ſe inuicem nominant, proprio nomini paternum addunt, hac tamen differentia, vt nobiles huic particulam wicz in fine adnectant, quod ignobilibus eſt inconceſſum. En exemplum. Vocatur aliquis Almas, eiusque pater Ioannes, ſiue Iuanus, ſi nobilis ſit, Almas Iuanowicz, ſi ignobilis Almas Iuanow appellabitur. Is itaque plebeiis ortus parentibus mercaturam feliciter exercuit. Dein tanquam exterarum regionum gnarus pluribus obitis legationibus verſutiae, calliditatis, vafriciei, et fallaciae tot dedit experimenta, vt dignus viſus fuerit, qui arcanorum regni archiuis praeficeretur, et externorum legatorum inſpector, eorundemque legationum relator renunciaretur.

Dux Trubetzkius itaque ſurgens, quomodo et cum reliquis nos, inuocata ſanctiſſima Triade, et lectis integre ſui Domini prius, vti mos, Imperatoris titulis dixit. Magnum Ducem audiuiſſe primam noſtram propoſitionem, et literas fidei Sacrae Caeſareae Maieſtatis in Moſchouiticum idioma curaſſe transferri.

Dolgorukius iiſdem ceremoniis, ſed abbreuiatis titulis, dixit, Dominum ſuum attente legiſſe eaſdem literas, et percepiſſe nos aliquid bonum publicum concernens propoſituros.

Hitrow praemiſſis iiſdem ſubiunxit, contineri in literis, vt nobis in iis, quae propoſituri eſſemus, fides adhiberetur, quod praeſtare eſſent parati.

Cancellarius tandem adhibitis iiſdem ſolennitatibus finem impoſuit dicendo, ideo ipſos fuiſſe a Tzare deputatos ad audiendum propoſitiones noſtras, itaque diceremus.

Tunc igitur ſurgentibus iterum nobis, et ipſis, lectis per extenſum prius noſtri Clementiſſimi Domini, et poſtea Tzaris titulis reſedimus, et propoſitionem alteram nobis ex benigniſſimo Sacrae Caeſareae Maieſtatis mandato conceptis pariter verbis conſignatam Collega meus de verbo ad verbum iis, interpretante per periodos Bauſchio, perlegit.

Audito eius tenore petierunt ſibi in ſcriptis tradi. Quod incontinenti praeſtitimus.

Diſcedit Author a conferentia ſine reſponſo.

Protracto deinde per multa diu colloquio tandem diſceſſere deputati omnes, vt audita Domino ſuo referrent. Et poſt horae quadrantem reuerſus ad nos ſolus Cancellarius dixit, retuliſſe ſe omnia a nobis propoſita Domino ſuo, reſponſum autem nondum pro tunc dari poſſe, quare domum reuerteremur. Quod fecimus per eaſdem cerimonias honorati.

Mutatur commiſſarius, et datur antiquus itineris dux, et quare?

Pridie Kal. Iunias commiſſarius noſter Diakus vultu ad moerorem compoſito ſignificat nobis, concommiſſarium ſuum repentine in grauem incidiſſe morbum, ideoque ſuffectum ei priorem noſtrum itineris commiſſarium Zelabowski. Hoc autem futurum cum biduo ante hic ſacellano noſtro in confidentia aperuiſſet, et is praedicatum aegrotum poſt ſex horas in vrbe equitantem et bene valentem obuium habuiſſet, indicium nobis fecit artificii Moſchouitici. Etenim cum in itinere per varia colloquia agnoſceremus, Zelabouium ingenio haud abſurdo, et iudicio non erroneo praeditum, et animaduerteremus, eum ſub patrocinio Cancellarii ad aulae dignitates adoleſcere, frequenterque nuncios ab vno ad alium inuicem commeare: conſiderantes non eſſe ſperandam Moſchuae propter futuram ſecundum Moſchorum conſuetudinem ſolitariam captiuitatem noſtram commoditatem inſinuandi ad promouendum pacis tractandae opus miniſtris pedetentim, quae in conferentiis effundere vno impetu nolebamus, proficuum rebus agendis iudicauimus, ei per dierum interualla, quaſi conſuetudine illecti, et confidentia menſae feducti, nunc hoc, nunc illud guttatim inſtillare. Nec hoc falſos nos habuit; nam dubio procul confeſtim, ac aliquid reſciuerat, Cancellario tanquam arcana a noſtrae

ſtrae lubricitate linguae per ſuam dexteritatem delapſa, vt noſter erat ſcopus, perſcripſerat. Hinc factum, vt, cum nos cum Tzareis deputatis primo conferentes ſtudio nihil horum dixiſſemus, voluerit Tzar, eum denuo nobis in commiſſarium deputare, tanquam hominem nobis confidentem, et qui dextere ſciret, ſecretiora noſtra ab imo pectore extrahere.

In ſecunda conferentia declararunt Moſchi, quod Tzar interpoſitionem Caeſaris admitteret.

Ad tertium Nonas Iunii circa decimam antemeridianam ſecundo ducti ad conferendum cum deputatis fuimus cum ſolito ſemper in omnibus apparatu. In veſtibulo palatii exceperunt nos nomine deputatorum duo Diaki, et totidem in aula ante conclauia. In horum vero primo Cancellarius, et in altero ceteri deputati, qui ingreſſus praecedentia nobis conceſſa priora loca ſua, quomodo nos noſtra, occupauere. Tunc declarauit Cancellarius, perceptam a Tzare libenter fuiſſe Imperatoris mentem continuandi cum ipſo bonam amicitiam, quam mutuis officiis reciproce fouere vellet. Deinde agere eum Caeſari gratias pro fraterna beneuolentia, qua nos ad offerendum ipſi pacificam interpoſitionem ſuam inter ipſum, et Poloniae Regem, Regnumque, ac Magnum Ducatum Lituaniae miſerat, quam libenter admittebat.

In tertia vero nominarunt pro loco conueniendi Polociam, tempus autem remiſerunt Polonorum arbitrio.

Pridie Nonas Iunii cum illis tertio conuenimus. Nominarunt ex mandato Domini ſui pro loco futuri congreſſus Polociam, quam ante annum placuiſſe Polono Regi, vtpote ad Dunam in agro non adeo tunc deſolato, et vtrique parti commodo ſitam aſſerebant. Tempus autem conueniendi pro inchoandis pacis tractatibus remiſerunt Polonorum arbitrio.

Mandauerat nobis Auguſtiſſimus Imperator, vt poſt admiſſam a Moſchis ſuam conciliandae cum Polonis pacis oblationem eandem illis pro ea etiam cum Suecis ſancienda offerremus. Verum interea temporis, dum in Moſchouiam proficiſceremur, qui in Liuoniam conuenerant Suecici, et Ruſſici Legati pacis ineundae conditiones nullo ſequeſtro adhibito tales exaſciauerant, vt nobis Caeſaream operam offerentibus Tzarei deputati reſponderint, ſtatum rerum inter partium Commiſſarios in eo verſari cardine, vt nullo modo amplius addubitari poſſet, quin honeſta inter eos pax eſſet coalitura; quod ſi euentus ſpem falleret, eam libenti animo eſſent admiſſuri. Et Tzar ipſe deinde ad octauum Idus Iulii per commiſſarios noſtros participes nos de eadem ſancita fecit.

Alexius filio Fedoro augetur.

Ad VI. Idus Iunii poſt primam facem acceſſit ad nos iam cubantes multis aſſeclis ſtipatus Diakus Dementi Boſmakow Magno Duci apprime charus, qui eiuſdem nomine nobis tanquam amantiſſimi fratris ſui Leopoldi Romanorum Imperatoris, etc. miniſtris, natum ſibi filium, cui Fedorum dixiſſet nomen, nunciauit. Reſpondimus iuxta debitum officioſe, et ad oſtendendum gaudium noſtrum magno inaurati argenti ſcypho nuncium donatum remiſimus.

Conſueuit Magnus Moſchouiae Dux, quoties prole aliqua augetur, hoc confeſtim per expreſſos nuncios Moſchuae exteris Legatis, ac proceribus ſuis, atque in prouinciis Palatinis, perque hos praecipuis nobilibus, et vrbium magiſtratibus ſignificare. Quicumque autem hoc honore afficitur, aliquo nuncium dono pro libitu munerat. Vnde per has legationes, et illas, quas ad eoſdem de valetudine nomine Tzaris interrogandum ex mandato eiuſdem identidem obeunt, aulicorum plurimi non modica peculium acceſſione augent.

Haec laetitia expeditionem curſoris noſtri, quamuis maturato opus fuiſſet, ad ipſos vſque Idus Iunii diſtulit.

De Moſchorum baptiſmo.

Sexto dehinc die immergi in ſacrum regenerationis fontem Fedorulum ſuum Alexius voluit. Moſchouitae ſiquidem baptiſmum inualidum credunt, niſi baptiſandus ter in aquam vetuſto Eccleſiae more totus immergatur. Vnde ſi homo in Latina religione ſacris vndis ablutus ad Moſchouiticam transfugiat (quod haud infrequenter ab impoſtoribus atheis auaritiae ductu, vel a belli captiuis, aut criminum reis deportationis, vel poenae metu fit) eum quaſi non rite baptiſatum per trinam immerſionem rebaptiſant, matrimonii, ſi quod antea contraxerat, nexum ſoluentes, ceu hominis haud legitime per ianuam baptiſmi ad reliquorum ſa-

cramentorum perceptionem introducti. Cumque baptiſatum mox chriſmate inungant, confirmationem Latinorum reſpuunt, vt ſuperfluam. Baptiſati collo crux aurea, vel argentea, vel ſtannea pro parentum facultatibus a baptiſante appenditur, per totum vitae ſuae decurſum (excepto coniugalis concubitus tempore) non amouenda. Quod ſi aliquis improuiſo mortis impulſu proſtratus inuentus fuerit ſua cruce carere, carebit et ſepultura. Vt autem huius feſtiuitatis in honorem Imperatoris etiam nos Tzar participes faceret, denuo nobis in noſtris aedibus epulum praeberi iuſſit. Modiperator fuit idem ille Roſthawski, qui in priori fuerat, et cerimoniae eaedem, addita tamen appendice quarti ſcyphi pro incolumitate paruuli Fedoruli exſiccati.

Quibus lectis Moſchouitae vtuntur.

Cum vero taedioſam omnino moram Moſchuae deinde ad duodecim menſes trahere debuiſſemus, curioſe obſeruaui, quod ibi altioris faſtigii homines, et nobiles opulentiores lectis vtuntur mollibus, culcitrae enim, ceruicalia, et pului ni ſubtiliſſimis cycnorum, quibus maxime abundant, plumulis farciuntur. Attamen non linteis eos; ſed alii laneis, pars ſericeis telis pro ſua quiſque facultate ſuper adhaerente cubiculi parieti ſcamno, cui mobile aliud coniungitur, intra tripertito protenſa vela ſternunt. Parietes plerumque nudi, niſi ingenioſae araneae telas attexuerint ſuas. Apud pauculos mundiores inaurato depictoque Belgici operis corio, incurie tamen ſatis, obducuntur.

Qua victus ratione.

Plebs autem, non proletarii tantum, et capite cenſi, manuumque mercede inopiam tolerantes, ſed etiam mercatores a quacumque vitae mollitie quam longiſſime abſunt. Supra tomenticiam, vel ſtramenticiam culcitram, imo plerumque ſuper nudum ſcamnum, aut cubiculi, vel vaporariae fornacis pauimentum ſe proiicientes in vtramque aurem dulciſſime ſtertunt. Modico ditiores viuunt. Reliqui ſolo pane, et allio obſonantur. Omnes autem aequaliter frigida pura, vel per commixtum parciſſima manu fermentum vitiata ſitim reſtinguunt. Quam tamen numquam in plebeis reſtinctam putes, ſi vinum ſublimatum ad libitum ſubminiſtres. Non enim illud pitiſſando, vt gallinae guſtant; ſed ſorbendo, vt boues, aut equi hauriunt, et finem bibendi numquam faciunt, niſi facias infundendi. In ganeis autem perpotationem trahunt, donec marſupium vſque ad vltimum quadrantem fuerit emunctum. Imo non raro accidit, quod quis aeri deficienti pileum et togam, reliquamque vſque ad nuditatem veſtem pacto pretio ad vlterius bibendum ſufficiat, vt proteruiam quidem facere; ſed non Herculi, at nouo ritu Patri Libero velle videatur. Et ab hac labe neque ſacerdotes, neque monachi immunes eunt. Saepiſſime itaque videre eſt Moſchorum aliquem e popina nutanti greſſu exeuntem capite nimio potus pondere grauato procidere, et in coeno tamdiu volutari, donec aliquis ex innumeris aurigis, qui in ſingulis fere Moſchuae vicis meritoria ſua locant vehicula, lucrandae vecturae intuitu eum ſuſtollat, ac ad ſuos vehat. Euenit tamen frequenter nimis, vt miſeri ſenſu omni carentes a vectoribus ſuis per deuios abducti calles, ablatis pecunia, et veſtibus, immani latrocinio iugulentur.

Sunt in potando inexplebiles.

Quae mala inde conſequantur.

Sed alia plura ab hac maligna ebrioſitatis radice pullulant atrociſſimorum ſcelerum furcula. Famulitium Moſchi, ſeruitiumque alunt ſatis numeroſum; ſed exiguis ſumptibus: illud enim, diſcoloribus omnino neglectis, obſoletius veſtiunt. Cumque duplicarios nullos habeant, multa autem ex lege ieiunia, aliquot etiam ipſi ex oeconomia ſuperaddentes deterrimo pane, piſcibus fumo, vel vento duratis, raro carnibus nutriunt, aſſignato in potum fonte, qui, ſi feſtiuitas aliqua ſolennis celebranda intercurrat, modico iniecto fermento in kuuas corruptus eidem, vt genio indulgere hilariter queat, liberalius propinatur. Merces vel nulla datur, quod plures ſerui, vel vernae ſint: vel, ſi liberi, exigua valde. Hi itaque a domeſtica menſa numquam non eſuriente ſtomacho diſcedentes, et pauperes otioſi, quorum innumeri in foro inertiſſime deſidunt, vt de pecunia ad ſaturandum ventrem, ſed praeſertim ad potum comparandum ſibi proſpiciant, cum bonis artibus ſua culpa deſtituantur, malis nequiſſime contendunt, et vel clancu-

De Moſchorum famulitio.

lariis

lariis furtis negligentius cuſtoditas domos euacuant: vel ditiorum per excitata ſtudio incendia auxiliarium larua perſonati diripiunt: vel noctu per vrbem aperta vi graſſantes obuios quoſque improuiſis ictibus voce, ac vita prius, ne vicinorum opem implorare queant, deinde auro, et veſtibus ſpoliant. Temulenti vero ob leuiuſculam cauſam, homines alioqui etiam in ſobrietate ad iurgia, et obſcoenas iniurias proni, in frequentiſſimas prolabuntur rixas, ſtatimque euaginatis cultris mutuo ſe crudeliſſime confodiunt. Conſtituti ſunt quidem in omnibus plateis vigiles, qui quoties noctu ab horologii pulſu horae indicantur, ligneos tectorum imbrices, ſiue ſcandulas, et ipſi concorditer pulſent, vt ab illo ſtrepitu ſceleſti noctiuagi de eorundem vigilantia moniti, deprehendi timentes, a conceptis facinoribus deſiſtant: vel, ſi malefactores eſſe mauelint, ab illis praehenſi ſub cuſtodia aſſeruentur, maleficiorum iudici, cum diluceſcet, tradendi. Sed, aut ex compoſito ſpoliorum participes fiant, aut ab illorum truculentia inerti pauore ſibi timeant, ita vigiles, quaſi alto ſopiti ſomno, eorum ſceleribus conniuent, vt nulla Moſchuae dies illuceſcat, quae plura per noctem occiſorum cadauera pertranſeuntium oculis non ingerat. Praeſertim quando ſolenniores celebrantur anniuerſariae feſtiuitates, et in ſexageſimae hebdomada, quando Moſchouitae eſu carnium ſibi interdicto ſolis piſcibus, et lactariis paſti inſtantis quadrageſimalis ieiunii rigoribus praeludunt, etenim tum noctes dieſque potando continuant, et non tantum pergraecantes; ſed et inſuper *perruſſantes*, non Chriſti myſteria; ſed Orgia Bacchi recolunt, per inſanam temulentiam veſani adeo, et efferati, vt quid committant, aut admittant, aeque ignorantes, per mutua vulnera mortem inferant, et excipiant.

Moleſtia, qua author a vigilibus afficiebatur.

Sedebant ad oſtium noſtrae habitationis ſub centurione ſuo ex praetorianis militibus, quos Strelitzios Moſchouitae nuncupant, quadraginta ſtationarii, quibus vt fieri aſſolet, ſingulis diebus totidem ſufficiebantur, ita vt per quotidianas vices omnes tandem, qui Moſchuae degebant, ſubintrarent. Ex his quatuor, partitis inter ſe iuxta numeri iuſtitiam horis, diuerſis in locis intra, et extra aedes iugiter vigilabant, vt a ſuribus ſecuri quietas noctes (ſic Moſchi praeſeferebant) traducere poſſemus: Vel, vt omnes qui clam ad nos accedere (ſic nos certius iudicauimus) forſitan vellent, arcerentur. Eorum vnus iuxta locorum partitionem ſub feneſtris cubiculi mei excubias agere tenebatur. Hic aeſtiuis noctibus incondito cantu, aut inſulſis cum commilitonibus ſuis iocis ſomnum fallebat. Hybernis vero ad repellendum frigus manus inuicem pulſando, pedeſque ſupplodendo exultabat. Continua itaque moleſtia ſomnia mea interrumpebantur. Nec proderant depoſitae meae ſuper hoc apud commiſſarios querelae. Etenim cum Moſchouitae pomeridiano omnes ſomno indulgeant, ita vt mercatores tabernas ſuas poſt meridiem occludant, magnates nobileſque copiam ſui non faciant, omnes matutino tantum tempore negotiis vacantes, putabant illi, quod ego etiam ad ſuam conſuetudinem meam iam a vetuſtate induratam flectere, et inde nocturnam quietem inſuper habere deberem. Profecto, niſi edoctus antea fuiſſem, quod Moſchouitae, qui annum in biſſenos Latinis nominibus indigitatos diuidunt menſes, facto tamen eius a Kalendis ſept. initio, diei, et nocti vigintiquatuor horas attribuant, pro quarum diſpenſatione a ſolis praeſentia, vel abſentia normam petant, dum ab eiusdem ortu primam diurnam horologium pulſat, reliquaſque vſque ad eius occaſum multiplicatis ſemper pro more communi ictibus, indicat: et a prima nocturna tunc incipiens, ad reliquas vſque ad eundem renaſcentem pulſando procedit, diſcere hoc per tot inſomnes noctes potuiſſem.

Moſchi poſt meridiem dormire conſueuerunt.

Diuiſio anni, et diei apud Moſchos.

Aditus ad nos, vt Moſchi oſtentabant, cunctis patebat, reapſe autem pauciſſimis. Nam (praetermiſſo, quod ex eis nemo aedes noſtras vel a longe reſpicere auſus vmquam fuiſſet) multi peregrinae gentis homines identidem a praetorianis, ſiue ex mandato, ſiue ex petulantia nobis inſciis ingreſſu prohibebantur, vnde ceteros ab hoc tentando ſuae exemplo repulſae auertebant. Quod ſi eorum militaris aliquis vir, vt cautius ageret, a Moſchouita ſupremo duce ſuo facultatem

Aditus ad authorem non erat interdictus per decretum, ſed per amicum conſilium.

ad nos inuiſendi petebat, negatam ſibi quidem eam non audiebat; ſed ſuggeſtum amicum conſilium, vt hiſce officiis abſtineret, ne ſuſpectum apud Magnum Ducem ſe redderet. Vetarunt autem ſeueriſſime, ne vlla vnquam cuiuscumque conditionis foemina in aedes noſtras admitteretur.

Sexus muliebris non in magna apud Moſchos veneratione.

Et profecto ſexus iſte in Moſchouia illo non gaudet obſequio, quo plures in Europa gentes eum venerantur. Nemo ibi dignitatem conditionis virilis ita demittit, vt in tripudiis mulieres genuflexus tanquam Cyprias Veneres alloquatur. Nemo continuata ad annos earum ambitae formae adoratione eas docet, tumida elatione inſoleſcere, et procantium vota non prius exaudire, quam longo ſuſpiriorum fumo vice Sabaei thuris quaſi Numina cultae fuerint. Subditae ibi viris, et quidem eas floccifacientibus, ſunt. Tzarearum vero ſororum, et filiarum infeliciſſima conditio eſt. Etenim, licet olim a ſeniore Ioanne Baſilide filia Helena Alexandro Poloniae Regi, et a Georgio Iunioris Ioannis Baſilidis fratre filia Maria Magno Holſatiae Duci, et Friderici Secundi Daniae Regis fratri nuptum traditae fuerint, nunc tamen earumdem nulla diuerſae religionis homini, quem tanquam paganum auerſantur, aut ſubdito, quem dedignantur, matrimonio coniungitur; Cumque in Moſchouia omnes ſint Tzaris mancipia, atque extra eam nullus liber Princeps Graecos in fide errores admittat, conditione carentes, in palatio omnes, vel coenobio incluſae, iugiter patientes in virginitate corporis contra mentis deſiderium intacti animae maritum concupiſcentis martyrium, miſeram aetatem chariorum inter mortales nominum, et affectuum teneriorum ſolatio carentem traducunt.

De matrimonio Moſchorum.

In matrimoniis autem contrahendis Moſchouitae non ſolum lege nobiſcum communi cum attinentibus in quarto conſanguinitatis, vel affinitatis gradu nuptias ſibi interdicunt; ſed inſuper vetant, ne quis ſororem leuiri ſui ducat: ne duo germani fratres duas ſibi copulent germanas ſorores: ne qui ſpiritualem ad fontem baptiſmi cognationem contraxerunt, connubio iungantur: neue quartam quiſpiam vxorem ad tertio viduatum thorum aſſumere praeſumat. Quod, licet nunc Moſchis aeque, ac olim per expreſſam ſanctionem Graecis, ſanctum; nihilominus Ioannes Baſilides violauit. Etenim non quartam tantum; ſed, iuxta veriſſimam Oderbornii, et Poſſeuini aſſertionem, ſeptimam duxit. Neque in eius Metropolita tantum animi roboris fuit, vt ad exemplum Nicolai Patriarchae Conſtantinopolitani ſacris Leoni VI. Imperatori quarto vxorato conſtanter interdicentis illum anathematis gladio percuteret. Secundam vero ducentes, biennio: Tertiam, viginti annis Eccleſiae aditu prohibentur. Nulli tamen proſelytorum, licet decies in Latina religione coniugatus fuiſſet, vllae nuptiae imputantur, praeter eas, quas in Moſchouitica celebrauit. Coniugia enim Latinorum non matrimonia; ſed concubinatus Moſchouitae appellant. Vnde ſi Latinae fidei coniuges ab apoſtaſiae ſpiritu vtrique ſeducti vna ſimul Moſchico ſe addicant ſchiſmati, et perſeuerare in thori communione velint, nuptias denuo Moſchouitico ritu per mutui in facie Eccleſiae conſenſus expreſſionem contrahere tenentur. Neceſſario itaque hinc conſequitur, quod omnes Latina ſacra profitentes tanquam ex illegitimo coitu nati apud Moſchorum opinionem nothi ſint. Quare haud magnopere mirandum, ſi apud imbutas hoc praeiudicio mentes ſummo omnes ſimus deſpicatui.

De diuortio.

A diuortio ob vxoris non ſolum infidelitatem, ſed etiam ſterilitatem, imo et nonnumquam faſtidium, dato repudii libello ab Eccleſiaſtici Magiſtratus auctoritate conualidato non abhorrent, licitum ſibi facientes aliam ſuperinducere. Nec mirum profecto eſt, quod a magnatibus diuortia frequententur, cum infelices damnabili patriae more eas ducere ſoliti ſint, quas vix poſt celebratam in templo per mutuum conſenſum a Sacerdote copulationem videre eis eſt permiſſum, ita vt non raro eueniat, vt pro ſperata Rachele obtruſam ſibi ad matrimonii conſumationem Liam poenitenda olim vtrinque deceptione excipere teneantur.

Vxores ditiorum raro exeunt.

Paulo ditiores vxores ſuas ab omnium oculis ſubtractas intra domeſticos parietes, nulla iis rei familiaris cura concredita, ad acum, et colum, tamquam olim

olim apud Romanos in ergaſtulo mancipia, in gynecaeo damnant. Exire communi maritalis zelotypiae lege eis vetitum, cui rariſſime aut conſanguineas, aut templum adeundi gratia derogatur. Tunc vero (vt cuiuſcumque modi genus mulierum in Moſchouia omnes copias in vſu quotidiano, et cultu corporis habet) integri patrimonii impendio comptae, et politae mundi ſui pompam omnem oſtentant, ipſae tamen numquam mundae. Etenim omnes, licet nullo, quem arte emendent, deturpentur Naturae defectu, totam nihilominus cum collo faciem ceruſſa incruſtant, genaſque, et labia oſtro adſcititio pingunt. Inualuitque adeo haec colores vultus mentiendi falſa conſuetudo, vt inter ſponſalia dona nuptae ſuae etiam fucum, vt ſibi fiat, vecors ſponſus vltro mittat. Cum exeundum, ſi niuibus rigeant calles, cameratis, et ex ſpeculari lapide feneſtratis trahis: reliquo vero anni tempore carpentis crebro ſemper ſtipatae ſeruitio vehuntur.

Inferiores ſemper, et quomodo.

At inferioris conditionis foeminae, cum non adeo arcte cuſtoditis cancellis domi contineantur, ſexcentas quaeſitae neceſſitatis cauſas in promptu habent, vt quo libet, liceat commeare. Hae a potu non abhorrent; imo cum procis certatim compotantes haud raro amplioris capacitatis palmam reportant. In ipſa tamen victoria ſuccumbunt. Etenim refigente ebrietate pudoris feram honeſtatis theſaurum furaci moechorum libidini incuſtoditum exponunt, vel certe viliſſimo pretio venalem proſtituunt, eo leuiori vtrinque ſinderesis ſenſu, quo grauiori intellectus errore ſentiunt, vxorati cum innupta commixtionem ſub adulterii appellatione non contineri, adulterium illud tantum iudicantes, quod cum coniugata committitur.

Moſchorum balnea.

Balnea ab allio, et cepis ſemper male olentes Moſchi omnes indifferenter frequentant, alternis immodici aeſtus, et frigoris actionibus ab aſſuetudine indurati ſine valetudinis incommodo vltro ſe ſubmittentes. Poſtquam enim prouocato per immoderatum calorem ſudore toto corpore maduerint, ſuper ſcamnis extenſi fagineis faſciculis diuerberari, et fricari ſe curant, donec irritatus ſanguis ad cutim accurrens coccinea eam ſuffultura ſubamiciat. Tunc a balneis ſe proripientes ad frigidam ſemper ex vſu proxime fluentem, aut reſtagnantem nudi omnino currunt, eaque ſe abluunt. Vel ſi ſaeuiente hyeme hoc ipſis officium gelu conſtricta negauerit, ad niuem recurrunt, qua tanquam ſmegmate longa perfricatione mundati, ad balneorum calorem eam exterſuri reuertuntur, extrema haec ſine alio intermedio ad libitum inoffenſi reciprocantes. In publicis itaque balneis ipſae etiam plebeiae foeminae frequentes ſunt, vbi ſeiunctae quidem per intermedios aſſeres ab hominibus lauantur; attamen per idem oſtium nudae omnino intrant, in eiuſque liminari, ſi libeat, prolixis nugis balneantem virum coram aliis alloqui non verecundantur. Quin imo, poſtquam et ipſae ſanguinem fricatione, et verberibus ad extimam cutim elicuerint, ad proximam frigidam promiſcue cum viris concurrunt, nihil penſi habentes, nuditatem ſuam procacibus eorumdem obtutibus ingerere concupiſcendam.

Moſchi ſunt firmae valetudinis.

Mirum dictu: Cum tam inordinate vterque ſexus in Moſchouia aetatem agat, plurimi tamen ad longaeuam ſenectam nullo vnquam morbo tentatam eam producunt. Videre eſt ibi ſeptuagenarios integris viribus vegetos, robuſtis lacertis validos iis ſe laboribus ſubmittere, quibus apud nos iuuentam vix excedentes impares eſſent. Credendum, a ſalubritate aëris tantae valetudinis firmitati, in nemine vnquam a ſtudiis, vti apud nos, labefactatae, multum contribui. Moſchi tamen dicunt, quod plus a neglectu ibi medicae artis.

Medicos, et pharmacopolas neſciunt.

In tota Moſchouia nullus eſt medicus, nullus pharmacopola, et quamuis in Aula ſua tres larga ſatis manu Tzar meo tempore aleret, aliorum Principum in eodem aemulationi tribuendum venit, eorum enim opera nec ipſe, nec alius quiuis Moſchorum ſerio vtitur. Aegrotantes omnia Hippocratis canonica remedia reſpuunt, exteriora ſibi applicari vix patientes. Ad vetularum potius, et Tartarorum incantamenta confugiunt. Pro faſtidii vero, et aeſtus ſolamine vinum diſtillatum, et allium admittunt.

Authori negrotanti copia medici negatur.

Ego tamen vix quatuor poſt aduentum meum hebdomadas Moſchuae expleueram, cum febrili calore me correptum ſenſi. Triduo elapſo ad Aeſculapii artem confugere decreui. Sciſcitanti mihi, an aliquis medicinae peritus in vrbe daretur reperiri? reſponſum fuit, quod tres. Italus, Germanus, et Anglus. Italo arriſit Italus. Licet enim de eo additum, quod propter grauidatum ab eo Polonae captiuae ad Moſchouiticam religionem transfugae vterum in Sibiriam relegandus, vt poenam euaderet, idem et ipſe transfugium vel feciſſet, vel ſimulaſſet, nouo baptiſmo peccaminoſe ſuperadmiſſo; conſideraui tamen, nihil haec omnia doctrinae eius, et praxi detrahere potuiſſe, poſſe autem eius mihi conceſſionem tanquam hominis apud Moſchos minus ſuſpecti faciliorem reddere. Mando itaque vt aduocetur. Refertur res ad commiſſarios, ab his ad Cancellarium, ab hoc ad Magnum Ducem, non tamen ſine bidui mora. Concedit hic, quem petieram, iubeturque ille ad me accedere. Dum eum praeſtolor, nunciatur mihi, aduentaſſe doctorem Anglum, qui dicat, ſe ex mandato Tzaris ad me veniſſe. Ego male ominans de curatione, in cuius initio quid pro quo in ipſo medico mihi obtrudebatur, mando famulo vt ei renunciet, quod me ſopitum inuenerit, et excitare non audeat. Cum experrectus fuero, relaturum ſe mihi de eius ad me acceſſu. Abiit itaque bonus Anglus; ſed non ideo Italus venit. Viſitant me commiſſarii, et interrogant, vtrum venerit? Reſpondeo negatiue. Abeunt afferentes, eum incontinenti a ſe miſſum iri. Sed non praeſtant, imo eorum alter rediens, eum, neſcio quo, profectum fuiſſe, mentitur, et interrogat, quare doctoris Angli apud Tzarem primarii, et in arte experientiſſimi, cuius praerogatiuae procerum omnium curatio iure deberetur, opera vti detrectarem? Reſpondeo, de medico eandem eſſe rationem, ac de confeſſario, cum huic anima, corpus illi concredatur. Numquam autem mihi eueniſſe, vt ab aliquo clauſtralium coetu talem nomine, et quidem nullius inter eos dignitatis, ſacerdotem, qui confeſſionem meam exciperet, petenti, Abbas potius, vel Rector, vel Prior, quia talis, fuerit ſubmiſſus. Petitum Italum a me fuiſſe, quia perſuaſus viuerem, quod vnaquaeque natio naturalem popularium ſuorum corporis conſtitutionem certioribus, quam ceterae, experimentis exploratam habeat, ideoque aptiora ad expellendum morbum remedia ſciat adhibere. Recuſatum Anglum, quia ex errore eum ad me veniſſe putaram, non vero, quod de eius ſufficientia addubitaſſem, ſed admiſſionem iam eiusdem repulſa mea offenſi a prudentia mihi vetari. Hae rationes, obſecrationes meae, et febris in dies inualeſcens permouere potuiſſent quoſcumque alios ad expetitum ſolatium mihi concedendum; ſed inefficacia prorſus omnia apud lapidea Moſchorum corda fuere. Animum tamen haud deſpondi ab Ambroſio probe doctus, quod vbi omne humanum deeſt auxilium, ibi neceſſe ſit adeſſe diuinum. Deo ſolo immediate opitulante pauculos poſt dies conualui, et tunc cauſam denegati mihi Itali doctoris percepi.

Cauſa non conceſſi Medici.

Cuſtodiebatur tunc temporis inter alios belli iure captiuos dux Campeſtris, et theſaurarius Magni Ducatus Lituaniae Vincentius Coruinus Goſieuius, omnibusque ad eum aditus ex Moſchouitarum more fuerat interdictus. Is tunc ante annum afflictam ſentiens valetudinem copiam ſibi alicuius medici fieri petierat. Iuſſus a Tzare Italus eum inuiſere in atrio aëris captandi, et corporis exercendi gratia deambulantem offenderat. Ibi narrauerat is paſſionem ſuam et ſymptomata: remedia alter et quotidiani victus legem praeſcripſerat. Inter alia vſum cremoris tartari impenſe laudauerat. Arrectis interim auribus cuſtodum militum centurio eorum ſermonem excipiens, frequentem de cremore tartari mentionem ſubaudierat, et ex nominum ſimilitudine ſuſpicatus, eos de Tartaris Crimenſibus fuiſſe locutos, cucurrerat ad Boiarum Iliam Danilowicz Tzaris ſocerum, et ordinarium omnium in Moſchouia medicam exercentium artem iudicem, et medicum, quod cum Lituano hoſte de eiuſdem collegatis Tartaris Crimenſibus longos ſermones miſcuiſſet, detulerat. Forte autem fortuna pridie eius diei infauſtus de obſeſſo ab iisdem Tartaris Tzeremetow nuncius Moſchuam aduenerat. Aduocatus igitur confeſtim doctor, et coram Ilia tanquam atrociſſimi criminis reus ſtatutus, interrogatus fuerat cum indignabunda beneficiorum exprobratione, quod, nimirum, et ipſe captiuus non tantum ſuae libertati, ſed etiam in medicum conſtituto liberaliter ſtipendio aſſumptus, et ad veram Chriſti fidem, ſi Diis placet, per genuinum baptiſmum fuiſſet introductus, quid cum Magni Ducis hoſte de foederatis eius Tartaris Crimenſibus tam prolixe tractaſſet. Obſtupuerat ille, et aduocati munere fungente conſcientia negauerat factum. Productus illico ad eum conuincendum teſtis de auditu centurio fuerat. Tunc reflectens medicus ad omnia cum Goſieuio dicta, profectum ab audito a centurione cremoris tartari nomine ſuſpicacis calumniantis errorem agnouerat, et patefecerat. Vix tamen euaſerat, quinimo captioſi verborum ſuorum interpretis titulum retulerat. Cum itaque Iliae menti concepta ſemel de illo ſuſpicio tenaciter adhaeſiſſet, quando inaudiit, eum a Tzare ad me curandum deſtinatum, decreto auctoritate ſua intercedens inhibuit ei, ne veniret, Anglo eius vices ſubire iuſſo. Neque per iteratas inſtantias meas, et aegritudinem in dies ingraueſcentem ab obſtinata inhibitione potuit dimoueri.

Sane conſideranti, virtutes morales ſtationem ſuam fixiſſe mediam inter ſibi inuicem oppoſita vitia, non adeo mirum erit, quod rari admodum inter Moſchos in hoc medio calle veſtigia firment. Etenim internae in homine poſt eius deprauatam a peccato naturam inclinationes ab exemplis ſeductae, externique ſenſus a fallacibus pellecti obiectis facile per decliuia errorum ad vitiorum confinia labuntur, niſi a liberalibus diſciplinis, et philoſophia ſua, vel aliena animus, quaſi puer a nutrice ſua, manuducatur. Quo praeſidio Moſchi omnes ſua culpa ſunt penitus deſtituti. Prodigalitati tamen numquam ad eos aditus patuit. Percurre, quam lata eſt, Moſchouiam, nuſquam prodigum inuenies, numquam audies, alicui propter prodigalitatem bonorum ſuorum adminiſtrationem datis curatoribus fuiſſe interdictam.

Moſchi ſunt tenaciſſimi.

Depoſuerat Smolenſciae obſtetricante Lucina grauidi vteri onus vxor Ducis Petri Dolgoruki ex vetuſta Rurecowicia rerum olim in Ruſſia per ſeptem ſecula numquam interrupta ſerie potita familia deſcendentis, et prouinciae tunc Praefecti, patrioque more ſeruato illico primores in vrbe gentis ſuae de felici ſuo puerperio per diuerſos nuncios certiores fecerat. Confeſtim itaque omnes conſuetudinem ſecuti ad eam concurrerant, et a ſordibus aegre lotam, viribuſque ob dolores in enitendo perpeſſos proſtratam importunis obruerant viſitationibus. Eminebat in ſalutantium turba Dux Nikita Iuanowicz Odoiowski, ex eadem et ipſe Ruſſorum Principum per Suatoslaum Iaroslai Magni Moſchorum Ducis filium tertiogenitum proſapia, tertius inter Tzareos ſenatores, Aſtracani locumtenens, et ad pacem cum Polonis tractandam magnus cum plenaria poteſtate legatus: et cum eo collega Almaſius Iuanow Cancellarius. Cumque inolita conſuetudo munuſculum aliquod puerperae offerri a ſingulis exigeret, ille tot coronatarum imaginum Dux Odoiowski in decentem liberalitatem profuſus vnico aureo, eiuſque collega triginta argenteis copikis, qui medii thaleri pondus nec dum exaequant, eam munerarunt.

Mercatores fraudulenti.

Mercatores in contractibus ſemper fraudulenti iuramentis, et obteſtationibus dolum fulciunt, fluxaeque adeo fidei ſunt, vt niſi confeſtim per rei venditae traditionem, ac pretii ſolutionem perficiantur, eos, ſi aliunde pinguior lucellus offeratur, inconſtanter reſcindant. In opificibus autem nulla ſinceritas, nulla fidelitas. Dederat Moſchuae ſacerdos noſter Roſſo plumario xilinam ex Perſide polymitam telam cum alia communi pro ſuffultura, et goſſipio inter vtramque diſtribute per doctam eius acum in lodicem conſuendo. Cumque talium hominum improbas fraudes probe noſſet, caute omnia ſimul coram eo prius appenderat. Retulit is ſuo tempore elaboratum ſtragulum pondere integro, imo aliquantulum aucto, quod futurae additamentis tribuendum eſſe aiebat. At cum ſacerdos per totam noctem illo coopertus onus quidem ſentiret, ſed nullo vnquam foueretur calore,

Etiam opifices.

calore, confuſus, et incertus animi monetur a quodam ex praetorianis in ſtatione apud nos illa die excubantibus, deceptionem in facto ſubeſſe, cuius ſe oculatum teſtem producebat. Lodice itaque paululum diſſuta vidit goſſipium madida, vt adhaereret, conſperſum minutiſſima arena in ſupplementum dimidiae eius partis furto ſubtractae ſubſtituta. Cumque artificem de fraude compellaturus ad eius acceſſiſſet officinam, audiit illum ad ſeptentrionales Oceani oras profectum ſolum vertiſſe. Sed et haec fallacia erat, nequaquam enim abierat, ſed latitabat nequam, ſperans noſtrum in dies, vt fama tunc ferebat, Moſchua diſceſſum. Qui cum vltra ſpem ſuam differretur, taedio eum affecit, ita vt ex latebris proſiliret. Vnde in iudicium a ſacerdote vocatus dolum ſuum non iuit inficias, et tamen nulla mulcta emendatus fuit. Haud itaque mirum, quod dolis, et furtis id genus homines ſtudeant, cum ſaepe accidere iis poſſit, vt feliciter peccent, dum ex celato furto peculium augent, ex patefacto vero nihil eis decedit, cum nulla grauiori, quam rei furtiuae reſtitutione, poena corrigantur.

Proceres pecuniarum auidi.

Regna, Prouinciae, et vrbes Moſchico ſubditae dominatui per Praefectos, quos Vaiuodas Moſchi appellant, earum tamen procuratione vltra triennium raro prorogata, adminiſtrantur ad amuſſim ſtatutorum, quae Anno 1647 ex antiquis non ſcriptis conſuetudinibus Alexius compilari, et typis impreſſa publici iuris fieri voluit. Verumtamen, cum gratioſi apud Principem eius gratias, quas, tanquam canales aquam, gratis excipiunt, in neminem gratis deriuent, neceſſario contingit, vt, qui pro muniis conſequendis multis muneribus eorundem fauorem emere debuerunt, ad reſarciendum cum foenore damnum poſthabitis ſtatutorum praeſcriptis, commiſſos ſibi populorum greges tondere non contenti, deglubere etiam haud vereantur, ſecuri, quod horum querelae rauceſcent adeo, vt ab auribus domini excipi nequeant, ſi ab expilatis tantum corraſerint, quantum auaritiae ſuae, et nouo pro impunitate patronorum mercando fauori ſufficere poſſit. Nec deeſt iis lepidum ad emungendum longe ab omni clamore paulo pinguiores ouiculas ſuus inuentum. Conuiuia enim inſtruunt, ac annuatim ſaepius nobiles prouinciae, et mercatorum opulentiores inuitant, vt ii inaeſtimabili tantae dignationis gratiae honoraria dona iuxta patriae morem largiter retribuant. Sententias ſub haſta vendunt, eaſque partium licitantium plus offerenti addicunt. Emunt ſcelera impunitatem, Aſtreaeque gladii aciem malefactores obtundunt, ſi ſcuta aurea ictus exceptura ſupponant. Ipſique iudices, ne tam facile de iniquitate ſententiae conuincantur, conniuent, vt teſtes pretio comparati eo audacius ſiue ad veram accuſationem diluendam, ſiue ad calumnioſam aſſerendam deponant, quo ditius falſitatis receperint premium.

Mercaturam exercent.

Etiam Legati.

Proceres omnes, nemine excepto, imo et ipſi Magni Ducis apud exteros Reges Legati mercaturam vbique palam exercent. Vendunt, emunt, permutant ſine velo, ſine larua, ipſi inſtitores, ipſi proxenetae, et venerandam Legatorum dignitatem ſordido quaeſtui cogunt ancillari. Diffiteri tamen non ſine indignatione haud poſſumus, quod eiusmodi ſordes etiam nonnullos ex politioribus gentibus, et potiſſime ex noſtratibus interdum inquinauerint.

Nefarium quatuor mendicorum factum.

Horrui Moſchuae audiens ſceleratam in ipſa mendicitate auaritiam. Quatuor mendici, quorum habendi auiditatem ordinariae piorum erogationes haud explebant, vt horum animos efficaci oratione ad maiores ſibi conferendum eleemoſinas permouere poſſent, inita inter ſe ſecreta plagii ſocietate pueris binis, et trimis inſidiantes eos, ſi quando longe ab oculis maternis a puerili curioſitate ſeductos vagari animaduertiſſent, porrectis pomis, aut auellanis nucibus ad ſe allectos clam ſubripiebant. Inductis vero in habitationes ſuas aut crura, aut brachia, aut vtraque frangebant, vel oculos eruebant, vel miſerandos aliquo alio membro mutilabant. Quos martyrium enecaſſet, defoſſa in inferna domus cauea humo homicidae veſpillones ſepeliebant. Reliquos, qui dolori ſuo ſuperuixiſſent, ſecum ad compita ducentes, tanquam prolem ſuam a nouerca Natura in vtero materno membrorum vitio innocenter mulctatam ſimulatis queſtubus pertranſeuntibus oſtentabant,

tabant, rogantes, vt tantae miſerti calamitatis liberalem ad miſeros alendos ſtipem conferre haud grauarentur. Septemdecim annos Numinis longanimitas ſaeuam hanc nefariorum auaritiam, eorum reſipiſcentiam praeſtolando, tolerauerat, intra quos illi quamplurimos furati puerulos martyrio affecerant. Sed, cum ab impunitate maiores ſemper ſpiritus ad perpetuandum ſcelus ſumerent, exercuit tandem Deus iuſtitiae ſuae brachium, et ſceleſtos a peccando miti caſtigatione compeſcuit. Sedebat eorum vnus in platea cum detorto, et manco a ſe reddito puerulo conſueto vacans quaeſtui, cum is pertranſeuntem fortuito genitricem ſuam agnoſcens, mater, mater, ad eam conuerſus multis lachrymis clamat. Perculſa haec a nota filii voce defixo in eum obtuto, quamuis ab iniuria plagiarii deformatum, eum agnoſcit, multoque gemitu adrepentem obuiis excipit vlnis. Attonitus ſceleſtus mendicus ab accurrentibus illico praehenſus tres criminis ſocios vltro nominauit, quos omnes in vincula coniectos; ſed nullum ex iis vnquam poena aliqua affectum fuiſſe audiuimus.

Ad tertium Kal. Aug. dum Tzar ad templum Diuo Heliae haud longe a noſtris aedibus dicatum ſe conferret, vt memoriam eius anniuerſaria ſolennitate recoleret, miſit ad nos confidentem ſuum Diakum Dementi ſciſcitatum de valetudine Imperatoris ſui chariſſimi fratris, et deinde de noſtra.

Aedium ſacrarum in Moſchouia deſcriptio.

Aedes ſacrae in Moſchouia capacitatis ſunt intra mediocritatem vnius archetypi formam omnes referentes. In iis horas ſuo modo canonicas ſtato tempore, etiam nocturno, ſacerdotes, et diaconi cum ceteris miniſtris ſubmiſſa voce vernaculo idiomate pſallunt. In ſingulis e conſpectu ianuae principalioris paries laterales ſuos vtrinque pertingens trinis oſtiis peruius aſſurgit. Apud illius oſtii, quod reſpectu conſpicientium laeuum eſt, poſtem dextrum pendet affixa Saluatoris imago, et apud ſiniſtrum eius Virginis Genitricis. Reliquum parietum totius templi ſpatium diuerſis circumquaque obducitur iconibus, quae iuris ſunt priuatorum, ante quas illi cereos ſacrificii tempore accendunt. Intra oſtium medium paruula viſitur menſa linteamine, et antipendio veſtita altaris officio deſtinata, in cuius medio ſub ſeraphino calix: in dextro latere crucifixi ſimulachrum, non erectum, ſed iacens: in laeuo Euangeliorum liber collocantur. Apud hanc ſingulis diebus tribus ante meridiem horis praeuio longo aeris campani pulſu vnicum ſacrum Moſchouitica lingua peragitur raro profeſtis diebus auditore, feſtiuis vero frequenti, pneumatici organi et quorumcumque muſicalium inſtrumentorum vſu penitus eliminato. Sacerdos ſuper alba pluuiali, diaconus Dalmatica in vtroque latere conſuta, ſtolaque deſuper a ſiniſtro humero ad latus dextrum tranſuerſa induuntur. Foeminae nobiles, quae maritos paulo minus moroſos, et zelotypos ſortitae facultatem adeundi templa ab iiſdem interdum impetrant, per ianuam peculiarem a parte coemeterii apertam ſepta, quae cancellis cuſtodita in ſingulis (excepto cathedrali) ad laeuum latus ſunt conſtituta, ingrediuntur, ibique ab hominibus non viſae conſiſtunt. Cumque ſacer myſta odorem adolens Sabaeum ad eas accedit, dum verſus eaſdem thuribulum motu obſequentis manus leuiter ad fumum proferendum de more impellit, oculos humi deiectos tenet, ne earum aliquam intuitu ſuo per tranſennam violet. Ignobiles vero aut nullatenus, aut horis ſolitariis caput imaginibus inclinaturae ſana ſolent viſitare. Adſtat, ſi ſolennior aliqua feſtiuitas celebretur, ad dextrum intrantibus templi latus ſub vmbella Magnus Dux regie paludatus, et coronatus, atque e regione eiuſdem ad laeuam pariter ſub vmbella (niſi ipſe faciat) tiara, et pedo conſpicuus Patriarcha. Vtrique ſella flexilis apponitur, vt conſidere, dum epiſtola legitur, queant. Reliquo tempore ſtant. Ceteri vero ſemper. In templis enim ſedere Moſchis illicitum, ideoque nulla in iis ſedilia; ſed ſcamna circumquaque parietibus affixa, vſurpata ſedendo dumtaxat, dum homilia in matutinis legitur officiis. Poplitibus autem flexis Deum adorare, deteſtandam eſſe aiunt Praetorianorum Pilati militum imitationem, qui ponentes genua ſua Saluatori illudebant. Nemo orando muſſat; ſed neque labia mouet, niſi velit pro incantatore magica proferente carmina haberi. Totaque oratio publicanum

Et quomodo in iis ſacra habeantur officia.

imitatur Euangelicum per millena crucis ſigna toties ingeminans. *Goſpodi pomilui:* Domine miſerere. Euangelium Tzar corona per aliquem ex proceribus e capite detracta audit, quae eodem abſoluto rurſus ei per eundem imponitur. Cum oblatio panis a ſacerdote facienda eſt, diaconus eum capiti ſuo ſuperimpoſitum ex laeuo chori oſtio in templum exiens per medium ad altare portat. Dum pertranſit corona iterum Tzari detrahitur, ipſeque et ceteri omnes proſtrati praepoſtera adoratione panem venerantur. At poſtquam depoſitus ſuper altari a diacono fuerit, clauduntur valuae, et reliquum ſacrificii ſacerdos abſoluit, ita vt dum conſecrat, iam Tzar iterum coronatus, ceterique adſtantes erga imagines quisque ſuas ſuo *Goſpodi pomilui* vacantes nullam erga iam ſecundum eorum fidem ſacramentatum panem exhibeant adorationem. Si Tzari communicare libeat, depoſita corona ad altare ingreditur, quod ceteris omnibus eſt inconceſſum. Ad limen enim oſtii dumtaxat accedunt, vbi ſacerdos obuius Euchariſtiae eos participes facit. Tandem ſub miſſae finem regalem Tzar capitis ornatum deponens ad imaginum oſculum procedit, et initio facto ab ea, quae Saluatorem repraeſentat, ad Deiparae, Nicolai, reliquorumque iuxta deuotionem ſanctorum icones gradatim tranſit, ſignum crucis, *Goſpodi pomilui*, et ceruicis inclinationem per ſingulas prolixa pietatis oſtentatione tertio iterans. Abſoluto ſacro abeunt omnes, et nobilium ordo commeſſationibus, mechanicorum vero, et mercatorum reſeratis officinis, et tabernis labori, et commercio ſuo vacant. Conciones nullae habentur, ne deprauatis ingeniis (vt Moſchi praeſeferunt) anſa detur, populum haereticae doctrina imbuendi. Sed quis vnquam apud eos concionatoris partes explere valeret, ſi Moſchicos characteres commode combinare, et pingere, ſummus eſt Moſchouitici ſtudii apex?

Alexius deuotionis ergo ad Monaſterium Sanctiſſimae Trinitatis viſitaturus Sergii oſſa ſe transfert.

Pridie Kal. Octobris proficiſcens Magnus Dux ad celebre Sanctiſſimae Trinitatis monaſterium, ſexaginta ab vrbe Moſchua verſtas Pereaslauiam verſus diſtans, vt ſanctorum ſuorum Sergii ibi olim Prioris, et diſcipuli eius Niconis corpora viſitaret, miſit ad nos ſaepefatum Ducem Alexium Iuanowicz Boinoſow Roſthauski, qui hoc nobis ſignificaret, et quomodo valeremus, inquireret. Cui actis per eundem humillime gratiis, vt votorum ſuorum compos proſpero itinere ſoſpes reuerteretur, precati fuimus. Pertranſiens vidit in aliqua platearum vrbis aliquot ex domeſticis noſtris, qui ipſum reuerenter inclinati ſalutabant, miſitque ad eos, qui percontaretur, vtrum ex noſtris eſſent? Quod cum affirmaſſent, interrogauit eos vlterius nuncius nomine Tzaris, an bene valerent? et ad Dominum ſuum cum eorundem reſponſo, et gratiarum actione reuerſus eſt.

Sanctorum interceſſio apud Moſchos recepta, eorum in hac error.

Sanctorum interceſſionem Moſchouitae admittunt, verumtamen, cum iudicium animarum particulare confeſtim ac ſeparantur a corpore minime credant, neceſſarium eſt, vt concedant, neminem (niſi velint abſurdiſſime inter hunc et illum ſua ſola opinione freti diſtinguere) ex ſanctis poſt Chriſti in Coelum aſcenſionem mortuis, quia nondum iudicati fuerunt, eo veniſſe. Cum autem ſancti de noſtris ad ipſos directis precibus nullam poſſint habere notitiam, niſi per viſionem Dei, qua beati ſunt, et per quam quaſi in ſpeculo ipſis omnia, quae ad ipſos pertinere poſſunt, ne aliquid ad plenam beatitatem deſit, oſtenduntur, et reuelantur, quomodo poſſint ii, qui hac viſione iuxta Moſchorum fidem nondum fruuntur, preces eorum noſſe, iiſque ſuas apud Deum addere? His non attentis Diuam Virginem, et Nicolaum Mirenſem Moſchouitae magnopere honorant. Imo huius translationis feſtum anno 1096 ab Vrbano II. Rom. Pontifice inſtitutum recepe-runt, hodieque retinent, etiamſi Graeci illud nunquam admiſerint. Sed inter reliquos, an omnes, quos inuocant, ſancti Deo ſint, haerere aliquis poſſet. Hoc certum, quod Martyrum catalogo aliquot adſcripſerint, de quibus, cum cauſa, non poena martyres faciat, dubitandum, vtrum ſub Stephani vexillo militent.

Poſt mortem nothi Volodimiri primi inter Moſchorum Duces viuifici lauacri myſteriis initiati, quem hoc capite Moſchouitae, et Menologium Graecum ſanctum vocant, etiamſi polygamus fuerit, ac per multiplicatas caedes et rapinas in Ruſ-

in Ruſſiae Monarcham euaſerit, neminique, vel poſt baptiſmum, aliquid vnquam ex raptis reſtituerit, eius liberi de imperio decertantes mutuis ſe ſe inſidiis appetebant. Horum Suatopolchus Kyouia vi occupata fratres ſuos Boriſſum Chriſtiano nomine Romanum, Ducem Roſthouienſem, et Chlebum poſtea Dauidem, Ducem Polocienſem immiſſis percuſſoribus interemit. Hos Ruſſi in martyrum album retulerunt, eorumdemque memoriae diem Iulii vigeſimumquartum conſecrarunt. Corporum autem Moſchuam deinceps translatorum, templique iiſdem dedicati feſtiuitas VI. Non. Maii celebratur. Non me latet quorundam ſententia, qui, vt hos in martyrum chorum intrudant, ſubnixi doctrina Doctoris Angelici aſſerentis, eſſe inter martyres connumerandos non tantum qui pro Chriſtiana fide occiduntur; ſed etiam qui ob amorem alicuius ex moralibus virtutibus occidunt, aiunt, cauſam martyrii fuiſſe in Boriſſo, et Chlebo ſufficientem, quod maluerint vitae et regni iacturam facere, quam ad vtraque conſeruandum, bellis et ſexcentis, quae bellis confectanea ſunt, malis ſubditos ſuos vexari. At ego Diui Thomae doctrina reuerenter admiſſa conſidero in facto, Boriſſi et Chlebi vitam a fratre inſidiis, quibus eorum alter fuga ſe proripere fruſtra conatus fuit, appetitam, et fraudis, a qua fuere intercepti, prorſus ignaris per conſtitutos ſicarios ereptam fuiſſe, ideoque ſancti Doctoris doctrinam nequaquam poſſe iis commode aptari. Sed quid? Numquid non fuit Dauid homo ſecundum cor Dei? et tamen is, cum dilectiſſimus filius Abſolon rebellaſſet, non iugulum parricidio praebuit; ſed arma armis oppoſuit, et (inuitus licet, et gemens) rebellem puniit. Peſſime profecto conſuleretur probis Principibus, imo et ſubditis tutelae eorum legitime a Deo commiſſis, ſi laudabile faceremus, vt nullo modo impiorum in ſe conatibus ipſi reſiſterent: et martyrum laurea donaremus eos, qui neglecto bello pro ſui ſuorumque ſubditorum defenſione plane neceſſario ſceleſtorum iniuriis opportunos ſe praeberent, et ita, quantum in ipſis eſſet, facerent praemium ſceleri: orbarent ſubditos ſuos legitimo, et probo Principe: et in eorundem perniciem facinoroſi tyranni intruſioni locum darent. Quamuis autem cauſa martyrii in Boriſſo et Chlebo alicui probaretur, adhuc tamen eos martyrum coetui cunctaretur aſſociare, ſi Cyprianum audiret dicentem, inexpiabilem eſſe diſcordiae Eccleſiaſticae culpam, eiuſque maculam nec ſanguine ablui, nec paſſione purgari: ſique poſthabitis alicuius contra ſentientis parum ſolidis coniecturis crederet cum Poſſeuino, ceterisque fere omnibus, qui de Ruſſorum ad Chriſtum conuerſione ſcripſerunt, eos cum baptiſmo Graecum hauſiſſe ſchiſma in poſteros ad hunc vsque diem pertinaciter propagatum. Sed quid credendum de iis, quos iam referam? Cum Boriſſus Hodunus ſimplicitate Theodori Iuanowicz Magni Moſchouiae Ducis, et ſororis ſuae mariti abutens Regno inhiaret, vt quaecumque ambitioni ſuae obſtantia tutiori dolo per interualla ſcelerum ſenſim remoueret, puerum nouennem Demetrium eius germanum per ſicarios ſuſtulit. Hunc Moſchouitae martyrem vocant, eiuſque ferias Idibus Maiis quotannis celebrant. Quotquot ex Moſchorum Ducibus a Tartaris bello petiti perierunt, tanquam martyres feriis, ſacris, et inuocatione a Ruſſis coluntur. Imo cum Anno 1659 Dux Simon Romanowicz Pozarski a Ioanne filio ſecundi Seuoldi Magni Moſchouiae Ducis ortum ducens, homo flagitiis, et facinoribus coopertus, et recenter occiſae vxoris ſuae infamia laborans, ſub Ducis Trubetzki directione inter Potiwulum, et Konotopum in Ducatu Seuerienſi contra Polonorum, Coſacorum, et Tartarorum exercitum pugnando in primo agmine cecidiſſet, martyribus confeſtim adnumeratus a Tzare Alexio fuit, peculiari nunc cultus officio. Praedicata autem Sergii miracula apud nunc viuentes, quia nulla iam eduntur, fidem vix inueniunt. Et cupreae ollae coctum olus vnicuique venienti ſufficienter ſine portionum monaſterii familiae debitarum diminutione ſubminiſtrare ſolitae nulla penitus viuit memoria. Niſi dicamus, genuinum ollae miraculum hoc eſſe, quod nimirum peregre proficiſcentibus, et templum bis quotannis in Trinitatis, et Michaelis feſtiuitatibus viſitare ſolitis monaſterii olla coctum olus, pauperrimum, nempe, monaſticae culinae cibum, ſuppeditet;

De Sergio.

ſed liberales adeo ab iiſdem largitiones conſequatur, vt olla numquam poſſit euacuari. Fama eſt ab omnibus in Moſchouia verax credita, quod ſupra quater mille argenteorum rublorum myriades a Magnorum Ducum, aliorumque pietate erogatae in illo monaſterio ſub Plutonis cuſtodia defoſſae latitent.

Obiter autem hic adnotare haud pigebit, quod Sergius iuxta fidem Moſchicorum annalium hominem exuerit anno Mundi creati 6897. qui fuit redempti 1388 dominante in Moſchouitica Ruſſia Baſilio Demetrowicz. Errauit itaque Poſſeuinus (niſi error typo ſit adſcribendus) anno 1581 ad Gregorium XIII. ſcribens illum ante tunc vndeuiginti annos mortuum fuiſſe. Olearius vero, dum huius fidem ſecutus eſt, non animaduertit, quod ille ipſe Herberſteinius, quem vti mentionem Sergii facientem ipſe laudauit, poſtquam prima in Moſchouiam legatione cum collega Vito Streinio Maximiliani Primi Orator anno 1517, et ſecunda anno 1526 Caroli Quinti, eiusque germani Ferdinandi cum Leonardo Comite de Nagarolis caduceator functus fuiſſet, ſuos rerum Moſchouiticarum commentarios anno 1549 edidit, vnde nihil tunc de ſepulto in monaſterio Sanctiſſimae Trinitatis Sergio, deque eius miraculis referre potuiſſet; ſi is anno demum 1562 vitam cum morte commutaſſet.

Moſchorum confeſſio.

Tabulam naufragii, confeſſionem, nempe, auricularem, Ruſſi habent, quam Euchariſtiae ſumptioni ſemper ex lege praemittere tenentur. Raro tamen citra Paſchatis feſtum eam edunt, et tunc pauci, hique perfunctorie, et mutilatam. Ruſtici fere omnes, et vrbium plebs eam ad proceres, et opulentiores viros pertinere arbitrantur, ideoque ad illos eam reiiciunt. Illi autem, ne ſalutarem poenitentiam, quam ipſis patres ſpirituales ex antiquo Graecorum vſu grauem et diuturnam ſolent iniungere, ſubeant, ab ea edenda ſibi diſpenſant. Quod diffiteri nequaquam potuit alter ex noſtris Moſchuae commiſſariis, qui perfectionem religionis ſuae ab auſteritate legis euincere contendens, ſeueras prolixae poenitentiae conditiones adulterio pollutis ab audientibus ipſorum confeſſiones praeſcribi ſolitas extollebat. Cui ego; ſi res ita ſe habet, vos Moſchouitae in continuo impoſitae poenitentiae exercitio numquam ſoluendo pares viuatis, neceſſe eſt, etenim ſcimus, quam frequenter in alienos thoros irrepere conſueuiſtis. At ille; Ecquid nos ſtultos putatis? Nihil horum ſacerdoti reuelamus.

Et communio.

Communicant ſub vtraque, ſi non trina, ſimul ſumpta ſpecie, ſacerdotes enim panem fermentatum a prouectae aetatis mulieribus ſacerdotum plerumque viduis confectum fruſtulatim in rubro vino aqua tepida diluto intinctum, poſtquam eum verbis conſuetis more noſtro adhibitis conſecrauerint, cochleari ex calice ſumptum communicantibus, quibus ea die eſu carnium abſtinendum, diſtribuunt, pueris minime reiectis, ſi ſeptennium exceſſerint.

Quomodo aegros poſt hanc ſumptam habeant.

Hoc aegros in agone extremo cum morte luctantes muniunt, ſacroque oleo inungunt, et nullo vlterius cibo, niſi meliorem ſui ſpem fecerint, paſcunt. Aquam tamen, vel vinum ſublimatum, in quod ſanctorum lipſana immerſerint, ſitientibus haud negant. Si vero aliquis eorum in illo feralis terroris articulo monaſticum habitum, vt nonnulli ex cordis compunctione aſſolent, detonſus et vnctus induerit, is toto octiduo, tanquam inter Angelos connumeratus, neque alimento refici, neque pharmacis poterit ſubleuari. Sed ſi morbo remittente tam longo ieiunio ſuperuixerit, voti reus monaſterium ingredi relicta vxore, licet inuita, tenebitur.

De mortuorum ſepultura.

Mortuos autem ſuos Moſchouitae, alias in publicis functionibus oſtentationi haud parcentes, non adeo magnifico funere multa licet ſuperſtitione, ſolent ſepelire. Cadauer a pollinctoribus lotum, et linteis inuolutum arca lignea conditum, praecinentibus, ſiue eiulantibus incondito clamore, crinibus paſſis praeficarum vice cognatis foeminis lugubres naenias, ac ſacerdote ſacram iconem, quam viuens venerari ſolitus fuerat, praeferente, atque ſubſequentibus ex clero aliquot, conſanguineis, et amicis quamplurimis accenſos cereos geſtantibus, effertur. In coemeterio, extra quod Ruſſorum nemo, niſi repentina morte correptus, vel per Eccle-

Eccleſiae ſententiam aliorum communione priuatus fuerit, ſepelitur, arca recluditur, cui comitatus omnis plura figens oſcula mortuo vale vltimum dicit, moxque a libitinariis terrae mandatur, vultu ſoli orienti obuerſo.

Ridiculum autem ſupinae Moſchorum ignorantiae deliramentum eſt illud, quod, antequam loculus claudatur, ſacerdos ſepeliendi digitis codicillos inſerit, a clero loci, in quo ille vita functus eſt, auro mediante ſubſcriptione ſignatos, ſigilloque munitos, quibus cum atteſtatione aſſeritur, eum Graecae fidei ſectatorem vixiſſe, ſiquid viuens peccauerat, per confeſſionem, abſolutionem, et ſacram ſinaxim expiaſſe: ieiunia ſeruaſſe: orationi vacaſſe; Deum, et Diuos omnes decenti honore affeciſſe; Datas itaque ei illas Diuo Petro oſtendendas literas, vt ſine remora per Paradiſi portas ad beata gaudia intromittatur. O puerilem implicantiam! Moſchouitae a Graeca ſeducta doctrina expiatorium animarum ignem, et particulare animae iudicium, vt ſuperius innuimus, nequaquam credunt; Petrus itaque, ſecundum erroneam hanc doctrinam nondum iudicatus, in Paradiſo ad referandam eius ianuam eſſe nequit, et cum ibidem poſt vniuerſale iudicium adeſſe poterit, aderunt etiam vna ſimul caeterae electorum animae, quae miniſterio ianitoris pro ingreſſu non egebunt; ſed eodem momento cum ipſo in paradiſum intrabunt, vnde ſuperuacanee rogatur de officio, quod praeſtare nunc minime valet, et olim neceſſarium non erit. Inofficioſa ſimiliter iuſta omnia, quae defunctis conſanguineis, et amicis perſoluunt: inofficioſae preces, largitiones, viſcerationes, ſacrificia, et feralia, quibus illis parentant, ſi ante vniuerſale iudicium aditus in Coelum nulli animarum patet: ſi nulla a poenali carcere eſt redimenda. Verumtamen, cum abyſſus abyſſum inuocet, in alium miſeri prolabuntur errorem, dicunt enim, inferias mortuis ideo a ſe fieri, quia duo ſint loca, ad quae animae poſt ſolutam cum corpore ſocietatem ferantur. Alter, vbi illae, quae innocentiam conſeruarunt, vel amiſſam poenitentia, aut martyrio recuperarunt, cum bonis Angelis deliciantes expectant beatam ſpem. Alter, vbi improbae impoenitentes in miſeris tenebris cum peruerſis ſpiritibus finalis diei aduentum horrentes ſemper pauent. Parentalia itaque animabus facta aut poſſe illas, quae in itinere a demeritis ſuis per ſiniſtrum damnationis callem ad locum horroris abducebantur, ad rectum ſaluationis reducere: aut, ſi illum iam ingreſſae fuerint, continua praece, et iugi ſacrificio iram Dei ita placare, vt tandem earum miſertus libro vitae eas inſcribat, et iudicium vniuerſale exercens clementer ſe erga eas oſtendat.

Exercitium religionis Catholicis Moſchuae denegatur, Lutheranis et Caluiniſtis concediſtur.

Cum itaque tam denſis ignorantiae tenebris idiotae Moſchouitae, et plerumque analphabeti coecutiant, et ſenſu palpabilibus eorum fides ſcateat erroribus, ſe tamen ſolos Chriſtianos iactare, omneſque Latinae Eccleſiae aſſeclas paganos appellare audent. Tantoque a Graecis accepto in Romanum Pontificem feruntur odio, vt Catholicis Moſchuae degentibus liberum ſuae religionis exercitium permittere numquam voluerint; Lutheranis vero, et Caluiniſtis, qui ea, quae apud Moſchos in ſumma ſunt veneratione, nempe imagines, crucis ſignum, ſanctorumque inuocationem, contemnunt, quia ab illo defeciſſe norunt, facile concedunt. Operante mali daemonis aſtutia, ne aliquod ſanae doctrinae lumen per vſum Catholicae religionis in Moſchouiam inferatur, quod tenebras Ruſſicae diſcutiens veram fidei ſemitam Moſchis oſtendat, per quam incedentes ab eius ſe ſubtrahant poteſtate.

Vices interea illorum Catholicae profeſſionis hominum dolendae veniunt, qui ſperati ſiue a mercatura, ſiue a militia exigui lucelli gratia vltro in Moſchouiam cum vxoribus, et liberis numquam inde (hoc nimis verum) dimittendi tranſeunt, tacite renunciantes non tantum omni ſolatio, quod piae animae ex frequenter repraeſentatis ſuae religionis myſteriis, et praedicata doctrina percipiunt; ſed etiam incomparabili illorum ſacramentorum beneficio, quae ad ſalutem eſſe praeciſe neceſſaria ſunt edocti. Licet enim huius neceſſitatis legi legislatoris bonitas deroget cum eo, cui petenti eorundem copia fieri nequit, non derogabit tamen cum altero, qui ſciens prudens eo ſe contulit, vbi ea habere non poſſe ſciebat, niſi in

illo extremae neceſſitatis articulo etiam huius ſtultitiae ſuae eum ſerio poeniteat. Quod vtinam clemens Deus cunctis Catholicis, qui in Ruſſia mortem obeunt, gratioſe concedat. Sed vidi ego Moſchuae haud ſine Chriſtianae compaſſionis moerore aliquot a noſtrae fidei exercitio ita diſſuetos, vt, etiamſi quotidie apud nos ſacerdos faceret, aegre bis ipſi, vel ter, cum ſemper poſſent, et tunc perfunctorie, ſacrificio interfuerint: et conſcientiam ſuam depoſitis apud eum per confeſſionem peccatorum ſordibus purgare plane neglexerint. Reſcii autem, quod liberos ſuos vel domi in ſumma literarum ignorantia deſides educare, vel Lutheranis, et Caluiniſtis eccleſiaſtis literis imbuendos concredere cogantur, in quos hi tanquam in mollem ceram cum literis dogmata ſua ſignaculo deinceps indelebili ſenſim imprimunt.

Quin imperauerint Ruſſis vſque ad Alexium.

Rexere olim Ruſſos Rurichus, Sinaus, et Truuorus fratres, ex Waregis, ſiue Wagriis Slauica gente ad ſinum Codanum dynaſtis prognati, qui Ruſſiae imperium vltro ab indigenis conſilio, et impulſu Magnae Nouogardiae ciuium bellum ſibi a Kyouienſibus illatum vix ſuſtinentium, vt ab ipſis defenderentur, oblatum, adſcito ſobrino Oleko, anno (iuxta Graecorum a Ruſſis approbatam ſupputationem, quae hoc anno, qui eſt a Chriſto nato 1663 poſt Auguſtum menſem 7172 ab orbe condito computat) 6370 Chriſti vero 861 inter ſe diuiſerunt. Vtrique vero fratri improli mortuo Rurichus ſucceſſit, qui fato deinde concedens vnicum filium Igorem nondum imperio maturum ſub Oleki tutela Regni haeredem reliquit, qua ei, et quidem ampliatum, ſtetit. Ab hoc genitus Suatoslaus parens nothi Volodimiri, Volodimiriae vrbis ad fluuium Cleſmam, in quam ſedem Ducalem Kyouia tranſtulit, conditoris. Is poſtquam nefarie occiſis Ieropolcho ex legitimo matrimonio fratre, et Varego, ſiue Vagrio, Rochuologdo Pleſcouiae Principe, vniuerſam Ruſſiam ſibi ſubieciſſet, anno Mundi 6496, Chriſti vero 987 ſacro baptiſmo poſt auiam paternam Olham, quae Conſtantinopoli anno 6463, Chriſti 954 imperante Octauo Conſtantino eodem tincta fuerat, initiatus, Baſilii nomen a Baſilio cum fratre Conſtantino Imperiale Orientis ſceptrum tum regente aſſumpſit, ductaque eorundem ſorore Anna naſcendi infamiam praeclaris facinoribus aboleuit. Cum vero anno 1005 in viuis eſſe deſiiſſet, filii eius, et ceteri vſque ad Georgium, et Iaroslaum germanos ſexta ab eo ſobole deſcendentes, dum diuiſum in plures imperium ad ſe trahere ſinguli conantur, mutuis vulneribus cadentes bellis externis (ſi eius pronepotem Volodimirum Monomachum exceperis) parum inclaruere. Ipſi autem Georgius, et Iaroslaus a Bato Tartarorum Rege bello petiti auerſam adeo fortunam ſunt experti, vt illi cum filio Volodimiro interempto ſuccedere iſte nequiuerit, quin Ruſſiam a maioribus ſuis liberam acceptam Tartarorum inſolentiae ſubderet tributariam. Hi ſui ex ſuperbia rerum proſpere fluentium impotes non ſolum pro arbitrio Ruſſis ambientibus Ruſſiae Principatus, vt debilioribus facilius imperarent, diuiſos deferebant; ſed etiam faſtuoſo vilipendio eosdem adigebant, vt legatis ſuis, imo et veredariis, obuii plenam equino lacte pateram offerrent, quicquid ex eo ab ebibentibus in equi iubam diffluеret, catillaturi: et in palatium introductis ſolium Ducale cederent, ipſi ſedentibus aperto capite reuerenter adſtarent: legentibus autem Principis ſui literas pretioſiſſimas Scythicarum ictidum exuuias ſubſternerent, ipſi vero flexis eas poplitibus audirent. Pudendum hoc iugum, poſtquam Daniel Iaroslai nepos Ducalem thronum Volodimiria Moſchuam iam diu ante tranſtuliſſet, eius atnepotis Baſilii coeci filius Ioannes, hortante, et aſtuto inuento coadiuuante vxore Sophia Paleologa tandem excuſſit, et Ruſſiae in vnum denuo corpus quam plurimis ex agnatis Ducibus variis artibus e medio ſublatis conglutinatae Monarcham ſe appellauit. Eo autem anno 1504 ſatis concedente filius eius, et ſucceſſor Gabriel, qui ſub Baſilii nomine poſteritati innotuit, reliquis fere omnibus ex Moſchouiae Ducum proſapia oriundis in ordinem redactis, Smolenſciaque retracta, tantis acceſſionibus auctus auguſtiores ſpiritus gerens Tzaris, ſiue Regis, titulum ſibi (Herberſteinio apud ipſum Maximiliani Primi Romanorum Imperatoris Oratore teſte) vſurpauit, cuius numquam poſtea

poſtea ſucceſſores obliti ſunt. Etenim anno 1533 eo ſatis defuncto eius filius Ioannes, crudelitate nimium forſan a ſcriptoribus exaggerata orbi notus, Tartarorum Regnis Caſanenſi, Aſtracanenſi, et Sibirienſi ſubactis, eum, ſi in patrimonio haud inueniſſet, hinc ſibi aſſumpſiſſet. Succeſſores vero non minores maioribus ſuis videri voluerunt. Reliquit is anno 1584 ad V. Kal. April. moriens regnum Theodoro filio, per data deiecti infra fortunam animi experimenta aeditui muneri longe aptiori, ideoque iniuriae opportuno. Cui ſcelere Boriſſi Hoduni leuiri ſui, cuius nomen ſupra ſuum attolli imprudenter paſſus fuerat, ſine prole anno 1597 defuncto is ipſe, primus, qui Rurichouiciae ſtirpis Duces a gentilitio excluderet throno, per ſummum aſtum, et nequitiam ſucceſſit. Quamuis autem male quaeſitum Regnum bene adminiſtraſſet, nihilominus anno 1605 percipiens odium in ſe populi ex applauſu, quo impoſtorem Demetrium ex Polonia venientem excipiebat, et deſtitutus illo animi robore, quod homines ad omnia fortiter patienda formaat, et firmat, dum ab illo extrema timet, ignaua deſperatione mortem ipſe ſibi hauſto veneno conſciuit, filioque Theodoro ſedecim annorum adoleſcenti in male decurſis regni vulcanalibus lampada tradidit. At breui huius gaudio. Intra trimeſtre enim ſui regni ab innata Moſchorum inconſtantia reprobatus, mandato Pſeudo-Demetrii laqueo cum matre Maria gula fracta die decima Iunii mortem inuenit. Verumtamen neque hic praeeſſe diu inſtabili genti potuit; ſolute enim, et contra patrios mores viuens, deſpicabilis, et odioſus factus, opportunitatem inſidiantibus praebuit. Decimum intra menſem, nempe, ad XVI. Idus Maii anno 1606 procerum conſpiratione a Duce Baſilio Suiſco inſtigatore promota dilaniatus huic locum fecit. A Ruricho is per Susdalienſium Ducum lineam deſcendebat. Verum, cum fortuna parum fauente vteretur, breui Moſchos eius taeduit. Quarto regni ſui anno inuitum, et fruſtra reluctantem cum Maria vxore tondent, et hanc in ſanctimonialium, illum in monachorum coenobium detrudunt. Nec adhuc aerumnarum finis. Electio enim ſub hac inter alias cum eius parente pacta conditione, vt Moſaici a Moſchorum Patriarcha praeſentibus clero et Regni primoribus Moſchouitico more rebaptiſaretur, in Tzarem Vladislao Sigismundi III. Regis Poloniae filio cum duobus fratribus, aliisque conſanguineis captiuum tranſmiſerunt. Qui in arce Goſtinenſi Palatinatus Rauenſis nondum exacto anno cum fratre Demetrio carceris aerumnis confectus fatis conceſſit. Sigiſmundus autem Rex, ne tam glorioſum trophaeum ſibi a morte eriperetur, exſtrui in ſuburbano Varſauiae, quod Cracouienſe nuncupatur, ſphaericae figurae ſacellum, in eoque vtrumque tumulari voluit, addita in teſtimonium ſuae felicitatis tabula marmorea, quae inſcriptum miſerorum fratrum caſum apud poſteros perennaret. Per ſubſecutam tamen inter Vladislaum Regem, et Magnum Ducem Michaelem Fedorowicz anno 1634 pacem licuit Moſchis eorundem oſſa in Moſchouiam auehere, et Michaeli marmor illud, ipſi per Adamum Kiſielium Caſtellanum Kyouienſem ab Vladislao tranſmiſſum, cum ſua epigraphe ſepelire. At dum Vladislaus cunctantis parentis conſilio ab implenda tam iniqua conditione merito abhorrentis, ſiue pro ſe ſceptrum illud affectantis, Moſchuam ad Regnum capeſſendum ſe conferre diu deliberat, Moſchouitae morae pertaeſi Michaelem Theodori Mikitowicz Romanow Metropolitae tum Roſtouienſis, et deinde Patriarchae filium, a Boriſſo Hoduno in monaſterium Ipathianum primo ab vrbe Caſtromouia lapide cum genitrice Martha Iuanoua olim relegatum, ibique iugiter aetatem agentem, anno 1613 ſibi elegerunt. Graue itaque bellum inter vtrumque electum exarſit, quod per varios inconſtantis Martis euentus protractum anno tandem 1634 pace mutatum fuit, Michaële per Vladislai abdicationem in pacifica Regni poſſeſſione perſeuerante. Huic autem IV. Idus Iulii anno 1645 aetatis ſuae vndequinquageſimum agenti improuiſa morte correpto ſucceſſit Alexius filius ſedecim annorum adoleſcens, altero ſtatim ab illius obitu die ſolertia Chyronis ſui coronatus.

Ex qua familia Alexius ortus.

Si concedamus, eo nobiliora eſſe flumina, quo ab occultiori fonte promanant, idemque de familiis iudicium eſſe velimus, quarum originem neſciri an-

riquitatis indicium ſit, Romanouiam gentem nobiliſſimam eſſe, fateamur, neceſſe eſt. Exquiſiui diutius de eius ſtemmate; ſed in obſcuro verſanti, Moſchouitis cunctis eius ignorationem cum homine extero affectantibus, nullus vnquam paulo illuſtrioris cognitionis radius, ſaltem fulguralis, affulſit. Libenter equidem aſſentior, quod Theodorus filius Ioannis vltimus ex antiquorum Ruſſiae Ducum per rectam lineam maſculam progenie in ferali lecto Theodorum Mikitowicz Romanouium, tanquam propinquum ſibi proximiorem, et arctiori neceſſitudine iunctum, in ſucceſſorem nominauerit: Compertum etenim habeo, Iohannem Baſilidem, qui tyranni praedicato ab auo ſuo diſtinguitur, cum Anaſtaſia filia Georgii ex Zacharia Romanouio nati primum matrimonium contraxiſſe, atque ex ea Ioannem, et Theodorum filios ſuſcepiſſe. Anaſtaſiae vero fratrem fuiſſe Nikitam Praefectum Nouogrodienſem patrem Theodori, quem conſobrinus Theodorus ſucceſſorem ſibi deſignauit, quique deinde a Moſchouiae Tzare Hoduno timente, ne regnum, quo dignus habitus fuerat, iure cognationis affectaret, poſt ſublatos violenta morte germanos Alexandrum, Baſilium, Leonem, et Michaelem in coenobium Sancti Antonii ad oceanum ſeptentrionalem apud fluuium Syskagum deportatus, inuituſque detonſus, et monaſticam profiteri coactus, Filaretus vocatus fuit. Vnde tamen breui in Metropolitam Roſtouienſem, et Iaroslauienſem conſecratus emerſit: dumque Moſchorum procerum nomine cum collegis Duce Baſilio Baſilowicz Galiczino, Duce Daniele Iuanowicz Miczeskio, et Thoma Lugoroski a ſecretis legatione apud Regem Poloniae Sigiſmundum III. Smolenſciam tunc oppugnantem fungeretur, perſuaſurus ei, vt Principem Vladislaum filium in Magnum Moſchouiae Ducem electum Moſaiſcum ad Moſchouiticae fidei iuxta pacta profeſſionem quantocyus mitteret, ab hoc ſub cuſtodiis inde Kamioncam amandatus, et Marieburgi in Pruſſia detentus audiit ad Moſchorum thronum aſſumptum proprium filium ſuum Michaelem, ſub quo ad Ruſſiae Patriarchatum euectus fuit. At diſſentio ab aſſerentibus, quod is ex proſapia, et agnatione tyranni fuerit, etenim nec ipſe, nec eius aſcendentes titulo Kneſiorum, ſiue Ducum, vnquam gauiſi ſunt, prout caeteri omnes, qui a familia Magnorum Ducum Moſchouiae per agnationis lineam ortum ducunt, adhuc hodie gaudent, et ad filios ſuos illum tranſmittunt. Sane ſi Romanouii ſereniſſimo ſtemmate ſplenduiſſent, Moſchi ex innata iactantia res ſuas ad ſidera vſque extollere ſoliti non tantum hoc celare nollent; ſed potius vel non percontantibus vltro ingererent. Hoc certum, quod ex hac gente ſolus nunc cum prole ſua Alexius Michaelis filius ſuperſit. Niſi opinari libeat, quod agnatos habeat Swircios ad Romanow (oppidum hoc eſt ad Kaminczam fluuium in Ducatu Kyouienſi) et Swiertz in Ruſſia rubra ab antiquo clariſſimos, quorum Theodorus Palatinus Kyouiae fuit, plurimique deinceps ad hunc vſque diem bellica fortitudine excelluere.

Moroſonius ſit Alexii educator.

Hunc pater puerum ad mores, et artes Moſcho Rege dignas inſtituendum commendauerat Boiaro Boriſſo Iuanowicz Moroſow, qui tamen in illa puerilis animi raſa tabula eas haud potuit depingere imagines, quas ipſe in idaea non habebat. Etenim doctrinae omnis, et eruditionis expertes Moſchouitae vnius tantum aetatis homines ſunt. Praeterita ignorant penitus omnia, praeter ea, quae ſuo tempore acciderunt, et haec intra ſolam ſphaeram Moſchouitici Regni, cum externorum ſint ſupine incurioſi. Carentes itaque exemplis, et documentis, quae ſunt politici hominis conſpicilia, non adeo longe eorum naturalis prudentiae lumina proſpiciunt. Vnde erudire alios ipſi rudes, et prouidentiae digito commonſtrare iiſdem nauigationis vias, portum, et ſyrtes nequeunt, quas ipſi non vident.

Cur nullae in Ruſſia Scientiae?

Quod autem ſcientias exulare a Ruſſia ſua tam longa, et obſtinata proſcriptione Moſchouitae velint, imputandum eſt primo ipſis Principibus, qui eas cum Licinio tanquam peſtem publicam oderunt, verentes, ne ſubditi cum illis ſpiritus hauriant libertatis, per quos ad deſpoticum, quo premuntur, iugum excutiendum inſurgant. Spartanorum ad inſtar eos eſſe volunt, qui literas ad vſum ſaltem diſcebant, reliqua omnis diſciplina erat, pulchre parere, labores perferre, in pugna

gna vincere. Quod vltimum vix praeſtabit plebeius animus, ſi nimis exacuata ex ſcientiis ingenii acie pericula penetrabit. Secundo adſcribendum eſt Eccleſiaſticis, qui cognoſcentes eas eſſe Latino traditas ſermone, et non poſſe admitti niſi cum ſuis praeceptoribus, timent, ne per hanc tam amplam portam, ſi patefiat, ritus Latinus ſimul ingrediatur, cuius magiſtri ipſorum ignorantiam populo deridendam propinent, et dogmatum falſitatem, quibus eius credulitati illudunt, in apertam protrahant lucem. Et tertio aetate prouectis proceribus, qui iunioribus donorum, quae ipſi conſequi neglexerunt, acquiſitionem inuident, per quam ipſi a poſſeſſione, quam iniuſte praeſcripſerunt, ſapientium iuſte cadant, et a gerenda republica excludantur.

Moroſouii artes.

Callidus tamen Principis inſtitutor Moroſouius ſceptrum adoleſcentis manibus nimis graue pro libitu tractans conſueta gratioſorum cautela proceres omnes fauore defuncti Tzaris in aula praeualidos ad lucroſas nobiliorum prouinciarum praefecturas ſpecioſo exilio amandauit, ſubſtitutis ad aulica munia, qui factio haud dubia eius eſſent, cuius beneficio in palatium veniſſent. Non ex grati affectu animi, hoſpes enim iſte plane ignotus, et peregrinus a Moſchouitico pectore numquam admittitur; ſed ex cognitione, quod interſit vitium, inconcuſſum ſtare vlmum, cui innituntur. Sic igitur contradictoribus omnibus amotis, vt Alumni ſui animum ſibi firmius deuinciret, multiplicare nexus ſtatuens, duarum ei Iliae Danilowicz Miloslawski nobilis aulici filiarum forma impenſe laudata facile perſuaſit, vt ex iis alteram praeſumpta optione duceret. Anno itaque 1647 cum grandiore natu Maria, quae genio ſuo blandius arriſerat, nuptias Alexius celebrauit, octiduoque poſt Moroſouius alteram connubio ſibi iunxit, factus audaci attentato Domini ſui affinis.

Fit Domini ſui affinis.

Vxor, et liberi Alexii.

Nec habet Alexius, quod foecundiorem vterum in vxore deſideret. Etenim, cum ego anno 1661 Moſchuam veniſſem, praeter filium Alexium, ſextam iam ſuſceperat filiam, Tatianam, Eudociam, Annam, Catharinam, Mariam, et Sophiam appellatas, quarum tamen poſtrema iam mortem obierat. Cumque ibi degerem, ad VI. Non. Iunii eiuſdem anni alterum illa filium, cui Theodoro nomen, enixa eius deſideriis plene ſatisfecerat. Etenim Alexius cupidus, vt multiplici fulcro ſpes perpetuandi per ſubſidia dominationis in poſteritate ſua Moſchouiticum Regnum, quod pluribus munimentis inſiſtat, et dandi olim vicino Poloniae iuxta ſpem ſibi a Republica iniectam ex lumbis ſuis Regem ſuſtentetur, magno interni doloris ſenſu afficiebatur, cum ex vtero vxoris toties praegnante maſculam expectans prolem, per degeneratum ſemper in foeminam partum fruſtratum ſe expectatione ſua videbat. Vnde eidem, quaſi conceptus embrionem effingere in matrice, quomodo in priſtino piſtrix farinae maſſam in diuerſas panis formas, pro libitu poſſet, ſerio comae abſciſſionem, detruſionemque in monaſterium ad exemplum repudiatae a Baſilio Salomeae intimauerat, niſi iam octauo foeta maſculum peperiſſet. At VII. Id. Iunii anno 1662 dum Smolenſciae haereremus, Theodoſiam nonum foecunditatis ſuae teſtem in lucem emiſit.

Moroſouius vero patrem ſe quidem, et pluries vidit, at (Numine fortaſſe ſis ambitionem in eo dominicae affinitatis vindicante) prole omni ſua breui orbum ſe luxit. Et vix elapſo a nuptiis ſuis anno a concitato ob auare ab eo, et aſſeclis adminiſtratam rempublicam populo ad necem expetitus, aegre ab hoc per exactam a correis poenam nonnihil emollito enixis Tzaris mortem eius deprecantis precibus lacrymiſque donatus euaſit. Deinde a podagrica paſſione, et aqua intercute lecto affixus, ideoque ab omni miniſterio ſemotus; aurum tamen aeque ſemper, ac aquam ſitiens, tandem, dum ego adhuc Moſchuae eſſem, a potione decocti telephii a ruſtico quodam medicaſtro ei propinata voce, motu, omnique ſenſu priuatus, aegre poſt triduum ad mentem ſuam reuerſus, poſt longam in ferali paleſtra cum morte luctam III. Idus Nouemb. animam exhalauit, audituram ab Euangelico exprobratore, haec omnia, quae paraſti; cuius erunt? Et profecto non adeo exigua fuere, vt ſcriptum ab eo haeredem tam pinguis haereditatis poenitere deberet.

Moroſouii obitus.

deberet. Etenim poſt erogatam adhuc eo extremum ducente ſpiritum ipſius mandato in mendicos, et monaſteria maximam ſignati aeris vim, adhuc inaeſtimabilem argenteorum rublorum, ſolidorum aureorum, dalerorumque Ioachimicorum ſummam, nec non et fundos immenſos a binis ſubditorum myriadibus habitatos in ea nactus fuit.

Alexii corporis

Vir eſt Alexius iuſta ſtatura quadratus, vultu placidus, cute candidus, genis rubicundus, ſubflauis coma, et barba decorus, viriumque corporis firmitate robuſtus, quam tamen fractura ſit per omnia iam membra circumfuſa obeſitas, ſi cum creſcente eius aetate, quae hodie trigeſimum ſextum haud excedit annum, per conſueta abdominis augmenta ipſa quoque creſcat.

Et animi forma.

Animum vero tam praeclaris dotibus a natura efformatum ſortitus eſt, vt dolendum ſit, quod liberales diſciplinae ad poliendum ab eadem primo ſcalpro ruditer effictam ſtatuam haud concurrerint. Manſuetus, et clemens, quique magis peccari nollet, quam animum ad vindicanda peccata habeat. Propenſioni autem ſuae ſi relinquatur, pacificus eſt. Religionis erroneae ſuae placitis obſequentiſſimus tota anima pietatem colit. In templis frequens multa cordis deuotione ſacris intereſt officiis, et haud raro in conticinio Dauidis ad inſtar cubile deſerens humi proſtratus preces vel placando, vel inuocando, vel laudando Numini vſque ad matutina crepuſcula continuat. Quodque mirere, in ſumma poteſtate inter gentes totam a dominis ſuis ſeruitutem pati aſſuetas nullius facultatibus, nullius vitae, nullius honori vnquam inſidiatus eſt. Etenim quamuis ab ira, vt omnes delicati ſenſus heroes, aliquando abripiatur; vltro pugnos tamen, et calces nunquam ſe ſinit aſportari.

Eiuſdem titulus.

Titulus, quo tempore legationis noſtrae vtebatur, talis erat. Dominus Tzar, et Magnus Dux Alexius Mihalowicz totius Magnae, Paruae, et Albae Ruſſiae autocrator. Moſchouiae, Kyoniae, Volodimiriae, Nouogardiae, Tzar Caſani, Tzar Aſtracani, Tzar Sibiriae, Dominus Pleſcouiae, et Magnus Dux Lituaniae, Smolenſciae, Tuueriae, Voliniae, Podoliae, Iugoriae, Permiae, Viatkae, Bolgariae, etc. Dominus et Magnus Dux Nouogardiae inferioris, Czernichouiae, Rezaniae, Polociae, Roſthouiae, Iaroslauiae, Bieloſerae, Vdoriae, Obdoriae, Condiniae, Vitepſciae, Miſcislauiae, omniumque ſeptentrionalium regionum Dominator. Dominus Iueriae, et Tzarum Cartaliniae, ac Gruſiniae, et Cabardiniae regionis, nec non et Principum Circaſſorum, et Montanorum, ac quam plurimorum aliorum Orientalium, Occidentalium, et Aquilonarium Dominiorum, et Regionum per longam atauorum ſeriem legitimus haeres, Dominus, et Dominator.

Magnus ſane titulus; ſed cui Moſchouitico more inania, non vera, caduca admiſcentur.

Qua ratione vocetur Dominus.

Dominus ſine dubio eſt, imperat enim omnibus pro more antiquo deſpotice. Eius voluntas lex eſt cunctis ſubditis inappellabilis. Ille in omnes, vti Dominus in ſeruos, habet ius pro arbitrio vitae, et necis. Si ab eo vapulent, ſi eius mandato virgis, aut flagris caedantur, ei gratias agunt. Facultatum ſuarum non ſe dominos vocant, ſed Deum et Tzarem. Pauperes ad templorum limina, vel in compitis mendicantes eleemoſynam ſibi erogari obſecrant pro amore Dei et Tzaris. Si quis de re aliqua ſibi incomperta interrogetur, reſpondet illico, hoc me latet; ſoli Deus, et Tzar norunt. Breuiter: omnes de eo tanquam de Numine loquuntur, multi ſentiunt. Libellos ſupplices, quos ei porrigunt, omnes indifferenter ſubſignant nomine ad diminutiuum humiliato, ita vt, ſi quis Stephanus vocetur, Stephanulus ſubſcribat. Patriarcha autem, ceterique ex clero, ac ſanctimoniales addunt *Boghomoletz tuoi*, vel *Boghomolitza tuoia*, tuus, vel tua apud Deum precator, vel precatrix. Senatores, cunctique nobiles, et exterae nationis militares viri, *Chlop tuoi*, mancipium tuum. Mercatores primae claſſis, quos *Goſti* vocant, *Mæſick tuoi*, ſubditus tuus. Inferioris, et peregrini, *Szirota tuoia*, Orphanus tuus. Foeminae nobiles, *Rabitza tuoia*, ſeruula tua. Ruſtici, *Cher-*

Cherſtiani tuoi, Chriſtianus tuus. Famuli Senatorum *Czeloweck tuoi*, Homo tuus. Detur tamen ſuus veritati locus. Cum heri potius in ſeruos, quam patris familias in liberos Moſchorum Principum imperium ſit, ſubditi, qui patrem in Tzare ſuo non agnoſcunt, neque filios erga eum ſe exhibent. Metus itaque iiſdem obedientiam, non filialis reuerentia exprimit. Quapropter altero abſente, vel remittente, reluctatur altera, et recalcitrat, et quamuis immitis dominus in eorum terga vulgatis etiam cum proceribus flagris ſaeuiat, nihilominus canum ad inſtar excuſſo poſt verbera dorſo, ſi flagellum tortor amouerit, refractarii eſſe pergunt, parati animo iterum corpus ſeruili patientia flagris ſubiicere. Turcos, qui ſimiliter in virga ferrea reguntur, vidi ego longe alacriori promptitudine Imperatori ſuo obtemperantes. Crediderim, quod obſtinata, et contumax Sclauorum natura a turbulentis epoti quotidie vini aduſti vaporibus concitata Moſchos calcitroſos reddat. Et econtra, quod in Turcorum minus fera gente, et ex lege abſtemia ratio ſui compos magis ſe exferat ad ipſis conſulendum, vt hilariter dent, quod vel inuitis extorqueretur.

De Titulo Tzaris.

Tzaris titulum Baſilius Ioannis filius, et alterius parens primus, vti ſcribit Herberſteinius, aſſumpſit. Cui adſtipulatus eſt eiuſdem Baſilii filius Iuanus, dum anno 1552 Sigismundi Auguſti, Regis Poloniae legatis dixit, a ſummo Pontifice Clemente, Romanoque Imperatore Maximiliano parenti ſuo tributum fuiſſe. Cumque ſupremus ſacrorum in Moſchouia Antiſtes aliis eiuſdem Regis legatis biennio poſt literas eiusdem Maximiliani, et Solymanni Turcorum tyranni, quibus Baſilium Baſilides hoc titulo dignati fuerant, oſtendiſſe dicatur, errare videntur ii, qui poſtquam haec omnia ſine contradictione narrarunt, aſſerunt, hunc titulum ab Iuano poſt debellatos Caſanenſes primum vſurpari coeptum.

De hoc vocabulo monuerunt iamdiu tam ipſe Herberſteinius, quam Gaguinus, nuperque Olearius linguarum interpretes, vt ab errore conſuetae translationis reſipiſcerent, perſpicue demonſtrantes, quod Ruſſico idiomate Tzar non Imperatorem, vt ipſi vertere ſolent; ſed Regem ſignificet, dum ipſi Moſchouitae a ſacra pagina Sclauonica lingua loquente, Regibusque ſemper Tzaris nomen tribuente edocti, cum de Romanorum Imperatore et Domino ſuo vnico orationis contextu loquuntur, hunc Tzarem, illum Caeſarem, vt ego pluries audii, notabili differentia appellent. Ipſeque Magnus Dux ſe non Ruſſorum, non Moſchorum Tzarem; ſed vel indiſtincte Tzarem, vel diſtincte Tzarem Caſani, Tzarem Aſtracani, Tzarem Sibiriae vocet, quae certe nullo modo Imperia nec Regna (Sibiria excepta) vocari merentur, cum praeter vrbes, vnde denominantur, vix aliquot in iurisdictione ſua oppidula numerent. Interpretum tamen aliquot amica monitione poſthabita vocabulorum voluntarie falſi inuerſores punienda Imperatorii nominis deiectione in incoepto peruicaciter pergunt. Si in exteras gentes tanto ſtudio feruntur, vt eas ornare ampulloſis titulis velint, et nomen Tzareum propter affinitatem ſoni cum Caeſareo aliquid ſupra Regium auguſtius ſpirare credunt, Principes earum Tzares dicant, non Imperatores. Sic in falſi crimen non impingent, et adulationi ſuae facient ſatis. Optarem tamen, vt ſemel Cartaliniae, et Gruſſiniae Regulorum, quos noſter Tzar in ſuis titulis Tzares appellat, perſonas, et ditiones oculis vſurparent, perſuaſus etenim viuo, quod videntibus intra montuoſos Georgio fines tot Tzares Moſchis, vel Perſis, vel Turcis tributarios longe ab omni principali ſplendore vitam inultarum rerum indigam viuere, Tzaris nomen vileſceret adeo, vt illud in Imperatorium vertere impoſterum erubeſcerent.

Magni Ducis titulus.

Magni Ducis titulum Volodimirus Suatoslai filius nothus prior vſurpauit, et ad poſteros tranſmiſit.

De nomine Alexii.

Alexius nomen eſt inter mihi compertos a Ruricho deſcendentes in Ruſſia Dominos inuſitatum, ac plane peregrinum. Adorant Moſchouitae Alexium Metropolitam Kyouienſem Ioannis Danilowicz Moſchorum Principis tempore natum, circa annum 1364 conſecratum, et quarto decimo poſt anno regnante in Ruſſia Ioanne Iuanowicz vita functum, cuius anniuerſarium diem III. Kal. Octobris, cor-

poris vero Moſchuam translationem XIII. Idus Maii perquam ſolenniter celebrant. Conſuluit iſte popularibus ſuis, vt poſthabito contra Tartaros Crimenſes bello pacem potius ab iis certa aliqua annua penſione redimerent. Conſiliique ſui executor ab horum Chamo Berdegereio pacem Ruſſis ſuis emit.

Cur dicatur Mihalowicz.

Mihalowicz eſt nomen paternum iuxta ſuperius indicatum Moſchouitarum morem proprio additum.

Ruſſiae extenſio.

Ruſſiae nomen latiſſime patet, comprehendit enim quicquid a montibus Sarmaticis, et fluuio Tyra, incolis Niſtro, per vtramque Volyniam ad Boryſthenem, et Polocenſem agrum aſcendendo Poloniae minori, antiquae Lituaniae, Liuoniaeque conterminum vſque ad Finnicum ſinum protenditur, et quicquid inde a Careliis, et Lapponibus, Oceanoque ſeptentrionali longo finitimae Scythiae tractu ad Tartaros Nagaienſes, Volgacenſes, et Praecopenſes excurrit. Sub magnae autem appellatione comprehendunt Moſchouitae tractum illum, qui intra Liuoniae, albi maris, Tartarorum, et Boryſthenis limites continetur, et ſub nomine Moſchouiae vulgo venit. Sub paruae Bratislauienſem, Podolienſem, Halicienſem, Sanocenſem, Praemislienſem, Leopolienſem, Belzenſem cum Chelmenſi, Volynienſem, et Kyouienſem inter Scytharum deſerta, Boryſthenem, Pripetium, et Veprum fluuios, Poloniam minorem, et iuga Carpathia ditiones. Sub albae vero inter Pripetii, Boryſthenis, et Dunae fluenta Nouogrodekum, Minſcum, Micislauiam, Smolenſciam, Vitepſciam, et Polociam cum ſuis ditionibus. Quae omnia Ruſſorum quidem iuris olim fuere; ſed per bellorum caſus Polonorum, et Lituanorum fortunae, et fortitudini variis deinde temporibus ceſſerunt.

Primus, qui ſe totius Ruſſiae Monarcham ſcripſit, Magnus ille Ioannes Baſilii coeci filius in literis ſuis ad Alexandrum Lituaniae Magnum Ducem anno 1492 datis fuit, qui excuſſo Tartarico duorum cum dimidio ſeculorum iugo, ſuoque Magnae Nouogardiae impoſito, ac eiectis ex auitis ditionibus quamplurimis ex agnatis Ducibus maiorem Ruſſiae partem ſub imperio ſuo coniunxit. Hunc titulum ſucceſſores poſtmodum vſurparunt ſemper, et preciſe eius nepos Iuanus in literis ſuis ad Senatum Poloniae anno 1572 poſt mortem Sigiſmundi Auguſti. Verum diſtincte magnae, paruae, et albae autocratorem, ſiue conſeruatorem, praeter Alexium, nemo.

Moſchouia.

Quod Moſchouia inter titulos praemittatur, non antiquitati, ſed dignitati tribuendum venit. Poſtquam enim Daniel Alexandrowicz duodecimus iuxta eos, quibus ego ſum vſus, Moſchorum annales a Ruricho per rectam dominantium lineam ſucceſſor Ducalem ſedem e Volodimiri vrbe Moſchuam commodiſſimo conſilio tranſportaſſet, ibi ſemper fixa permanſit, maioribus in dies ornamentis auguſtior reddita. Imo et ipſa vrbs nomen a fluuiolo per ſinum ſuum a Tuuerenſi regione decurrente mutuatum vniuerſae Ruſſiae, cunctiſque populis eam incolentibus tanto applauſu communicauit, vt ea multis ab hinc retro luſtris Moſchouia, hi vero Moſchouitae communi in orbe vocabulo vulgo appellentur. Ipſi tamen priſco nomine, ſiue a Ruſſo fratre, aut nepote Lechi Polonorum Ducis primi: ſiue a vetuſtiſſimo oppido Ruſs ſexaginta a Nouogardia magna verſtis poſito: ſiue a capillorum ſubflauo colore, qui Sclauonico idiomate Ruſs dicitur: ſiue a populis Roxolanis: ſiue ab antiquo vocabulo Roſſeia, diſperſionem, vel diſſeminationem indicante, aſſumpto, noui vel ignari, vel contemptores, Ruſſos ſe ſemper appellant. Prouincia quidem Moſchouiae ſub intemperie aëris frigus, et aeſtum per exceſſum haud raro alternantis agrum propter viciſſitudines nimiae ſiccitatis, et humiditatis in arenoſo ſuo ſolo facile ſegetes enecantis haud fertilem, et fines non adeo amplos habet: ſed, quod nulla intra eos viuat, praeter lepores, fera, nulla mellificet apis, pace eorum, qui hoc ſcripſerunt, haud concedam. Quicquid enim olim fuerit, nunc ſane et vulpibus, et lupis, et vrſis, apibuſque et melle abundat. Fabulas autem illas de animantibus propter frigus in ea minime cornutis, ac de equabus ſterilibus contrarius cum aliis pluribus de viſu teſtis explodo. Sed nec

nec admittenda eſt illorum aſſertio, qui regionis illius Coelum adeo ſalubre eſſe ſcripſerunt, vt nullo vnquam ad clauum contra peſtem figendum dictatore, prout olim ſaepius Roma, opus habuerit, cum nulla ibi vnquam ſaeuierit. Quia ab annalibus Moſchorum refellitur tradentibus, quod anno 6930, Chriſti 1421 dominante Baſilio Demetrowicz, et ſexto deinceps elapſo ſub eiuſdem liberi Baſilii primordiis peſtilentia eam tam grauiter afflixerit, vt exinde, quaſi vniuerſa Ruſſorum naturalis conſtitutio debilitata fuerit, eorum pauciſſimi ſeculare viuant annum, ad quem tamen antea plurimi multos inſuper addere viuendo ſoliti fuiſſent. Anno autem 7109, Chriſti 1600 et per biennium ſubſecutum Boriſſo Hoduno principante graſſantis in Ruſſia peſtis tanta fuit Moſchuae ſaeuitia, vt inquilinis fere omnibus eam exhaurierit. Annoque 1654 et ſequenti imperante praeſenti Alexio ab eadem lue ſeptingentis vtriuſque ſexus millibus aſſumptis eam tantum non euacuauerit.

De Vrbe Moſchoua.

Vrbs Moſchua ampliſſima olim, et populoſiſſima fuit; ſed multoties fortuita paſſa incendia, et anno Mundi 7079, Chriſti 1570 die 24 Maii a Tartaris Praecopenſibus, atque anno 1611 a Polonis omnino exuſta, nunc intra anguſtiorem vndeuiginti verſtarum ambitum a longe minori, eoque maiorem partem Lituano, et Polono in captiuitatem abducto, incolitur habitatore. Imo cum ſingulae in ea aedes, vt a quamplurimis ante me obſeruatum fuit, ſpatioſas areas, et atria comprehendant, multiſque earum adiaceant horti, et pomaria: Cumque praeter plura identidem interiacentia haud exigua prata, innumera (fere dixerim) templa, et ſacella iis ſint intermixta, eam non continet populi multitudinem, quam nonnulli amplitudinis eius ſpecie decepti ſunt opinati. Arcem habet, cui Kremelinae nomen, Magnorum Ducum ſedem mediocri vrbe haud minorem, muro a Ioanne exoculati Baſilii filio primum circumdatam, et iam per meliora augmenta addita foſſa longe munitiorem. Tanta autem Moſchuae eſt rerum omnium ad vitae neceſſitatem, commoditatem, et luxum, et quidem honeſto parabilium pretio, affluentia, vt nullae orbis plagae aut clementius coelum, aut foecundiorem agrum, aut ditiora terrae viſcera, aut induſtrioſiores hominum genios debeat inuidere. Licet enim a quocumque mari quam longiſſime abſit, multorum tamen beneficio fluminum cum remotiſſimis prouinciis opulentiſſimo commercio communicat.

Kyouiam manuſcripti Ruſſorum annales aſſerunt vrbem eſſe poſt magnam Nouogardiam in Ruſſia vniuerſa ceteris omnibus antiquiorem. Narrant enim, quod Kyeu, Iſſock, et Koriw fratres ex Polonia egreſſi in monte ad dextram Boryſthenis oram conſederint. Kyeu in ipſo vertice, Iſſock in ea parte, quae ab eo Sokowica vocata fuit, et Koriw in altera, cui inde Korowicae nomen. Cumque eos electionis minime poeniteret, vrbem condiderint a maiore natu ſine augurio, ſine fratricidio, ſola aetatis verecundia operante, Kyouiam denominatam. Hanc Olechus Rurichi ſobrinus, eiuſque filii Igoris tutor infeſto exercitu, antiquas eius in Nouogrodienſes iniurias vlturus, aggreſſus, ſecunda vſus fortuna occupauit, conſtituitque totius Ruſſiae metropolim. Qua tamen praerogatiua nothus Volodimirus Igoris nepos eam priuauit, dum Volodimiriam vrbem a ſe ad Cleſmam amnem conditam ea donauit. Eius filius Iaroslaus, poſtquam a Boleslao Chobri Poloniae Duce anno 1009 acie victus eam exuli, et exuto fratri ſuo Suatopolcho reſtituere adactus fuiſſet, per impium huius fratricidium eiuſdem poſſeſſionem denuo arripiens, quamuis ab eodem Boleslao ingenti ad Bugum praelio decimo poſt anno ſuperatus eidem ſe tributarium feciſſet, eam ampliatam vallo circumdedit. Et nihilominus anno 1070 Polonus Boleslaus audax deuicto eius Duce Seuoldo eam ad deditionem coegit, Iſaslao in ea regnare iuſſo. At malo ſuo fato, renouato enim Hannibalis apud Capuam ſucceſſu vrbis deliciis, et voluptatibus ipſe, et exercitus corrupti, et eneruati poenitendam ſibi victoriam ſuam reddiderunt. Qui vero ſub Poloniae obſequio deinceps in Ducatu ſucceſſerunt, mutuis ſaepe inſidiis inuicem appetentes alterna extruſione a Ducali ſe exturbare ſolio numquam [illegible] runt, donec Roſtislao Miſtislai filio eidem incubante Batus Tartarorum Rex anno a Mundo creato 6748, a redempto vero 1239 in Ruſſiam torrentis ad inſtar impetum

Kyouia.

tum faciens vrbem Kyouiam funditus deletam ſolo aequaret. Sedato deinceps aliquomodo ſaeuae huius procellae impetu Ruſſi locum conſentientibus Scythis Bati ſucceſſoribus ſub tributo rurſus incoluerunt. Gediminus vero Magnus Dux Lituaniae anno 1320 deuicto ingenti pugna, qui rerum ibi tunc potiebatur, Stanislao, eoque exturbato, vrbem, totamque ad Czerkaſſios vſque ditionem adeptus, Ducatum illum in prouinciam redegit, quam Mindopho Holſano Duci adminiſtrandam commiſit. Anno 1390 cum Volodimirus Olgerdi Magni Ducis Lituaniae primogenitus Ducatum hunc poſſideret, eum decreto fratris Iagellonis iam tunc Poloniae Regis communi fratri Caſimiro Skirgelloni cedere damnatus, et acquieſcere detrectans, anno 1395 a Vitoldo triennio ante Magno Lituaniae Duce renunciato armis expulſus cum filio ſuo Olelkone, ſiue Alexandro, fuit, et Skirgellone haud diu poſt monachi cuiuſdam ſcelere per venenatam potionem ſublato idem Vitoldus ex Ducatu prouinciam iterum fecit, et Ioannis Algimundi Ducis Holſanenſis adminiſtrationi conceſſit. Anno autem 1416 dum Iagello nuptias cum Eliſabetha Pilecia Sanoci celebraret, Ediga Tamerlanis Praefectus innumerabili Tartarorum exercitu vrbem Kyouiam obruens eam foede adeo vaſtauit, vt numquam amplius priſtinum ſuum ſplendorem recuperauerit. Nouis nihilominus apud fluuium in radice montis excitatis aedibus tertio reparata proprios habuit Principes. Etenim anno 1421 Andreae Iuanowicz Druki Ducis Kyouienſis filia Zonca, poſtea Sophia dicta, Iagelloni nupſit. Anno 1435 Ioannes Volodimiricz Kyouienſis a Michaële Sigiſmundi Magni Ducis Lituaniae filio in pugna captus, ab hoc occiſus ſcribitur. Cumque ſeptennio elapſo idem Michaël eam Alexandro Duce exacto occupaſſet, a Caſimiro Iagellonide Poloniae Rege electus male partam iuſto poſſeſſori reddere inuitus debuit. Quo anno 1455 mortuo idem Caſimirus eam filiis eius Simoni et Michaëli ademit; ſed ita, vt eam ſoli Simoni cum toto Ducatu fiduciario iure permitteret. Et anno 1471 licet is moriens filium Baſilium reliquiſſet, expuncto Ducis titulo prouinciam tertio fecit Martino Gaſtoldo commiſſam. Ita magnus ille Ducatus, quem cuncti Ruſſiae Duces ſuſpicere conſueuerant, amplumque terrarum ſpatium in parua Ruſſia ambibat, in Palatinatum degenerauit.

De Coſacis. In hoc Coſacorum ortus, agreſtis olim circa Kyouiam gentis, quae in Boryſthenis deſerta dulcedine praedae ex Tartaris cum liberis, armentiſque ibidem vagari conſuetis agendae illecta tranſmigrauit, ac deinde plurium concurſu nobilium, vel exulum, vel praedonum aucta Sigiſmundi Regis ſenioris aeuo clareſcere incipiens, meruit poſtea a Stephano Batoreo vrbe Trethymirouia quinquaginta infra paſſuum millibus donari. Vnde felici audacia Tartaros vndique ſubmouens Boryſthenis inſulas occupauit, praecipuamque earum Tomakowkam ſemper retinuit ferociorib[us] eam inſidentibus, et multitudine, quae in dies creſcit, per diffuſa in Volyniam vſque oppida late diſperſa. Apud has inſulas Boryſthenes inter aſpera, deruptaque rupium ſaepius ex alto deiectus cataractarum, Polonis *Porohi* dictarum, quas ſuperauit, nomen Coſacis relinquit, ita vt cum, quod vltra eſt *Za Porohi* dicatur, ii etiam Zaporouienſes denominentur. Vocantur tamen etiam aliquando Niſouienſes, ſumpto ex depreſſiore illa terra, et vlteriore Volynia, quas inhabitant, et promiſcuo nomine *Nis* appellant, vocabulo. Gens haec, dum iniurias ſuas contra dominos nimis impotenter in ſua terga ſaeuientes vlciſcitur: Dum Ducum ſuorum Iuani Podkowae a Stephano Rege Leopoli, Pauluki ab Vladislao IV. Varſauiae violata vtrobique fide publica capitis ſupplicio affectorum indignam mortem: Dum Bogdano Chmielnicio contumeliam in vxore, et filio a Czaplinſcio magni Coronae vexilliferi Koniespolſcii vices gerente irrogatam vindicat, Poloniam ſtrenua conſtantia, et felicibus armis adegit, vt in ſui fauorem vindicias ſecundum libertatem daret. Cum nothus Volodimirus Kyouiae Dux Chriſtianae militiae nomen dare decr[illegible], et Baſilium Imperatorem Conſtantinopolitanum in ſucceſſorem [illegible]ro fonte ſibi elegiſſet, Nicolaus Chryſobergus Conſtantinopolitanus Patriarcha Michaelem, vt iam dixi, natione Graecum metropolitam Kyouiae conſtituit, vt eum, eiuſque ſubditos ſacris vndis ablueret. Exinde alius poſt alium plures

plures in Metropolia ſucceſſere, nunc ex vnitis, nunc ex ſchiſmaticis, prout dominantium zelus hinc, aut illinc efferueſcebat. Hos inter eminuerunt, conſecratus circa annum 1374 Alexius Ruſſus, de quo (ſi famae rerum ſtandum eſt) fertur, quod ob ſuam celebrem ſanctitatem ab Amurathe Turco euocatus eius filiae coecae viſum a Deo precibus ſuis impetrarit: Iſidorus Bulgarus, qui Concilio Tridentino interfuit, vnioni ſubſcripſit, et promotus in Romanae Eccleſiae Cardinalem, renunciatuſque Legatus a latere ſummi Pontificis, anno 1440 vnionem per Ruſſicas ditiones promulgauit: Et Ionas Moſchus ſchiſmaticus circa annum 1520, qui apud ſchiſmaticos ſuos ſanctitatis opinione ſupra omnes effertur. Poſtquam vero Vladislaus IV. Coſacis indulſit, vt ſchiſmaticum Metropolitam a Conſtantinopolitano Patriarcha electum vnito electo Kyouiam introducerent, is Vilnae meliora tempora a Dei benignitate expectat. Viſuntur ibi in Monaſterio Pieczerſcenſi ſubterraneae cryptae, quas aſceta Antonius illo ex monte Atho profectus ſub Iſaslao Magno Duce fodere coepit. Plura in iis iacent integra adhuc corpora, quae Ruſſi pro ſanctis venerantur, nulla tamen Eccleſiae Romanae, ſed nec Graecae, approbatione. Inter haec vnum Diuae Barbarae martyris eſſe priſca freti traditione Kyouienſes aſſerunt.

Volodimiriae Ducatus.

Volodimiriae inter Occam, et Volgam Ducatus vberrima gleba, vrbeque agnomine commendatur. Hanc nothus Volodimirus, poſt baptiſmum Baſilius, apud fluuium Cleſmam, qui ſexaginta inde verſtis nauium patiens Occae coniungitur, aedificauit, et ligneo caſtro munitam Magnorum Ruſſiae Ducum ſedem eſſe, relicta Kyouia, voluit. Sed eius atnepotis pronepos Daniel decreto tandem interceſſit, Moſchuam eidem vrbem ſubſtituens. Illa autem a Tartaris ſub Bato Rege vaſtata magnitudinis ſuae miſera indicia ſola nunc magna rudera oſtendit. Adiacet huic Ducatui Muromenſis Principatus, a Iaroslai Magni Ruſſorum Ducis per filium Suatoslaum deſcendentibus olim haereditario iure poſſeſſus; ſed nunc diruta vrbis ſuae a Tartaris, et Ruſſis promiſcue habitatae arce Moſchouiticum cum reliqua Ruſſia ſceptrum adorans. Ab hac per Occam aſcendendo oppidum Caſſimogrodia aſſurgit, a Tzare Hoduno Tartaro Regulo fiduciario iure conceſſum, quod eius filius nuper apud Moſchos ſacro tinctus lauacro poſſidet, et tantulus dynaſta auguſto Tzaris praedicato appellatur. Eant nunc adulatores gnatones, et ſi placet, etiam hunc Imperatorem vocent.

Nouogardiae Magnae Ducatus.

Nouogardiae Magnae Ducatus Rurichi quondam portio vere magnus olim fuit, quippe qui ad Liuoniam, Finlandiam, Sueciam, et Noruegiam vſque excurreret. Nomen habet ab ampla ſua metropoli, omnium in Ruſſia vrbium iuxta annalium aſſertionem antiquiſſima, a Slauis Danubianis eo commigratis bis mille paſſibus a lacu Ilmenio, qui Cheſinum fluuium, Ruſſis *Lowat*, exceptum, nauigabilem deinde, et piſcoſiſſimum; ſed mutato in Wolkow nomine, e ſinu ſuo ad eam interluendam emittit, aedificata. Hanc Alexander Vitoldus Magnus Dux Lituaniae anno 1414 diu oppugnatam ad annuum ſibi tributum pendendum, praefectoſque a ſe accipiendum adegit; Simone Algimundo Holſano Duce ex tunc eidem impoſito. Cumque quartodecimo poſt anno recalcitraret, contumacem ad obſequium denuo reduxit, in quo florentiſſima perſeuerauit, vſque dum Moſchorum Dux vere Magnus Ioannes Baſilii coeci filius eam ſeptennali Marte ſubactam Caſimiro III. Polonorum Regi, et Magno Lituaniae Duci anno 1477 eriperet, et omnis in eam iuris abdicationem ſucceſſori Alexandro genero ſuo anno poſtmodum 1493 exprimeret. At anno 1611. patuit, quod magnae moles, ſi ſemel ruerint, vel a proprio oppreſſae pondere, reſurgere deinceps nequeant. Etenim Iacobus de la Garde copiarum auxiliarium a Carolo IX. Sueco in Ruſſiam contra nepotis Sigismundi III. Poloniae Regis conatus ſubmiſſarum ductor Moſchorum fallaciis irritatus eam per vnicam ſtrenui aſſultus impreſſionem ab exigua ſua quinque millium bellarorum manu factam vi expugnauit. Sedes eſt Metropolitae inter Ruſſicos primarii.

Iuanogrodia. Eius ditionis fuere arx Iuanogrodia, ab eodem Ioanne, et non, vt aliqui autumant, a Tyranno eiuſdem nepote, ad fluuium Neruam anno 1495 ex ſecto lapide exſtructa. Iamma, Coporium, et Oreſchakum, ſiue Noteburgum in Ingria, quae omnia vel ab ipſo Carolo, vel ab eius filio Guſtauo Adolpho Martis violentia Moſchis erepta, cum Kexholmia in Carelia, eidem Carolo a Baſilio Suiſco ob ſubmiſſa ſibi ab illo contra Polonos auxilia dono data, per pacificam inter eundem Guſtauum Adolphum, et Michaëlem Fedorowicz Magnum Moſchouiae Ducem anno 1617 Stolbouienſem tranſactionem, a puero Sueciae Rege Carolo XI. et Tzare Alexio Mihalowicz anno 1661 et ſequenti confirmatam, in Suecorum dominium ſtabilito per nouum titulum armorum iure tranſierunt.

Iamma.

Coporium.

Noteburgum.

Volochda. Fuit et Volochda prouincia, a flumine eam interluente nomen ſortita, difficillimi ob crebras paludes, et denſas ſyluas acceſſus, ideoque tutiſſimam in metropoli ſua ad Suchanam fluuium a firmiſſimae munitionis caſtro protecta Principibus ſuis reconditi theſauri cuſtodiam promittens, et Archiepiſcopo ceteris praelato ſedem praebens.

Vſtiuga. Fuit Vſtiuga, ab oſtio Iugae fluminis denominata, vbi caſtrum cum Oppido Vſtiuga nunc paulo ſuperius reaedificatum olim aſſurgebat.

Duina prouincia. Et tandem Duina fuit, ampla cum Colmogoria, et Vagae fluminis populoſo tractu prouincia, quae propter agri ſterilitatem haud multos olim incolas recenſens, nunc ob commoditatem celeberrimi ſui Michaëlis Archangeli emporii habitatoribus aeque, ac mercimoniis floret.

Duina fluuius. Nomen habet a fluuio Duina, qui eam interluit, et ſuum a Suchanae, et Iugae confluxu deriuat, cum vox Duina Ruſſico idiomate duo exprimat. Oritur Suchana ex lacu Koinski ditionis Volochdienſis, flumenque Volochdam quadraginta infra huius nominis vrbem paſſuum millia influens eius nomen ſuffocat, et alienis opibus locuples male partas diuitias patrimonio ſuo permixtas tanquam proprias vltra quinquies centena millia paſſuum, oppida Suchkum, Totmam, Browſenskum, Bobroweskum, et Strelnam poſt ſe relinquendo, alioſque vulgares amnes excipiendo, orientem verſus deducit. Vix tamen Vſtiugam Oppidum praeterfluxit, cum in Iugam ex aduerſo fluentem incidens talionis poena mulctatur. Etenim confuſis inter ſe vndis nomen ambo amittunt, ita vt ex binis fluuiis iam vnus Duinae nomine indigitatus recta Septemtriones verſus ſe euoluat, auctuſque ex itinere copioſiſſimis Permianae, Witzogdae, Vagae, et Pinegi humoribus quinquies centenis per frequentes in vtraque ripa populoſos pagos, perque oppida Duinam, Iempſam, Colmogoriam, et Michaëlis Archangeli fanum verſtis emenſis vnius ſemper Domini ſubditus ſinum ſubeat Granuicum. Vacuo tamen vix vnquam dorſo, etenim crebra grauatus vectura nunc elaborata bouum, nunc elaboranda alcium tergora, nunc cannabim, nunc reſinam, nunc lini ſemina, nunc ſeuum, nunc ceram, nunc confectum apud Volgam ex belluginae, accipenſeris, aliorumque piſcium ouis icarii, nunc tiliae, fraxini, vlmi, et ſalicis ad fullonicam, et ſaponariam artem cluuellatos cineres, et nunc vrſorum, vulpium, luporum, lyncium, aſpreolorum, muſtelarum alpinarum, ſylueſtrium, et ſcythicarum, aliorumque animalium pelles Batauis, et Anglis eo quotannis ſtato aeſtatis tempore nauigantibus defert. Qui iis omnibus cum lapide ſpeculari ex rupibus ad eius ripam exciſo, et oleo ex phocarum aruina cocto, vel ex praecedenti permutationis compacto, vel praeſenti emptionis conuentione receptis, Moſchis viciſſim tradunt allata ex Italia, Gallia, Hiſpania, Britannia, Belgio, et Orientalibus plagis omnis generis aromata, zacharum, crocum, ſale conditos haleces, maluaticum, Hiſpanicum, et Gallicum ex mediterraneo, et Oceano vinum: vniuſcuiusque coloris, et generis pannos: Batauica lintea, ſpecula, cultellos, enſes, fiſtulas, tormenta manualia et muralia: aes, plumbum, ſtannum; telas ſericeas, raſas, holoſericas, ſcutulatas, vndulatas, auro, argenteoque intextas: tibialia lanea, xilina, ſericea: aurum in fila diductum: margaritas, vniones, adamantes, pyropos, ſmaragdos, ſapphyros, chryſolitos, ametyſtos, topatyos: auri tandem, argentique ſignati vim maximam. Quae omnia aduerſo flumine

flumine Volochdam vsque delata trahis tandem per hyemales niues octidui itinere Moſchuam inuehuntur.

Caſanum. Caſanenſe Tartarorum olim Regnum nomen duxit ab vrbe ſua metropoli, haecque a fluuio Kaſanska, a quo flexuoſo ambitur ſinu. Conditores habuit Praecopenſes et Tauricia fugitiuos Baſilio Baſilowicz in Magna Ruſſia imperitante. Eam Baſilius Iuanowicz adegit, vt Reges a ſe acciperet. Rebellem deinde ingenti belli mole preſſit, ſed non oppreſſit. At anno 7061, Chriſti 1552 eius filius Ioannes eam poſt ſemeſtrem obſidionem vi expugnatam Moſchorum ſceptro ſuperbas vna cum Ceremiſſis ſuis ſubmittere ceruices coegit. Cui tamen, quaſi iniuriam compenſaturus, vicinam Bulgariam ſibi, quod parere indocilis ſubinde rebellaret, exoſam, vt iugum ferre doceret, poſtmodum ſubdidit, eamque Metropolita, qui in ipſa reſideat, conſtituto decorauit.

Aſtracanum. Aſtracanenſe Regnum aduenas Volgae aquas lato alueo excipiens, et in mare Caſpium per plura diuortia deducens Tartarorum ex Nagaienſi coetu per longam Regum ſeriem vetus patrimonium fuit, quod ab iis Ioannes Baſilides cum vrbe Aſtracano celeberrimo totius regionis ad laeuam Volgae ripam ſexaginta ab Hircano mari paſſuum millibus emporio anno 1554 Kal. Auguſti per vim extorſit, Tartarisque omnibus ab vrbe eiectis eam lapideo prius muro muniens Ruſſico dumtaxat habitatore impleuit, et Archiepiſcopali ſede honorauit. Affluit optimo ex lacubus ſale, ex Volga piſcibus, ex iuncis, et virgultis auibus, ſolumque habet non fructuum dumtaxat; ſed etiam vini haud inſuauis ferax, quod in Moſchouiam, tanquam ſine vlla mixtura ſincerum, ad ſanorum in ſacrificiis vſum emittit.

Sibiria. Sibiria a ſeniore prius Ioanne Baſilide tributaria facta, et deinde a iuniore ſubacta ampliſſima regio eſt, miſero innocentium aeque ac nocentium relegatorum exilio infamis, quae finitimos Tartarorum Duces ſingulatim carpendo, ſibique in dies vectigales faciendo, erraticos limites ſuos populabundis huc illuc excurſionibus ad Imaum vſque (ſi Moſchi vera narrant) prolatos etiam vltra tranſtuliſſet, niſi nuperi conatus eius audaciam Mars aduerſus repreſſiſſet. Metropolis eius eſt Tobolia, a Moſchouitis iuxta ipſa Irtiſchii amnis Toboliae illabentis oſtia in montis edito aedificata, et ligneo ſepimento ſub praeſidio adnexi lignei caſtri circumdata, Archiepiſcopatus dignitate, monachorumque coenobio honeſtata, quam ſoli incolunt Moſchi, ceteris aduenis omnibus in ſubditum ad ripam Toboliae oppidum amandatis. Confluunt eo ſtatis anni tempeſtatibus vndiquaque ex Regnis ſuis mercaturae gratia Tartari, qui tamen merces ſuas nullo pacto pro pecunia diſtrahere volunt; ſed tantum pro aliis ex Archangeli fano adductis permutare. Ditionis Tobolienſis eſt Tumenium magnum quaternis et ſexagenis a Tobolia Auſtrum verſus verſtis intra lignea ſepta apud fluuium agnominem exurgens oppidum a ſolis Moſchis habitatum, cum Tartari aediculis ſuis trans flumen poſitis contenti eſſe debeant. Eſt et Virchaturia, ligneum oppidum amplitudine Tumenio paulo minus, ab eo ducentis et vicenis pariter ad meridiem paſſuum millibus in rupe apud Turam fluuium, qui deinde a Tobolia abſorbetur, conditum. Inter hoc, et Tumenium altiſſimi aſſurgunt montes cedris frequentiſſimi, vnde ingens ex hoc ampliſſimo Regno pretioſiſſimarum omnis generis pellium Magnus Dux tributum quotannis exigit. Indigenae ſunt Tartari, idololatrae, proprio loquentes idiomate, panis vſus vſque ad haec tempora neſcii. Non quod ager a frigore, vt quidam ſcribit, ſegetes ad maturitatem perducere prohibeatur; ſed conſuetudine populis illarum regionum fere communi, qui ferina carne, piſcibusque, quorum ibi copia ingens, contenti panis negligunt vſum. Moſchorum certe coloniae illo tranſmigratae, relegati, milites, ac Praefecti agros natura ſua, et praeſertim apud Tumenium, feraciſſimos ad vſum ſuum colunt, creditumque iis ſemen cum pinguiſſimo ſupra fidem foenore ſuo tempore maturum metunt. Eorum potus eſt ceruiſia, kuuas, et vinum aduſtum. Hydromeli carent, quia nullae ibi apes. Nec vini ſunt curioſi, cum tamen facillime ex albi maris ſinu illo poſſit importari.

Pleſcouia. Dominium Pleſcouienſe trini illi Varegi, ſiue Vagrii fratres Rurichus, Sinaus, et Truuorus haud poſſedere; ſed Principes, quos liber ille populus a vicinis ad libitum aſſumebat. Horum Rochwologdum Varegum, ſiue Vagrium, nothus Volodimirus Rurichi pronepos ob negatas ſibi filiae Rochmidae nuptias bello petitum vna cum duobus filiis interemit, et amatam inuitis genialibus Diis reluctantem in matrimonium ſibi copulauit. Vrbs deinde, quae nunc Archiepiſcopi ſedes, anno 1241 a Liuonienſibus capta, perque Alexandrum Iaroslai filium Magnum Moſchouiae Ducem auxiliariis Scytharum armis haud multo poſt in priſtinam vindicata libertatem a legibus ſuis ſub patrocinio electorum a ſe Ducum a ciuico magiſtratu protectis cuſtodita, candidis moribus, et innocua libertate feliciſſime floruit. Cui tranquillitati Magnus Dux Lituaniae Vitoldus anno 1414 interceſſit, diuturna namque oppugnatione eam ad deditionem coegit, et tributo impoſito Georgii Ducis Noſſae adminiſtrationi commiſit, ac duodecimo exacto anno refractariam ingenti pecunia mulctauit. At anno 1509 a neſaria quorundam ſacerdotum conſpiratione Baſilio Ioannis filio prodita, et ab hoc ciuibus ſuis in exilium pulſis exuta, in corruptiſſimos aduenarum Moſchorum ſubintrantium mores peſſime degenerauit. Haec lapideis quadripertito opere interiectis moeniis munita anno 1581 Stephani Regis Poloniae, et anno 1614 Guſtaui Adolphi Regis Sueciae co-

Piaſecii error. natus eluſit. Sola tamen non eſt, quae nunc, vt Piaſecius perperam ſcripſit, in tota Moſchica ditione, praeter ſedem Ducalem Moſchuam, et Smolenſciam, muro ſit latericio cincta, etenim praeter Boriſſouiam arcem ſeſquimilliari a Moſaiſco dextrorſum diſtantem e muro, ſaxiſque fabricatam, anno 1617 a Lituano Chodkieuicio irrito conatu inuaſam, Columnam ad Occam, et Nouogardiam inferiorem turritis ambas ex lapide moenibus circumdatas, praeterque Caſani arcem ſimili muro ſeptam, et vrbem Aſtracanenſem a Ioanne Baſilide craſſiſſimis lapideis moenibus firmatam, occurrunt nobis Nouogardiae Magnae, Tullae, Moſaiſci, et Vologdae caſtra lapideo partim, partim craſſo et alto latericio muro munitae.

Lituania. Lituania ad inſtar Nemeni; ſiue Chrononis ſui varias in decurſu abſorbendo aquas increſcentis ab exiguis profecta initiis ſucceſſu temporis ad maximam excreuit amplitudinem. Etenim a ſinu Curonienſi inter Pruſſiam, et Samogitiam aduerſo Chronone ſe exſerens, licet properante ad finem decimo ſeculo, et principante in ea Italo Palaemone ex gente Columna in fortunam Kyouienſis Volodimiri Suatoslawicz magna ſui concuſſione libertatiſque iactura impegerit, breui tamen poſt eluctata ſub Palaemonis liberis Borco, Cunone, ſeu Cunaſſo, atque Spera excitatis in ipſo confinio Iuriae, et Nemeni Iurborco, et qua hunc Vilia ſubit, Cauna, ac in lacu inter Niewiazam, Swientam, et Tzerwentam amnes Spera, atque dein ſub Kierno Cunaſſi filio Kiernouia ad Viliam per longa luſtra Lituanorum poſtmodum Ducum ſede, nutans nouae molis aedificium robuſte adeo firmauit, vt per mutua inter Ruſſiae ex Iaroslao Kyouienſi Duces fraterna odia vlterius gliſcens, Braslauiam ducibus eodem Kierno, et Gimbuto fratribus occupauerit, ſemperque retinuerit. Hanc quidem audaciam Romanus Micislai Volodimiri atnepotis filius, cum Ducatum Halicienſem, quo auus a Pannoniis exutus fuerat, Leski albi Cracouiae Ducis beneficio anno 1198 recepiſſet, adeo non tulit, vt tertio decimo oriente ſeculo pluries victor vindicauerit, Lituanis haud minima ditionis acquiſitae parte mulctatis, et in verba ſua ſub vili tributo iurare adactis. Sed poſt eiuſdem elapſo luſtro ad Zawickwoſtum caedem ſucceſſorum ambitio priuatas diſcordias vel in propriam perniciem reuocans Ziwibundo, et Montwiloni Gimbuti filiis animos reddidit, vt populares ſuos a ſeruitute ſubducerent. Erdiuilum itaque Montwilonis filium ſelecto milite ſpectatiſque bello ducibus inſtructum in Ruſſiam anno 1217 emiſerunt, qui Nouogrodeko prius inſtaurato, ac permunito, Grodnam, Breſtiam, Drohyczinum, et quicquid inter Viliam, et Pripetium fluuios comprehenditur, occupauit, et praeſidiis impoſitis firmauit. Biennio poſt Mingailo eius filius Nouogrodeki Dux Polociam libertate tunc fruentem, et ad vicinorum iniuriam abutentem expugnatam oppreſſit. Anno autem ſequenti huius

filius

filius Skirmundus Pinſco, ac Turouia, nec multis interiectis menſibus, profligato, interfectoque Balaclaio Scytharum vltra Volgam Rege, Mozyro, Starodubo, Czernicouia, totaque plane Seueria ab illo detentata potitus eſt. Sic auctis Lituaniae rebus eius Princeps Ringoldus Gimbuti filius titulum Magni Ducis primus aſſumpſit. Cuius apud vicinos inuidia acre contra eumdem bellum concitauit, quod fuſo Suatoslai Kyouienſis Ducis, et foederatorum exercitu feliciter confecit, nouo titulo ſuo fortiter aſſerto. Quem deinceps exaltauit filius eius Mendogus, ſiue Mindanus, qui praeſcriptis ſibi a Magiſtro equitum Liuoniae Andrea de Stuckland pacis conditionibus coacto obſequio deferens ſacris vndis in campis Nouogrodenſibus per Culmenſem, et Rigenſem Antiſtites anno 1252 ablutus, ab eoque auctoritate Innocentii IV. Romani Pontificis in Regem Lituaniae Romanae ſedis beneficiarium inauguratus Regiam dignitatem in ſucceſſores tranſmiſiſſet, ni mox depoſita, qua ſe ob metum induerat, larua Chriſtianam religionem palam eiuraſſet. Nam vlciſcente iniuriam ſuam Numine breui ipſe, et eius filii Ruclius, et Repicus ſuorum coniuratione obruti interiere. Per multos deinde annos Lituania a Liuoniae et Pruſſiae crucigeris incurſionibus, et regionum vaſtationibus exercita eos viciſſim alternis agrorum populationibus, et vicorum pagorumque incendiis nihil vnquam de audacia remittens exercuit. Principeſque eius mutuis ſe inſidiis appetierunt. At Gediminus anno 1319 biennale otium per pactas cum illis inducias ſibi faciens odia, et arma in Ruſſos conuertit, et ſub ipſis Volodimiriae moenibus cum Volodimiro eius Duce congreſſus eum acie victum proſtrauit, vrbemque cum prouincia adeptus eſt. Dein fugato Luceorienſi Leone hanc etiam ſuam fecit, Volyniamque vniuerſam Lituaniae adiiciens Praefectis tradidit cuſtodiendam. Vix autem tranſacta hyeme Kyouienſem ditionem aggreſſus totam cum metropoli vrbe expulſo Stanislao Duce ſubegit. Moxque eodem victoriarum curſu Branskum Romano, et Pereslauiam Olego Ducibus extorquens Lituaniae terminos Putiuulum vſque protulit. Trocos porro haud procul Kiernouia: et, qua amnis Vilna Viliae, ſeu Neridi, illabitur, binis arcibus munitam Vilnam excitauit. Olgerdus vero eius filius anno 1331 caeſis ingenti clade ad Siniauodam Praecopenſibus Tartaris Podoliam ab iiſdem poſt Batianam irruptionem infeſſam ſibi vendicauit. At ſecuto ſtatim anno Moſchuam vrbem cum infeſto exercitu aduolans, dum ageretur ipſe Dominicae reſurrectioni ſacer dies, in eam ingreſſus Magnum Ducem Demetrium Iuanowicz ſibi ſupplicem adegit, vt inter alias pacis conditiones Lituaniae fines Moſaiſcum vſque, et ad Vgram fluuium proferentur. Anno autem 1386 filius eius Iagello Cracouiae XVI. Kalendas Martii Chriſtianis initiatus myſteriis, et Vladislaus appellatus Hedwigim Ludouici Regis filiam Guilhelmo Auſtriaco a viuente patre conſentientibus vltro Regni proceribus iamdiu deſponſam, ideoque ad has nuptias coactam potius, quam perſuaſam ſibi in vxorem copulauit, accepto in dotem Poloniae Regno, et dato viciſſim in donationem propter nuptias Magno Ducatu Lituaniae cum Samogitia, ceteriſque prouinciis, quae ſub eius erant imperio. Fratrem tamen ſuum Caſimirum Skirgellonem Magnum Lituaniae Ducem in obſequio ſuo futurum renunciauit. Sed is ignauus, ebrioſus, violentus breui ſuis deſpicatui, et odio fuit. Ita vt Vitoldus patruelis ei rebellaret, et Marianorum equitum armis adiutus eum anno 1390 adegerit, vt Ducatu Kyouienſi contentus reliqua ipſi cederet tanquam Iagellonis beneficium poſſidenda. In comitiis autem Hrodlenſibus anno 1413 decretum fuit, vt poſt Vitoldi obitum Magnus Lituaniae Ducatus Poloniae Regno ſemper coniunctus permaneret, et aequato nobilitatis iure eum ſolum Principem agnoſceret, quem ei Iagello dediſſet. Vitoldo itaque anno 1430 ad VI. Kalendas Nouembris Trocis improle defuncto Iagello fratrem ſuum Boleslaum Suidrigelonem Magnum Lituaniae Ducem eſſe voluit. Cui expulſo Vitoldi frater Sigiſmundus ſe ſubſtituit. Qui anno 1440 die palmarum nefarie a ſuis Trocis e viuis expunctus locum fecit Iagellonis tertio filio Caſimiro. Is autem poſt ſexies ſeptem annos moriens filio ſuo Alexandro, cui anno 1506 ad XIV. Kalendas Septembris Vilnae obeunti ſuffectus ibidem ad XIII. Kalendas Nouembris

frater Sigismundus fuit, qui eum adhhuc viuens Vilnae pariter XV. Kalendas Nouemb. anno 1529 filio ſuo Sigiſmundo Auguſto tradidit, a quo anno 1569 in Comitiis Lublinenſibus Poloniae Regno, cui Kyouiam, Volyniam, et Podlachiam ceſſit, agglutinatus tandem tenaciter fuit. Ex hoc ampliſſimae magnitudinis Ducatu nuper ab Alexio armis occupato Vitepſcia, Polocia, Smolenſcia, et Seueria adhuc ab eo detentantur.

Smolenſciae Ducatus.

Smolenſcenſis Ducatus, vt manuſcripti Ruſſorum annales affirmant, ab Olecho Rurichi Sobrino, dum Igoris tutorem ageret, Slauis Kriwitziis ereptus, a Primo Volodimiro Stanislao filio ſuo inter duodecim antepenultimo, et deinde a Iaroslao eiuſdem Volodimiri filio liberorum ſuorum natu minimo Venceslao in portionem haereditariam aſſignatus fuit, cui ſucceſſit filius Boriſſus. Sed hoc improle mortuo ab eius patruele Volodimiro Monomacho, ſub quo Ruſſiae ditiones omnes in vnum denuo corpus coaluerunt, Micislao octauo filio ſuo fuit attributus, qui eum in Georgium Hlebi atnepotis ſui abnepotem tranſmiſit. Is a Vitoldo in proelio, in quo pater Suatoslaus occubuit, captus Principatum amiſit, Hlebo eius fratri a victore conceſſum, et eodem adhuc anno contumaci aſtu ademptum, ac in prouinciam Lituaniae conuerſum. Quem cum anno 1403 ſoceri ſui Ducis Rezanenſis inſtigatione et auxiliariis armis Georgius iterum occupaſſet, vlciſcente Numine crudelitatem, qua in omnes saeuierat, Vitoldi illo cum validis copiis illico accurrentis vi cedere debuit, ipſe Moſchuam, iuxta eorumdem annalium fidem, ad Baſilium Demetrowicz cum filio ſuo Theodoro confugiens: vel, vt Polonicarum rerum ſcriptores memoriae conſignarunt, in Hungariam profugus Sigiſmundi Regis miles in pugna cadens. Secundo deinde ſupra ſeptimum luſtrum voluente anno oppidani Smolenſcenſes rebelli manu arce potiti accitum e vicino Drohobuſo Ducem Andream Demetrowicz ei praefecerunt. Et mox eo repudiato cum Ducis titulo Georgium Linguienium a Caſimiro Iagellonide Magno Lituaniae Duce e veſtigio expulſum. Exinde ſemper cum Ducatu vniuerſo Lituanis paruit, qui exeunte decimo quinto redempti orbis ſeculo, biniſque poſt conſecutis annis eam ab acri Moſchorum Principis Demetri Magni Ioannis filii oppugnatione ter ſubciſiue inſtaurata egregie propugnarunt. Verumtamen anno 1514 regnante in Polonia Primo Sigiſmundo Baſilius Demetrii frater opera Michaëlis Linczkii ex Ruſſicis Seueriae Ducibus deſcendentis ad ſe transfugae eam recupauerit, a poſteris deinde ſuis vel contra conatus ferocientis poſt caeſum ad Kropiwnam Celadinum Conſtantini Oſtrogii ſtrenue ſemper conſeruatam, donec anno 1611 die 13 Iunii alius felicior Sigiſmundus electionem filii ſui Vladislai in Moſchouiae Tzarem propugnans eamdem vi expugnatam a Lituanis rurſus accipere leges coegit. Neque deinceps poſt tentatam anno 1616 et 1633 a Michaële Fedorowicz Magno Duce irritis votis et armis eius oppugnationem pax inter ipſos Vladislaum, et Michaëlem coaleſcere potuit, niſi hic quicquid iuris ad eam habere poſſet Lituaniae in perpetuum cederet, tituloque Ducis Smolenſcenſis ſe abdicaret. His tamen omnibus ſusdeque habitis Alexius confirmans, pacem non commodam haud diuturnam eſſe poſſe, a. 1654 tempori inſidiatus, dum ſeruili rebellium Coſacorum tumultu Polonia vrgeretur, munitiſſima Smolenſcenſi arce per ignauam Philippi Caſimiri Obukowicii Palatini traditionem, quam ei, apoſtata Albertus Golimont pincerna Lidenſis auaritiae impulſu proditorie perſuaſit, breui oppugnatione IV. Nonas Octobris potitus Ducatum totum, eiuſque titulum poliminio retraxit.

Tuueria.

Tuueriam vrbem nunc Archiepiſcopi ſedem Iaroslaus Seuolodicz Magnus Moſchorum Dux poſt vaſtationem a Bato Tartarorum Rege Ruſſiae illatam Nouogardia Magna, quo ſe receperat, Moſchuam redux e conſpectu Tuuerzae amnis fluuio Volgae ſe miſcentis aedificauit, caſtroque ligneo ad ripas congredientis Tuuerzae fauces exeitato muniit, eamque dimidia Tuuerzakii oppidi parte, et ampla ditione dotatam Iaroslao nouem filiorum ſuorum penultimo cum titulo Magni Ducis attribuit. Ab eo tempore Ducatus ille propriis legibus, et moneta vtens inter Ruſſicos omnes florentiſſimus fuit, cuius Ducum proſapia in diuerſis nunc priuatis

priuatis Ducibus auita haereditate ſpoliatis, et mutatis nominibus adhuc viuit. Verumtamen Ioannes coeci Baſilii oculata proles ducta Maria Boriſſi Magni Ducis Tuuerenſis filia eius fratrem Michaëlem per ſeptimam generationem a Iaroslao deſcendentem eo exuit. Qui anno 1486 ad Caſimirum Iagellonis filium Vilnae agentem confugit. Exinde Ducatus Moſchouiticis dominis ſubactus flacceſcere incipiens, per inſecuta deinde Ruſſorum inteſtina bella nunc a Polonis, nunc a Suecis ſe inuicem extrudentibus peſſumdatus, aegre modo ſpretas aliquas obſoletae gloriae ſuae reliquias oſtendere poteſt. Adeo volubili rota enim vrbes et Regna per inconſtantes viciſſitudines a ſummo ad imum fortuna vertit.

Volyniae in vlteriorem, et citeriorem diuiſae latiſſimam, et fertiliſſimam prouinciam a Tyrangitis, ſiue Tyritis, olim habitatam, ac multorum deinde Ducum nobiliſſimam ſedem ampliſſimos Cremenecenſem, et Luceorienſem diſtrictus comprehendentem anno 1319 Lituaniae Gediminus adiunxit. Etenim tunc ſub ipſis Volodimiriae vrbis muris Volodimiro Ruſſo eius Duce in pugna acriter proeliante interempto, et eodem plaudentis fortunae impetu Leonae Luceoriae Principe in Seueriam abacto vtramque vrbem cum ditionibus ſubegit, praeſidiiſque ac Praefectis Lituanis commendauit. Et quamuis Magnus Caſimirus Poloniae Rex anno 1349 vniuerſam fere prouinciam armis occupaſſet: et anno 1365 vrbem Volodimiriam Kyeſtuto Gedimini filio cum libertate extorſiſſet, is tamen hanc fuga, illam armis breui recuperauit. Controuerſa itaque prouinciae huius poſſeſſio alternante viciſſitudines Marte nunc apud Polonos, nunc apud Lituanos fuit. Etenim anno 1437 Lituanus Suidrigelo Vladislao, cui a clade ſua Varnenſi nomen, ſupplex ei Luceoriam cum magna Volyniae parte ceſſit, isque eam illius aemulo Sigiſmundo attribuit poſt eiuſdem mortem ad Regnum recaſuram. Impletaque conditione Caſimirus Iagellonides Vladislai in Regno ſucceſſor patruum ſuum Suidrigelonem ea rurſus donauit. Quae anno demum 1596 per vnionem Lituaniae cum Polonia illius ceſſione huic accreuit. Regionem hanc Alexius immiſſo numeroſiſſimo Moſchorum ſuorum examine infeſtis incurſionibus longe, lateque praedatus eſt. Sed anno 1660 amiſſo ſeptuaginta millium bellatorum ſub Baſilii Boriſſowicz Tzeremetow ductu prope Lubartouiam exercitu illatae vaſtationis poenas luit.

Volynia.

Podolia feraciſſimae ſupra fidem glebae regio, marmoribus, et alabaſtro abundans, quam inhabitarunt olim Baſtarnarum pars Peucini, a Sarmatis deinde electi, et tandem a Polonis, vt ipſi aſſerunt, vectigalis facta, dein a Bato Scytha ſubacta diu ſub iugo Praecopenſium Tartarorum poſtmodum gemuit. Olgerdus Gedimini filius Magnus Dux Lituaniae anno 1331 caeſis immani clade ad Siniavodam Katlubako Sultano, Kaczybeyo Giereyo, et Dimeytero Sultano eos inde fortiter eiecit, nepoteſque ſuos ex Coriatho fratre Alexandrum, Conſtantinum, Theodorum, et Georgium cum validiſſimis praeſidiis, in fide tamen ac poteſtate ſua interpoſito iureiurando futuros, prouinciae impoſuit. Sed anno 1339 cum Theodorus totius regionis poſſeſſionem ſolus nactus patrui imperium refractarius aſpernaretur, is celeri illata vi vniuerſam cepit, et in prouinciam redactam Gaſtoldi Palatini fidei concredidit. Eam Iagello Rex Poloniae fratri ſuo Boleslao Suidrigeloni, praeuio Vitoldi, vt Lituani auctores tradunt; conſenſu; vt vero Poloni, eo irrequiſito attribuit. A qua tamen anno 1404 per Polonos exactus, cum confugiſſet in Pruſſiam, meruit ea a fratre denuo poſt biennium exui. Attamen poſt Vitoldi obitum Magnus Dux Lituaniae renunciatus eam ab eodem rurſus obtinuit; ſed reſtituendam poſt ſua fata Poloniae, ni prius alia ratione Poloni et Lituani de ea inter ſe conueniſſent. Qua etiam lege in Sigiſmundum Magnum Lituaniae Ducem dicitur poſtmodum tranſiuiſſe. Iuris itaque ſemper controuerſi fuit a Lituanis tanquam propria pluries petita, a Polonis toties negata, donec tandem confuſis per conſummatam ſub Sigismundo Auguſto anno 1569 Poloniae, et Lituaniae vnionem iuribus eidem vni vtriuſque domino pacate obſequi diſceret. In ea rupi impoſita ſuſpicitur vrbs Camenecia, quam aliqui priſcam eſſe Clepidauam volunt, ſitu magis, quam munitionibus conſpicua.

Podolia.

Iugoria. Iugoria, ſiue Iugra, aut Iuhra, regio eſt haud magnae amplitudinis Sibiriae adiacens, cuius incolae Tartari duram, et agreſtem vitam ducentes Moſchorum dominium a tempore Senioris Ioannis Baſilidis pretioſarum tributo pellium agnoſcunt. Ab illa prodiiſſe olim gentem, quae caeſis ac funditus deletis Auaris atque Hunnis Dacia, Pannoniis, Noricoque ab iisdem poſſeſſis potita per multa virtutis bellicae ſpecimina Orbi terrarum glorioſiſſime innotuit, nonnulli argumento eſſe aiunt ſermonis identitatem, cuius rei libentiſſime Moſchuae experimentum capere voluiſſem, ſi alicuius ex illa regione hominis copiam ſaepius expetitam habere potuiſſem. Hoc tantummodo ab homine Germano, qui in Sibiriam relegatus in Iugoriam aliquando excurrere debuit, audiui, quod Iugri proprio vtantur idiomate a Sibirienſibus Tartaris minime intellecto, quodque his oris habitudine praeſtent, cum nec magno, vt illi, capite, nec compreſſa facie deformentur.

Permia. Permia e contra magnae prouincia amplitudinis eſt; ſed a crebris paludibus et fluminibus impeditae. Peramplam habet apud Viſchoram fluuium ſui nominis vrbem Archiepiſcopatu inſignem, cuius curam et titulum Volochdenſis gerit. Proprio loquitur idiomate, et propriis ſcribit characteribus ipſi olim a Stephano Epiſcopo ſuo traditis, pellium tributum Moſcho Tzari pendere et ipſa a ſeniore Ioanne Baſilide adacta.

Viatka. Viatka Tartarorum olim ampla prouincia pluribus oppidis culta, a Baſilio Iuanowicz deuicta, et eiectis antiquis Dominis Moſchouiticum iugum ſubire coacta illud numquam amplius exuit; ſed ſuorum aſpreolorum, ſiue ſciurorum Ponticorum, tributo quotannis coluit. Paludibus, nemoribuſque foeda eſt, et intricata; ſed melle, feris, piſcibus, ex quibus panis vſu neglecto contenta viuit, apprime diues.

Bolgaria. Bolgaria regio vltra Volgam inter fluuios Kamam, et Samaram Iaikum, olim Rhymnum, verſus extenſa ab ampla vrbe ſua nomen ducit. Hanc a Tartarorum Rege Bato anno 1235 occupatam poſſederunt Kalmuki, donec Baſilius Demetrowicz Magnus Moſchorum Dux anno 1398 iiſdem martiali vi expulſis eam Ruſſicae ditionis acceſſionem faceret. Sed cum frequenter rebellaret, eius abnepos Ioannes Baſilowicz eam Caſanenſis Regni a ſe deuicti iurisdictioni in contumaciae poenam ſubiecit. Iamque in vicum degenerata ab ipſis Kalmukis, Mordwinis, et Ruſſis promiſcue incolitur.

Nouogrodia inferior. Nouogrodiae, ſiue Nouae vrbis, inferioris Ducatus agri fertilitate, rerumque abundantia cum Volodimirienſi lite adhuc indeciſa contendit. Vrbem, quae nomen ei dedit, Baſilius Iuanowicz anno 1509 ad ipſa Occae amnis Volgae illabentis oſtia aedificauit. Cincta eſt turritis ex lapide moenibus, protegiturque a caſtro pariter ex lapide in rupe exſtructo. Ad fluuium vero Suram, qui Caſanenſe ab ea Regnum diſterminat, Waſilogrodia ab eodem Baſilio anno 1523 condita aſſurgit.

Czernikouia. Czernikouienſis Ducis titulum contra leges pacis inter Vladislaum Regem Poloniae, et Michaëlem Fedorowicz parentem ſuum anno 1634 ſancitae, quomodo et ipſum Ducatum Alexius vſurpat. Prouincia haec in ampliſſimo olim a Boryſthene ad rudera caſtri Mſcenek arcium et oppidorum frequentia conſpicuo Seueriae Ducatu comprehenſa, nunc ſub Palatinatus titulo eum comprehendens a Iaroslao Volodimiricz quinto Moſchorum Magno Duce Suatoslao filio ſuo tertiogenito in haeredes transmittenda prius conceſſa fuit, qui multorum in Ruſſia Ducalium nominum auctores extiterunt. Cum tamen eam Ruſſis exturbatis Scythae occupaſſent, eandem iis Skirmundus Nouogrodeki in Lituania Dux fuſo, trucidatoque Ballaklaio Vltrauolgenſium Tartarorum Regulo totam detraxit, liberiſque ſuis Lubarto, et Piſſimundo diſtribuit. Horum vero poſteris expulſis Demetrius Iuanowicz Magnus Moſchorum Dux ea Georgium, et Andream filios ſuos donauit; donatione tamen breui per Olgerdum Magnum Lituaniae Ducem inofficioſa in parte reddita, cum illum ex illata Scythis immani clade ſuperbientem improuiſo Moſchuam vſque aduentu ita terruit, vt Lithuaniae terminos ad Vgram flumen, et Moſaiſcum vſque proferri per indecoras pacis conditiones pateretur. Olgerdus itaque

itaque Demetrii filios Lituaniae vectigales reddens filio ſuo Demetrio Korybutho Nouogrodiam ſimiliter Lituaniae tributariam cum titulo Ducis Seueriae attribuit. Quam ei frater Iagello iuramento fidelitatis ab eius legatis accepto confirmauit. Sed, cum deinde tributum Vitoldo ſoluere renueret, victus acie, et captus libertatem ſuam perpertua prouinciae ceſſione redemit, cui Theodorus Sangusko praefectus fuit. Nihilominus Andreas Vigundus ſpoliati Demetrii frater Starodubum deinceps in ea obtinuit, et poſt eum frater Boleslaus Suidrigelo, qui eius arce, pluribuſque aliis exuſtis primariam Seueriae vrbem Nouogrodekum Moſcho Baſilio prodidit, et in Moſchouiam aufugit. Regnante autem in Polonia Iagellonis filio Caſimiro Michaël Sigismundi Magni Ducis Lituaniae filius Dux Starodubi, et Branski renunciatus fuit; ſed rebellans Kyouiam Moſchorum auxiliis occupauit. A qua eiectus, reliquiſque exutus in Moſchouiam profugus in pane Euchariſtico venenum ſumpſit. Poſt caſum vero Magnae Nouogardiae aliqui ex Seueriae Ducibus ab Alexandro Poloniae Rege ad Ioannem Baſilowicz Moſchorum Monarcham eius ſocerum transfugerunt. Cumque is poſtmodum generi ſui exercitum a Conſtantino Duce Oſtrogio ductum anno 1499 ad fluentum Wiedruſam profligaſſet, reliqui Seueriae Duces, qui in Alexandri perſtiterant obedientia, victori ſe tradiderunt; ſed infauſto exitu, nam huius filius Baſilius omnibus Seuerienſibus Principibus inter ſe prius, vt colliderentur, commiſſis familiari ſibi fictae in iiſdem perfidiae commento ditionibus ſuis exutis tandem ſe ſubſtituit. Cum vero tragicae illae Demetriorum fabulae in Ruſſico theatro agerentur, per quas nouis ſemper peripetiis ſcenae toties mutatae apparuerunt, Sigiſmundus III. Poloniae Rex vniuerſo potitus Ducatu per inducias anno 1618 cum Tzare Michaële Fedorowicz ſtabilitas in eius poſſeſſione perſeuerauit. Cum qua eius filius, et ſucceſſor Vladislaus per pacem cum eodem dominium etiam cum titulo Poloniae ceſſum conſolidauit. Verumtamen hunc contractum Alexius deinde acinace reſcidit, totumque Ducatum ad ſe retraxit.

Rezania. Rezanenſis inter Occam, et Tanaim Ducatus tellure tam feraci, tam piſcoſis aquis, tam populoſis, ſiue feras, ſiue aues, ſiue apes conſideres, ſyluis dives eſt, vt Rezanenſibus, Strubenſibus, Tullenſibus, Corſirenſibus, Odoiowenſibus, et Vorotinenſibus Principibus, quorum aliquot adhuc vana nomina apud eorum deſcendentes in Ruſſia audiuntur, intra terminos ſuos libero ſceptro partitos populos regentibus, antequam a nefaria eiuſdem Baſilii tyrannide fictis criminibus falſo inſimulati opprimerentur, abunde ſufficeret. Metropolim habet Rezaniam Archiepiſcopi ſedem, amplam olim vrbem; ſed poſt vaſtationem a Tartaris Crimenſibus anno 1568 ei illatam in pagum diminutam, ex cuius ruderibus Pereslauia Rezanenſis quadraginta ab ea verſtas exſtructa. In hoc Ducatu apud fluuium Bogdanum Boriſſus Hodunus Tzar Boriſſam ad nominis ſui famam anno 1598 condi voluit. Vltra Tullam verſus Tauricam Cherſonneſum immenſi excurrunt inculti campi arboribus aeque ac habitatoribus vacui, planeque ſolitarii, niſi ab innumera onagrorum multitudine habitarentur, qui capti ſylueſtrem ſuam moroſitatem tam obſtinate retinent, vt mori malint, quam cicurari. Fluit in hoc Ducatu Tanais, a Ruſſis Don nuncupatus, qui antiquis Aſiam inter, et Europam limes fuit, et recte, ſi eo dumtaxat, donec poſt paludem Meotim aduerſo amne ad eius flexum, oppidumque Tuiam peruenias, vtare, et inde eo relicto per tranſuerſum iugum Perowlock, Tumenium, et Obii, olim Carambucis, fluminis oram ad Tartaricum vſque Oceanum, et antiquae Celticae promotorium Lytarmin, nunc Obium nuncupatum, procurras. Fluuius iſte omnes, qui eius originem a Riphaeis, qui Obii ſunt, montibus deriuarunt, mendacii arguens ex ingenti Odoio lacu, popularibus Iuanowoſero, nobis autem Ioannis lacu dicto, profluit, et curſum in ortum directo prope rudera vetuſti oppidi Donch primum nauium patiens factus Volgam verſus, quaſi ei ſe coniuncturus, oppidum interim Lechi in coitione Mezii contingens, et dein Soranum flumen admittens, tendit. Verum ad viginti verſtas inter arenoſum ad Volgam Strelne montem, et oppidum Zarizam illi iam

Tanais fluuius.

appropinquans, velut poenitudine ductus, curſum ab ortu aeſtiuo in occaſum reflectit, eumque quinquies ſeptem verſtas Tuiam praeterfluendo parallelo paſſu confecit, eumque demum in occaſum ſinuoſo cubito conuerſus omnino deſerit, fluminibuſque Schamena, ſiue Soſna, Herodoto Hyrge, minori e Seueria Tanai, Samaraque, et Sarga inſimul confluentibus hauſtis maiore vi, ac mole vndans agens poſt viginti dierum iter Exapolim, Naubarim, Magnum ad minorem Tanaim Traiectum, ſiue Welikiprewos, Achas, et Aſophum, priſco nomine Tanas vrbem a Genuenſibus olim poſſeſſam, et Thracio tyranno nunc vectigalem, preterlapſus putri lacui, ſiue Meoti, nunc Temerindae, paludi aquarum ſuarum vel filiae, vel alumnae inſinuatus immoritur. Sed immori non eſt viſus, antequam Mahometes expugnata Conſtantinopoli Capham, nobiliſſimam apud Boſphorum Cymmerium in peninſula ab ipſius quondam poſſeſſoribus Tauris gente Scythica Taurica dicta Genuenſium coloniam, anno 1475 violenter eis per Machmutum Purpuratum extorqueret, et Tartaros ex Iauolgenſibus ortos totius Cherſonneſi dominos pacem cum iiſdem, et amicitiam mutua pactione colentes ad pacta libertati detrahentia adigeret: eiuſdemque ex Baiazeto filio nepos Selymus deuicto Mechmeto Gereyo Chamo reliquis ad Gazariae litora oppidis vi illata potiretur. Concurrebant enim vndique ad celeberrimum illud Theodoſiae rerum omnium venalium forum mercatores, quorum numerum non modicum ex Ruſſicis prouinciis Tanais deferebat.

Polocia. Polociae in Alba Ruſſia ad Dunam Ducatus conditorem ſuum ſaepememoratum Olechum agnoſcit. Iſoslaus, ſiue Viſeslaus primi Volodimiri Ruſſorum Magni Ducis ſecundogenitus eum Rochwologdo Pleſcouienſium Principi cum vita, et filia Rochmida a parente ſuo extortum in partem haereditariam obtinuit, et in genus ſuum ad abnepotes vſque tranſmiſit. Sed, cum hi per varia bella omnes ferro abſumpti defeciſſent, et iuſto Dei iudicio eorum poſtremus Rochwologdus appellaretur, Polocienſes hortatu Antiſtitis ſui rempublicam ipſi lectis ad hoc ex ſuo numero triginta adminiſtrarunt, donec Mingailo, ſiue Michael, Erdiuili ex gente Palaemoniade filius Nouogrodeki in Lituania Dux eos acie victos, et libertate mulctatos cum ditione tota ſibi ſubderet, et in ſecundogenitum ſuum Ginwitate mulctatos cum ditione tota ſibi ſubderet, et in ſecundogenitum ſuum Ginwitonem eodem anno hominem exuens tranſmitteret. Huic ſucceſſit filius Boriſſus Boriſouiae ad Berezinam fluuium conditor, qui luſtrico ſacramento primus inter Lituanos Principes initiatus in ipſo aetatis flore lucis, et Principatus vſuram amiſit. Succeſſorem habuit Baſilium Rechwoldum, hic filium Hlebum, qui aetate immatura improlis mortuus. Polocenſes denuo ſuae reddidit libertati; ſed breui. Etenim vix exacto luſtro Cieuciwilo, qui poſtmodum ſacra Chriſtiana profeſſus Theophili nomen aſſumpſit, Mendogi Lituanorum Regis ex fratre nepos ad dominici iugi patientiam eos rurſus adegit. Verum hoc a conſanguineo Troynato Magno Lituaniae Duce anno 1264 per ſcelus oppreſſo vrbs Polocia per immiſſum ab eodem exercitum occupata Lituaniae cum vniuerſa ditione in prouinciam acceſſit. Hanc Daumantus exilium apud Pleſcouienſes grauate tolerans vrbe a Ruſſis prodita potitus Troideno fratri Magno Lituaniae Duci anno 1281 armatus eripuit, et per ſubſecutae reconciliationis pacta aliquot dumtaxat menſibus retinuit. Etenim ſequenti ſtatim anno a monachio nepote Rimundo, ſiue Lauro, aut Laurentio, qui paternae necis vltor ſepoſito ad tempus cucullo in fratricidam armatus inſurrexerat, fortuito inter proeliandum e viuis expunctus, et male parta prouincia exutus fuit. Quae, etiamſi poſtmodum ab Andrea Vigundo Iagellonis iam Poloniae Regis fratre intercepta; breui tamen a Vitoldo Iagellonis auſpiciis recuperata Lituanici iuris ad annum vſque 1564 ſemper permanſit. Circa finem autem anni 1563 Iunior Ioannes Baſilides ingenti inſtructus exercitu Polociae vrbi appropinquans praeſidiarios omni prompti ſubſidii ſpe deſtitutos ita terruit, vt non vltra XV. Kalendas Martii eius deditionem diſtulerint. Verum anno 1579 Rex Poloniae Stephanus eam fortiter oppugnans defenſoribus quantumuis ſtrenuis vltimo Auguſti menſis die extorſit, Lituaniaeque iterum dato Palatino ſubmiſit. A qua tandem Alexius anno 1654 circa Iunii finem eam conniuente ex conſpiratione ſupremo

Magni

Magni Ducatus Lituaniae exercituum Duce Iano Radziuilio auulſit. Alluitur a fluuiis Duna, et Polota: propugnaculis, et arce egregie munitur: pedoque Archiepiſcopali Ruſſici ritus ſub obedientia Romani Pontificis ſplendeſcit. Nunc tamen ſchiſmaticum ab Alexio intruſum cum ſeruitute tolerare cogitur. Ibi Stephanus Rex Collegium Patribus Societatis Ieſu excitauit.

Roſthouiae Ducatus antiquiſſimus eſt, in cuius vrbe agnomine a Tartaro Baro olim deſtructa Metropolita reſidet. Ducatus iſte cum vrbibus Pereaslauia, et Vglitza, quae peculiarem quondam conſtituebat Principatum, cumque nundinarum frequentia non minus, ac Nouogardenſium fuga ſeruorum nota Chloppigrodia altero ex Magnorum Ducum liberis iuxta antiquam conſuetudinem adhuc attribueretur, niſi eam iamdiu bini Ioannes auus et nepos eorumdem ſtirpe ſublata antiquaſſent. Roſthouia.

Iaroslauiae Ducatus ab ampla eiuſdem nominis ad Volgam vrbe, cuius titulo Metropolita Roſthouienſis inſignitur, eiuſque lignea arce nomen trahit, eademque cum Roſthouienſi ſorte et Ducalium in Moſchouia ſecundogenitorum olim portio, et eiuſdem Ioannis Baſilii coeci filii oblatis falſis criminibus inſontium oppreſſoris rapina deinceps fuit. Iaroslauia.

Bieloieſero antiquiſſimus Ruſſorum Ducatus Sinau ex ternis Wagriis fratribus olim ſorte conceſſus fuit. Nomen ſuum ab albo lacu ducit, in quo munitiſſimum, locique natura fere inexpugnabile eiuſdem nominis oppidum cum arce fidele Moſchouiae Dominis theſaurorum praebet reconditorium, et ſi vis hoſtilis ingruat, tutum latibulum. Bieloieſero.

Vdoria, quae et Obdoria, regio ob fabuloſum aureae anus idolum nota eſt. Huic fluuius Obbi, olim Carambucis, ex lacu Kitaisko emergens, perque eam decurrens octuaginta alicubi in latitudine paſſuum millia extenſus nomen fecit. Populi cum circumuicinis longe ab omni cultu viuunt. Ferina carne veſcuntur, et pellibus Magno Moſchorum Duci tributa perſoluunt. Vdoria.

Condiuia, ſiue Condora, Obdorae vicina regio eſt ſyluis et fluminibus obſita, cuius indigenae vago lare venantes victum ſibi ex occiſarum carne ferarum, et tributum Moſcho Tzari ex earumdem pellibus parant. Condiuia.

Vitepſciae Ducatus pars eſt Albae Ruſſiae. Primaria eius vrbs Vitepſcia cum arce ad Dunam fluuium a Vikindo Mendogi Lituanorum Regis ex fratre nepote anno 1240 Ruſſis extorta ſuos habuit deinde Duces Lituaniae vectigales, donec Olgerdus Magnus Dux Lituaniae ducta Maria eiuſdem Ducatus haerede, in cuius gratiam Chriſto nomen dediſſe fertur, eius poſſeſſionem cum dominio conſolidaret. Anno 1396 a Boleslao Suidrigelone capta longa debuit a Vitoldo oppugnatione recuperari. Eam tamen idem Suidrigelo anno 1413 aemulum in Lituania Sigiſmundum impugnans denuo expugnauit, Holſanumque Ducem ei praefectum imporenti ira ex edita rupe in ſubiectum flumen praecipitem egit. Sed a Sigiſmundo poſtea retracta diuturna ſub Lituanico dominatu pace fruens anno 1655 per longam obſidionem viribus, et viris exhauſta Moſchis ſe dedidit, inſpectantibus, quaſi ad actum tam ſolennem vocatis teſtibus, Lituanicis copiis a ſupremo exercituum duce Iano Radziuilio ſubmiſſis cum froeno mandati, ne ſe inſcio cum hoſte conſligerent. Ibi Alexander Goſieuius Palatinus Smolenſcenſis Collegium Patribus Societatis Ieſu ex Moſchicis manubiis a fundamentis excitauerat. Et ibi Epiſcopus Ruſſici ritus cum Eccleſia Romana communicans fedele conſueuerat, quamuis a multis incoleretur ſchiſmaticis, qui anno 1622 Ioſaphatum Epiſcopum, et Archiepiſcopum ſimul Polocienſem odio religionis efferati martyrio affecerunt, cuius corpus Polociae in cathedrali Sanctae Sophiae templo aſſeruatur. Vitepſia vero iure ciuitatis exinde mulctata in pagum redacta fuit, ſola arce Regia cum iuriſdictione relicta. Vitepſcia.

Micislauienſis Ducatus Boryſtheni et Prepetio fluminibus adiacet. Eum Simon Linguienius Iagellonis frater ad deſcendentes ſuos tranſmittendum obtinuit. Cumque metropolim eius Micislauiam Suatoslaus Smolenſcenſis obſideret, a Vitoldo cae- Micislauia.

do caeſus occubuit. Anno 1432 Simonis filius Georgius pro patruo Boleslao Suidrigelone contra eius patruelem Sigiſmundum Magnum Lituaniae Ducem ad Oſmianam infeliciter pugnans libertate, ac patrimonio a victore mulctatus longas in carcere Trocenſi male aſſertarum partium poenas luit. Cuius frater Iaroslaus tertio poſt anno, dum eaſdem partes armatus propugnat, a Michaele Sigiſmundi filio in proelio captus huius mandato occiſus fuit. At Sigismundi a coniuratis anno 1440 Trocis nefarie ſublati ſucceſſor Caſimirus Iagellonis filius Georgium priſtinae reſtituit libertati. Qui maleficium pro beneficio rependens Ducatum Smolenſcenſem a rebellibus ſubditis acceptum Caſimiro reddere recuſauit, donec inde vi armata ab eo expelleretur, tam clementem nihilominus victorem expertus, vt patrimonii ſui poſſeſſionem eius poſtmodum dono recuperauerit, et filio ſuo Ioanni poſt ſua fata reliquerit. Huius natus Michaël, cum arcem Micislauienſem a Moſchis anno 1500 ſub auſpiciis Principis ſui Ioannis Baſilowicz ſenioris oppugnatam ſtrenue tutatus eſſet, eamdem tamen eiusdem filio Baſilio cum toto Ducatu anno 1508 alterius Michaëlis, nempe Klinskii transfugaê, veſtigia ſectatus inconſulto dedecore prodidit. Per Demetrianas vero turbas a Polonis iterum occupata, et per pacem cum Michaële Fedorowicz retenta, per bellum cum eiuſdem filio Alexio amiſſa fuit. Et anno 1660 a Moſcho Palatino Smolenſcenſi Duce Iuano Boriſſowicz Repnino a frequenti eius rebellione irritato incendio delcta.

Omnium vero ſeptentrionalium regionum dominatorem ſe ſcribere elatae nimis iactantiae eſt. Praeter eas tamen, quibus titulos ſuos Alexius auget, aliae etiam in borealibus plagis Moſchos Tzares Dominos ſuos eſſe tributo profitentur.

Lucomoria. Et primo Lucomoria inter Sibiriam, et lacum Kitaiskum extenſa regio, montibus aspera, ſyluiſque denſa, de cuius incolis fabulantur otioſi, quod ſingulis annis ingruente hyeme hyrundinum ad inſtar ab intenſo frigore omni vitali actione priuentur, cui deinceps a placida ſuperuenientis veris temperie reſtituantur.

Petzora. Secundo Petzora longiſſimi ad Sarmatica Cronii, ſiue glacialis, maris litora tractus regio a magno eam alluente flumine denominata, pretioſis pellibus, nigerrimis praeſertim zebellinis circa cedros in vicinis admirandae altitudinis montibus, quos incolae Kameny poyas, id eſt, lapideum cingulum, appellant, excreſcentes frequentiſſimis abundans. **De hierofalchis.** Et hierofalchos acerrimos ardearum hoſtes a Ruſſis Kretzet nuncupatos, aues audacia, et mole corporis inter ceteros falcones praecellentes; ſed vitae vix quadriennalis, Tzareae voluptati ad aucupium, et venationem emittens. Harum vnam collegae mei curioſitas videre, eiuſque imaginem penicillo effingi deſiderans copiam ſibi eius fieri a commiſſariis noſtris repetita ſaepius per integrum ſemeſtre inſtantia efflagitauerat, quae, quamuis ſemper promitteretur, numquam tamen producebatur. Tandem, cum deſiderium eius per longas moras defatigatum adeo elanguiſſet, vt parum abeſſet, quin obliuio eius in animum induceretur, ecce, ipſa Ruſſicorum Bacchanaliorum die, dominica, ſcilicet, in quinquageſima, perſonatorum ſpectaculum nobis improuiſo exhibetur. Nobilis enim commiſſarius noſter nobis cum aliquot conuiuis menſae adhuc accumbentibus ſuperueniens, grauitatem, quaſi de re maxime ſeria nobiſcum acturus, affectans, iubet, vt inde ad interius conclaue noſtrum ipſum audituri nos recipiamus. In illud poſt nos illico ſucceſſerunt pretioſis ex veſtiario Magni Ducis amicti tunicis ſupremus apud eum aucupii curator, atque ſex accipitrarii ſuſtinentes ſinguli dextra a chyrothecis auro recenter fimbriatis protecta ſingulos hierofalchos nouis ex veſte Attalica galerulis petaſatos, ac longo aureo funiculo in laeuo crure compeditos, quorum dignioris, qui herodius guttatis pennis candidus erat, dextrum circumdabat aureus annulus pyropum includens magnitudinis excellentis. Tunc commiſſarius depoſito pileolo, extractaque e ſinu ſuo chartula in volumen complicata tenorem legationis ſuae ex ea nobis ſtantibus expoſuit. Quod videlicet, Magnus Dominus, et Tzar Alexius Mihalowicz (omnes eius titulos per extenſum

tenſum de more recitauit) percepto deſiderio noſtro videndi aliquam ex ſuis auibus Kretzet ſex nobis ob amorem, quo chariſſimum fratrem ſuum Leopoldum Romanorum Caeſarem proſequitur, viſendas mittebat. Commouerat riſum tam inanis ſolennis illius apparatus functio, animusque a iucundo illo ventoſae oſtentationis ſpectaculo titillatus in cachinnos erupiſſet, niſi a reuerentia eiuſdem exhibitori a grauitate legatorum debita cohibitus excitatos motus compeſcuiſſet. Serio itaque vultu, verbiſque ampulloſis erga legatum commiſſarium conuerſi alites impenſe laudauimus, et quaſi in earumdem magnitudinis admirationem raperemur percontati fuimus, vbi terrarum nidificarent? ille autem Harpocratis digitum, ne ſecretum Domini effutiret, labiis ſuperimponens tantum ſiece reſpondit, quod in regionibus Magni Domini. Peractis itaque gratiis pro ea, qua ſingulariter aeſtimabili nos honorare Magnus Dux dignatus fuerat, fabulae actoribus modo eis gratiori, muneribus, nempe, plauſimus, eoſque dimiſimus.

Samoiedae. Tertio Samoiedarum, ſiue gentium ſe inuicem comedentium ab Oleario luculenter deſcriptarum Petzorae conterminus diſtrictus pretioſas pelles Tzareo gazophylacio contribuens.

Lappones. Et quarto tandem ille terrae cubitus, qui in Oceano aquilonari ſub ipſa propemodum arcto curuatus mari albo ſinum praebet, quemque Lappones incolunt in tria diuiſi territoria Moſcho hi, Noruego illi, ceteri Sueco ſceptro obſequentes. Gens fera, ſyluestris, et rudis, quam licet vicini manſuefacere iamdiu conentur, numquam tamen cicurare potuerunt.

Iueria. Iueria, ſiue Iberia, quae Georgia, ſiue Turcico nomine Gurgiſtania nunc dicitur, ad Zephyrum Mengreliam, olim Colchidem: ad Eurum Siruaniam, olim Mediam Atropatiam: ad Boream Caucaſeas rupes, veteriſque Albaniae, quam nunc Circaſſi incolunt, partem: ad Auſtrum vero Armeniam maiorem, ſiue Turcomaniam attingit. Plures habuit quondam Regulos Chriſtianis ſacris a tempore naſcentis Eccleſiae (prout Ruſcida Regina, eiuſque natus Dauid anno 1240 ad Gregorium IX. ſummum Pontificem ſcripſerunt) initiatos. Sed a diſſeminatis ab Eutiche de vnica poſt vnionem in Chriſto natura erroribus a Iacobo Baradeo Syro deinde acerrime propugnatis ſeductos, ideoque Iacobitas nuncupatos. Bello hi ſuperiori ſeculo inter Turcorum Imperatores Selymum, Soliманum, et Amurathem huius nominis tertium, et Perſarum Reges Iſmaelem, Tamaſum, ac Machometem Hodabendum atrociſſimo exorto, ſaepiuſque reſumpto diuiſis ſtudiis his, vel illis, maiorem tamen partem Perſis, quibus tributa pendebant, adhaeſerunt. Totque ex eis, vt parti, cui ſe addixerant, per gratiora fidelitatis obſequia ſe probarent, ad Mahometicam ſuperſtitionem infami apoſtaſia transfugerunt, vt modo inter Georgianos Principes vix vnus aut alter ſuperſint, qui fidem Chriſto ſeruatori promiſſam ſeruauerint. Hi praeter Gori, Grim, Caiham, Somka, aliaque oppidula, poſſidebant Tiflim, olim Iur, vrbem diu a Turcis, multa licet ſanguinis aurique profuſione pertinaciter infeſtam, quam alluit Cirus, ab incolis Chiur vocitatus, qui ex montibus Armeniae delapſus ipſam interſecando Georgiam per Siruaniam prope vrbem Ciauat Araxem, a quo in mare Caſpicum deducitur, influit. Hos Cartalinios, et Gruſinios Tzares Moſchi vocant. Cumque ſuperioribus annis a Perſarum Rege, cuius ſunt vectigales, cuiusque ſub ſigno monetam ſuam ferire tenentur, grauibus ſupra tributariorum patientiam premerentur oneribus, Moſchouitici Tzaris in Circaſſia ſibi collimitanei patrocinium imploraruntur, cuius beneficio per amicam legationem Perſico Regi commendati reſpirare aliquantiſper ſibi ſunt viſi. At anno 1654 eorum ditionem immiſſis ille Kumukis, qui a Ponto Euxino illuc olim profecti occupatos inter eandem, et Mediam Atropatiam procurrentes ab Armenia montes inhabitant, foede depopulatam miſere deuaſtauit. Quapropter Dauid Temraſciowick, qui ad regiminis clauum tum ibi ſedebat, filium ſuum Nicolaum in Ruſſiam ad Alexium properare iuſſit, patroni ab eo officia contra Perſicam violentiam exacturum. Is politico transfugio ſpirituale inſuper adnectens, vt Alexio placeret, abdicato patriae religionis ritu Ruſſicum

voluit amplexari. Ab illo tamen Lituaniam tunc bello impetente nihil aliud impetrare valuit, quam ſacerdotes quamplurimos, qui plebem in illis ditionibus Ruſſico ritu Deum adorare docerent, et Proceres Mahometanam religionem Perſico profitentes ad Chriſtianam conuertere conarentur. Quae omnia in perniciem impetrantis ceſſere. Etenim irritatus inde Perſarum Rex ditiones illas armatus inuaſit, captoque Alexandro Dauidis germano, qui poſt huius mortem eas abſente nepote Nicolao moderabatur, eoque in Perſidem abducto, huic reditum in eas adeo intercluſit, vt nunc protoparentis ad inſtar ab hortis Edenis eiecti in vrbe Terki ſtatione fixa amiſſum Principatum multis ſerae poenitudinis ſuſpiriis contempletur. Cum vero genus ſuum hi Principes ad Dauidem Hebreorum Regem vana iactantia referant, ideoque Reges audire velint, Tzaris praedicato donati a Moſcho libenter fuerunt, vt ſtrepitoſi tituli honos in ſe redundet, dum per imaginarie acquiſitum in eos aduocatiae ius Tzarum Tzar vocari geſtit. Hinc patet, quam nullo iure Alexius Iueriae, et Tzarum Cartaliniae, et Gruſiniae, quomodo etiam Cabardiniae regionis, quae a Cabardienſi Tartarorum horda, ſiue coetu, habitata Meoti incumbens Turcorum tyrannidi ſubeſt, dominum ſe ſcribat.

Circaſſi. Circaſſorum vero Principum iure merito, non quidem illorum, qui Ponti Euxinii inter Phaſidis, et Meotidis aquas accolae Chriſtiano tincti baptiſmo, hocque abiurato, et Mahometico cultro circumciſi Aegyptiorum ſeminarium Mamalucorum quondam extitere; Sed eorum, qui genere Scythae circumciſionem, et idololatriam mixtim ſimul admittentes inter deſertum Nagaicum, et flumen Biſtrum, Ptolemaeo Gerrum, priſcam Albaniam a Caſpii maris litore ad Caucaſeas vsque rupes incolunt, et ſub auſpiciis Theodori Iuanowicz a Coſacis Aſtra canenſibus Martis vi adacti fuerunt, vt Moſchis primaria vrbe ſua Terki cederent, ipſique in vicis, et oppidulis diſperſi eoſdem Dominos tributo, et obedientia, venerentur.

Montani. Veruntamen minus veraciter Montanorum Principum Dominum ſe iactat, etenim populi illi a Perſis Lesgi, ab Oleario vero Dageſtani, ſiue Montani appellati, qui, vt is aſſerit, genere Tartari, et fortaſſis ex iis, qui Georgiam circa annum 1240 inuaſerunt; Sed, vt alii auctores paſſim poſteris tradiderunt, Georgiani, religione vero Mahometani aſperrimum montem a Turcis Brus dictum incolunt, ditionemque ſuam ab vrbe inter anguſtias Caucaſi cum maris Hircani litore coeuntis ab Alexandro Magno exſtructa, conditorisque nomine diu; ſed dein a ſui arctitudine ſitus Derbentho, et Turcico vocabulo Demircapi, quod ferream Portam ſonat, vocata vsque ad Circaſſorum Terki extendunt, plena ibi libertate ſub plurium dynaſtarum gentilium ſuorum adminiſtratione, et ſuprema Schemcalis, ſiue Lumenii ſui inſpectione fruuntur. Et Petigorienſes, ſeu Quinquemontani Cabardae contermini priſcae Colchidis incolae Ottomanicam Lunam ſubdita veneratione adorant.

Poſtrema autem titulorum generalis clauſula nequaquam otioſa profecto eſt, praeter enim eas, quas innuimus, regiones, et gentes alias Alexius poſſidet, **Bielskia.** et regit, inter quas praecipuae numerantur Bielskiae Ducatus Biela vrbe cum caſtro inter vaſtiſſimas ſyluas ad fluuium Opſcham ſita nobilis, cuius Princeps Baſilius non meliori, ac vicini Seuerienſes, fide; ſed nec diſpari fato a Iagellonis liberis ad Magnum Moſchouiae Ducem Ioannem Baſilii coeci filium transfugit. Etenim huius natus Baſilius trinam eiusdem prolem Principatu deinceps iniurius exuit.

Reſchouia. Reſchouiae latis finibus Ducatus vrbibus Roſowa Demetrii, Woloko, Toropecio, et Weliki Luko Stephani Poloniae Regis olim trophaeo, et alborum venatione leporum celebris.

Susdalia. Et Suſdalienſis cum vrbe Archiepiſcopi ſede, et arce inter Roſthouiam et Volodimiriam Ducatus, quem Iaroslaus Seuolodicz Moſchorum Magnus Dux, antequam a Tartaris venenato conuiuio adhibitus vitae ſuae periodum in Eccleſiae Romanae obſequio, cui ſe opera Ioannis de Plano Carpino Ordinis Praedicatorum

rum paulo ante addixerat, clauderet, Andreae vndecim liberorum ſuorum ſexto attribuit. Ab hoc originem duxerunt per Baſilium Baſilii eius abnepotis pronepotem Duces Suiskii Scopinorum auctores, quorum tandem deſcendens Baſilius trucidato tragico Demetrio Tzareum ſceptrum tragicus et ipſe actor inuaſit. Attamen poſteritas Susdalienſis vna cum vicinis Galiczinis a Magno Moſchouiae Duce Demetrio Domskoi deſcendentibus Principatibus ſuis expulſa vidit eos ab auidiſſimo alienarum ditionum helluone ſeniore Ioanne Baſilowicz Magno Moſchouiae Duce deuoratos.

Senatum, quem in arduis Regni negotiis conſulerent, Magni Duces **Magni Ducis ſenatus.** ſemper praeſto habuere; ſed eorum plurimi tantum ad amoliendam a ſe perperam factorum inuidiam eiuſdem ſententiam in ſpeciem exquirere conſueuerunt. Quorum veſtigiis Alexius egregie inſiſtit omnia ſuo marte adminiſtrans, vel potius adminiſtrare ſe putans, a gratioſis enim ſuis obſeſſus, et deceptus rerum faciem aut omnino non, aut ab eorumdem praeſtigiis laruatam videt. Conſtabat autem eius ſenatus, cum Moſchuae degerem, ex Boiaris bis tredecim, Ocolniciis ter decem, Dumni-Duoraninis ſeptem, omnibus ex nobilitate ei aſſidentibus, et tribus Dumni-Diakis ex populari ordine adſtantibus.

Diuiſa eſt inter eosdem arbitraria eius diſpoſitione cura omnis quorumcumque negociorum Regni cum ad publicum ſtatum, tum ad priuatum ſubditorum pertinentium. Etenim, cum ter vndecim conſtituti ſint Moſchuae principa- **Et Magiſtratus.** liores Magiſtratus, quas Pricazas vocant, ad quas tanquam ad primas inſtantias ſuas iuxta diſtributionis praeſcriptum omnia ſiue iuſtitiam, ſiue aerarium, ſiue bellum concernentia deferantur, earum ſingulis, aliquando et pluribus, vnus ex iiſdem praeeſt, qui ſumma cum auctoritate ſubiectas ſuae iurisdictioni cauſas dignoſcit, deſuperque decernit maiori vel minori patrimonii ſui augmento, prout ipſe magis, vel minus fauoris ſui auctionator fuerit. Sic Tzar, qui vim omnem Principatus ſibi ſeruat, imaginem eius aliquam cum Senatu ſuo communicatam illi praebet, poſtulata populorum ad diſquiſitionem Senatorum mittendo. In ſingulis autem Pricazis ſcribae munere funguntur ſinguli Diaki, ex quibus aliquem ſemper legatis ſuis ad exteros Principes collegam Magnus Dux adiungere ſolet.

Gratioſorum apud eum non eſt diuturnitas, non tantum communi cuius- **Ac gratioſi.** cumque Aulae vitio, per quod horum ſtatus in rerum humanarum lubrico ſemper nutans ad quemcumque vel leuem impulſum facile prolabitur; ſed etiam quia illi homines ſunt nullius virtutis roborati fundamentis, quibus dominicae gratiae moles innixa eorum fulta meritis perennet.

Praecelluerat inter omnes nuper defunctus Moroſouius eius pueritiae **De Moroſouio.** educator, nam, licet, poſt populi in eum ſeditionem viſus fuiſſet potentia excidiſſe, vim tamen magis in amicitia Principis, quam ſpeciem, retinens, in animo eius ſemper validus gratiae iacturam nunquam paſſus fuerat. Cuius veritatis plurima experimenta, a quo domi ab afflicta valetudine ſua detinebatur, ei capere licuit. Quamuis enim ciuilibus abſceſſerat muneribus, in corpore tamen effoeto vigebat vis animi, conſiliique vnde ſaepius ab illo clanculum viſitabatur, et ſuper grauioribus negotiis conſulebatur, homo iudicio naturali, et longo rerum vſu ad gerendam rempublicam aptus, ſi immodicae habendi cupiditati modum imponere ſciuiſſet. Sed certiora ſinceri erga eum amoris ſui documenta Alexius edidit, cum in extrema vitae eius periodo eum, quamuis ſenſus omnis et cognitionis expertem, quotidie nihilominus, ſterili licet officio, nihilque promerituro inuiſere non deſtitit: et defuncto, dum humaretur, ipſe quoque, haud inferius maieſtate ſua ratus, ſi palam lamentaretur, in templo voluit cum ceteris parentare.

Iam itaque offert ſe nobis Boiarus Ilia Danilowicz Miloslawski Tzaris ſo- **De Tzaris ſocero.** cer. Is e ſtercore pauperrimae, ideoque deſpicatiſſimae ſuae e grege nobilitatis erectus, et ad ſummum honorum in Moſchouia faſtigium repentino ludentis fortunae impulſu euectus maximam apud Tzarem potentiam, quia ſocer, adeptus

eſt. Non eſt tamen, quod ſe talem iactet, Moſchorum enim Principes, Melchiſedech ad inſtar, ſine patre, ſine matre, ſine genealogia eſſe volunt. Cumque Alexius, ac, quod magis eſt, ipſa eiusdem filia Tzariſſa eum alloquuntur, Iliam ſemper, non ſocerum, non patrem, appellant. Sed neque gratia vlla apud generum pollet, capillorum, et barbae vellicatione, pugnorumque impactione ab eo non ſemel exceptus. Cum poſt caeſos exeunte autumno anno 1661 a Lituanis in Polocienſi agro Kouanskium, et Naſciokinum de aduentu eo Poloni Regis cum numeroſo exercitu fama inualeſceret, et ſimul de diſcrimine Pereaslauiae apud Circaſſios acriter a Coſacis oppugnatae nuncius referret, ad IV. Idus Nouembris, Senatum Alexius coegit, eumque, qua via, quibuſque viribus obuiam tot imminentibus hoſtibus eundum eſſet, conſuluit. Ilia, qui haud longe ab eo ſedebat, Domine, inquit, conſtitue me legionum tuarum Ducem, et ego breui Polonum Regem captiuum tibi adducam. Faſtidiuit Tzar inſanam vaniſſimi Thraſonis iactantiam, et efferueſcente ab indignatione bile, Tune, fili meretricis, reſpondit, tantam artis militaris peritiam tibi arrogas? Ecquando in Martis palaeſtra te exercitaſti? Enumera, quaeſo, praeclara militiae tuae facinora, vnde ab iis ſpem concipere poſſimus, te promiſſa praeſtaturum. Abi delire ſenex in malam crucem. Et aſſurgens, impacta prius in eius genam ſonori bombi alapa, eius barbam vellicando, ſiccine addidit, nequam homo, audes mihi nugis tuis illudere? Faceſſe hinc ocyus. Et hoc dicens calcibus imperitum extra conclaue abegit, peſſulumque oſtio ipſe poſt eum obdidit. Haec, quamuis acerba, ſeruiliter pro dominatione Ilia deuorat, et ſtruthionis ſtomacho concoquit, modo potentiam retineat, perquam caro auctionatam inſatiabili auaritiae ſuae ingluuiei longa egeſtate accenſae nouam ſemper eſcam ſubminiſtret. Et tamen capularis ſenex multo minori viatico indiget, vt ad fatalis itineris ſui metam, quam fere iam attingit, peruenire queat, et prole maſcula orbus ad ſolas filias haereditatem ſuam (flumen nimirum ad mare) tranſmittere debebit. Sed ita comparata eſt corruptiſſima Moſchouitarum natura. Auaritiam in pectore non pro hoſpite; ſed pro aborigine habent, eamque, tanquam ignem olim Veſtales, ſubminiſtrato continue alimento non ſolummodo nutriunt; ſed per ipſam alimoniam in dies augeſcere gaudent.

De Theodoro Michalowicz Ertiſchew.

Alter gratia domini pollens numeratur Theodorus Michalowicz Ertiſchew iam inde a puero Tzarei lecti ſtrator, ideoque in omnia familiaria iura aſſuetus, nunc vero Ocolnicius, et Tzareae Aulae, quomodo et omnibus in vniuerſo Moſchouitico Dominio monetariis officinis Praefectus. Ex huius tamen muneris exercitio graui apud aliquos inuidia laborat, cum auctor cudendae aereae monetae, quae cum maximo omnium detrimento auream, et argenteam a commerciis penitus eliminauit, haud iniuria credatur, vnde nouit Deus, quodnam eum a populo natura ſua ſeditioſo fatum adhuc maneat. Interim Domini aura validus pericula ſpernit, et aſininam Moſchorum indolem optime noſcens eos ad onus ferendum verberibus pellit. Sed prudentia ſua, qua vix quadragenarius plurimos inter ſenes excellit, fuſtem ſat commode adhuc abſcondit.

De Bogdano Mattheowicz Hitrow.

Poſt hunc merito adnumerandus venit Ocolnicius Bogdanus Mattheowicz Hitrow tertius ex Tzareis ad nobiſcum conferendum deputatis, quem bello, domique probatum haud parui facere Alexius pluribus in eum collatis fauoribus oſtendit.

Et Duce Georgio Iuanowicz Romodanowski.

Nec praetereundus Dux Georgius Iuanowicz Romodanowski Tzari a cubiculis, eumque per auiam ſuam maternam tertio cognationis gradu attingens. Cum hoc ingenii magis, quam iudicii expediti vi aliqua praedito fereque coetaneo depoſito interdum Maieſtatis ſupercilio familiarius Alexius conuerſatur. Iſte autem hacuſque prudenter gratioſus non artemonem fauoris vento expandit; ſed eum dolone modeſte excipit, vt neque in altum inuidiae pelagus feratur, vnde in Iliam p[o]tentiae anxium illidat, nec litorali neglectae conditionis arenae ſemper adhaereat.

haereat. Munera vero, cum pauper ſit, et paupertatem praecipuum malorum credat, auidiuſcule inſectatur.

De Nicone Patriarcha.

Fuit, cum Nicon Patriarcha Tzari acceptiſſimus apud eum omnipotens videretur; ſed ab ingruente aulici fati vi deiectus iam a ſexennio in coenobio Ieruſalem dicto, a ſe quadraginta ab vrbe Moſchua verſtas, et trecentos tantum ab altero monialium condito paſſus abſconditus, abiecta quidem reſurgendi ſpe; ſed generoſo erectus animo, iacet. De caſu eius diuerſi diuerſa loquuntur. Veriſimilius adſcribitur nimiae indulgentiae, qua genio ſuo nouarum rerum cupido obſecundabat, vnde Moſchouiam bello Polonico ab inſtigatione ſua implicitam Suecico inſuper praecipiti conſilio inuoluerit. Et apertis Moſchuae in exterminium Moſchouiticae ignorantiae Latinae, et Graecae linguae Gymnaſiis, ſemotiſque e templorum parietibus altari obuerſis, quae dependebant, ſacris particularium hominum imaginibus, ne ab adorantibus eas cernuo de more corpore indecore illud poſthaberetur: acriterque vtroque ſexu increpito ob vſurpatas ritu Turcico purificationis ergo frequentiſſimas lotiones, ſuſpiciоſis Moſchouitarum animis, et priſcae conſuetudinis tenacibus haud obſcura conceptae in religionis dogmatibus innouationis indicia cumulauerit. Propter quae omnia omnibus exoſus, et ad exilium communibus votis expetitus patrocinium nullum inuenerit in fauore Alexii, cuius animum ſenſim abalienauerant iactis in longum odiis vxor, et ſocer illi ob priuatas cauſas infenſi. Ab iſtis autem gratioſis ſuis reliquiſque primariis miniſtris ita bonus Alexius obſidetur, vt aditus ad eum nemini pateat. Ipſi vero oppreſſorum clamores, Regni neceſſitates, ſiniſtros exercituum caſus vel omnino eum celent, vel larua ſuis intentionibus accommoda perſonatos ei repraeſentent.

De Tzareis Aulicis.

Aulicorum innumera multitudine a plurimis inter eos ſplendore natalium illuſtrata magnificentiam affectatae Tzareae dignitatis oſtentat. Eius aulam quotidie ante meridiem frequentare proceres omnes eum veneraturi tenentur. Ad eam inciſor, qui abaco ſimul praefectus eſt, nobiles a cubiculis, pincernae, dapiferi, reliquaque nobilium obligatorum turba, quaſi formicae ad granarium ſuum, concurrunt, muneri quiſque ſuo ſatisfacturi. Menſae ſolus Tzar accumbit multo epularum apparatu vtens. Aqua fermentata, vt plurimum, ſitim ſedat. Calicem tamen Hiſpanico plenum mero ad ſtomachi ſolatium exhaurit. Vxor, et filius, quamuis decennis, tanto minus ſorores et filiae, nec apud eum diſcumbunt vnquam, nec (quo venerationis plus inſit) alieno conſpectui obiiciuntur. Inter millenos Aulae miniſtros vnum aegre auctes, qui alterutrum ſemel ſe vidiſſe veraciter profiteatur. Cumque ſemel Tzariſſa aegra decumberet, accerſitum medicum dubia per obnubilatas ſipario feneſtras luce admitti in cubiculum voluit, ne oculis eius vſurparetur, arteriamque ſubtiliſſimo protectam velo ei praebuit explorandam, ne nudo eius contactu dextra ſua temeraretur. Si aeris captandi gratia exire libeat, iuxta anni tempeſtatem operta rheda, aut traha abſcondita vehitur. Putares quatuor a te triumphantes Camillos ſpectari, ſi adeo multiiugis albis equis iunctam illius Iouis, aut Solis aemulae thenſam videre daretur. Templo vero dum ſe infert, per ambulacra a palatio in illud vsque vndique clauſa, ne forte prophano per tranſeuntium exauguretur aſpectu, incedit, ſphaerica feriatis diebus, aut ſimpliciter feſtiuis obumbrante vmbella a ſubſequenti nobili virgine ſupra eius verticem ex ſuppoſito tereti ligneo fulcro ſuſpenſa. At ſolennioribus, quando tempora corona cingit, oblonga a quaternis elata, ſub qua medii inter eam et praeeuntes Tzareas ſorores eius vtriusque ſexus liberi ab altrice quiſque ſua poſt alumni mortem monaſterio dicata, donec iuſte adoleuerint, portantur. Antecedunt eam ſemper aliquot ex nobili gyneceo virgines, quae ſole abſente funalia praeferunt, et cum iis, ſi defunctorum manibus parentare in animo ſit, vidua ex primoribus aliqua feralia ex melle, frumento, ficubus, et zacharo, *kutiat* nuncupata, argenteo incluſa vaſculo ad ſepulchra exerto brachio ferens. Nec vidua Anna Theodori Michalowicz Tzareae aulae Praefecti ſoror, eodem et ipſa apud

Et Tzaris menſa.

Nec Tzariſſa, nec filiae eius viſuntur.

dominam, ſub nomine tamen dapum, quas incidit, miniſtrantis, munere fungens, ab eius vnquam ſequela abeſt.

De Tzaris promptuariis et cellis vinariis.

Promptuaria Tzareae Aulae omnibus, quae Amalthea e foecundato cornu ſuo ad mortalium lautitias effundere fingitur, refertiſſima: et vinariae cellae non tantum Cretici, Hiſpanici, Gallici, Rhenani, et Aſtracani vini doliis, ſed etiam ceruiſiae, multigenique mulſi, et vini ſublimati cadis cumulatim interpoſita aeſtiuo tempore glacie aggeſtis ſemper repleti in rationibus diſpenſatoris Tzareorum reditum magni ſtant. Etenim non ſolum quotidiano numeroſiſſimae turbae aulicae alimento ſufficere debent. Sed etiam frequentiſſimis procerum conuiuiis, qui Alexii facilitate abutentes eo inſcio, nemineque hoc ad eum deferre audente, promi ſibi affatim ad conuiuas ſuos ſaliaribus prandiis excipiendos a promocondo, et cellarii cuſtode petunt, imo potius pro imperio iubent.

De reditibus Magni Ducis.

Reditus Magni Ducis Moſchouiae non ſolum, quomodo ceterorum in Orbe Principum, conſtant ex peculiaribus Principatus praediis, et fundis: ex agrorum decumis, et agricolarum cenſibus: ex portoriis, et vectigalibus: ex ſale, et ferrifodinis: ex collectis, atque tributis; ſed inſuper ex cellis, in quibus Tzaris Hoduni inuento eius ceruiſia, medones, et crematum vinum ad publicum vſum per miniſtros ſuos venalia ſub grauiſſimo ceteris omnibus, ne talia vendere audeant, interdicto exponuntur. Quae omnes late extenſo per cuncta totius Ruſſiae ſuae oppida monopolio eidem ſoli lucrum ingens ex diuenditis liquoribus quotannis important. Sed neque exiguum capit ex mercatura, quam per emiſſarios, et ſubminiſtros emptionis, et venditionis inueterato apud Magnos Duces vſu exercet. Proſtant Moſchuae in eius gazophylacio vulgo venales pretioſae omnis generis pelles, quas ei quotannis aquilonares prouinciae ſuae definito ſingulae numero; ſed vniuerſae fere indefinito tributi nomine pendunt. Et in publico foro vendunt lanii bubulam, veruecinam, et ſuillam: propolaeque mulierculae poma, nuces auellanas, et lineas telas, quas rationis Magni Ducis eſſe tam aperta profeſſione clamant, vt pertranſeuntes, quaſi hoc carmine facilius pelliciendos, ad emendum Tzaris carnes, Tzaris poma, Tzaris telam inuitent. In emendo vero maxima prae aliis mercatoribus pretii vilitate gaudet, quiſquis enim Moſchuam merces importat, profiteri eos apud telonio praefectos ab iisdem aeſtimandas tenetur, neminique indicare, donec Tzar declarauerit, vtrum eas emere in animo habeat. Quod ſi velit, nullus admittitur licitator.

Cellas omnes in cunctis ditionibus ſuis Tzar occupat.

Mercaturamque exercet.

Si aliquid tamen explorate de eius reditibus aſſerere auderem, temeritatis nota merito inurerer. Nulla in orbe natio res ſuas tanto ſtudio occulit, ac Moſchouitica: nulla tam obnoxia ſuſpicionibus viuit: nulla tam magnifice de ſua potentia, opibuſque mentiri eſt aſſueta. Si itaque homo exterus Moſchouitam de iis interroget, is vel ex mera ignoratione, vel ex affectata propter ſuſpicionem, quod Regni arcana explorare proditoria mente velis, vel ex inani iactantia aut penitus nihil, aut hyperbolice de iiſdem reſpondebit. Germani vero mercatores de Michaëlis Archangeli fani portorio, de Moſchuae vectigali comperti aliquid dicere poſſunt, de ceteris reditibus nihil. Coniicere itaque de iis magis, quam certo aſſequi, licebit ex magnitudine expenſarum, quibus ſufficiendis eius aerarium numquam exhauritur.

De Tzaris ſumptibus.

Etenim immenſis, quos innuimus, Aulae ſuae ſumptibus addit Tzar non leue corollarium ſuppeditando omnibus pricazarum Diakis, ſiue ab actis magiſtratuum, eorumque a concipiendis epiſtolis, et amanuenſibus: tribus artis medicae, quos fere numquam conſulit, profeſſoribus: pluribus, quorum praxis numquam periculum facit, ſpagiricis, et pharmacopolis: quamplurimis diuerſarum artium mechanicis, quos ex variis Europae regionibus accitos non paruo impendio in Moſchouiam educi iuſſit: ac tredecim diuerſarum linguarum primariis cum ſexaginta ſecundariis idiotis interpretibus annuam liberali manu mercedem.

In legatis autem externorum Principum excipiendis, et alendis, inque ſuis ad eos emittendis multum inſumit. Frequentes enim legationes a Romanorum

rum Imperatoribus: a Poloniae, Angliae, Daniae, Sueciae, et Perſarum Regibus: a Tartaris Praecopenſibus, et Nagaienſibus: ac nonnunquam a Turcorum tyranno, nec non ab ipſo Tzare ad hos vltro citroque commeant, omnibusque Magnus Dux de vecturis, et alimentis per ditiones ſuas ſufficienter (niſi commiſſariorum, et ſubminiſtrorum rapacitas hoſpitalitatis liberalitatem per ſexcentas concuſſiones in ſuum commodum interuerteret) proſpicit.

De ſtipendiis militaribus in peditibus.

At vorago, quae immani ſemper rictu hians omnes fere aerarii diuitias abſorbet, ſtipendia ſunt militaria, quae ſiue pacis, ſiue belli tempore aeque ſemper erogantur. Continue enim quadraginta millia praetorianorum militum, quos Strelitzios Moſchi appellant, Tzar ſub ſignis habet, quorum partem tertiam pro corporis ſui cuſtodia, reliquis in limitaneis praeſidiis diſpertitis, quocunque proficiſci iuuat, circumducit. Eorum tribunis, et centurionibus pro ſtipendiis ſunt reditus, quos ex bonis a Tzare quaſi in temporaneam fiduciam ad vſum aſſignatis percipiunt, ſupra quos liberalitate iam per longum vſum fere in debitum degenerante ſingulis annis veſtibus, ac pecunia ab eo donantur. Singuli autem centuriones binos habent ſubdelegatos, quorum vnusquiſque quinquaginta militibus praeeſt: decem decuriones: et viginti, quorum ſinguli quatuor gregarios mediato regunt imperio. Subcenturionibus numerat Tzar quotannis in ſingulos octo rublos, decurionibus ſeptem, ſubdecurionibus ſex, gregariis autem militibus quinque. Vnicuique vero aequaliter (ſubcenturiones ſi excipias, quibus bini addunt) viginti auenae, et ſecalis modios inſuper diſtribuit, quorum pretium infra octodecim rublos conſiſtere ſolet. Cunctis etiam ſemel de panno pro ſingulis legionibus vnicolore proſpicit, ex quo ipſi emptis additamentis ſibi togam conficiant, retradendam tamen vel a cauſariis rude donatis, vel a mortui haeredibus veſtiarii praefecto ad ſucceſſorum vſum, niſi forte defuncti viduae precibus eam Tzar largiatur. Iis tamen, qui ad eius cuſtodiam, et praeſertim in expeditionibus, pro tempore excubant, haud infrequenter panis, obſonii, et fermentati fontis congiaria praebentur: Imo et omnibus nonnunquam donatiua, quorum vnum trini viritim rubli in celebritate nati, dum Moſchuae eſſem, eius filii Theodori diſtributum fuiſſe ſcio.

Et in equites erogari ſolitis.

His peditibus addendi ſunt equites, quorum tamen nunc per paucae legiones Tzaris ſtipendia merent in prouinciarum limitibus ad reprimendum improuiſas turbulentorum vicinorum incurſiones collocatae, vnica ſemper in ſtatione apud eum per vices conſiſtente. Vnaquaeque autem conſtare ex ſua inſtitutione deberet bis mille in vndecim turmas diſtributis equitibus, quibus officiarii iuxta morem Germanorum, et exteri fere omnes, nunc praeponuntur. Menſtruum autem aduentilii tribuni ſtipendium, niſi expreſſa pacta conſuetudini derogent, eſt rublorum quadraginta, vicetribuni duodeuiginti, ſupremi vigiliarum praefecti ſedecim, turmae, praefecti tredecim, vicepraefecti octo, et ſigniferi ſeptem. Ceteris vero minoribus officiariis, qui omnes Moſchi ſunt, perſoluuntur aeque ac equitibus, annuatim in ſingulos rubli quinquaginta, ſupererogatis tamen, ſi contra hoſtem educantur, binis ad Viennenſem menſuram vini diſtillati vrnis, tribus farinae triticeae modiis, vnico frumenticiae, quinque laridi lateribus, et quater viginti piſcium vento exſiccatorum pondo.

De aliis peditibus.

Si vero belli vel inferendi, vel ſuſtinendi onus ſibi incumbere praeſentiat, pedites alios volones purgamenta vrbium ſuarum ad tympani pulſum nullo alio praeter ſpem praedae authoramento accurrentes congruo neceſſitati numero Tzar authorat, quos exotico vocabulo ad differentiam Strelitziorum ſoldatos appellat, moreque noſtro in legiones ſub exteris ductoribus diſtribuit. Tribuno autem rublos triginta, vicetribuno quindecim, ſupremo vigiliarum praefecto quatuordecim, centurioni vndecim, ſubcenturioni octo, et vexillifero quinque cum dimidio menſtruatim perſoluit. Gregario vero militi, et cuilibet ex inferioribus officiariis aequaliter ſex copicorum diarium ſubminiſtrat.

Haec ſtipendia tam exacta promptitudine ſuo quoque tempore numerari conſueuerunt, vt, ſi prima ſtatim poſt elapſum menſem, vel annum die aliquis ex ſtipendiariis coram aerarii militaris praefecto ſuum recepturus non comparuerit, ab hoc poſtera ſtatim ei vsque ad aedes habitationis ſuae integrum tranſmittatur. Si quis ex iis in acie fortiter pugnando ceciderit, vxori eius, donec ad ſecunda vota tranſierit, et liberis, donec adoleuerint, de honeſtis Tzar proſpicit alimentis. Captos vero ab hoſte lytro perſoluto redimit, coniugibus eorum interea dimidiatum ſtipendium, reliquum iis, cum poſtliminio reuerſi fuerint, perſoluens.

Extranei plurimi Tzari militant,

Hinc factum, vt ex Germania, Batauia, Anglia, Scotia, aliisque regionibus quamplurimi Tzari militaturi Moſchuam confluxerint, ita vt anno 1662 praeter binos militiae legatos, binosque generales vigiliarum praefectos, ſuper centum exterae nationis tribunorum nomina, plura vicetribunorum, plurima ſummorum vigiliarum praefectorum, et innumera fere dixerim centurionum, et ſigniferorum albo ſuo inſcripta legere potuerit. Quibus omnibus, etiam pacis tempore, otioſa numerare ſtipendia non grauatur, vt ingruente bello improuiſo eos ſemper praeſto habeat. Noui tamen inter eos quamplurimos, quos ſumme poeniteat deſertis paternis laribus, poſthabitaque libera inter populares ſuos militia falſa ſpe lucri labyrinthum intraſſe. Etenim pactis, quibus quaſi Ariadnae filo confiſi ſibi poſt definitum a ſe militiae tempus dimiſſionem cauerunt, aſtute Tzar illudit, largitione hunc, alterum prece, tertium promotione, imo, ſi libeat, relegatione in flexuoſis inextricabilium callium maeandris detinendo, omnibusque eam indecoram viris militaribus praedicando, dum bellum ardet, vel timetur. Quo timore, cum vaſtum Moſchorum imperium bellicoſis, et quietis impatientibus populis fere vndiquaque cinctum, ab eorumque inuidia, atque odio circumſeſſum numquam vacuum eſſe poſſit, miſeri numquam dimittuntur. Sed et alia, et quidem grauiſſima, poenitudinis cauſa eos affligebat, quam accipe.

Et fere nunquam dimittuntur.

De Ruſſiae moneta,

Moneta, quae in Ruſſia Moſchouitica ab antiquo ad vſum communem cuditur, nummus eſt argenteus oblongus, copicus vocatus, quorum quatuor cum ſexaginta dalero Imperiali, cuius materia conſtant, aequilibrium faciunt. Altera eſt cuprea denga, quarum quatuor vnius copichi pretium vſuali aeſtimatione adaequant. Sed hae in commercium non veniunt, et raro admodum per forum olitorium plebis manibus teruntur. Terni copichi altinum, deni griunam, centeni vero rublum imaginarie conſtituunt. Commerciorum autem occaſione ab aduenis mercatoribus in Moſchouiam importantur argentei daleri Ioachimici, et ſolidi aurei, quos in Germania ducatos appellamus, et hi quidem centenis, illi quinquagenis copichis aeſtimantur. Quin imo haud raro ante hac contigiſſe percepi, vt aureum ad minutiores rei familiaris exigentias ſupplendas permutare volenti quatuor tantum ſupra decies nouem, aegre vero ſex numerarentur. Cum autem neceſſariis ad incoepta bella Polonicum, et Suecicum proſequenda ſumptibus aerarium ſuum Alexius impar experiretur, perſuaderi ſibi facile paſſus fuit, vt aereos copichos feriri mandaret aequali cum argenteis aeſtimatione ab omnibus mutuo commercio accipiendos. Ex erogatis itaque ad coemendum cuprum centum et ſexaginta copichis centenos ex eo rublos in monetariis officinis ſuis cuſos ſibi comparauit. Vnde eadem expenſa, qua prius vni, iam ſexagenis, et ſupra ſtipendia perſoluit. Neque ea per monetae deteriorationem diminuta quiſquam ſenſit, donec haec promiſcue cum meliori ſine vlla aeſtimationis differentia ab omnibus inoffenſe admittebatur. Attamen cum Aula hac commoditate haud contenta, auida inſuper aurum omne, et argentum ad ſe attrahendi homines ſubornaret, qui aureos, et argenteos nummos pro cupreis, quos eis ſubminiſtrabat, maximo addito collybo commutarent, animaduertens populus, quod illa monetam ſuam parui faceret, minoris ipſe fecit, ita vt vnicum ducatum decem aereis rublis tandem redimeret. Hinc neceſſario conſecuta eſt mercatoribus merces ſuas, ruſticisque fruges cum ceteris cibariis decuplo ſupra conſuetum cariores indicantibus, maxima rerum omnium difficultas, quae ſtipendiarios docuit, quam

quae in aeream degenerauit.

quam curti familiae neceſſitatibus facti eſſent aerei illi copichi, qui quamuis argenteis tanto pretii interuallo inferiores, ipſis tamen haud maiori, ac illi antea, numero erogabantur. Ideoque in ipſorum animos inauſpicati ſui in Moſchouiam tranſitus poenitentiam, ſed ſeram, induxit.

Vſuuenit omnibus Principibus, vt in poenam protracti diu belli paupertate mulctentur. Alexius vero, dum bella geſſit, ab ea aere mediante ſe redemit. Illud enim per omnes prouincias ſuas late ſpargendo ingentem auri argentique ſignati theſaurum per ſubmiſſos homines coemptum congeſſit, quem reconditum neque extremae neceſſitatis vis in lucem extrahere potis erit. Interea ſubditi omnes ad metallum, ſed aereum, damnati non ſolum eo, quod in monetariis domini ſui officinis publice percutitur, et per integrum luſtrum, a quo cudi coeptum fuerat, ad ducenties centies mille rublos iam aſcenderat, grauatur; ſed alio inſuper, quod ab exteris regionibus ingentis lucri gratia, vt fama fert, clam in Moſchouiam inuehitur, et ab ipſis Moſchouitis vbicunque adulterino ſigno feritur. Solus Ilia Danilowicz rublos ſexies vigeſies mille ex eo ſibi cudi curauerat. Et menſe Decembri anno 1661 Moſchuae quadringenti aereorum copicorum clandeſtini cuſores in vinculis detinebantur. Cum autem ruſtici, imo et ipſi nobiles pagos et praedia ſua inhabitantes vſu a maioribus ſuis accepto peculium ſuum in agris et ſyluis ſub terram defodere conſueuerint, ſi quando neceſſitate, aut curioſitate exigente defoſſum aes effodere ipſis contigit, fere totum ab aerugine propter telluris humiditatem contracta eroſum, nullique amplius vſui aptum cum gemitu inuenerunt. Verebamur itaque ſemper, dum Moſchuae a negotiis detineremur, ne populus, alioqui propenſione ſua ad ſeditiones ſemper paratus, deſperatione adactus tumultum aliquem haud leui manu ſedandum concitaret. Praeſertim cum tanta premeretur annonae caritate, vt triticum bis ſeptuplicato pretio emere deberet, ceteraque res cibaria et veſtiaria impenſo veniret. Vnde aliqui iam in minas contra ſenatores prorumperent, quas pro tunc compeſcuit ſeuera ab opulento mercatore de iis prolatis conuicto exacta per manus et linguae abſciſſionem poena.

Accedebat taedium belli a biennio tum parum proſperi, per quod prouinciae colonis ad noua ſemper legionum ſupplementa exhauriebantur, et equeſtris ordo ob innumeros nobiles vel morte conſumptos, vel captiuitate maceratos, vel longis expeditionibus attritos rareſcebat. Caret enim Moſchouia alleuiatione illa, qua plurima Regna gaudent, quae conducto ad bella gerenda externo milite incolis ſuis parcunt. Omnes Magni Ducis exercitus ex prouincialibus eius conſtant, demptis, quos iam innuimus, peregrinis officiariis, qui alienae dominationi, et religioni ſanguinem commodant.

Tzar milites ſuos omnes gregarios ex prouinciis ſuis conquirit.

Et hic merito aliquis mirabitur, quod Moſchouitica gens exteram ſuperba moroſitate naucifacere aſſueta aduenarum imperio obedire non detrectet. Vis haec eſt exploratae virtutis, quam in gentili ſuo haud inuenit. Cum enim conciues ſibi inuicem ſint apprime noti, numquam alter alteri, quem ſcit aeque, ac ſe, imbellem, atque inexpertum concedit. Aduentitio vero militi, quia ab opinione ſtrenuitatis commendatur, tanquam homini iuſte ſupra ſe poſito ſine murmure paret.

Cur milites Moſchi exteris parere non recuſent.

Quomodo exercitus ſuos Tzar conflet.

Conſueuerant olim Magni Moſchouiae Duces equitatum dumtaxat in hoſtes armare, nunc vero longe diuerſa Alexius vtitur militari ratione. Expertus enim, quod plus penes peditem roboris ſit, peditatus ex praetorianis, et collectis voluntariis bombarda manuali, enſe, vel acinace, et lunata ſecuri armatis maximam manum in aciem educit. His addit longe minorem numero equitatum ex nobilibus ratione beneficiorum obligatis, et pauculis ex Regnis Caſani, et Aſtracani Tartaris coactum, rotatis ſclopis, et minoribus fiſtulis, falcatiſque gladiis, inter quos aliquot ferreo thorace, et galea muniuntur, inſtructum. Nec deſunt ei quamplurimi, Alexandri Macedonis dimicharum ad inſtar, amphibii generis milites deſultorii equites dragoni apud nos vulgo appellati, qui fere omnes ex inferio-

ris ſubſellii nobilibus Sinboiarski vocatis conſtant. Nec bellicorum tormentorum ingens apparatus, quorum tamen vſus propter Moſchorum, qui libratores agunt, imperitiam haud magno hoſtes detrimento ſolet afficere. Dux vnicus exercitui, quantumuis magno, praeficitur, cui legati nulli adiunguntur; ſed aliquot aſſident, conſilium, non autem operam ſuam, ei probaturi. Ab ipſo expeditionis initio diſponit ille, quae legiones dextrum, quae laeuum cornu, quae primum, quae poſtremum agmen conſtituant, et ſic deinde numquam mutato ordine ad finem vſque proceditur.

Pedites Moſchi ſunt ſtrenui.

Pedites in acie ſub ductore ſtrenuo ſtataria pugna egregie dimicant, dummodo carragine vallentur, aut portabili vallo ſuo ex tranſuerſis tigillis, ex quibus praeacutae ſudes vndiquaque, lanceolae vero acuminato veru munitae in fronte prominent, compacto ſepiantur, ita vt praefidenter hoſtem occurſantem excipere queant. Nam ſi tutum receptum haud videant, ignaue pauidi aufugiunt.

Non ita equites.

Equites vero numquam paria edunt militaris virtutis ſpecimina, nobiles enim hoc nomine indigni adigi nequeunt, vt ſaltem ſemel in hoſtilia agmina ſcloporum exploſione impreſſionem facere tentent: aut ſi ex iis aliquot paulo audaciores peregrinorum ductu eouſque procurrant, niſi hoſtem ſubito fugauerint, fugiunt, peditatu ab eiuſdem arbitrio captiuitatis, vel necis legem ſubituro turpiter deſerto.

De exercitus Duce.

Exercitus nulli Duci, niſi Moſcho, creduntur, in quibus eligendis non belli vſu praeſtantia; ſed proſapiae claritas ſpectatur. Perinde ac ſi illuſtres aui ac parentes vna cum ſanguine virtutem, fortitudinem; ac experientiam in filios et nepotes neceſſario transfunderent. Cum itaque humana ingenia ita comparata ſint, vt eo laborem, ac periculum impendant ſuum, vnde emolumentum, atque honorem ſperent, hacque ſubtracta ſpe ſtudia eorum langueant, factum eſt, vt per haec bella, ſi cuipiam Imperatorum alicuius momenti fortuna fuit; cum tamen mens, et ratio non dominarentur, nullius aut prudentia, aut bellicarum artium ſcientia per fortia aliqua facinora enituerit. Etenim maiorum gentium homines ſummum magiſtratum adepti, eo, quem ſibi tanquam dignitati ſuae debitum arrogant, perfunctorie funguntur. Minorum vero a ſpe eumdem adipiſcendi excluſi, pars ſufficere putant, ſi muneri quiſque ſuo faciant ſatis, et pars ob dolorem clauſi virtuti ſuae ad eum aditus etiam infra debitum ſuſtentandi incumbens ſibi onus ſponte torpent. Longe conſultius Imperio ſuo prouiſum eunt Ottomanici Reges, qui duces ex virtute ſumunt, eamque, ac fortitudinem in quocumque eae emicuerint, praemiis afficiunt, et ad ſuprema militiae, et palatii munia extollunt. Habent quidem Moſchi in exercitu haud paucos peregrinae gentis Chiliarchas, ſed cum ii, paucis exceptis, ex inferioribus apud nos vix calcatis gradibus, dum in Moſchouiam tranſeunt, intermedios alios ordinatae militiae repentino ſaltu tranſilientes, ad eminentem tribuni euadant, docere illos artem imperandi nequeunt, quam ipſi non didicerunt. Et illi ex innata ſuperbia moneri ab iſtis dedignantes conſiliis eorum interdum prudentibus haud auſcultant, donec eo errantes deuenerint, vnde pedem amplius referre non licet. Tunc in extrema perturbatione, et ſumma rerum trepidatione ſera animi flexibilitate conſilia ab iisdem haud amplius profutura exquirunt, et exercitus irremediabiliter peruntis adminiſtrationem iis vltro metu conſternati concedunt. Hinc toties ab hoſte Moſchicae copiae deletae: Hinc ſtrages a Gauanski frequenter perpeſſae: Hinc Trubetzkoi in Seueria ingens clades: Hinc Tzeremetew in vlteriori Volynia, totiusque ſeptuaginta millium exercitus ignominioſa captiuitas: Hinc ipſius Tzaris ante Rigam inconſultus conatus.

Moſchi milites in campo aperto non adeo valent.

Perpendatur belli ab eo ſiue Lituaniae, ſiue Liuoniae illati proceſſus, et apparebit, Moſchos aliquid praeſtitiſſe viſos, dum hinc a perduelle Coſacco iam fatigatus Polonus, et illinc Suecus potentia non ſua vi; ſed rebellium, et patriae proditorum nixa, ideoque fluxa mutuis odiis ſe inuicem diſtinentes ad propugnandas prouincias ſuas nuſquam comparerent. Sed ſtatim ac pace inter eoſdem coalita reſpirare Poloni potuere, maximis Moſchouitae ab iis affecti cladibus, quamuis

uis per inhonoram cum Suecis praecipitatam pacificationem hoſtis illius onus a dorſo ſuo excuſſiſſent, huic ſoli tamen impares adeo fuere, vt his damnis reparandis, cum Moſchouiae oppida exhauſta iam volonibus eſſent, pluraque eorum cum ipſa Moſchua peſtis ſaeuiens, hominibus fere euacuaſſet, ad colonorum delectus recurrere neceſſe fuerit, quorum tot tamen deſertis caſtris ad lares ſuos repedabant, vt numquam iuſtus exercitus hoſti opponi potuerit.

Vt in arcibus, et oppidis incluſi.

Libenter tamen huic veritati aſſentior, quod gens Moſchouitica in arcibus, et oppidis propugnandis multa ſtrenuitatis experimenta dederit, laboris enim, caloris, algoris, et inediae patientiſſima vitae incommodis corpore, et animo ab ipſis incunabulis occaluit. Cumque ſe muro ſeptam videt, praefidenter pugnat: verumtamen neque diffiteri volo, aliquando a me dubitatum, an eadem conſtantia, et ſucceſſu noſtrae gentis, et artis oppugnationem ſuſtineret.

Negatur a Moſchis authori ad Imperatorem ſcribendi facultas.

Remora interim, quae commiſſionis noſtrae ſtiterat curſum, in dies pertinacior ad duodecimam vſque lunam Moſchuae nos immobiles affixit, vbi continuae noſtrae domi incluſionis taedia, et ſolitudo amaro nobis documento fuerunt, pene nihil apud Moſchos inter pacis legatos, et belli ligatos, intereſſe. Quin imo penaciori illos carcere affligi omni literarum commercio intercepto. Petita ſaepius Moſchuae a nobis etiam ſcripto facultas ad noſtrum Auguſtiſſimum Imperatorem ſcribendi fuit; ſed numquam impetrata. Et ſi quae literae ad nos datae ex Germania afferebantur, a tortore Almaſio vim paſſae creditum ſibi ſecretum prius prodere cogebantur, et deinde eiuſdem manibus ſtrangulatae indigne peribant. Cumque ſemel Curlandiae Dux obuium huic fraudi ſe facere credens literas ad nos ab Imperatore diligentiae ſuae commendatas Praefecto Duneburgi a Moſchis infeſſi Moſchuam promouendas per expreſſum exacta ab eo earumdem acceptarum ſcripta confeſſione tranſmiſiſſet, tantum non attigit, ad quem collimauerat, ſcopum, vt magis aberrauerit. Nam a procurata tam diligenter certa in manus noſtras literarum traditione arcani aliquid in iis contineri Moſchi ſuſpicati eas maximo curioſitatis ardore violarunt, et ſilentio ſuppreſſerunt. Vtque inpoſterum haud patefieret, cum Idibus Martiis anni 1662 in palatio cum deputatis conferremus, vltro hi nobis dixerunt, a Praefecto Duneburgi ſcriptum ad Magnum Ducem fuiſſe, quod ipſe in Nouem: tunc proxime elapſo Caeſareas ad nos directas literas a Curlandiae Duce accepiſſet, eaſque ob Lituanorum ex agro circumiacente praedas tunc agentium excurſiones apud ſe ad Decembrem vſque aſſeruaſſet. Cumque eaſdem tunc per vias haud vſitatas miſiſſet, tabellio nihilominus in eorundem manus incidiſſet. Erat nobis indigniſſimi facti veritas perſpicue nota; ſed cum eam in os deputatorum ingerere relatorem prodere fuiſſet, a tali hoſtimento abhorrentes, et vlterioribus notitiis viam interſepire nolentes iniuriam tacendo deuorauimus. Quod etiam repetere deinde Smolenſciae eadem nos iuſſit conuenientia, quando literas a nobis ad Caeſareum in Polonia legatum exaratas, et Tzareo legato Duci Odoiowski eidem tranſmittendas creditas ab eo Moſchuam Magno Duci miſſas fuiſſe comperimus. Quod Odoiowski occultum credens, et praeuenire volens ſuſpicionem, quam a notitia non traditae a curſore legato Caeſareo epiſtolae concepturi tandem eramus, eam a Cancellario Lituaniae Paczio curſori ablatam vltronea narratione, dum Smolenſcia abiremus, nobiſcum mentitus eſt. Tam accurate fallax, et mendax eſſe ſatagebat.

Liberatur a captiuitate ſua Goſieuius.

Huiuſque ad eum literae intercipiuntur.

Aegrotauerat Moſchuae Goſieuius, conclamatumque apud Moſchos ex relatione medici eidem fauentis de eius vita fuerat; quare verentes, ne mors eum gratuito ſibi eriperet, anteueniendum rati, ne animam ſine pretio efflaret, perſuaſos ſe facile dederunt, vt quod dudum agebatur, ſub promiſſione liberos iuxta Regis oblationem impetrandi ſtatim, ac in Lituaniam veniſſet, quinque nominatim ex primoribus Moſchorum apud Polonos captiuorum eum dimitterent. Quem conſequi excluſo omni temporis interuallo debebat notus Naſciokinus, vltimam manum apud Regem tanquam Tzareus legatus impoſiturus iis, quae clam inter eundem Goſieuium, et Tzareos miniſtros Ducem Georgium Dolgoruki, Aulaeque

que Praefectum Ertiſchew, imo et ipſum Tzarem, de pace, eiuſque conditionibus, deque eius filio in ſucceſſorem Ioannis Caſimiri eligendo acta fuerant. Quaſi obliti fuiſſent Moſchi, aut penitus ignorarent, parem ſpem cecidiſſe irritam, quando ipſorum Magnus Dux Ioannes Baſilides ſenior Ioannem Hlebowicz captiuum ſuum in libertatem emiſit ſub promiſſione eiuſdem allaborandi, vt poſt Sigiſmundi Auguſti obitum filius ſuus in Regem Poloniae eligeretur.

In Feſto Diui Alexii die Tzar Authori epulum praeberi iubet.

Interim recurrente VI. Kalendas Aprilis memoriae Diui Alexii Romani dicata die epulum nobis in noſtro hoſpitio Tzar, qui eum auctorem nominis ſui veneratur, more ſolenni praeberi voluit. Conſueuerunt enim Moſchouitae diem nominis, quo quiſque gaudet appellari, commeſſationibus et perpotatione totum comburere. Obnoxia autem ſuperſtitionibus gens neque in nominibus ſua caret. Etenim quomodo olim cerimoniarum arcana ſanxerant, quominus nomen Romae Latinum enunciaretur, vnde tam graues Valerius Soranus eius euulgationis poenas luere debuit, ita Moſchorum plurimi non illo, quod cuique in baptiſmo inditum fuit, nomine vocantur; ſed eo, quod alteri ſuppreſſo genitrices ſubſtituere verentes, ne eo publicato ad maleficia in perniciem appellati veneficae abutantur. Sic Duces Georgius, et Petrus Dolgoruki germani, ſic Cancellarius Almaſius, non Georgius, non Petrus, non Almaſius, ſed Sawon, ſed Cyrus, ſed Ieroſſius in baptiſmo nuncupati fuere.

De Moſchorum nominibus.

Proceſſio Moſchorum in die palmarum.

Sexto dehinc die memoria apud Moſchos quammaxime celebris triumphalis humanati Dei in Regiam Iudaeorum vrbem ingreſſus recolebatur. Proceſſerat itaque de more extra Kremelinam arcem in vicinum templum, cui ſanctae cruci in Hieruſalem titulus, antecedentibus poſt labara, et ſacras imagines a clero praelatas Aulae primoribus Alexius temporibus aurea corona gemmis interſtincta redimitis, biniſque Palatinis proceribus eius brachia vtrinque ſuſtentantibus innixus. In eius ſequelam nonnulli in candidis ſtolis iuerant Pontifices galeris ex alba Attalica tela formatis, margaritiſque a phrygione ſcite ornatis capita protegentes. Inde exacto horae quadrante ad locum, qui e conſpectu portae arcis formam dimidiati exhibens circuli a viculo inferiore per connexam ſectorum lapidum ſeriem vſque ad ſuperiorem latiſſimi ante arcem pomoerii ſuperficiem aequalis aſſurgit, eodem ordine profectus fuerat. Ibi ſtando in ipſa humilitatis affectatione ſuperbe faſtuoſus ſubſtratas pretioſiſſimas muſtelarum Scythicarum exuuias calcans, accitis paulo poſt ad ſe vno eodemque tempore Dumni-Diako, ſiue Regni Cancellario, Hilarione Lapoukino, et alio quodam gregario Diako, illum ad nos e tecto aliquantum e regione edito tanquam ex Orcheſtra proſpectantes de bona valetudine ſuo nomine percontatum ablegauit; alteri vero ſimile munus erga Suecicos legatos (quibus praeſentibus iusiurandum pro obſeruantia concordatae in Liuonia inter ſe et eorum Regem pacis duabus ante ſeptimanis per oſculum, perque imagines teſtes interpoſuerat) e pegmate haud procul a nobis ſubitario opere ad eum vſum erecto tunc conſpicientes explendum iniunxit. Interea, poſtquam neſcio quae popolorum grex murmuraſſet, a famulari ſoceri ſui obſequio corona reuerenter exutus legenti Archipopo memoriae proditum a Matthaeo in primo et vigeſimo Euangelii ſui capite Saluatoris aſinae inſidentis in vrbem Sion ingreſſum aurem praebuit deuote attentam. Lectione abſoluta crucem a Sarkienſi Metropolita exulantis tunc Patriarchae vices obeunte ori admotam demiſſa reuerentia, eiuſque dein dextram ex vſu oſtentatae ad perſtringendum pietatis fulgore plebis animos erga ſacros Antiſtites Chriſtianae humiliationis deoſculatus coronam denuo a ſocero vertici impoſitam aſſumpſit. Metropolita autem iumentum a duobus ex miniſtris Eccleſiaſticis Chriſti diſcipulos repraeſentantibus ex caſtello adductum interim conſcenderat, eique foeminarum more inſederat, cruce numquam e manibus depoſita, Froeni lora Tzar arripiens pecudem in arcem cum ſeſſore ſuper pannum, quo procedenti via ſenſim ſternebatur, lenta grauitate deduxit, concinentibus ſacris myſtis, et reliquorum choro per ingeminatas antiphonas pluries repetitum Iudaeorum Hoſanna, et praetorianis militibus per totum forum vtrinque diſtributis frontibus

frontibus ſolo applicatis myſterium humillime venerantibus. Nec caruimus hac die conſuetis a Tzare lautiis.

Deducitur Author ad conferentiam cum Tzareis deputatis, a quibus expeditionis ſuae decretum audit.

Ad VIII. Kalendas Maii ducti in arcem ad conferendum cum deputatis fuimus, qui Tzareum hoc noſtrae expeditionis decretum ex charta de more nobis legerunt. Proficiſceremur ſecundum deſiderium noſtrum Smolenſciam noſtro ibi munere functuri, ſuoque tempore ad Clementiſſimum Dominum noſtrum per ditiones Polonicas redituri. Daturum nobis Tzarem literas reſponſum ſuum quoad omnia a nobis propoſita continentes. Et quia ſacram Caeſaream Maieſtatem tanquam fratrem ſuum dilectiſſimum prae aliis omnibus vellet honorare, non ſe conuiuio, honore cum omnibus Caeſareis legatis in eorumdem dimiſſione eouſque vulgato, nos adhibiturum; ſed peculiari fauore nemini antea vnquam exhibito proſecuturum ad familiarem conuerſationem in ipſa habitationis ſuae penitiora conclauia illa ipſa hora nos admittendo.

Excipitur cum Collega a Tzare ad familiarem conuerſationem.

Aſcendimus itaque in ſuperiorem palatii contignationem ad Tzarem per ſcalas et ambulacra ab vtrinque ſtantium nitide armatorum ſpiſſa ſerie cuſtodita et continuo periſtromate vndequaque tam diligenter operta, vt nec pauimenti, nec parietum, nec fornicis, aut laquearii pars minima nuda conſpiceretur. Ipſe in ſecundo habitationis ſuae ſatis ſpatioſo et lapideo fornice vincto conclaui a quamplurimis accenſis cereis illuminato, ac aulaeis Belgicis, Perſiciſque tapetiis circumquaque veſtito ſuperbiſſimae ſellae in angulo apud feneſtram de more collocatae gentili tectus pileolo margaritis gemmiſque rigente, ac eburneum ſcipionem precioſiſſimae magnitudinis adamantibus ornatum dextra tenens inſidebat, ſedentibus ab eius ſiniſtro latere ſuper ſcamnis ex proceribus haud paucis.

Poſtquam eum reueriti eſſemus, et nos ſuper ſcamnum e conſpectu ſuo prope alteram feneſtram parieti adhaerens conſidere iuſſiſſet, deque ſalute noſtra a ſtante apud nos Cancellario Lapoukin interrogari curaſſet, e ſede exſurgens, et ſuper ſcabello eidem gradus ad inſtar affixo ſtans depoſitis pileolo, et baculo, acceptaque a porrigente pincerna maxima chryſtallina patera mulſo liquore impleta propinauit mihi ſalutem Sacrae Caeſareae Maieſtatis ſui amantiſſimi fratris addito voto in haec verba, Deus concedat, vt nos Magni Domini de inimicis noſtris triumphare poſſimus, quam terno hauſtu exſiccauit. Tum reſumpto pileo reſedit, mihique maximum inaurati argenti ſcyphum mero plenum manu ſua porrexit, idemque mox erga collegam meum fecit. Imo et erga tres ex noſtris familiaribus, quos venia data nobiſcum introduxeramus. His ex hauſtis quinque inſuper vnum poſt aliud pocula diuerſorum liquorum, ipſe tamen haud amplius bibens nobis haurienda eodem ordine et modo dedit. Quae omnia ordinatim pro eius incolumitate, filii primogeniti, iunioris, totius eiusdem familiae, et pro felici bonae pacis ſucceſſu ſucceſſiue ebibimus. Hoc poſtremum ille audiens votum dixit, hoc foret magnum opus. His expletis abiuimus cum hac obſeruatione, quod pocillatores, qui ſcyphos nobis a Tzare tradendos in conclaue inferebant, tecto ſemper capite intrarent, et adſtarent, etiam dum illos ei porrigerent, quamuis magnates omnes detecti federent. Cum autem pocula ab ebibentibus expectarent, caput aperirent, illisque reſumptis hoc denuo ad abitum operirent.

Admittuntur author, et Collega a Tzare pro vltima expeditione, eisque epulum praebetur.

Poſtero die ad publicam admiſſionem in eundem locum, et cum iisdem formis in ſecunda nobiſcum vſitatis introducti coram Alexio fuimus. Poſtquam Cancellarius apud nos ſtans decretum expeditionis noſtrae legiſſet, exurgens ille e ſolio iniunxit nobis, vt venientes ad Sacram Caeſaream Maieſtatem fratrem ſuum chariſſimum Eam nomine ſuo peramanter ſalutaremus. Literas poſtmodum ad eamdem ſuas nobis conſignauit, et ad oſculum dextrae admiſſos dimiſit. Eodemque die in noſtris aedibus epulum nobis cum ſolenni in omnibus apparatu praebitum eius mandato fuit.

Et deinde donaria mittuntur.

Quatriduo poſt quadringentis me varii pretii ſpoliis zebellinis, et collegam meum ter octuaginta in munerum a nobis ei oblatorum penſationem, additis inſuper mihi quatuor, et collegae duobus in conſiderationem nuperae noſtrae

familiaris compotationis donauit. Cum quibus ducenta etiam inter domeſticos noſtros diſtribuenda ſimiliter tranſmiſit.

Pridie nonas Maii Moſchua diſcedentes, octauo Idus ſeptuaginta verſtis emenſis Moſaiſcum venimus. Oppidum eſt ligneum ſub firma lapideae arcis protectione a Demetrio Iuanowicz Magno Moſchorum Duce Andreae filio olim attributum; ſed haud longo poſt tempore eius nepoti Ioanni ab alio Ioanne Baſilii coeci filio Moſchorum Monarcha ereptum, et ab eius nato Baſilio ob diuerſicolorum leporum venationem frequentatum, ſeſquimenſis olim ſpatio ab Vladislao Rege, et magno illo Chodkieuicio fruſtra oppugnatum. Regitur a Palatino ſuo Moſchouiae prouinciae membro.

Diſcedunt Moſchua. De Moſaiſco,

Ad quintum Idus eiusdem Maii poſt centum, et triginta continuae ſyluae, quam vnicus dumtaxat pagus Tzarowe Zamieſice a ſolitudine vindicat, verſtas Wieſmam intrauimus. Oppidum aedificiis in collibus leniter editis pagatim diſſipatis conſtans ligneum eſt. Caſtrum habet ſex lateritiis munitum turribus, quarum tamen intercapedines vicinum dedit nemus. Subeſt eidem cum Moſaiſco ſub peculiari Palatino ſuo prouinciae; cum tamen olim ſuos habuiſſet Duces. Etenim anno 1435 Michael Leonis filius Wieſmae Dux pugnans pro Boleslao Swidrigelone contra Sigiſmundum Magnum Lituaniae Ducem ab huius filio Michaële captus ab illo interficitur.

Et Wieſma.

Altera die quintodecimus a Wieſma lapis binos nobis in conſpectum cippos, ſiue terrae tumulos dedit, Moſchos inter et Lituanos ab Vladislao IV. Poloniae Rege apud riuum Polanowka per pacem cum Michaële Fedorowicz Ruſſorum Magno Duce anno 1634 in pago Diwilina ſancitam erectos vtrinque terminos. At ſequenti in pagum Blogoweſtine venimus, ibique pernoctauimus.

Hic fluuium Dnieperum, a priſcis Geographis Boryſthenem dictum, primum vidimus. Fons eius iuxta pagum Dnyepersko in ſylua Volkonskia quinquaginta a Volgae origine verſtas diſtat. Ex eo lento paſſu procedens Wieſma non adeo procul praeterfluit, dumque oppida, et vrbes Drohobuſum, Smolenſciam, Dubrownam, Orszam, Kopiſium, Szklouiam, Mohilouiam, Brakalabowiam, Bichouiamque in aluei fundo magis, quam in ſuperficie rapidus praeterlabitur, fluenta Choranum, Mzeriam, Orſzankam, et Baranum in ſe recipit. Sed rurſus reflexo curſu Rogoczowiam, Rezeczicam, Cholmieziam, Loiowagoram, Lubeczam, Nawoſiam, Kyouiam, Trethymirouiam a Stephano Rege Coſacis attributam, Kaniowiam, Circaſſios, ac poſt catadupas, vbi per rupium et ſaxorum gradatim praerupta delabitur, Kudacum a Konietzpolskio anno 1637 conditum, Simimaiokum, iuxtaque Rogutkiermen, Teginkam, et e regione Tartarorum Oſtamkirmen, Turcorumque Oczakouiam, olim Olbiopolim, et Miletopolim ſtringit, tanto ab admiſſis per hoc decurſus ſui ſpatium amnibus Druco, Bobofra, Berezina, Wiodrayca, Soſzia, Brahino, Pripetio, Repino, Dzieſna, Stuha, Iczyca, Trubiece, Roſſo, Supoio, Sula, Horolo, Pſezolo, Worſtlo, Taszmino, Orelo, Samara, Konskawoda, priſcis Panticape, Inguleco, et in ipſis ſuis faucibus Bugo, vel Hyppani aquarum incremento, vt poſt mille millenos ab ortu ſuo paſſus per ſinum Carcinitum latiſſimo oſtio in Pontum Euxinum illabendo aliud in mare maius haud minus mare effundere videatur. Et effunderet etiam diſtribuendas in adiacentes Ponto prouincias, inque Thraciam, et Graeciam liberali commercio Ruſſicas opes, niſi Tartarorum latrocinia, et nocentior latronibus Turcus mercatoribus abſtinendi ab illa via neceſſitatem impoſuiſſent. Verumtamen, quia alpinis, et Scythicis muſtelis carere nec Graecus luxus, nec Turcica ſuperbia volunt, per Thraciam, Moeſiam inferiorem, Beſſarabiam, Romanorum ſub Flacco coloniam, Podoliam, et Boryſthenis accolas Circaſſios Graecos mercatores in Moſchouiam cum pyropis, ſaphyris, et caprinis ex Ancyra pannis cymatilibus, ſeu vndulatis emittunt, vt inde vel permutatione, vel pecunia vtrinque arbitrariam aeſtimationem adimplente pro inductis mercibus cupitas pelles educant.

Boryſthenis deſcriptio.

Pridie

Pridie Idus Maii Drohobuſum in ditione Smolenſcenſi aequali inter Wieſmam, et Smolenſciam nonaginta verſtarum diſtantia per montis decliue ad laeuam Boryſthenis ripam decurrens oppidum cum caſtro aſſerum palorumque lorica permunito, olim Ieremiae Iaroslai primi Tuueriae Magni Ducis ex filio Michaële per nepotem Conſtantinum pronepotis eiusque deſcendentium haereditariam portionem, inuecti ſumus, et ad XIV. Kal. Iunii per vias ſemper negligentiſſime munitas, ac propter diſcontinuos truncos curribus aſperas Smolenſciam in Alba Ruſſia peruenimus.

Drohobuſum.

Diuidebatur olim Smolenſcia in vrbem, et arcem, quas ſublicio ponte a Hieronymo Ciechanowicz Iudice ſuo terreſtri iunctas perfluit Boryſthenes. Nunc vrbe tota, quae octonis millibus aedium conſtabat, et anno 1609 dum a Sigiſmundo III. inuaderetur, ab ipſiſmet incolis incenſa fuit, delata arx ſola ſtat, quae a ſupinis vallibus ad colles per ardua, et praerupta decliuia montis, vbi Magni Alexandri aras olim ſtetiſſe Vapouius tradit, aſſurgens laeuae Boryſthenis ripae imminet. Circumdatur muro duodenis geometricis pedibus craſſo, qui a terra e ſecto lapide ter ſeptem, ac inſuper duodetriginta ex lateribus dominantibus Magno Duce Theodoro Iuanowicz, eiuſque ſucceſſore Boriſſo Hoduno conſtructus exurgit, a duodequadraginta turribus ſpatio paſſuum ter mille iuſto interuallo diſpoſitis protectus. Vallo tamen nullo, foſſa nulla eius aditu hoſtis arcetur. Agger duntaxat; ſed non continuus, in pomoerio interiori, vt propugnatoribus a dirutis machinarum, aut cuniculorum violentia moenibus per oppugnantium impreſſionem ſummotis refugium ad nouam defenſionem praebeat, eſt excitatus. Intra hunc ambitum rarae admodum ſunt domus magnas ſingulae areas comprehendentes, et quamplurimae haud modicos hortos, quare infrequenter habitatur. Habuit inſtitutum a Rege Poloniae Sigiſmundo III. et ab Vrbano VIII. Pontifice ſub eiuſdem filio Vladislao IV. confirmatum orthodoxae Latinae fidei Epiſcopum, et Graecae cum Eccleſia Romana communicantem Archiepiſcopum, quibus electis Ruſſici ſchiſmatis Archipraeſulem Alexius ſuffecit. Praeter autem Abbatiam et coenobium ſanctimonialium ordinis Sancti Baſilii Magni ſub Romanae Eccleſiae ſubiectione habuit etiam Collegium Societatis Ieſu, Conuentuſque ordinis praedicatorum, et Ordinis Minorum de obſeruantia a Sigiſmundo III. fundatos. Plurimi enim ibi fuere Romanae religioni addicti, quorum partem haud minimam contra fidem tranſactionis in traditione arcis vtrinque ſtipulatae ſeu minis territos, ſeu promiſſis oneratos, ſeu aperta vi praehenſos iterato baptiſmo ſacra profiteri ſua conſilio, et opera Alberti Golimontii Dei, et patriae proditoris Moſchouitae coegerunt. Reliquos, qui ab inconcuſſa conſtantiſſimae Catholicae religionis petra nullo aſtu, nulla vi deturbari potuerunt, templis, ſacerdotibus, et ſacramentis carere iuſſerunt, ſperantes, quod tandem miſerculae oues paſtoribus deſtitutae extra caulam ſanctuarii ſui, quod in prytaneum conuerſum vident, errare adactae ad luporum luſtra diuertere debeant. Quas omnes iniurias a quodlibet alio ſub quibuscumque pactis dedititio oppido neutiquam abſtinuerunt. Turcorum tyrannus omnes quidem religiones infra Mahometanam ſuam habet, Romanae tamen aeque, ac Graecae hominibus ſacrorum ſuorum publicum concedit exercitium. Peram, ſeu Galatam, Genuenſium quondam coloniam a Conſtantini vrbe anguſto Boſphori Thracii emiſſario ſinu canali nuncupato diſcretam binis ante ſeculis a Mahomete ſubactam, praeteritis aliis quam plurimis ſub Ottomanico dominatu eadem libertate fruentibus, vnicum huius veritatis teſtem produco. Ibi, qui ſanctiſſimorum Patriarcharum Ignatii, Dominici, et Franciſci ſiue laxiori ſiue ſtrictiori obſeruantia inſtituta ſectantur, palam et publice patentibus templorum foribus concurrentibus quotidie catholicis ſine vlla interpellatione Diuina peragunt ſolenniter officia. At Moſchouitae vix oppidum aut vrbem aliquam pateſactis a credulorum ciuium deditione portis ingrediuntur, cum pacta quaecumque, et qualicumque roborata iureiurando ſuſque deque habentes extemplo quicquid catholicam fidem ſpirat, extinguunt. Viderint itaque Catholici illi, qui Ruſſis contra

Smolenſcia.

Catholici contra pacta ad Moſchouitica ſacra tranſire coguntur.

Turci Galathae Catholicos tolerant.

At Moſchouitae nullibi.

Conſulitur Catholicis, ne Moſchouitis contra Catholicos militent.

contra Catholicos ſtipendia faciunt, quomodo tam improbae militiae rationem Diuino ſint Iudici reddituri. Nequaquam enim futile illud quorumdam admittetur ſubterfugium, quod per talia bella de regione, non religione primario certetur, cetera autem mala ſecundario, et praeter intentionem eueniant, ideoque ipſi in iis culpa vacent. Erudiri etenim a confirmata pluribus tempeſtatibus experientia potuerunt, quod mala illa connexitate adeo inſeparabili primariae intentioni in Moſchouiticis bellis conſequantur, vt quocumque infeſta ſigna Marte propitio Moſchi inferant, et illa ſimul ſemper continuo importent. Interea, dum illis Deus meliorem dabit mentem, laudanda erit eius erga puſillum gregem ſuum Catholicum bonitas, quandoquidem Moſchorum intellectum per ipſius felicitatis caliginoſum ſplendorem adeo occoecat, vt non videant, tranſitum a ſumma libertate ad ſummam ſeruitutem nullo interiecto medio ſine maxima violentia fieri minime poſſe, violentiae autem diuturnitatem numquam aptari. Tyrannis ab iis in Lituanos exercita horum animos ita abalienauit, fideque dimouit, vt tanto eos odio ex prouinciis ſuis eiecerint, quanto in eas fauore admiſerant.

Moſchuenſis plebis propter monetam ſeditio.

Patientia interim miſerae Moſchouiticae plebis vilitatem aereae monetae in ſumma annonae caritate ſufficere ſibi ad tolerandam inopiam ſuam minime poſſe amaro experimento comperiens in furorem verſa inſanam Moſchuae concitauit ſeditionem, quae, vti fieri aſſolet in omnibus duce carentibus, auctoribus ſuis exitio fuit. Pridie Nonas Auguſti anni 1662 ex duodeuigintii vltimae foecis millibus coniuratis pars dimidia ſolis cultris armati Alexium ſexto ab vrbe lapide ruri agentem adierunt, et iuxta morem vulgi nobilitati, et potentiae ſemper infenſi prolatis innumeris contra eius ſocerum Iliam Danilowicz Miloslawski auunculum Simonem Lukianowicz Streſchnew, Aulae Praefectum Fedorum Mihalowicz Ertiſchew, Bogdanum Mattheowicz Hitrow, et Ioannem Andrewicz Miloslauski querelis ſuperbarum aurium, contumelioſi oris, concuſſionis, peculatus, et proditionis eos ad mortem depopoſcerunt. Alexius pridie eius diei de hac conſpiratione ſecreto praemonitus conſiderans, naſcentia mala facile opprimi poſſe, et boni medici ad inſtar vitioſas partes ſanare malens, quam reſecare, praeuerat mellea verba, vt inſanientium amaritudinem edulcaret, iramque emolliret. At, ſi incipiens adhuc, et nondum adulta ſeditio melioribus conſiliis non flecteretur, ne, dum malum inueteraſcit, robuſtius fieret, etiam vindex ferrum acuerat, vt radicitus illud praecideret pertinaces in ſua contumacia puniendo. Reſpondit itaque illis, inique flagitari, vt accuſati accuſatorum irae ad exitium dederentur. Eſſe ſe omnium Dominum: Inquiſiturum in reos, et in criminis compertos ſine vlla perſonarum diſcretione pro modo culpae ſeuere animaduerſurum. Vxoremque ſuam, et filium praeſentes huius ſuae promiſſionis iis obtulit vades. Illi vero ex his verbis formidinem in Alexio arguentes, ideoque maioribus animis inſoleſcentes, neque contumelioſis in Tzariſſam verbis abſtinuere. Excanduit ira Alexius, et ad praetorianos, aulicoſque ſuos conuerſus, liberate me ab his canibus, inquit. Confeſtimque illi in ſeditioſos irruentes fere omnes trucidarunt.

Quae graviter punitur.

Non periere tamen omnino inulti, cum praetorianorum haud paucos cultris per deſperatam audaciam in pectus adactis ſibi in inferias immolauerint. Ter mille, qui in ſubſidium ſuorum ex compoſito armati ſucceſſerant, cum caeſos eos ſua ſpe citius inueniſſent, ad tutiora conſilia conuerſi proiectis armis ante Tzarem proſtrati mortem, quam promeriti eſſent, deprecati, vt in Sibiriam relegarentur, a placata iam per aliorum poenam Alexii ira obtinuerunt. Moſchuae deinde in foris, et compitis erecta patibula quingentos ex iis, qui ibidem ad ditiorum diripiendas domos remanſerant, exceperunt.

Diſcedunt author et CollegaSmolenſcia.

Tandem ad octauum Nonas Septembris abire decreuimus, et abnuentibus Moſchis vehicula nobis concedere propter metum, ne a Lituanis retinerentur, naues conſcendimus. Prono itaque Boryſthene Dubrownam, oppidum Palatinatus olim Micislauienſis, nunc vero Vitepſcenſis octuaginta a Smolenſcia paſſuum millia in vtraque fluuii ripa multa aedium frequentia olim aſſurgens, nunc per

per bellum Moſchouiticum cum magna Domini ſui Georgii Caroli Hlebowicz a Montiuido filio Gedimini Magni Lituaniae Ducis vltimi virilis ſexus deſcendentis rei familiaris iactura miſere vaſtatum, prius praeteruecti fuimus. Orſzam deinde Palatinatus Vitepſcenſis viginti mille inde paſſus, qua Orszanka amnis Boryſthenem ſubit, et e regione vtrique pariter fluminis orae incumbens oppidum pridie Idus Septembris appulimus.

Authoris cubicularius in Boryſthene ſubmergitur.

Adhuc tamen leuca inde aberamus, cum triſtiſſimum oculis meis ſe obtulit ſpectaculum. Adoleſcens, quem haud ita pridem ex ephebis emancipatum ſub liberiori ad cubiculum diſciplina admiſeram, videns cymbulam ex caua arbore ſecus nauim meam a remige actam, deſiderium concepit, in eam ſe conferendi, vt per Boryſthenem huc illuc animi gratia vagare poſſet. Et, vt erat mente ſubitaneis obnoxia impetibus, illico euocato remige in eam e prora mea proſiliit. Studebant conſocii eius mei familiares ſanis monitis reuocare euidenter periclitantem; ſed miſer, quem fata premebant inſtantia, ſtulte deridebat prudenter monentes. Cum, ecce, vertitur cymbula, et infelicem cum remige in flumen effundit. Apprehendit vterque natura dictante infidum lignum ſperantes ſalutem a periculi ſui cauſa. Cum autem vterque in illud aſcendere contenderent, ter verſum eos toties excuſſit. Interea infelicis adoleſcentis veſtes, quibus iuxta praevalentem apud iuuenculos Gallicum morem et colligatis, et ſuccinctis erat indutus, aqua oppletae pondere ſuo deorſum ſecum miſerum detraxerunt a nemine vnquam amplius viſum. Remex, qui vix induſio, et feminalibus aliquatenus tectus facilius ab vndis ſuſtentabatur, cymbulam ab altero iam liberam ſolus arripiens, eamque pro libitu verſans, breui niſu in ea ita ſe aptauit, vt extenſus exerto tantum capite extra aquam, qua inundabatur, a ſecundo fluminis curſu deferri ſe ſineret, donec ab aliis noſtris ſuperuenientibus nauibus ſuſciperetur.

Ad Orſzam prohibetur author ex. ſcenſu.

Stratum erat ad Orſzam flumen ligneo humilibus nauibus innixo ponte ſolis piſcatoriis cymbulis peruio, cuius praefectus obuius nobis appellentibus eques factus intenta in nauigia noſtra claua minitabundus inhibuit, ne exſcenderemus.

Cum tamen iſte ſit locus, per quem ex Ducatu Smolenſcenſi in Lituaniam proficiſcentes relictis nauibus terra iter per Odruſios Vapouii campos arripere conſueuerunt, miſſo Alexandro Woiski Bichouiae Clericorum Regularium Diui Auguſtini Praepoſito, quem a captiuitate Moſchouitica noſtra interceſſione liberatum ad ſuos reducebamus, petiimus a Vicepraefecto Kozariski, vt equos, et vehicula ad iter terra proſequendum nobis ibi conducere liceret. Quod rotunde negauit. Neque ante craſtini meridiem exorari potuit, vt ſaltem tranſitum nauibus noſtris vlterius deſcenſuris pateſacto ponte concederet.

Itaque praeteruehitur.

Kopiſium ea die ſole occidente venimus, oppidum ligneum Palatinatus Micislauienſis ligneo ſepto turribus munito vallatum, ligneaque arce in edito colle media protectum quindecim ab Orſza paſſuum millibus in laeua fluminis ripa aedificatum, et ad Principem Bogislaum Radiuilium ſpectans.

Sed neque Zklouiae exſcenſus conceditur.

Poſtero bis decem millibus emenſis Zklowiam venimus, nobile Palatinatus Polocenſis in dextra fluminis ripa oppidum, ligneum et ipſum probeque munitum cum toto ſuo comitatu poſt obitum Alexandri Chodkieuitii eius ex filia nepotem Sieniauium Dominum agnoſcens. Quamuis autem hic Praefectum Andream Dzierzanowski longe humaniorem experti fuerimus; tranſitum tamen terra a timente, ne ſibi Polono a Lituanis vitio verteretur, quod contra Orszanum exemplum nos admiſiſſet, impetrare haud valuimus.

At bene Mohilouiae.

Deſcendimus itaque, Bichouiam prius arcem ligneam laeuae Boryſthenis ripae in Palatinatu Polocenſi adiacentem praeteruecti, curſu viginti millium Mo-

hilouiam Vitepſcenſis Palatinatus vrbem; ſed libere Regiam, tot oſtia pulſaturi, donec vnum nobis patuiſſet. Hic, poſtquam biduo ripae haeſiſſemus, vrbis ſenatus hoſpitio nos vlterius prohibere erubuit. Introſuſceptis itaque qua, et quo liberet, proficiſci permiſit.

De Mohilouia.

Nomen Mohilowi, quo ſepultura ſtirpis alicuius ſignificatur, diu in edita Boryſthenis dextra ripa raucae admodum famae fuit. At Albae Ruſſiae mercatores opportunitate loci allecti eo commigrantes fixis deinde domiciliis frequentes adeo centum ab hinc retro annis eum incoluerunt, vt ampli eidem formam fecerint emporii per vniuerſas Ruſſias celeberrimi. Chriſtianam fidem Graeco ritu ſchiſmatice profitetur, licet bina catholici Romani templa habuerit: parochiale nimirum a Moſchis dirutum, cui nunc parochi ſui canonici Michaëlis Obrinski cura ſacellum, dum meliora ſuccedant tempora, vidimus ſubſtitutum: aliudque Carmelitarum ab iiſdem Moſchouitis omnino euerſum, cuius ſitus ab vnico eiuſdem ordinis ſacerdote nunc inſidetur, ne eius poſſeſſio, quaſi animo derelicta, ciuiliter amittatur. Patres Societatis Ieſu collegium hic nullum vnquam habuerunt, et Alexander Goſieuius ſuum illis Vitepſciae, non, vt Piaſecius erronee ſcribit, Mohilowiae, exſtruxit. Anno 1654 ad XVI. Kalendas Septembris cum octo mille extra et intra ambitum ſuum vallo propugnaculis, et foſſa egregie munitum, tormentiſque inſtructum aedes numeraret, irruenti in Lituaniam coniuncto Coſacis Zaporouianis Magno Moſchorum Duci Alexio legitimum Dominum ſuum Poloniae Regem a fortuna tunc deſertum deſerens ſpontanea deditione ſe tradidit, ſperans ſortem ſub protectione gentis eadem ſacra colentis meliorem. Fruſtrata deinde ſpe ſua infeliciter didicit, ſubditis vſui non eſſe dominorum mutationes. Cum igitur a Moſchis per bonam fortunam dementatis peſſumdatam, diminutam, et in deterius lapſam ſe diu luxiſſet, deterſis deſperationis manu inutilibus lachrymis vindices ſpiritus aſſumens ad III. Idus Februarii anni 1661 coniuratione facta circa nonam matutinam ad aeris campani pulſum nongentos et ſexaginta praeſidiarios Moſchos, dum centum et quinquaginta per tumultum elabebantur, trucidauit, ſeque in libertatem vindicauit. Nunc duplici proditione ſuperba recuperata ſuae ciuitatis iura tanta impotentia tuetur, vt, quamuis catholici ſuam etiam Senatus partem obtineant, Regem ſuum vix in ſuperiorem dignetur agnoſcere, praeſidium certe eius recuſet, ſolis ciuibus ſuis, qui quatuor millium ad arma ferenda idoneorum numerum etiamnum explent, moenium portarumque cuſtodiam concredens. Ceterum gens rudis, fallax, et a Moſchorum moribus (ſi immodicam libertatis ſuae curam dempſeris) ſicut ceteri Ruſſi, parum abhorrens. Oeconomia eſt hic menſae Regiae quotannis pacis tempore centum millia thalerorum ſubminiſtrare ſolita, cuius vtiliſſimam adminiſtrationem Rex Goſieuio poſtliminio redeunti conceſſerat.

Diſcedunt autor et Collega Mohilouia.

Ex pagis huic oeconomiae ſubditis iumenta et ploſtella, quae nos et impedimenta noſtra Vilnam vſque veherent, impenſo precio conduximus.

De Boriſouia.

Ad V. Kalendas Octobris nobis Mohilouia diſcedentibus, et ad Pontum Axenum magis nobis axenum et inhoſpitalem Boryſthenem decurrentem relinquentibus ad VI. Nonas eiuſdem Boriſouia Palatinatus Minſcenſis a conditore ſuo Polociae Duce Ginuilonis Nouogrodeki Ducis filio nomen ſortita, paſſuſque ſexies viginti mille a Mohilouia diſcreta ſe in conſpectum dedit. Binis conſtat arcibus ad laeuam Berezinae ripam, cuius vndae a confluente Scha adiutae eas interfluunt et circumdant. Nullae in iis aedes praeter miſeram Praefecti habitationem cum Sacello Graecis ſacris deſtinato. Moſchi eas anno 1655 menſe Iulio vi expugnarunt, et eodem menſe; ſed poſt ſeptennium, per lentam obſidionem fame macerati eas Lituanis reddere debuerunt. Oppidum tamen, quod iiſdem adiacebat, totum deletum eſt. Hic ante ſublicium pontem, quo paludoſus Scha ſupera-

ſuperatur, moram ſatis longam trahere debuimus, priuſquam Praefecto perſuaderemus, vt per eum ad marginem Berezinae fluuii, quem aliqui priſcorum eſſe Boryſthenem argumentis parum ſtringentibus ducti ſuſpicantur, nos tranſire permitteret.

Fluuius Berezina.

Ibi pernoctantes fluuium poſtremo die lintre traiecimus. Ortum is ſuum haud longe a pago Doxice Boriſſouienſis diſtrictus ducens, ingentem prius paludem ſecans, paruumque in ea hauriens riuum Boriſouiam alluit. Receptis inde fluentis Bobro, Swislocza, Wolczna, Bobricia, Prediwina, Vſza, Olha, Zerdzia, et Swieco Howolium praeterfluens inter Strieſnam et Rzeczicam Boryſthenem influit.

De Oppido Minſco.

Tertio Nonas Octobris ſeptuaginta nemoroſae ſolitudinis paſſuum millibus emenſis Minſcum Palatinatus ſui metropolim, vrbem collibus impoſitam et fluento imminentem ſupremo totius Lituaniae tribunali poſt Vilnam cum Nouogrodeko alternando ſingulis trienniis decoratam venimus, et deſolationem ei a Moſchis illatam triſtibus oculis hauſimus. Baſiliani vniti, Dominicani, Bernardini, Sanctimoniales diruta clauſtra ſua et templa ſuffragantibus piorum largitionibus ibi iam reparare occoeperant. Et Patres Societatis Ieſu ad iacienda Collegii ibidem inſtituendi fundamenta ſe inſtruebant.

Ad tertium Idus Octobris decies et ſexageſies mille paſſus vecti multis per laborioſum hoc iter incommodis affecti ſaepius in ſyluis et ſolitudinibus per Moſchouiticam vaſtationem factis ſub dio aëris et latronum iniuriis opportuni pernoctantes inuiſi vbicumque et deſpecti Vilnam, vel Vilnae potius buſtum, attigimus.

Author et Collega extra Vilnam a Lituanis excipiuntur.

Degebant ibi tunc plurimi ex Magni Ducatus Lituaniae proceribus, et praeſertim ii, quibus commiſſum a Rege et Republica fuerat, vt ſub directione ducis campeſtris Goſieuii exercitum, qui ob notas Orbi cauſas ſeceſſionem fecerat, ac exuta contra fas diſciplinae debita Ducibus ſuis obedientia, iiſque repudiatis Zeronſcium ſubſtituerat, ſtipendia ſua proterue efflagitans ad antiquum obſequium reducere opportunis mediis conarentur. Hi obuiam nobis ad quadringentos extra vrbem paſſus emiſerunt Albertum Conſtantium Ciechanowicium Praefectum Oſmianenſem militum tribunum, ac exercitui foederato a conſiliis, qui numeroſo procerum ac nobilium comitatu ſtipatus in honorem Caeſaris nos humaniter excepit, et in facta nobis prius obuia ſupremi Theſaurarii, et ducis campeſtris Goſieuii rheda nobiſcum ſedens nos in hoſpitium introduxit.

De Vrbe Vilna.

Alluit hanc vrbem Vilia haud magni lacus a fontibus Berezinae non adeo diſſiti parua ſoboles; ſed hauſtis Dewinoſii, Serwoczae, Vzlae, Naraczae, Oſmianaeque humoribus iam grandior exiguum apud eam amnem Vilnam, vnde nomen habet, abripiens, eumque cum Vaka, Brazala, et Swienta amne Lituaniae ſacro in Nemenum apud Caunam deferens. Eius conditor Gediminus Magnus Lituaniae Dux fuiſſe traditur, qui anno 1305 collibus apud confluentes Viliam et Vilnam binas arces, alteram inferius ad montis radices Vilna fluuio cinctam, ſuperius alteram in ipſo iugo impoſuit, quibus deinde tantus aedium numerus a mercatoribus vndiquaque eo conuenientibus excitatarum acceſſit, vt dignam fecerit, quae inter magnas vrbes connumeraretur, et Palatino Caſtellanoque conſtitutis in metropolim non ſolum Lituaniae ſuae; ſed etiam totius Magni Ducatus euaderet, adepta ſuffragii ferendi in electione Regum poteſtate. Iagello, poſtquam baptiſmi vndis renatus fuiſſet, circa annum 1387 eam epiſcopatu a ſe dotato decorauit, cuius iurisdictioni Palatinatus Vilnenſis, Trocenſis, Nouogrodenſis, Polocenſis,

Vitepſcenſis, Minſcenſis, et pars magna Podoliae, et Poleſiae ſubſunt, cuiuſque ſuffraganeus eſt Epiſcopus Metonenſis, qui ex Collegio canonicorum Cathedralis Eccleſiae eligi ſolet. Anno 1506 muro, non vndique, incurioſius ſepta, immenſiſque in dies aucta ſuburbiis Spartanae ciuitatis ad inſtar magis ciuium robori ad hoſtiles impetus amoliendos, quam munitionum firmitati fidere voluiſſe videtur. Quod, quamuis contemptum hoſtium a nonnemine ſpirare dicatur, magno tamen eidem bis a Moſchis oppreſſae, direptae, exuſtae, vaſtatae ſtetit. Et tutius incolumitati ſuae conſuluiſſe, prudentiuſque hoſtem contempſiſſe viſa fuiſſet, ſi ſecura minus, et munita magis eſſe voluiſſet. Etenim Moſchi non tantum anno 1610 eam interceptam direptionibus et incendiis foede deformarunt; ſed recenter anno 1655 ad VIII. Idus Auguſti poſt leuem aliquam in campo cum exigua Lituanorum manu, quae cum ducentis hoſtium millibus congredi non detrectauerat, conflictationem miſerandam more ſuo vicina pericula ſupina praefidentia negligentem, et a Palatino ſuo Iano Duce Radziuilio, eoque magni Ducatus Lituaniae ſupremo exercituum duce deſertam obruerunt, et vſque ad tertium Nonas Decembris anni 1661 propriis ſuis cathenis compeditam ſaeua captiuitate oppreſſerunt. Hoc autem tempore, quo miſerae incubuerunt, tot caedibus, ſtupris, rapinis, ſacrilegiis, ruinis, et incendiis eam afflixerunt, vt nunc Vilnam in Vilna quaerens deploranda ſolum efferati furoris veſtigia in eius vaſtatione, cineribus, et parietinis reperiat. Quicquid aedium ſiue ſacrarum, ſiue prophanarum ex abiegnis compactum truncis ſtabat, ſuppoſito a Moſchis igne in faullas euolauit. Lapidea aedificia, quibus tota fere interior vrbs conſtabat, ſolos nunc parietes denigratos acephaloſque conſeruant. Cetera ſaeui victoris faces abſumpſerunt. Quibus autem Vulcanus pepercit, petulca iniurioſi hoſpitis non ignouit inſolentia. Cathedrale templum Iagellonis Chriſtiani opus: Patrum Societatis Ieſu Collegium Valeriani Suszkowski Protaszewicz XIV. epiſcopi Vilnenſis cura paſtorali attributo parochiali Sancti Ioannis templo excitatum, et eius immediate Succeſſoris Georgii Radiuilii poſtmodum Cardinalis collationibus auctum, atque Academiae praerogatiua ex conceſſione Stephani Regis Kalendas Aprilis 1579 et confirmatione Gregorii XIII. Pontificis ad tertium Kalendas Nouembris eiuſdem anni gaudens: Eorumdem domus cùm probationis ſub titulo Sancti Ignatii Stephani Regis, tum profeſſa ſancto Caſimiro dicata Caroli Ferdinandi Poloniae Principis munificentia exſtructae: Elegans ad Diui Franciſci Patrum Franciſcanorum iuxta ſtrictiorem regulae reductionem viuentium coenobium: Aliorum praecepta Diui Franciſci exacte obſeruantium ad templum Beatae Mariae Virginis in arenis clauſtrum: Patrum Diui Dominici inſtituta ſectantium duplex ad Sancti Spiritus, atque SS. Philippi et Iacobi conuentus: Charum aegrotis ſub cura fratrum Beati Ioannis de Deo ſucceſſorum et titulo S. Crucis noſocomion: Baſilianorum Graeco ritu, ſed in Romanae Eccleſiae vnione in templo Sanctiſſimae Trinitatis Diuinum cultum exercentium aſceterium: Duo ad S. Georgium, et ad omnes Sanctos Ordinis Beatae Virginis de Monte Carmelo monaſteria: Canonicorum Regularium S. Auguſtini ſub titulo Principum Apoſtolorum clauſtra: Conuentus Canonicorum Regularium Crucigerorum de poenitentia BB. Martyrum in ſuburbio Zarzeczano, ibidemque monialium tertiae regulae S. Franciſci ſacratae aedes: Veſtalium auſteram Seraphicae Virginis Clarae ad Sanctum Michaëlem, Tereſiae ad S. Ioſephum vitae normam imitantium ſepta: Nec non et ſub regula Magni Baſilii ad SS. Trinitatis, et non minoris Benedicti ad S. Catharinae Sanctimonialium clauſurae cum ſuis quaeque templis vel diruta, vel incenſa, vel malleis et ſecuribus per oſtium de induſtria comminuta atteſtantur, quam canino odio Romanae Catholicae fidei profeſſores Moſchouitae proſequantur. Quod vt magis comprobarent, Ruſſorum ſchiſmaticorum templum intactum reliquerunt, et cum eo aliud Patrum Carmelitarum ad amuſſim Tereſianam viuentium, eo quod illis ob vicinitatis commoditatem attributum ab Alexio fuerat. Sigiſmundi III. Campana et aliae ceterae, iis ex-

iis exceptis, quae in Ruſſici templi turri pulſantur, fuſae aut auectae triſte reliquerunt ſacris ſilentium. Sancti Caſimiri Iagellonis ex ſecundo filio Caſimiro nepotis corpus in Cathedrali templo recondi ſolitum Moſchouitae effodere necquicquam ſperarunt, Catholicorum enim pietas illud, antea ab eiuſdem Eccleſiae cuſtode Georgio Bialozorio nunc a Cathedra Epiſcopali Smolenſcenſi ad Vilnenſem translato aſportatum, Roſanam auexerat. Sed nec Lutheranorum pepercerunt fano, nec Caluinianorum delubro, quod in poenam ſagittarum ab his in Angelorum ſimulachra fronti Eccleſiae Sancti Michaelis impoſita proterue emiſſarum publico comitiorum et Vladislai IV. decreto anno 1640 iuxta patrias leges ab vrbe proſcriptum tunc in ſuburbium translatum, iam fuerat.

Ad Palatinum Sapiehaam prius, et ad Goſieuium deinde author et Collega conuiuae accedunt.

Die tertio, quam Vilnam veneramus, Palatinus Sapieha ſolenniſſimo nos conuiuio adhibuit, et poſtridie eius diei Goſieuius.

Cum vero inconſulto noſtro Auguſtiſſimo Domino Viennam reuerti nobis non liceret, curſorem noſtris et Regiorum Commiſſariorum commeatus literis munitum ad eundem expediuimus.

Temerarium nobilis cuiusdam Lituani factum.

Huius reditum dum Vilnae praeſtolamur, die quodam nobilis neſcio quis foederati Lituanici exercitus a conſiliis potu madidus ad aedes noſtras, vt nos adiret, quamuis nobis plane ignotus, accedens, cum propter iuſtum metum, ne in aliquam abſurditatem iuxta tunc corruptum regionis morem prorumperet, non admitteretur, ſexcentis nos familiamque noſtram ſpatio integrae horae verbis contumelioſis (me tamen inſcio, et nihil horum audiente) aſperſit, eductoque ter Scythico gladio ſuo mortem illi ex famulis noſtris interminatus fuit, quem priorem in platea offendiſſet. Poſtero vero die duo eiuſdem collegae nos conuenerunt, et poenitentis nomine commiſſorum veniam ebrietati condonandam petierunt, quam ei haud grauate conceſſimus, cum notum nobis eſſet, conſueuiſſe tunc temporis in illa, quam effroenis ſeditioſi militis licentia in mores induxerat, corruptione homines illos omnia ſibi in temulentia licita facere, modo poſtea ſobrii poenitudinem facti petita venia oſtentarent.

Conceperant interim vinculati (vt vocari gaudebant) maximam contra Goſieuium, et quem ſibi ipſi in feceſſione ſua elegerant ducem Zeronſcium indignationem ob famae accuſationem, qua culpae dabatur Goſieuio, quod in captiuitate ſua apud Moſchos cum iiſdem egiſſet, vt numerantes non modicam pecuniarum quantitatem Ducatus Smolenſcenſem, et Seuerienſem per pacis ſine aliquo ſequeſtro ſanciendae leges in perpetuum poſſidendos retinerent, iiſque ipſum Palatinali dignitate ornatum praeponerent. Quod indubitatum tum credebant, cum nos alieno (vt putabant) tempore e Moſchouia exiiſſe viderent, et aduenientem ſtatim poſt nos emiſſum audirent legatum Moſchicum Naſciokinum telam in Aula regia texturum, quam Goſieuius orſus eſſet. Cuius contractus is interim pro arrha tranſitum illis cum ſeptuaginta nauibus per fluuium Dunam Rigam verſus literis a ſe et Zeronſcio ad ſuas partes per corruptelam (vt aiebant) attracto ſubſignatis conceſſiſſet. Homines itaque militares ad iram ſua ſponte proni contra vtrumque tanquam partium deſertores, et transfugas, patriaeque proditores ad vindictam ferebantur. Aliqua tamen verecundia alterius ſenatoriae, et alterius ducis ſui dignitati ſe obſtrictos adhuc ſentientes ab inferenda illis vi ſibi temperabant. Verum enim vero increbreſcente ſuper haec rumore, quod ambo cum Aula regia conſpiraſſent ad acciendos hinc Suecos, et illinc cum Coſacis Tartaros, per quorum armatam operam ipſi vel ad antiquam retraherentur obedientiam, vel contumaciae ſuae poenas luerent, cohibere vlterius tumultuantes in animo iracundiae motus, ne ad vltionem prorumperent, nequiuerunt. Ad VIII. Kalendas De-

Goſieuius, et Zeronſcius Vilna abducuntur.

cembris hora octaua matutina mandato Kotowii Zeronſcio ſubſtituti nobilis Hlewinski cum quingentis equitibus Vilnam ingreſſus Goſieuium domo ſua, Zeronſcium e templo Carmelitarum attonita ciuitate abduxit. Mandauerat ei Kotouius, vt vtrumque, ſi capturae repugnaſſent, quo minore ſpe veniae creſceret apud exercitum vinculum foederis, occideret. Cum vero neuter reſtitiſſet, non acquieuit ille ſuggerentibus, vt illa adhuc die in via interimerentur. Sed miſſo ad Kotouium tunc cum exercitu populatore terrae, quam a populationibus vindicare debuiſſet, Volpae incubantem executionis ſuae nuncio conſulere eum placuit, quid de iiſdem vlterius ſtatui vellet. Interim lento itinere, ne afflicta tunc Gouii valetudo durioris vectationis incommodo concuteretur, Volpam verſus progrediebatur.

Tertio Kalendas Decembris cum praemiſſo citatiori equorum greſſu robuſtiori Zeronſcio Goſieuium Oſtriniam deduxiſſet, ecce videt obequitantem cum ſequaci equitum turma nobilem Nowaſzinski, qui ab equo deſiliens, et ad rhedam, in qua Goſieuius cum Patre ſuo ſpirituali P. Samuele Kuderowio Societatis Ieſu ſedebat, accedens, Domine Theſaurarie (inquit) decretum eſt immutabile totius exercitus, ne amplius viuas. Perculſus ferali decretoriae vocis ſono Goſieuius illico de rheda diſiluit, et in illa interceptae ſubito mentis confuſione impos ratiocinandi collum quaſi ſpiculatori protinus porrigendum denudans reſpondit funeſto nuncio, et quid peccaui ego vnquam in exercitum, vt morte culpam luere debeam? Edatur crimen, cuius reus fio. Si illud patefacta calumnia non diluero, ſanguine merito eluam. Ego Regni Senator, et Regius Commiſſarius nullius tribunalis iuriſdictioni, niſi generalis Ordinum Conuentus, obnoxius iudicis incompetentiam hic non excipio. Ad leges Regni, ad comitia non prouoco. Statuite me coram exercitu. Iudici non meo innocentiae meae conſcius vltro me ſubiicio. Sed poſteaquam accuſatores audiit, audiat et accuſatum. Niſi fecerit, famae ſuae male conſultum ibit, etenim, quem tanquam ſontem iuſte punitum credi vult, inauditum, indefenſum occidendo innocentem declarabit. Fui et ego olim dux veſter, et nec lixam, nec calonem (taceo melioris notae commilitonem) quamuis manifeſtum ſceleris, inauditum vnquam condemnaui. Et tu, Nowaſzinski, huius veritatis apprime gnarus permittes, imo facies, vt ego vir Senatorius reipublicae tot nominibus bene meritus nullius culpae conſcius tam inique a calumnia ſtrangulatus mutus inteream?

Intimatur Goſieuio mors.

Eius oratio.

Plura dicturus erat, niſi a Nowaſzinski interruptus fuiſſet, qui iniunctae ſibi executionis neceſſitatem, niſi eius in ſe fatum deriuare maluiſſet, oſtendens, ad ferendam prompte ſortem, quae mutari non poſſet, eum hortabatur. Tunc ille: Ergo mutari hoc non poteſt? Non (dixit alter). Teſtor Deum (tunc ſubdidit Goſieuius) et coelites omnes, quod innocens peream. Patriae meae debitam fidem, et amorem ſeruaui. Quicquid operatus ſum, in eius vtilitatem iuxta bonam mentem meam redundaturum fuiſſet, niſi exercitus certam fructus breui naſcituri ſpem inconſulta hac mei nece corrumperet. Non obſiſtam vltra vrgentibus fatis. Male decretam immeritus ſubibo mortem. Tantum permittite, quaeſo, vt depoſita prius apud aures ſacerdotis erratorum meorum confeſſione reconciliatam Numini animam reddam.

Confeſſionem auricularem emittit.

Cum annuiſſet Nowaſzinski, ſeducto ille haud longe ſacerdoti inter ſuſpiria dolentis animi commiſſa ab humana fragilitate narrans conſcientiam expiauit. Sed, cum iam nocteſceret, et ad imponendum pietati ſuae finem pluries interpellatus in eliciendis cordis ob poenitudinem commiſſorum dolore affecti actibus perſeueraret, Nowaſzinski tandem vlterioris morae impatiens ad ſacerdotem conuerſus

uerſus interminatus eſt ei indiſcretum cum Goſieuio caſum, niſi ab eo ſe protinus ſepararet. Paululum itaque is neceſſario abſceſſit, et Nowaſzinski admota ad Goſieuii caput fiſtula ferrea eius tempora globis traiecit, dum eodem momento aliquot ex equitibus ſclopos ſuos in eundem explodentibus cadens iam eius corpus terebrarent.

Inde globis perfoſſus occumbit.

Cadauer famulis eius conceſſum Vilnam ab iisdem euectum diu in templo S. Caſimiri apud domum profeſſam Patrum Societatis Ieſu expoſitum documento inſpicientibus fuit, quam lubrico ſolo pes humanae prudentiae inſiſtat. Etenim homo naris alias ſagaciſſimae, quamuis pluries a beneuolis ſuis monitus de exercitus contra ſe ira et machinationibus, maluit tamen dignitati ſuae et patriis legibus confidendo in loco violentiae opportuno incuſtoditus perſiſtere, quam reputando irreuerentis tunc exlegis militis irritatam a maleuolis ſuis ferociam moraliter euidenti vitae ſuae periculo alio tranſmigrans ſe ſubducere.

Cadauer eius in templo S Caſimiri exponitur.

Zeronſcius Dubni matutino eiusdem diei tempore Perſicis gladiis conciſus tragicae huic fabulae ſanguine ſuo praeluſerat.

Zeronſcius conciditur.

Cum deinde reſciuiſſemus, curſorem noſtrum ab excurrentibus Polonici foederati exercitus equitibus interceptum, ablatisque equis, armis, veſtibus, nummis, et literis a recto itinere ſuo Wolboriam ad Mareſchallum Widerski abductum fuiſſe, ibique contra iura gentium captiuum detineri. Et interea facinoroſus quidam ſupremi Samogitiae Capitanei Georgii Caroli Hlebowicz familiaris hoſpitium noſtrum praemeditato conſilio ingreſſus, poſtpoſita reuerentia legatorum characteri ex vſu vniuerſo orbi communi debita, oſtiariam crudeliter occidiſſet, eiuſque maritum quatuordecim inflictis vulneribus proſtraſſet: Ipſaque vrbs in euidenti direptionis diſcrimine ab exercitus concuſſione quotidie verſaretur, periculoſum nimis putauimus, diutius morari inter gentes, quae tunc omnibus conculcatis iuribus ſolo inconſultae ferociae ſuae impetu ferebantur, vnde abire decreuimus.

Facinoroſus quidam oſtiariam adium in quibus author, et Collega hoſpitium habebant, trucidat.

Habitant in campis circa Vilnam, et praeſertim ad Vakae amnis ripas Tartari, progenies illorum, quos ex Tranſuolgenſibus, et Nagaienſibus hordis Olgerdus ex proceribus Lituaniae anno 1397 ſub auſpiciis Magni Ducis Vitoldi eorum acie vltra Tanaim profligata captiuos adduxit. Mahometanae ſuperſtitionis, quam per manus male traditam peius continuo retinent, libero in Meſcquitis ſuis per ſacerdotes a Crimenſibus identidem ſuppeditatos exercitio gaudent. Nulla tamen nobilium praerogatiua, quin imo ordinariam Arcibus praefectorum iurisdictionem ciuili ſubiectione agnoſcunt. Eorum plures militant; ſed tabellarii, vel equorum ſuorum locatoris munere, quod lucroſe exercent, haud neglecto. Trahis igitur triginta ab his mercede conductis, cum equites aliquot pro tutiori ad limites vſque conductu tam a Regiis commiſſariis, quam ab exercitus foederati cum plena facultate deputato necquicquam petiiſſemus, ad VI. Idus Februarii paulo ante meridiem Pruſſiam verſus iter arripuimus.

Conductis itaque a Tartaris equis Vilna diſcedunt.

Nec bene vltra decem millia paſſuum illud emenſi eramus, cum nobilis Lituanus Stephanus Marcinski exercitus vinculati miles Caunam ad ſignum ſuum contendens traha ſimiliter vectus cum binis famulis celeriori curſu nos aſſecutus, non ſolum characteris noſtri, ſed etiam receptae in regione illa inter pares conſuetudinis ſuperbe contemptor, imperioſe petiit, vt de via omnes decederemus, quo ipſe poſſet praeterire. Ego, qui poſtremus in rheda mea vndiquaque extrinſecus clauſa, et trahae ſuper impoſita ſolus ſedebam, reſponderi illi per proximum mihi cubicularium meum Polonici idiomatis haud imperitum curaui, quod pete-

Et eodem die nobilis Marcinski eos iniurioſus aggreditur.

ret, a triginta trahis ſine maxima incommoditate praeſtari non poſſe. Ipſe potius, qui vnica vtebatur, faciliori flexu per viam, quae ampla, et plana ad vtrumque latus patebat iuxta morem regionis ſuo arbitratu pergeret. His ille auditis quaſi furiis actus de traha deſiliens euaginato falcato gladio per mille contumelias pediſequum, qui ad meam ſuſtentandam deſtinatus ſecus illam erat, primum impetiit, qui vtpote inermis eam circumſaliendo offenſae ſe ſubducebat. Tunc cubicularius, vt furioſi inſanum compeſceret impetum, cum vrbano modico gladiolo accurrens, pauliſper cum eo digladiatus, ſi par animo, at armis impar, vulneratum in vtraque manu, et praeſertim in laeua cum perpetuo dehinc vſus detrimento ſe ſenſit. Alter ex famulis meis abaci cuſtos, qui omnino inermis, ſed lacertoſus harpen e militis manu euellere voti ſui iam fere compos conabatur, ab altero ex famulis eius tribus in capite ictibus caeſim percuſſus deſiſtere ab incoepto coactus fuit. Mollibus interea verbis delinire ego, quippe qui e rheda exterius clauſa prodire nequirem, inſanientis furorem tentabam, ſed irritis votis. Quin imo ille conuitia reddens ferream fiſtulam in pectus meum direxit, ſine dubio exploſurus, ni a famulis ſuis inde fuiſſet abductus. Haec omnia prudenti lenitate in alieno ſolo tunc violentiae obnoxio inter iniurioſi commilitonum turmas eodem, quo nos ibamus, itinere ad pinguiora hyberna in Samogitiam contendentes tolerabamus, nec vindictam vllam, quantumuis facilem, de iis ſumere in animo habebamus. At furioſa bellua cum vidiſſet nos ſubſtitiſſe, vt ſauciis vulnera ligarentur, in nos denuo diſtricto ſuo falcato enſe, exertoque brachio mouens, quamuis videret famulitium noſtrum iam armatum, paratumque vim vi repellere, nihilominus oeſtro percitus obuius irruit tanta ferocia, vt non omnes eius furorem euaſuri viderentur, niſi neceſſaria vterentur defenſione eum proſternendo. Quod factum fuit.

Et cubicularium authoris vulnerat.

Ipſe tamen tandem occiditur.

Magnis deinde itineribus diu noctuque continuo properantes pridie Idus Februarii matutino tempore per Caunam, et Iurburgum ad amnem Swientam, Lituaniam inter et Pruſſiam limitem, poſt emenſas ter nouem maximas leucas praeſtantibus fideliſſimam nobis operam Tartaris peruenimus. Et exinde inoffenſo ſemper pede, euitata tamen Polonia a foederatis infeſſa, per Pruſſiam, Pomeraniam, Marchiam Brandenburgicam, Sileſiam, Morauiam, et Auſtriam Viennae ipſa Diuo Ioſepho dicata die anno 1663 nos reddidimus.

MARTINI ZEILLERI

POSTERIOR DESCRIPTIO

REGNI POLONIÆ,

ET

MAGNI DVCATVS LITHVANIAE,

EX

RECENTIORIBVS POLONICIS, ALIISQVE SCRIPTORIBVS DENVO SECVNDVM DIVERSAS PROVINCIAS CONGESTA, ET PRAESENTIBVS TEMPORIBVS ACCOMMODATA; VTI EX PRAEFATIONE APPARET,

CVI

PRVSSICAE ETIAM, LIVONICAE, MOLDAVICAE, MOSCOVITICAE, TARTARICAE, ALIAEQVE RES COMPLVRES SVNT INSERTAE.

PRAEFATIO.

Lectori benevolo notum est, anno millesimo sexcentesimo quadragesimo septimo Regni Poloniae descriptionem a me primum editam esse, quae deinde cum appendice typographicis prelis iterum excusa est. Cum autem ab eo inde tempore recentiores aliquot scriptores Polonicos, Simonem Starovolscium, Paulum Piasecium, Georgium Osolinskium, Auctorem Poloniae defensae, contra Joannem Barclaium, Andream de Pilca Corycinium, Andream Maximilianum Fredro, Albertum Wiuckum Koialovicium, Joannem Demetrium Sulikouium, Stanislaum a Kobierzycko Kobierzickum, Joachimum Pastorium et alios, qui tunc partim non habendi, partim typis nondum impressi erant, nactus sim; cum praeterea annis proxime insequentibus magnis propter varia bella interim gesta in hoc Regno mutationibus factis superiorem illam meam descriptionem haud paucis additamentis augeri necesse esset; id quod iis, qui descriptionem illam iam emerunt, iniucundum foret; commodius duxi, eam sicuti iam bis edita est, sine accessionibus a me relinqui, sed earum loco hanc posteriorem et recentiorem descriptionem alio quodam modo structam, et secundum prouincias diuisam, elaborari et praesentibus temporibus accommodari; vt ii, qui priorem descriptionem iam possideant, hanc posteriorem illi addere, et cum ipsa conferre possint. Praeterea posteriori huic descriptioni Moldauicae etiam, Moscoviticae, Tartaricae, multarumque aliarum gentium res, quae in priore illa descriptione frustra quaeruntur, sunt inserta, vt iis res Polonicae eo clarius illustrentur; siquidem Regnum illud quiete rarissime fruitur, sed continuis bellis agitatur: (vno enim bello finito, mox alterum initium capit) et proinde Polonicarum prouinciarum atque locorum, in Relationibus et publicis rerum nouarum narrationibus identidem nominatorum descriptionem, rerumque cum praeteritarum, tum his temporibus euenientium cognitionem habere, lectori discendi cupido pergratum, imo vtile esse potest; qui lector etiam ex hac praesente descriptione intelligat, quanam re Cosaci, quibus etiam agricolae Russici se adiunxerunt, ad grauissimum illud bellum proxime gestum sint incitati; quanquam in Relationibus vera seditionis ab ipsis motae causa (praeter religionem) non commemorata sit; sed tamen ex scriptoribus quibusdam satis appareat, quam seuere rustici Poloniae, vulgo Kmetones dicti, a multis dominis tractentur; id quod ipse Aaron Alexander Olizarovius Juris Doctor, eiusdemque in Academia Lithuaniae Vilnensi Professor, libr. I. de politica hominum societate, *cap. II. §. 6. non reticet, sed p. 153. et seqq. palam dicit, quamuis eius (Regni Polonici) rustici, non mancipia, sed homines liberi, Censitisque, seu Conditionalibus Colonis apud Romanos similes fuerint, qui annuo censu agros colerent, et, donec dominis constitutum censum solverent, horum agrorum fruges simul cum ipsis perciperent, bene tamen miserorum illorum hominum (in Regno Poloniae) aerumnis, quae ipsis a multis dominis sunt perferendae, consideratis, facile repertum iri, in quam gravi servitute vitam degant: cum non modo ii domini, quorum agros (aut fundos) colant, potestatem in ipsorum vitam sibi arrogent, verum etiam vnusquisque nobilis pro lubitu cum ipsis agat. Et adhuc tolerabilem ipsorum fore conditionem, si a suis tantummodo dominis, et non a quocunque, haberent quod vitae iacturam timerent, neque nobilium canibus essent infeliciores, siquidem propter vnius canis mortem aliquot homines saepius occidantur. Omnes hebdomadas ipsis ita esse distributas, vt quinos senosve dies dominorum negotiis vacent, dominicis autem festisve diebus suas res curent, et laboribus perferendis desudent. A multis igitur dominis, triginta abhinc circiter annis ad praesens vsque tempus (ad annum scilicet millesimum sexcentesimum quinquagesimum, quo anno haec scripsit) per intolerabiles exactiones rusticos ipsis subiectos pessumdari, pactumque societatis cuiusdam cum rusticis esse fictum, quo eos ad dimidiam prouentuum, ex melle vendendo redeuntium, partem dominis soluendam cogerent, qui neque operam, neque sumtus in mellis curationem impenderent, sed eam tam rusticis incumbere, qui apes adducere, et omnia mellificio necessaria afferre deberent; id quod scriptor ille loco*

citato pluribus perſequitur. Quae autem his temporibus ipſorum conditio ſit, in Relationibus Polonicis diſtincte non traditur; quae Relationes aliis etiam in rebus ſaepiſſime inter ſe pugnant; ſicut etiam loca, vbi bella geruntur, non vbique iisdem appellantur nominibus; proinde mihi quoque haec deſcriptio maius negotium faceſſiuit. Illi enim, quorum ſupra mentionem feci, et alii ſcriptores Polonici, antea a me conſulti, Latine ſcripſerunt, eaque lingua in prouinciis et locis denominandis vſi ſunt, quae ſaepius a Polonis aliter pronunciantur, atque nominantur et rurſus aliter a Germanis. Quid? quod ne Polonici quidem ſcriptores in nominibus locorum ſemper inter ſe conſentiunt, vnde et haec recentior mea deſcriptio a priore illa interdum forſitan nonnihil diſcrepat. Ita a Starovolſcio alter Cuiauiae Palatinatus Juniuladislauienſis, (cuius oppidulum Vrzeſtye, ſex ſeptemue milliaria a Thorunio diſtans anno milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo ſeptimo a Suecis praeſidio mature inſtructum eſt) ab aliis autem Inosladienſis, eiusque metropolis a Cromero Inowladislow, a Goelnitzio autem Inowlocz vocatur. Bydgoſtia, ſeu Bidgoſtia, urbs, a Polonis Bedgosky, a Germanis autem Bromberg dicta, a nonnullis, nominatim a Starovolſcio illo ad eundem, quem modo dixi, Cuiauiae Palatinatum, et proinde ad Poloniam maiorem, ab aliis autem ad Pomerelliam refertur, alii denique cum Polonica Tabula prouinciali, quam vocant, Bidgoſtiam locum a Brombergo diverſum eſſe contendunt, quapropter etiam his, in Polonia maiore et in Pomerellia, hunc locum poſuimus. Ita Frauenſtadium, in Sileſiae finibus ſitum, a Latinis, vti equidem reperi, Vſchohouia, a Polonis autem Vuſchoua, dicitur, cum tamen vnus idemque locus ſit. Pari modo oppidulum Czenſtochiam, Czenſtochowam, ſeu Czenſtochouiam, ex praeſtantiſſimo et celeberrimo monaſterio, extra eam in Monte Claro ſita, etiam Clarembergam ſeu Clarum Montem nonnulli interdum vocant; et ſic porro: quibus vnus et alter haud ſecius atque monetis et ratiocinationibus Florenorum Polonicorum, qui quidem tres eiusmodi Florenos Imperiali noſtro aequare ignorat, decipi poteſt. Id quod, quo notior ea res fieret, hic admonere operae pretium eſſe duxi.

Ea loca, quibuscum ex eo inde tempore, quo recentiorem illam deſcriptionem edidi, mutatio quaedam facta eſt, et de quorum nonnullis interim certior narratio ad nos peruenit, quod attinet, exempli cauſa, quod in oppidum illud Brombergum Suecorum praeſidium ſit collocatum: vrbs Conitia (quam anno milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo ſexto, xx. (xxx.) Octobris die, pactis conditionibus, ab hodierno Cancellario Regni Poloniae ſupremo, Stephano de Pilca Korycinskio, cum Johanne Georgio, Principe Anhaltino, etc. initis, Poloni ceperant) anno milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo ſeptimo, i. (ii.) Januarii die, a Rege Suecorum recuperata ſit; antea vero Poloni, qui Dantiſco diſceſſiſſent, in pagis finitimis, irruptione a Suecorum Praefecto de Aſchenberg facta, menſe Decembri magnam fecerint iacturam: Dantiſcum caritate, peſtilentia, aliisque calamitatibus haud mediocriter vexatum; Derpatum, Liuoniae oppidum, a Moſcouitis occupatum, pactum vero ab eius ciuibus non ſeruatum, Golupum a Polonis fruſtranea obſidione preſſum, caſtellum Grebbinum a Dantiſcanis per vim occupatum atque combuſtum, Louicium a Polonis captum, Pautzge, Dantiſcanorum, qui inde exierant, loco, Polonicis militibus rurſus communitum ſit, Schlochauia vero in Suecorum poteſtate adhuc permanſerit, Thorunii proxime ſuperiore anno octo hominum millia amplius obierint: Tykoczinum a Lithuanis et Samogitis fruſtra tentatum ſit, et alia complura ab vtraque parte euenerint, ea, inquam, quoniam libello typographicis prelis iam ſubiecto, inſeri non poterant, beneuolus lector pro lubitu ipſe adiiciet, quaeque durante adhuc bello in vno alteroue loco in poſterum forſitan ſint euentura, pro arbitrio continuabit; quem diuino patrocinio optime commendo. Scriptum Vlmae, die 10 Februarii, anno 1656.

MARTINVS ZEILLERVS.

Polo-

Polonia ab antiquis Sarmatia Europaea dicta eſt. Id vero, quod nunc gerit, nomen Cromerus a Lecho repetit, dicens, *Polaki* idem, quod Lechi poſteros ſignificare. Ruſſi ſacris Graecis addicti Polonos eccleſiae Latinae dogmata amplectentes Lachos appellant; vt *Po Laku* Latine verſum *ex Latino ritu* denotet. Hungari Lengel quaſi Lechel ab eo, quem modo dixi, Principe Lecho eos vocant. Et ſic adhucdum Lechos ſeu Lechiadas non Polonos Poloniae incolas a Turcis appellitari Zuerius Boxhornius in *hiſtoria vniuerſali, pagina ſeptuageſima* tradit.

Poloniae Regnum a Buriis, Lygiis, Ariis, Manimis, Elyſiis, Naharualis, Peucinis aliisque nationibus Germanicis, habitatum quondam fuiſſe, Philippus Cluuerius in *Antiqua Germania*, et alii affirmant; antequam eaedem partim ipſae in alias terras inde migrarint, partim a Venedis identidem ſint expulſae. De quo prior huius Regni a me compoſita deſcriptio videre eſt, pag. 1. et ſeqq. Auctor libelli eius, qui Polonia defenſa, contra Ioannem Barclaium etc. inſcribitur, narrat, eas regiones, vbi nunc vtraque Polonia, et pars Ruſſiae nigrae ſit, a Baſtranis, (quos Cluuerius ille Germanis falſo annumerat) Peucinis et Venedis habitas eſſe; vti ex Strabone, Plinio et Tacito ſit cognoſcendum. Et Venedos quidem ad oſtium Viſtulae et mare protenſos ea loca, vbi nunc Polonia maior et Pruſſia ſita ſit, tenuiſſe, vnde Venedici Sinus nomen ſit profectum. Idem Illyrios, Thraces, Baſtranas, Getas, Sarmatas eiusdem originis atque cognationis eſſe, vti ex ipſorum lingua poſſit colligi, a Scythis quidem diuerſos, contendit. Qui et porro tradit, omnes populos, inter mare Adriaticum, fines Macedonicos, maris Aegaei litora, Propontidem, Pontum Euxinum, montem Caucaſum et mare Caſpium, vſque ad fluuium Obium, tum vero ab Albi fluuio, qui veteris Germaniae terminus fuerit, ac denique ad Danubii partem, ſitos eiusdem quondam fuiſſe originis, qui linguam vernaculam plerumque, in Ruſſia praeſertim atque Moſcouia retinuerint. Nouos enim populos eo demigraſſe, apud nullum hiſtoricum reperiri. Certum itaque eſſe, gentes, quae ibi ſint, Aborigines quaſi eſſe, et a prima terrae illius occupatione continua ſucceſſione propagatas. Lingua Sclauonica illas vti, quae antiquiſſima et congenita illis, nihil habeat cum Scythis aut Tartaris, quanquam illis conterminis, nec cum Turcis, Perſis et Arabibus (qui omnes nunc ſint veri Scythae, eiusdemque fere ſermonis commercio coniuncti) commune. Neque moueri quenquam debere a veterum auctoritate, Sarmatiam cum Scythia confundentium, et in ſcriptis ſuis paſſim omnes ſeptentrionis populos Scythas nominantium. Notum enim eſſe, quanta imperitia geographiae antiquis harum praeſertim regionum fuerit, quam falſa, quamque diuerſa de iis tradant, atque miſceant. Ita Graecos, Strabone narrante, a finitimis Scythis Aſiam inhabitantibus omnes alias gentes ſeptentrionem verſus ſitas appellaſſe Scythas; quaeque Graeci quoquo modo tradiderint, ea Romani pro compertis poſtea habuiſſe. Porro idem auctor ſcribit, gentes ſupra commemoratas ex ſua opinione nomine quodam vniuerſali, ſed eo ob incuriam ſcriptorum nobis ignoto, fuiſſe inſignitas. Se quidem omnia expendente, omnem iſtam gentem in Slauones, Getas, Sarmatas ac Ruſſos eſſe diuidendam. Slauonicum nomen vetuſtioribus ſcriptoribus non ante fuiſſe cognitum, quam cum in Romanas prouincias irruptionibus inclareſcere illi coeperint; Procopiumque et Iornandem primos eorum mentionem feciſſe; et huic nomini praeter illos populos qui in Romanas migrarint prouincias, Polacos inprimis, ſeu Polonos auitis ſedibus manentes, nec non in Germaniam transgreſſos Morauos, Bohemos, Sileſios et Pomeranos, eſſe accenſendos; quos omnes Slouacos ſeu Slauones eſſe multos multis argumentis iam comprobaſſe. Tum ſe-

qui Getas, seu Thraces, quibus vetus Pannonia cum Moesia, Dacia, totoque Illyrico tractu sit adscribenda. Has vero nationes a Romana inprimis dominatione, tum vero ab irruptione Hunnorum, Scythicae gentis, et denique ab imperii Turcici variis coloniis, admodum esse immutatas. His Getis vicinos esse Sarmatas, tertiam gentem primariam, quorum veri limites hi fuerint: ab occidente Fluuius Boristhenes nunc Dniepr dictus; a meridie Pontus Euxinus, (seu mare nigrum) mons Caucasus, et mare Caspium; ab ortu fluuius Rha, qui nunc Volga dicatur, quique etiam ad septentrionem deflectens totam fere Sarmatiam ambierit, et a Russia separarit; quam Russiam quartam et vltimam gentis supra dictae fuisse partem. Huius partis seu regionis incolas ab antiquis geographis Riphaces et Riphaeos, vti etiam Roxolanos, vocari, eoque Russiam albam, et Ducis Moscouiae ditiones, prouinciasque septentrionales ad nouam Zemblam vsque pertinuisse. Ei autem genti, quae a primario nomine Slauonica haud male appelletur, nihil cum Scythis (quos vltra Europae terminos ad Asiaticos populos relegat) neque in sermone, neque in moribus, neque in sacris, esse commune: neque vllam linguam latius patere, quam Sclauonicam; quod facile agniturus sit, qui ab Adriatico mari ad nouam Zemblam (quod nomen Slauonicum sit, seu Venedicum, nouamque terram seu regionem denotet) magnum illum tractum mensus fuerit. Hactenus ille scriptor.

Sed vt ad linguam Polonicam separatim veniamus, ea quidem prorsus Slauonica est et Patronymica et Possessiua pleraque in ski exeunt, vnde Hispanus Hiszpanski et Polonus Polski ab iis vocatur. Praeterea vero Latina etiam et Germanica lingua permulti vtuntur. Quid? quod sunt in nobilibus et mercatoribus, qui Francicam, Italicam et Hungaricam linguam loquantur; inprimis Hungariam versus habitantes. Nam praeter Polonos natos, ex aliis quoque gentibus orti et inprimis Germani (vide priorem descriptionem p. 10. sq.) in hoc Regno versantur. Sic quoque frequentissimus Iudaeorum numerus ibi quondam fuit, quorum autem permulti proximis annis sunt trucidati. Mercatores Italici Cracouiae sunt plurimi; Scoti vero totum fere Poloniae Regnum merces suas circumgestantes, peragrant. Moscouiticae et Bohemicae linguae, vti iam supra significauimus, cum Polonica quaedam intercedit coniunctio.

Regnum autem Poloniae cum adiacentibus prouinciis, vt Simon Starouolscius in Polonia tradit, a duodequadragesimo gradu ad quinquagesimum quartum ab occasu aestiuo versus ortum hibernum amplius quam per ducenta quadraginta milliaria Germanica in longitudinem; in latitudinem vero a montibus Carpathiis vsque ad mare Balthicum per ducenta circiter milliaria extenditur. Ab occasu Marchia Brandenburgica et Ducatu Pomeraniae, a septentrione eo, quod modo dixi, Balthico et Sarmatico mari, ab ortu Moscouia, Scythicisque seu Tartaricis solitudinibus, et tandem a meridie Valachia, Hungaria et Silesia cingitur.

Idem vero scriptor octo amplissimas prouincias sub Rege Sigismundo tertio Regno Poloniae annumeratas esse tradit, Poloniam vtramque, maiorem et minorem, Lithuaniam, Russiam, Prussiam, Mosouiam, Samogitiam, Pomerelliam et Liuoniam: de quibus infra plura dicentur.

Paulus Piasecius Episcopus Praemislienſis, in Chronico gestorum in Europa singularium dicit, cum trans Kiouiam, Barum et Braclauiam omnium harum regionum tractus olim desertus, et non nisi a feris bestiis habitatus esset, eum sub Regis Stephani imperio pagis et oppidis, incolarum frequentia claris, breui temporis spatio impletum fuisse. Vnde fieri, vt omnes regiones inter fluuios Danastum seu Tyram, Hyppanim et Boristhenem sitae, quotquot quidem Christianae religioni sint addictae, eae omnes, inquam, regiones, ad litora vsque Ponti Euxini seu maris nigri ex pacto cum Solymanno, Turcarum Imperatore, inito Polonicae habeantur. Bialogrodiae (quod a Cromero Moncastrum dictum vlteriori fluminis

fluminis Tyrae rypae adiacet,) et Oczacouiae maritima Turcarum esse praesidia, quae interiacentia illumque Pontum Euxinum tangentia Polonica litora concludant; prouinciasque vltra Boristhenem per bidui, et nonnullis in locis tridui iter fluuium Tanaim et Moscouiam versus protensas ad Regnum Poloniae pertinere. A qua continente et trans Boristhenem sita, eademque patente terra, pendere Chersonesum Tauricam, meridiem ortumque versus Ponto Euxino, et septentrionem versus palude Maeotide, (in quam fluuius Tanais, siue Don, ex Moscouia profluens incidat) Bosporoque Cimmerio circumdatam, eamque tam in longitudine, quam latitudine, quae fere aequales sunt, viginti milliaria Germanica complecti; trans fluuium Tyram autem austrum versus sitam esse Moldauiam a scriptoribus etiam Valachiae nomine plerumque comprehensam, cuius principes sub Regis Polonici tutela quondam fuerint; nunc autem a Turcarum Imperatore constituantur, Regesque Poloniae non nisi vt vicinos reuereantur, et cum illis plerumque amicitiam colant.

Post bellum annis decimi septimi a Christo nato saeculi decimo sexto, septimo et octauo cum Moscouia gestum bellum Poloniae et Lithuaniae fines centum milliaria amplius et in longitudinem et in latitudinem sunt dilatati. Polonica autem milliaria, vti in Polonia defensa, p. 127. asseritur, Germanica magnitudine aequant. Sunt, qui dicant, milliare Polonicum vnum quatuor Italica complecti; quanquam Lithuanica, Russica et Podolica paulo sint longiora: sicuti neque Germanica milliaria vbique locorum sunt paria.

De earum, quas diximus, terrarum fertilitate prior nostra (Germanica puta) descriptio passim, quinta praesertim, vndequadragesima et quadragesima pagina, legi potest; tum ea, quae harum terrarum descriptioni infra inserentur.

Apium duo genera, mansuetae et ferae, in Polonia reperiuntur, quarum priores in domibus, posteriores in siluis, vtraeque non sine diligenti cura aluntur.

Annis superioribus antequam terra bello miserrime vastata erat, taurorum sexaginta fere millia inde in peregrinas prouincias quotannis sunt diducta, praeter eos, quos Poloni ipsi consumserunt, vti auctor Polonicae defensae p. 52. testatur.

De iis, que ex sale et metallis redeunt, emolumentis infra dicendi locus erit.

Tum regiones illae amoena, magna atque piscibus repleta habent flumina, Boristhenem, seu Dniepr, Aprum seu Wieprz, Tyram seu Dniestr, Vistulam, Chrononem, seu Nemenum, Hierassum seu Pruth, (qui Moldauiam a Podolia disiungit) et multa alia, quorum nonnulla infra nominabuntur. Pauca tantummodo de Boristhene hic commemorabo, qui ex Moscouia profluens multum aquarum assumit, cursu admodum citato fertur, profundus est, tandemque in Pontum Euxinum effunditur. Vide priorem nostram descriptionem. Fluuius ille per ducenta milliaria Germanica labitur, et cum quinquaginta milliaribus infra Kiouiam in locum quendam saxosum, sermone Slauonico Porohi dictum, offendat, et tum per rupes quasi per gradus deuolutus in planitie huc illuc dilabatur et septuaginta insulas faciat, de illis defluentis aquae gradibus *Zaporohi*, quasi *super gradibus* quia in saxosis illis gradibus sitae sint, dictas, inde Cosaci etiam has insulas incolentes Zaporohiani Cosaci appellantur.

Cum de Polonorum moribus, consuetudinibus, aliisque eo pertinentibus rebus iam in priore descriptione egerim, ea tantummodo, quae a recentioribus quibusdam Polonorum scriptoribus his de rebus exposita inueni, hic tradam.

Primo igitur Starouolscius dicit, non modo illustriore stirpe natos exoticis pannis pellibusque vti, verum etiam humilioris et plebeii ordinis homines sericis, purpureis aureisque vestibus indutos incedere: morem equos argento ornandi, ex argenteis vasis vescendi, et altaria, vel in pagis, argento onerandi iam inualescere: sic argenti etiam, auri, vnionum atque gemmarum ornamenta vsitata esse, nihilque

nihilque restare, nisi vt aurum et argentum comedatur. Vnde fieri, vt plurimae inter eos assiduaeque controuersiae oriantur, neque pristina cura res militaris geratur. Praeterea tradit, splendidissime eos viuere, magnatesque potissimam prouentuum suorum partem in aromata et vina insumere. Reperiri nonnullos, qui interdum sexaginta vestes quam pretiosissimas pro se comparatas habeant, etiam famulos suos tam splendide induant, amplissimamque bonorum possessionumue suarum partem in id impendant, vt magnifice cum suis vestiti incedant, tam foeminae, quam viri. Ita etiam ingentem luxum in aedes et fabricas ligneas, quae tamen nihil sint, nisi rogus ad comburendum apte compositus, insumi. Pedestrem incedere per viam, longiorem praesertim, minus honorificum haberi: viros pariter atque foeminas non nisi curribus et carpentis sex equis iunctis vehi; quanquam viri equis potius, quam curribus insidentes in publicum prodeant.

Episcopus ille Polonicus, Piasecius, narrat, cum anno millesimo quingentesimo vndenonagesimo Rex Sigismundus, concedentibus Polonis ad patrem Iohannem, Sueciae Regem, Reualiam, Liuoniae vrbem, sit profectus, primores aliquot Polonicos cum maxima hominum frequentia, in iisque Christophorum Radziuilum, Palatinum Vildensem mille amplius hominibus stipatum, eum fuisse comitatos. Cum igitur Rex Iohannes hospites illos dapibus instrui iussisset; et principi Radziuilo duo boues essent destinati, aliquis autem permultos sibi esse famulos diceret, dispensatorem respondisse, totidem sibi capellas esse addendas; quo Suecos Polonis parciores esse significaret, qui Poloni saepius, omni re familiari consumta, ad extremam redigerentur egestatem.

Poloni nobiles non nisi pellibus ex Scythicis mustelis muribusque confectis subsutas vestes bis mille fere Imperialibus constantes gerunt. Siquidem vna pellis, cuius magnitudo dimidium vix pedem continet, praestantior illa quidem, vti Poloniae defensae auctor tradit, quinquaginta amplius Imperialibus est.

In Polonorum legibus ea etiam reperitur. Si quis proscriptus et infamia notatus est, ei in Regno commorari non licet; quandoquidem ab vnoquoque impune interfici potest. Omnes magistratus, in quorum ditionem venit, ad eum corripiendum et capitali supplicio reseruandum sunt adstricti. Veruntamen Rex per literas intra certum tempus impune in Regno commorandi potestatem ei impertiri potest.

Homicidia pecunia quidem multantur: sed ea tamen a iudicibus determinatur, et praeterea homicida semper in molestam, obscuram et profundam custodiam coniicitur, in qua per annum vnumque mensem cum dimidio tenetur; quam poenam pecunia redimere non potest; et si pactionis ea de re initae conuincatur, ei carceris poena denuo subeunda est. Neque tamen haec supplicii capitalis remissio cuiuis patrocinatur homicidae. Nam in ipso facinore deprehensi, vti etiam latrones et praedones capitis poenam luunt: si quis autem glande e sclopeto emissa, aliquem occiderit, is duplici mulcta pecuniaria et biennali carcere punitur, sicut auctor Poloniae defensae pagina octogesima narrat.

Olim appellationes, quas vocant, a iudiciis inferioribus omnes proxime ad Regem deferebantur. Imperante autem Stephano Batorio, duo iudicia aulica, seu Parlamenta, quae Tribunalia vocant, vnum quidem Petricouiae pro Polonia maiore et Prussia, alterum Lublini pro Polonia minore et Russia, sunt instituta; quorum munus iudiciale annuum est. Veruntamen atrocioria delicta Rex cum Senatu in comitiis diiudicat; tum etiam controuersias de vectigalibus regiis et de vrbibus ad se, Regem, vt peculium pertinentibus, motas componit.

Germanis

Germanis minus amici sunt Poloni. Vnde Episcopus Polonicus, Paulus Piasecius, in Annalium folio quadragesimo palam ita dicit: Polonia et Slauonia tota gentis natura abhorret a studiis et artibus Germanorum, et quicquid venit inde, quale illud sit, praeter operas mechanicas, sibi noxium reputat, et reiicit suspectum.

Natio Polonica primo in nobilem et plebeium, deinde in clericum et laicum ordinem diuiditur. Ex quorum posteriorum vtroque ordine Senatus, Regi associatus, et ex omnibus Poloniae prouinciis delectus, constat. Quem Senatum Starovolscius quadripartito ordine ita collocat:

1. Duos Archiepiscopos, Gnesnensem et Leopolienſem: tum Episcopos quindecim, Cracouiensem, Cuiauiensem, Vilnensem, Posnaniensem, Plocensem, Varmiensem, Praemisliensem, Samogitiae Culmensem, Chelmensem, Kiouiensem, Luceoriensem, Camenecensem, Vendensem, atque Smolenscensem.

2. Palatinos, triginta quatuor numero: Cracouiensem, Posnaniensem, Vilnensem, Sendomiriensem, Calissiensem, Trocensem, Siradiensem, Lancicienſem, Brestensem, Kiouiensem, Inoulodislauiensem, Russiae, Volhyniae, Podoliae, Smolenscensem, Lublinensem, Polocensem, Belzensem, Nouogrodensem, Plocensem, Vitebscensem, Masouiae, Podlachiae, Rauensem, Brescienſem, Culmensem, Mscislauiensem, Marieburgensem, Braslauiensem, Pomeraniae, Minscensem, Vendensem, Czerniechouiensem, et Capitaneum Samogitiae.

Deinde, 3. Castellanos, octoginta septem numero, partim maiores, partim minores; Cracouiensem, qui omnes Palatinos antecedit, proximumque ab Episcopis locum in consiliariis laicis capit. Tum, vti ipsos Starovolscius, ex ordine recenset, sequuntur Castellanus Vilnensis, Trocensis, Posnaniensis, Sendomiriensis, Calisiensis, Voinicensis, Gnesnensis, Siradiensis, Lencicienſis, Samogitiae, Brestensis, Kiouiensis, Inoulodislauiensis, Leopoliensis, Volhyniae, Camenecensis, Smolenscensis, Lublinensis, Polocensis, Belzensis, Nouogrodensis, Plocensis, Vitebscensis, Cernensis, Podlachiae, Rauensis, Brescienſis, Culmensis, Mscislauiensis, Elbingensis, Braslauiensis, Gedanensis, Minscensis atque Czerniechouiensis. Et hi dicuntur maiores, quoniam cum caeteris, tam clericis, quam laicis Senatoribus ad omnia etiam secretissima consilia admittuntur. Minores vero non item, qui sunt: Sandecensis, Medirecensis, Vislicienſis, Biecensis, Rogosnensis, Radomiensis, Zauichostensis, Landensis, Sremensis, Zarnouiensis, Malogostensis, Vielunensis, Praemislienſis, Halicienſis, Sanocensis, Chelmensis, Dobrinensis, Polanecensis, Praemetensis, Criuinensis, Czechouiensis, Naclensis, Rospirienſis, Biechouiensis, Bidgostienſis, Braesnienſis, Crusuicensis, Osuecimensis, Camenecensis, Spicimirienſis, Inoulodensis, Coualienſis, Santocensis, Sochaczouiensis, Varsouiensis, Gostinensis, Visnensis, Racionensis, Sieprcensis, Visogrodensis, Ripinensis, Zacrocimensis, Ciechanouiensis, Liuensis, Sloncensis, Lubaczouiensis, Conarienſis terrae Siradienſis, Conarienſis terrae Lencicienſis, et Conarienſis terrae Cuiauiensis.

4. Hos sequuntur Officiales Regni maiores decem, Marschalcus Regni Poloniae supremus, Marschalcus Magni Ducatus Lithuaniae supremus, Cancellarius Regni Poloniae, Cancellarius Magni Ducatus Lithuaniae, Cancellarius vicarius Regni Poloniae, Cancellarius Vicarius Magni Ducatus Lithuaniae, Thesaurarius Regni Poloniae, et Thesaurarius Magni Ducatus Lithuaniae, Marschalcus Curiae Regni Poloniae, et Marschalcus Curiae Magni Ducatus Lithuaniae.

Sunt autem Palatini principes territoriorum suorum, et bellicis temporibus duces copiarum, in iisdem territoriis suis.

Castellani vero, a castellis seu oppidis, quibus eorum vnusquisque praefectus est, nomen gerentes, sunt Palatinorum quasi Legati, vti etiam nobilitatis duces et praefecti, sub vniuscuiusque Palatinatu: et sunt in vno eodemque Palatinatu plures interdum Castellani.

Caeteri tandem Officiales a Senatorum numero excluſi, triplicis ſunt generis. Alii enim totius Regni, aut Magni Ducatus Lithuaniae, officiales dicuntur, vt exercituum Imperatores, Referendarii, Pincernae, Dapiferi, Vexilliferi, et plures. Alii aulae regiae Officiales ſunt, vt Camerarius ſupremus, Stabuli praefectus ſupremus et vicarius Praefectus Culinae, Curruum et Venatorum, Secretarii, et alii. Et denique prouinciarum ſeu diſtrictuum Officiales, vt Gubernatores, quos Capitaneos vocant, Praefecti vrbium, Iudices, Gladiferi, Quaeſtores, aliique complures, qui terreſtres Officiales appellantur. Vide deſcriptionem meam priorem.

Ad ſuperiora autem notandum eſt, centum quadraginta ſex Senatorum, qui ibi recenſentur, numero aliquot hoc tempore deeſſe; quandoquidem eorum Epiſcopatus, Palatinatus et Caſtellanatus Suecorum et Moſcouitarum poteſtati ſunt ſubiecti.

Tum Archiepiſcopum Gneſnenſem omnibus caeteris dignitate anteire memoria dignum eſt. Ipſi in publicum prodeunti, aut aulam regiam intraturo crux, et ſcipio, qui Marſchalcorum dicitur, regiamque denotat auctoritatem, a Senatorum aliquo palam praefertur. Quid? quod Rex ipſe ei, cum primum aduenerit, aliquot paſſus obuius progreditur, ſtansque eum excipit. Rege defuncto, hic Archiepiſcopus comitia conuocat; imo eo adhuc viuo, et aliquid imperii ſtatutis aduerſum patrante, ordines in Senatum congregat: vti Andreas Maximilianus Fredro, in geſtis populi Poloni, ſub Rege Henrico Valeſio, tradit.

Caeterum, omnes illi Senatores, ſeu Regni conſiliarii ſedem et ſuffragium in comitiis, Varſauiae plerumque, ob loci opportunitatem celebrari ſolitis, habent; quibus comitiis ex nobilibus etiam delecti, quos Legatos prouinciales et municipales nuncios appellant, interſunt, qui ex ſingulis prouinciis libera optione a caeteris nobilibus creati in his comitiis tanquam tribuni Democratiam ſeu populi poteſtatem et priuilegia tuentur, in legibus ſanciendis operam conferunt; Regisque potentiam, et nimiam Senatus auctoritatem coërcent; vt Starouolſcius ille, aliique plures ſcribunt.

Pruſſiae quidem Duces, vt ſibi etiam, vt praecipuis Regni membris, locus in his Polonorum comitiis, ſuffragiorumque ferendorum poteſtas concederetur, aliquoties rogarunt: ſed eorum preces irritae fuerunt; et Dux Pruſſiae, vti etiam Dux Curlandiae, Moldauiaeque princeps, clientes, ſeu (vt vocabulo minus Latino vulgo appellantur) vaſalli ſunt habiti; quanquam poſterioris illius, vti ex ſuperioribus apparet, conditio prorſus immutata eſt; vnde etiam Starouolſcius ita ſcribit: Vaſalli tres praecipui, Dux Pruſſiae, Dux Curlandiae, et Princeps Valachiae. Duo illi haeretici, tertius iſte ſchiſmaticus, qui vero iam potius Turcam ſupremum ſuum Dominum agnoſcit, et Polonum tantum veneratur, et velut potenti vicino, ſtatis temporibus, honoraria mittit.

Illa, cuius ſupra mentionem fecimus, Polonica atque Lithuanica nobilitas admodum frequens quondam fuit, (vide priorem Deſcriptionem noſtram) bellis autem proxime ſuperioribus valde diminuta eſt.

Haec vero nobilitas dignitate par eſt, vt Ducem a Comite non dignoſcas. Hi enim peculiarem ordinem non conficiunt; neque maioris, quam Eques, aliusue nobilis, antiqua et illuſtri ſtirpe natus, aeſtimantur; Radziuilus igitur ille, qui a Romano Imperatore ducis nomen aſſecutus erat, cauſam eius indicare coactus eſt; quaſi ille moram Reipublicae anteuerteret, vnde omnis titulata nobilitas exſularet, dicit is, quem ſupra diximus, Fredro, p. 92. in qua et ſequente pagina ea de re plura differit. Veruntamen Ducis nomen retinent, vti ex Cancellarii Polonici, Georgii, Ducis Oſſolinenſis, ſeu Oſſolinſcii, exemplo apparet, qui anno milleſimo ſexcenteſimo trigeſimo ſeptimo Ratisbonae in conuentu Electorali ſacri Imperii Romani Princeps creatus eſt. Cum vero Imperator Maximilianus primus

primus Polonicos Senatores, qui cum Rege Sigismundo Viennam peruenisſent, partim ad Ducum, partim ad Comitum dignitatem vellet extollere, illi nobilium nomine contenti honores illos ſunt deprecati, vti idem Fredro narrat.

Marſchalcum Regni ſupremum, et Cancellarium ſupremum Rex, Piaſecio tradente, Illuſtrem appellat; quod nomen alias nulli Senatori, niſi Caſtellano Cracouienſi, quippe Senatorum Laicorum primo competit.

Nobilitatem ſuam Poloni tanti faciunt, vt ignobili genere orto eam aegre impertiantur. Proinde peregrinus, quamuis ex optima et illuſtriſſima nobilitate originem ducens, bene tamen de Polonia mereatur, neceſſe eſt, ſi communi omnium ordinum conſenſu nobilium honores et iura in hoc populo conſequi ſtudet.

Summorum virorum reditus annuos ſupra quinque et viginti Coronatorum millia non multum excedere Boterus ſcribit. Epiſcopus Piaſecius autem refert, p. 323. Ianuſium, Ducem Oſtrogenſem, eundemque Caſtellanum Cracouienſem, anno milleſimo ſexcenteſimo vndeuigeſimo ſine maſcula prole ex hac vita deceſſiſſe, vna tamen filia relicta, qui diuitiis Romanum illum Craſſum aequarit; quandoquidem in quauis Regni Polonici expeditione legiones ſuis impenſis ſuſtentarit, et teſtamento ex bonis ſuis ſexcentos equites armatos in Reipublicae Polonicae caſtris contra vicinos Ruſſiae hoſtes perpetuo ali iuſſerit; idque adhucdum fieri. Ita etiam trecenta Ducatorum Hungaricorum millia numerata, nec non aliorum nummorum, gemmarum etiam, aureorum atque argenteorum ſuppellectilium permultum, et inprimis magnam variarum vndique collectarum rerum copiam eſſe ab eo relictam. Anno milleſimo ſexcenteſimo trigeſimo primo (vti idem ſcribit, p. 423.) Andreas Lipskius, Epiſcopus Cracouienſis, in viuis eſſe deſiit, nongentis florenorum Polonicorum millibus, praeter ſuppellectilia pretioſa et horreorum frumentis impletorum plurima, relictis. Sic Poloniae defenſae auctor, tradit, p. 126 et 127 multos eſſe, qui tanta auita bona paſſim in variis Regni prouinciis poſſideant, vt, ſi iungantur, viginti imo triginta milliarium prouincias facile efficiant. Multos ſibi notos eſſe, qui centum, ducentos, trecentos et plures pagos, viginti, imo triginta oppida habeant. Eſſe non paucos, qui e ditionibus ſuis mille pedites, et totidem equites leuis armaturae, Coſacos et Dragones dictos, imo qui tria quatuorue millia poſſint educere; et inter hos agrum partiri, vt, modico addito ſtipendio ad omnem heri nutum militent. In Polonia maiore, vbi res pecuaria maxime vigeat, fuiſſe, qui in praediis ſuis triginta ouium millia hyemaret. In Ruſſia, idem, p. 128, moris eſſe dicit, quouis ſeptennio ab omnibus parentum pecoribus decimam partem exigere; ſeque compertum habere, aliquem decem boum millia, vt decimas accepiſſe. Cum autem tempus, ſeu horum prouentuum exſpectatio nimis longa ipſi videretur, illum ita diuiſiſſe bona, vt mille boues amplius quotannis ad eum redirent. Ita etiam ex piſcinis emolumenta eos capere vberrima. Et quamuis piſces vili pretio vendantur, vna tamen e piſcina decies, decies quinquies, imo trigeſies mille florenorum reditus ſaepe afferri. Addit idem, quot aſſeclas, variosque miniſtros Polonici magnates habeant, ſibique notum eſſe aliquem, p. 133. dicit, qui in ſolos ſymphoniacos Italos quinque, imo ſex Thalerorum millia quotannis impendat, praeter menſam, quam illis praebeat. Eſſe etiam, qui centum Dragones, eosdemque maxima ex parte Germanicos, centum Coſacos, centumque pedites Hungaricos, Haiducos vulgo dictos, aut ſecuritatis, aut ornamenti cauſa, ſemper praeſentes habeant. Quoties vero ad comitia, aut ad alias functiones publicas domo prodeant, triplo, imo quadruplo maiori eos vti comitatu. Eſſe denique, qui ducentos, trecentos et plures equos alant. Enimuero eadem de re iam ſupra nonnulla dicta ſunt.

Hic tantum adiiciam, omnem nobilitatis dignitatem auctoritatemque prae aliis a magistratibus et muneribus publicis proficisci: tum liberis spureis, neque generis sui nomen gerere, neque vllius haereditatis adeundae ius sibi vindicare, esse licitum.

Haec igitur nobilitas copias Regni militares maxime conficit, cui nobilitati suis sumtibus, tribus restibus, quas vocant, seu edictis regiis, intra mensis spatium conuocatae officia regno praestanda sunt. Interdum vnius tantummodo prouinciae nobilitas concitur, quam congregationem *Pospolite* appellant. Nobilium quidam, cum quarta regiorum vectigalium parte fruantur, et propterea prae aliis semper parati esse debeant, Quartiani dicuntur, a Rege Sigismundo Augusto constituti.

Etiam Cosaci inquilini sunt milites, nobilitati autem non annumerantur. De quibus vide descriptionem nostram priorem et quae supra de fluuio Boristhene dicta sunt; in cuius insulis humilis ille, sed in armis bene exercitatus populus maxima ex parte commoratur, et e quibus in Tartarorum atque Turcarum regiones excursiones facit; caeterum autem in Kiouiensi et Braslauiensi territorio, casas, seu domos et agros habet. Tartaros praeda onustos domum reuertentes hi Cosaci diligentissime obseruant, et exspoliant. Insulae enim illae quatuor tantum dierum itinere a Peninsulae Tauricae angustiis distant. Aliquamdiu quidem cum Tartaris coluerunt amicitiam. Iisdem Cosacis Rex Stephanus castellum Techtimirouium cum eius tertitorio ad ripam Boristhenis, et quidem viginti milliaria Germanica infra Kiouiam situm concessit, vt eorum praefecti ibi habitarent, ipsique arma et instrumenta bellica ibi reponerent. Ducem supremum, a Rege sibi praefectum habebant, reliquos duces militares ipsi pro arbitrio constituebant, qui idoneo praesidio instructi Techtimirouii degerent. Neque pauciores bis mille militibus in his insulis excubias agebant; reliquis autem copiis hyberno tempore domos suas, quas in prouinciis Polonicis habebant, se conferre erat licitum. Polonorum hostibus non parum detrimenti hi Cosaci intulerunt. Proni enim viam satis longam per gramen reptantes castra praeter opinionem adoriuntur; per flumina facili negotio in vtribus, imo sine iis natant, armis tergo impositis: aut tranantium equorum caudas tenentes traiiciunt. Paruis nauigiis vtuntur, sexaginta milites commeatibus sufficientibus instructos capientibus, quibus Pontum Euxinum peruagantur, vbi interdum ad Constantinopolitana vsque litora irruperunt, eisque finitima oppida atque pagos exspoliauerunt. Hoc autem quoniam paci cum Turcis initae aduersabatur, et Poloni praeterea haec tanta Cosacorum molimina ferre nullo modo poterant; summus Polonici exercitus Imperator Koniecpolscius anno millesimo sexcentesimo trigesimo septimo, quo facilius eos coërceret, eo in loco, vbi Samara in Boristhenem effunditur arcem Hudacum impensis Regni exstruxit, ipsosque Cosacos inter oppida Motzni et Cumeychi dispersit, proelioque commisso Barovitii, quo confugerant, oppugnauit et subegit. Cum autem proxime insequente anno summus eorum Imperator Paulucus contra fidem datam Varsaviae capitis supplicio affectus, ipsisque Cosacis omnes immunitates vna cum castello seu oppido Techtimirouio, quod a Regibus Poloniae huic nationi erat datum, ereptae essent, maiorem in sua securitate tuenda diligentiam adhibuerunt; et cum Dux militaris, Nicolaus Potoccius expeditionem contra eos suscepisset, apud oppida, Holtew et Lubniam magna exercitum regium clade affecerunt. Tum aliquamdiu quieuerunt, donec anno millesimo sexcentesimo duodequinquagesimo Bogdanus Chmielnicius propter insignem quandam a Domicilii sui, quod Corsunii erat, praefecto sibi illatam contumeliam praeter Cosacos, Russicos etiam agricolas, sollicitaret, Tartaris praeterea in subsidium vocatis; que seditio et inde exorta iactura non nisi ex regiorum praefectorum, qui Stanislao illi Koniecpolscio, anno millesimo sexcentesimo quadragesimo sexto,

sexto, vndecimo die Martii, vita defuncto, successerant, in curia est exorta; sicuti Piasecius scribit.

Hic Chmielnicius, vt Ioachimus Pastorius in bello Scythico-Cosacico, lib. I. p. 5. et 6. tradit, non modo bello exercitatissimus inter Cosacos erat; verum etiam doctus, id quod apud hos homines rarum est. Vnde ex gregario milite tribunus militaris, tum Cosacorum ad Comitia Polonica et ad Regem Legatus; et tandem Cosacici illius exercitus Notarius factus est; qui exercitus cum antea nullo certo numero constaret, annis superioribus sub Imperatoribus Polonicis ad sex militum millia redactus est, quam constitutionem aceipere Cosaci antea diu recusauerant. Postea vero Regi Vladislao quarto Chmielnicius ille idoneus visus est, qui Cosacico praeficiatur exercitui, quapropter etiam eius numerum auxit. Vnde superbia elatus cum de agri sui finibus cum Czaplinscio, subpraefecto Coniecpolsciano in controuersiam fortuito incidisset, singularem illam contumeliam, qua se affectum existimabat, incommodo publico vlciscl constituit; vti iam supra significauimus. Plura vero hac de re, apud eum, cuius antea mentionem fecimus, Pastorium sunt legenda: qui etiam insulas illas Boristhenis his verbis commemorat: Chmielnicius facile socios reperit, quibuscum in solitum Cosacorum receptum profugit, ad insulas scilicet Zaporovianas, quas Boristhenes quinquaginta infra Kioviam milliaribus per obiacentes transuersim scopulorum complures gradus (qui in lingua Slavonica Porohi, et inde, qui vltra hos habitant, Cosaci Zaporoviani vocantur) praecipitans, et multos hinc alueos diuisos efficit. Piscatui quidem, et faciendis in Pontum Euxinum excursibus opportunas, caetera steriles et inhospitas. Chmielnicius Tartaros, qui tum in camporum desertorum solitudinibus hybernabant, praedae suo more intentos, in societatem traxit. Hactenus ille. Paulo post Rex Vladislaus diem obiit supremum.

Andreas Maximilianus Fredro Cosacorum numerum incertum esse dicit, interdum enim duodeuiginti, interdum triginta eorum millia esse comperta: Chmielnicium autem, cum Russiam vniuersam ad seditionem concitarit, ducenta eorum millia amplius aliquoties in aciem produxisse. Chmielnicius ille, vt fama est, tempore autumnali anni millesimi sexcentesimi quinquagesimi sexti, vti etiam eius filius Timotheus, (qui principis Moldauiensis filiam natu minorem duxerat) ante ipsum, in viuis esse desierunt. Notandum praeterea est, etiam in Moscouia Cosacos reperiri, qui a fluuio Don, seu Tanai, ad quem habitant, Cosaci Donenses appellentur.

Praeter hos inquilinos milites Hungaris quoque praecipue autem Germanis Poloni vtuntur. Nonnunquam etiam Tartaros aduersus hostes suos in subsidium vocarunt: de qua re Piasecius fol. 53. legi potest. Ita etiam hoc tempore eorum auxilio Rex Iohannes Casimirus contra Suecos vsus est; quanquam alias perpetui fere Polonorum sunt hostes, neque, postquam anno millesimo quingentesimo duodequinquagesimo Turcarum Imperator tota Chersoneso Taurica deuicta, hos Tartaros sibi subiecit, pristina fruuntur libertate. Vnde etiam anno millesimo quingentesimo nonagesimo quarto Sniatino per Pocuciam transeuntes, et Haliciam praetereuntes, Stryium super montes Carpathios profecti sunt, et Turcis in Hungaria auxilio venerunt. Ita etiam, vt Fredro p. 223. affirmat, Magnus Chamus, seu Scytharum, Hordarum, vel Tartarorum Princeps centum mille equites amplius Turcis in subsidium mittere potest; quanquam eius terra tantae multitudini satis exigua est; et iure mireris, quo omnes illos captiuos, quos ex Polonia tantum aliquamdiu abduxerint, collocare possint, ni forte in terras peregrinas eos diuendant. Anno post Christum natum millesimo ducentesimo vndecimo Tartari illi ex oriente a mari Hyrcano et monte Caucaso primum occasum versus migrarunt: Polouciique fuerunt primi in quorum terram, Volgam transgressi, vndarum more se effunderent; vbi ab illis non modo Polouci funditus fere deleti, verum etiam

eorum socii, Russi, in acie profligati sunt. Quo facto magnam quidem Europae partem occuparunt, sed e quibusdam locis rursus expulsi sunt. Ita Olgerdus, Lithuaniae Princeps anno millesimo trecentesimo trigesimo primo ex toto tractu a Kiouia ad Oczacouiam vsque, et a Putiuilo vsque ad fluuii Tanais ostium pertinente eos eiecit, arcesque Tathouiciam, Bialocercuiam, Suinigrodum et alias ipsis extorserunt. Pari modo e Podolia sunt exterminati, quam terram Olgerdus fratris Coriathi filiis concessit. Non enim agros modo, cis et trans Borysthenem sitos, et desertorum nomine nunc appellatos, Tartari ceperant; verum etiam per Baskakos, seu praefectos a se constitutos in Podoliam dominati erant, ac Volhynienſe et Kiouienſe territorium exspoliauerant.

Anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo sexto Magnus Tartarorum princeps literis ad Iohannem Casimirum, Poloniae Regem missis, magnorum Crimensium, Oczacouiensium, Nahaiensium, Precopensium, Petrocensium, Circassensium, Semecensium, Kuperacensium etc. exercituum Imperatorem se appellitauit. Num autem omnes illi Dominum eum agnoscant, merito dubitatur. Praeter arma veneneta magicis artibus etiam vtuntur, quarum ope anno millesimo quingentesimo septuagesimo quinto Sieniawam, Podoliae oppidum, custodibus non animaduertentibus, sine iactura occuparunt, et parum abfuit, quin etiam arx in eorum potestatem deuenisset. Turci Polonis tanta negotia non facessunt, et nunc quoque pacem cum iis colunt; neque Poloni semper Legatum in aula Imperatoris Turcici habent.

Hoc tandem de ipsorum bellis memoria dignum est, quod maximam calonum turbam et praeter milites multo plures homines, non tamen foeminas, secum ducant; quae turba ipsorum commeatum mox consumit, vti etiam superuacanei et inutiles equi. Vnde etiam ipsorum Episcopus, Paulus Piasecius, in An. 1634. p. 477. ita scribit: Perpetuum malum castrorum Polonicorum, in quibus si sint decem millia bellatorum, ad minus quinquaginta millia Calonum, totidemque equorum superuacaneorum possunt numerari: Honestas tamen in eis est maior, quam in caeteris Christianorum castris; quia nulla scorta circumducunt.

Nunc ad Regem ipsum eligendum venio. Vide, quae Andreas de Pilca, Corycinius, Vislicensis Castellanus, in *Perspectiua* sua *Politica* contra successionem haereditariam, quaeque incommoda et illa, Lechi stirpe per centum quinquaginta annos in Polonia regnante, et Aristocratia, duodecim Palatinis imperium administrantibus, Regno Polonico intulerint, scribat. Neque tamen Regis filii, si qui superstites sunt, excluduntur: quorum nullus tamen, viuo adhuc patre, Regni successor destinatur. Tum Polonis mos est, Regem defunctum non, nisi nouo Rege electo, Cracouiae sepeliendi; et tum, altero post humationem die, nouum Regem regia corona ornandi.

Nullo igitur Regis defuncti filio superstite, extraneum potius, quam aliquem ex sua nobilitate, Regem sibi deligunt; cuius consuetudinis certas afferunt causas; eum tamen inquilinus terrae suae indolem melius norit, et maiore, quam peregrinus, amore patriam complectatur. Interea, donec nouus Rex creetur, Archiepiscopus Gnesnensis, vt supra diximus, eius vice fungitur. Cui tamen munera vacua alias distribuere non licet; quod in solius Regis est potestate.

Die igitur ab Archiepiscopo illo ad nouum Regem creandum indicto illucescente, nobilitati vniuersae, dummodo velit, in loco destinato adesse licet. Alia enim huius electionis est ratio, atque comitiorum; ad quae Legatos tantum prouinciales, vti supra significauimus, nobilitas mittit. In hac Regis electione vrbes etiam, Cracouia, Vilna atque Dantiscum, suffragiorum ferendorum habent potestatem. Totus conuentus in diuersos Palatinatus diuiditur, et tam Senatorum Regni, quam nobilium vnusquisque ad Palatinatum suum se confert; solo Archiepiscopo Gnesnensi excepto, qui in loco suo manet, quoniam ipsi, omnibus

bus suffragiis collectis, sententiam suam de iis aperire, simulque Regem proclamare conuenit; cum antea primarius Palatinatus cuiusque Senator ad eum pertinentium mentem cognouit, eorumque suffragia Archiepiscopo sunt indicata, et omnes Palatinatus rursus coniuncti de suffragiis latis sermones inter se contulerunt. Quo facto cum recens electi Regis Legati iusiurandum in pactas conditiones Regi obseruandas, et a Polonico Lithuanicoque Cancellariis praelectas flexis genibus praestiterunt, electus Rex iterum proclamatur. Et si ipse in vicinia adsit, a Senatoribus Regni et nobilitate adductus in templum deducitur, et missa ab Archiepiscopo celebrata Rex ad altare accedit, genibusque flexis, a Legatis suo nomine, vti diximus, ordinibus praestitum iusiurandum, iisdem duobus Cancellariis voce clara praeeuntibus, recitat, etc.

Interea dum haec geruntur, Marschalci sceptra terram versus inclinata tenent, quoniam Rex nondum coronatus est; quapropter etiam neque beneficia regia distribuere, neque regio sigillo vti, neque regias functiones suscipere, ipsi licet. Vnde neque Cancellarii quicquam obsignant; sed cum defuncti Regis sigilla in sepultura eius ipsi confregarint, a recens coronato Rege noua sigilla accipiunt. Literae autem, praesertim quae salutandi causa ad extraneos principes mittuntur, interea *electi Regis* inscriptione notantur, eoque, quo ante electionem vsus est, sigillo obsignantur.

Cum anno millesimo sexcentesimo trigesimo secundo, mense Nouembri, princeps Vladislaus Varsauiae Rex creatus esset, proxime insequente anno Regis Sigismundi, et alterius eius vxoris, Constantiae, funera inde Cracouiam deportata, ibique humata sunt; quo facto, sexto Februarii die Vladislaus in templo, quod in arce huius vrbis est, coronam regiam accepit. Et iureiurando ab ordinibus praestito, fratres quoque Regis, se, donec possessiones aut alia beneficia in Polonia habituri sint, Regi et Regno fideles esse permansuros iurauerunt. Princeps autem, Carolus Ferdinandus, Vradislauiae in Silesia Episcopus, cum nihil in Regno tunc temporis possideret, pro quo Regi et Reipublicae fuisset obstrictus, hac iurisiurandi religione liber erat.

Cum post Regis Sigismundi Augusti obitum Rex nouus creandus esset, Russici quidem et Podolici Palatini, vna cum Castellanis, totaque nobilitate Roxolana, Cliniani, alii autem alicubi in prouinciis suis, contra antiquam consuetudinem conuenerunt; sed denique tamen Varsauiam se contulerunt; vbi in campo aperto (nulla enim diaeta aut conclaue tantam multitudinem capere potest) eo, quo antea diximus, modo electionem instituerunt, et Regni Senatores cum Rege Vicario, seu Interrege, qui est Archiepiscopus Gnesnensis, propter praecipuam, qua vigent, auctoritatem castra atque tentoria in medio habuerunt.

Leges, quae nouis Regibus iureiurando confirmandae proponi soleant, recenset Andreas Maximilianus Fredro, p. 80. et seqq. gest. populi Poloni, sub Henrico Valesio. Vide etiam descriptionem meam priorem.

Noui Regis coronatio ei, quem saepius dico, Archiepiscopo Gnesnensi competit. Cum autem Rex ille Henricus Valesius e Polonia clanculum discessisset, et alii Imperatorem Maximilianum, alii autem Transiluaniae Palatinum, Stephanum Batorium, deligerent, hic Imperatorem anteuertens Cracouiae ab Episcopo Vladislauiensi coronatus est; quoniam Archiepiscopus ille ab Imperatoris partibus tunc temporis stabat.

Quanquam autem Cracouia locus est, in quo cum Rex, tum Regina corona regia ornantur; illud tamen non semper obseruatur; siquidem Regina, Caecilia Renata, Regis Vladislai quarti prior coniux Varsauiae, et Rex Vladislaus, Regis Iagellonis filius, Posnaniae coronati sunt; Helena autem, Regis Alexandri vxor, eademque Iohannis, Ducis Moscouitici, filia, cum sacris Graecis esset addicta, coronam prorsus non accepit. Ita Ludovicus, Hungariae Rex, post co-

ronationem demum Polonicam, quae anno millesimo trecentesimo septuagesimo primo ipsi obtigit, splendidissimas Regi Casimiro Magno exsequias egisse reperitur.

De Regis prouentibus praeter alios is quoque, quem saepius commemorauimus, Fredro, in lit. Q. legi potest. Id tantummodo, quod non omnibus notum est, hic addam, ex Neapolitano etiam Regno duodequadragesies mille et octoginta sex Ducatos quotannis ad eum redire. Regina enim, Bona Sfortia, Sigismundi primi, Regis Polonici, coniux, anno millesimo quingentesimo quinquagesimo sexto in Italiam reuersa est, vbi praeter Ducatum Barensem et Rossanensem, a patre, Iohanne Galeacio Sfortia, et matre, Isabella Arragonia, haereditate sibi relictum, multa castella, annuasque vsuras pro quadringentis et triginta Ducatorum Neapolitanorum millibus redemit. Ex quibus tamen tam magnificis opibus ad haeredes eius, filium, Sigismundum Augustum, Poloniae Regem, et vtramque filiam, Reginam Sueciae, et Reginam Poloniae, Regis Stephani vxorem, non nisi duodequadragesies mille et octoginta sex illos Ducatos Neapolitanos in annuam vsuram cum paucis quibusdam suppellectilibus peruenerunt. Nam, sicuti Polonicus ille Episcopus, Paulus Piasecius, p. 236. seq. commemorat, Ioannes Laurentius Papagoda, ex cuius nutu omnes Reginae consiliarii pendebant, testamentum scripsit, in quo Regi quidem Hispaniae Barium et Rossanum, sibi autem castellum Capurcium cum multis aliis magni pretii muneribus legauit, et Reginae Bonae, cum anno millesimo quingentesimo duodesexagesimo, decimo septimo Nouembris die Barii moribunda sermone aut memoria minus iam valeret, caput, vt nutando testamentum confirmaret, tenuit, seu subleuauit. Quam narrationem, quantum memini, apud neminem alium legi.

Quantum Poloniae Rex facere possit, ex praescriptis et supra indicatis legibus, seu pactione eius, cognoscitur. Is, quem saepius dico, Episcopus et Regni Senator, Piasecius p. 368. Regi non licere dicit, nobilium Polonorum possessiones emere; neque ea, quae ad fiscum redierint nobilium, aut militaria bona sibi reseruandi, potestatem eum habere; sicuti neque principibus regia stirpe ortis arces munitas in vicinia sitas possidere licet. Et p. 382. Regem munera, quae iuris regii sint, neque filiis, neque vxori, sine Ordinum consensu dare posse, idem Piasecius scribit.

Neque sine Senatorum consilio et approbatione matrimonium inire Regi licet. Qua excusatione etiam Rex Vladislaus erga Angliae Regem, cum fororis suae filiam, Comitem Palatinam vxorem eum non duxisse aegre tulisset, vsus est; de qua re Episcopus ille p. 494. ita scribit: Angliae Rex aegre fert repulsam filiae Palatini, licet se illi Vladislaus excusasset, quod isti, vti a fide Catholica multum alienae, Senatus Regni Poloniae totus Catholicus contradixisset, et Rex lege publica teneatur, ne accipiat vxorem, nisi consentiente Senatu. Ita etiam Fredro p. 95. Cum Sigismundus Augustus, ait, cum incola foemina, inscia Republica, priuatas nuptias egerat, quos motus tunc in Republica vidistis?

In Comitiis Rex cum nobilitate omnes deliberationes agit. Quae autem decernuntur, ea omnia Regis nomine promulgantur, sine cuius voluntate neque quicquam ratum esse potest. Idem summus in bello exercituum est Imperator. Iudiciorum, vti iam supra significauimus, partem sibi reseruauit, partem tribunalibus aulicis reliquit. Honores autem, dona gratuita et munera, omnia et singulatim ecclesiastica, quam ciuilia, pro lubitu distribuit atque confert; quo cum Episcopos, aliosque Clericos, (in quos alias nullam habet potestatem) tum Politicos sibi conciliat. Sub muneribus illis Praefecturae etiam, quas Starostias vocant, comprehenduntur; quarum prouentus ad ipsarum possessores, donec viuunt, redeunt; post eorum obitum autem Rex, cuicunque velit, eos donare potest, de nobilium delictis Rex quidem cum Regni Senatoribus iudicat; sed in eo tamen iudicio pondus magis suffragiorum, quam numerum considerat.

Quod

Quod si autem Rex aduersus leges suamque pactionem enormius peccet, vniuersa nobilitas seditionem, quam vocabulo Polonico *Rocosz* appellant, contra eum excitat; de qua Piasecius in annis 1606 et 7 legi potest; his enim praecipue annis nobilitas contra Regem, et Senatores quosdam, qui partes eius sequebantur, insurrexit.

Num hoc Regnum Imperio Romano subiectum et tributarium quondam fuerit, vide in descriptione nostra priore, in qua etiam quare Regnum illud aquilam albam, corona ornatam, rostro aperto alisque expansis insignitam gerat, exponitur.

Ad huius exordii finem principes etiam Polonicos recenseri necesse quidem videatur: cum autem in appendice secundae impressionis seu editionis prioris meae descriptionis Polonicae eos tetigerim, de postremis tantum Polonorum regibus pauca quaedam hic addam, qui vltimo stirpis Iagellonicae Lithuaniam gubernantis, (quae stirps Piasticam excepit) Sigismundo secundo, alias Sigismundo Augusto dicto, qui Cnisini mense Iulio anni millesimi quingentesimi septuagesimi secundi diem obiit, successerunt: sub quo Rege, vti Episcopus Piasecius p. 41. commemorat, imprimis haereses ex ipsius Regis et nonnullorum Episcoporum indulgentia per Germanos in Poloniam sunt inductae.

Ei autem Regi Henricus Valesius, Dux Andegauensis, Caroli noni, Regis Francici, frater, vt electus Polonorum Rex, successit. Inter Legatos ad eum in Franciam missos erant etiam Ioannes de Folstyn Herbortus, Castellanus Sanocensis et Ioannes Zamoiscius, tunc temporis Belzensis adhuc Capitaneus, seu Gubernator. Lipsiam vbi peruenerant, Augustus, Saxoniae Dux, eos retardauit, hac excusatione vtens, Legatis Polonicis liberum transitum per terram suam concedendi potestatem sibi non esse, antequam Imperatoris, aliorumque Imperii Romani Principum voluntatem ea de re cognouisset. Cum autem Legati Folstynium illum Herbortum ad Electorem misissent, is oratione eius permotus Legatos dimisit. Cum Lutetiam Parisiorum esset peruentum, a nouo illo Rege, eos etiam Poloniae incolas, qui a Catholica religione essent alieni, in tutelam vt reciperet, postulatum est; cui postulationi Catholici quidem Legati restiterunt; denique tamen ea conditione assenserunt, ne illa lex Romano-Catholicae fidei detrimento foret. Tum Ioannes Zborovius, Praefectus Odolanouiensis, vnus Legatorum, sed religioni Pontificiae non addictus, eum his verbis allocutus est: Hoc dico, sereniſſime Rex, nisi hi tui Legati (nimirum ad Polonos, inter quos Monlucius primas tenebat) has conditiones religionum diuersitatem concernentes, (vt et caetera omnia) nomine tuo probassent, Tu, si nos contradixissemus, Rex eligi non potuisses; imo, si iam cuncta non probaueris, Rex Poloniae non eris; vti Andreas Maximilianus Fredro p. 117. refert. Rex autem Henricus, cuius exemplum omnes eius successores sunt secuti, vt in *Polonia defensa, contra Barclaium*, p. 114. traditur, se pacem et concordiam inter eos, qui diuersa sacra profiterentur, conseruaturum, neque ab vllo, sacrorum causa, poenas vllas sumturum esse, iureiurando promisit. Anno millesimo quingentesimo septuagesimo quarto, vigesimo quarto Ianuarii die ad Poloniae maioris fines peruenit; vnde Cracouiam festinauit, vt defuncti Regis exsequiis interesset. Fama autem ad eum perlata, fratrem Carolum, Franciae Regem, sine haeredibus ex legitimo matrimonio susceptis, decessisse, cum paucis quibusdam familiaribus literis ad Regni Senatores, qui tum penes ipsum erant, relictis, eodem anno, duodeuigesimo Iunii die, et quinto, postquam coronatus erat, mense, densissima nocte Cracouia discessit, et Viennam se contulit; vnde per Venetias et Pedemontium profectus Franciam repetiit.

Cuius discessus fama cum in Polonia increbuisset, et Ordines ipsum Regem, vt quam citissime in Poloniam reuerteretur, frustra rogassent, ad noui Regis electionem tandem se accinxerunt; vbi alii Imperatorem Romanorum, Maximi-

lianum, alii Stephanum, Hungarum, Stephani *de Somlio,* (alii enim Battorii *de Battor* se appellitarunt) Palatini Transiluaniae filium, ex Anna, Telegdi filia, susceptum, delegerunt; qui militum inquilinorum, sub fratre ipsius, Christophoro Battorio, merentium, gratia, Iohanne Sigismundo, Iohannis primi, Hungariae Regis, et Isabellae Polonae, filio defuncto, anno millesimo quingentesimo septuagesimo primo, vigesimo primo Maii die, Transiluaniae Princeps, et tandem, Samuele Zborouscio, qui tum a Polonis proscriptus penes eum in Transiluania degebat, adiuuante, anno millesimo quingentesimo septuagesimo quinto, Decembris die, vti iam diximus, Rex Poloniae factus est: vbi etiam sine diuturna cunctatione statim Cracouiam se contulit, in qua vrbe, vti etiam supra significauimus, coronam regiam accepit: quo facto, arcem Landscronam, quae adhuc cum Imperatore Maximiliano constanter fecerat, expugnauit, et Imperatoris exercitum huc illuc dissipauit; ita vt ante anni millesimi quingentesimi septuagesimi sexti exitum omnes Polonici primores, imo Archiepiscopus Gnesnensis ipse, caeterique Episcopi, (qui omnes fere, praeter Vladislauiensem, Imperatoris partes erant secuti) eo, cum nimis cunctaretur, deserto, Stephano sese dederent; et quamuis Stanislaus Czarncovius, et Dantiscani ciues resisterent, tandem tamen etiam his ad ordinem redactis, anno millesimo quingentesimo septuagesimo septimo Polonia vniuersa quiescere incepit.

Deinde duobus annis post Rex Stephanus Vilna profectus, contra Russorum seu Moscouitarum Imperatorem, qui olim Lithuaniae et Territorio Kiouiensi Smolensicum et Prouinciam Seueriam, tum sub Regis Sigismundi Augusti imperio Polociam cum tota illa regione detraxerat, arma cepit, vrbemque Polociam pactis conditionibus occupauit, vbi monasterium pro Iesuitarum Ordine condidit; et tandem totum illud territorium, posteaquam septendecim annos sub Russorum fuerat potestate, recuperauit.

Proxime insequente millesimo quingentesimo octogesimo anno Moscouitarum vrbem, magnam illam, Wiel Koluki, obsedit, et vna cum arce, ignibus iniiciendis, expugnarunt; quamuis Moscouitae fortissime resisterent; quandoquidem locis tuendis idonei sunt, sed acie cum hoste decernere minus valent. Interim milites regii oppidum et arcem Vilesiam, ad Dunam sitam, vti etiam oppidum et arcem Vsuiatam pactionibus sibi subiecerunt; et Regni Cancellarius Zamoyscius, natura loci munitissimam arcem Neuelam, nec non arcem Zauolociam cepit.

In tertia expeditione, anno millesimo quingentesimo octogesimo secundo suscepta, Poloni Ostrouiam occuparunt et Plescouiam obsederunt; vbi Antonius Possevinus, a Pontifice, Gregorio decimo tertio, missus, Regi Stephano, vt pacem cum Moscouitis iniret, persuasit.

Anno millesimo quingentesimo octogesimo quarto antea dictus Samuel Zborowscius, seu Zborovius, cuius auxilio Rex ad regiam peruenerat dignitatem, propter homicidium antea perpetratum, et nouas seditiones, quas contra Regem mouisse deprehendebatur a Cancellario Zamoyscio captus, et Regis iussu decimo sexto Maii die Cracouiae capitis supplicio affectus; frater vero, Christophorus Zborowscius in comitiis Varsauiensibus proscriptus est; quo sibi Rex multorum odium conscinit. Tum Iwanem quoque Podkouam, Moldauum, Leopoli capite plecti iussit, cuius supplicium omnes fere luxerunt; neque parum nominis splendorem, quo Rex ille inclarescebat, apud extraneos illud obscurauit; vti Iohannes Demetrius Sulikouius, Archiepiscopus Leopolienſis, in *commentario rerum Polonicarum* p. 105. narrat; vbi etiam Podkouam illum tanto corporis robore praeditum fuisse dicit, vt ferreas equorum soleas inter digitos posset confringere. Idem ille Solikovius (regii Secretarii munere tunc temporis fungens) erat in Legatis Polonicis, qui ad Imperatorem Maximilianum missi in pago quodam Bauarico, tria milliaria a Ratisbona remoto, ea de causa detinebantur, et Lintiam ducebantur, quod

quod Ernestus Weyherus Henricum Kurzbachium, quem Imperator Legatum in Prussiam miserat, male vulneratum in vincula coniecerat atque exspoliauerat, ita vt de vita eius desperaretur. Cum autem Rex Stephanus Kurtzbachium illum in libertatem restituisset, Legati etiam illi Polonici, qui Lintiae tenebantur, ab Imperatore Rudolpho (Imperator enim Maximilianus interea Ratisbonae erat mortuus) sunt dimissi; vt Solikovius, seu Sulikovius, p. 83. sq. ipse scribit.

Anno millesimo quingentesimo octogesimo sexto, decimo tertio Decembris die hic Rex Stephanus inopinato epilepsiae morbo, imprudentia medici neglecto, vti Piasecius p. 54. loquitur, Grodnae paucos intra dies ex hac vita decessit; et deinde Cracouiae publicis Regni impensis quam honorificentissime sepultus est; qui honos iis tantummodo Regibus obtingit, qui praecipuam Regni Polonici gratiam sibi conciliarunt, neque de eo meriti sunt: Alii autem ex suis cuiusque priuatis opibus, quae semper amplissimae quondam sunt habitae, terrae mandantur.

Cum igitur Regnum Polonicum Rege iterum esset orbatum, neque Rex Stephanus ex vxore Anna, Regis Sigismundi Augusti sorore natu minore, liberos reliquisset; et Archiepiscopus Gnesnensis (cuius potestas, vti supra indicauimus, sicut etiam Marschalci supremi, si nullus est Rex, magna est) Regni Ordines Varsauiam conuocasset; a plerisque Sigismundus, a Iohanne, Rege Sueciae, ex Catharina, Regis Sigismundi Augusti maiore sorore, susceptus; a Gorcanis vero et Catharina, Regis Sigismundi Augusti maiore sorore, susceptus; a Gorcanis vero et Zborouianis (quorum, quamuis haereticorum, vt Episcopus Piasecius loquitur, partes Pontificis Nuncius, Annibal Capuanus, sequebatur) Maximilianus, Archidux Austriae, anno millesimo quingentesimo octogesimo septimo, Rex electus est; qui posterior etiam Cracouiam deinde obsedit, et cum Cancellario supremo Zamoyscio inter pagum Pramnicum, et Cracouiae suburbium, Biskuptum, male pugnauit, quapropter Cracouia relicta Czenstochouam se contulit; Sigismundus ex Suecia profectus, Calendis Decembribus Cracouiam peruenit; vbi deinde corona regia ornatus est; Zamoyscius autem anno millesimo quingentesimo duodenonagesimo Archiducem Maximilianum inopinatum Vieluniae affecutus est, qui propterea Silesiam recessit; ille autem Cancellarius hunc eo persecutus est; et, quoniam Archiducis affeclae, copiarum et tormentorum bellicorum multitudine superiores Cancellarium, cui angustus, magnis et limosis paludibus circumdatus, in quo non nisi duo tresue equitare vna poterant, transeundus erat, transitu illo, cum eum contemnentes certissimam sibi fore victoriam existimarent, non prohibuerant, sed Byczynam, (Pitschen) vrbem Silesiae, cum peruenire passi erant, vigesimo quinto Ianuarii die cum eo conflixit, et Hungaris proelium inire recusantibus etiam vicit; proinde Archidux in eo, quo se receperat, oppido, cum magnatibus aliquot Polonicis, Cancellario supremo captiuum se dare necesse habebat, a quo Crasnostauiam deductus et in arce eius vrbis a forti praesidio custoditus; tandem vero a Cancellario (quoniam locus ille in vicinia vrbis Zamoyscii erat situs) ad epulas splendidissimas inuitatus; et cum Cancellario ex coniuge Griselide Batorea, fratris, Regis Stephani filia filius, Caesius esset natus, fidei sponsor in sacro baptismate lectus, et a Rege Sigismundo ipso Crasnostauiae visitatus, denique autem Imperatoris Rudolphi opera dimissus est.

Circa millesimi quingentesimi nonagesimi secundi anni exitum ille, quem antea diximus, Sueciae Rex, Iohannes fato defunctus est; vbi filius eius, Rex Sigismundus, anno millesimo quingentesimo nonagesimo tertio in Sueciam, vt in Regnum haereditatis iure sibi competens, se recipiendi potestatem aegre obtinuit. Quid autem postea cum eo factum sit, huius loci non est exponere; caeterum in mea Regni Suecici descriptione, quam in Batauis me inuito typis iterare aussi sunt, et quidem in tertia eius editione, de eo, vti etiam de aliis rebus, quaedam forsitan ex Polonicis scriptoribus allata inferentur. Ipse autem Rex Sigis-

mundus, postquam anno millesimo quingentesimo nonagesimo quarto Rex Sueciae vna cum coniuge ab Archiepiscopo Lutherano, Abrahamo Andreae, Vpsaliae coronatus erat, eodem anno, mense septembri Cracouiam rediit. Anno millesimo quingentesimo nonagesimo octauo, trigesimo primo Ianuarii die, Anna, Poloniae et Sueciae Regina obiit; quo facto Rex in Sueciam reuersus est; quoniam autem sibi res minus prospere ei cedebant, cum sorore Anna, circa finem Octobris Calmaria egressus Dantiscum repetiit; neque vnquam in posterum in Sueciam rediit.

Anno millesimo sexcentesimo Poloni contra Michaëlem, Moldauiae Palatinum, bellum prospere gesserunt. Tum anno millesimo sexcentesimo primo Polonorum contra Suecos in Liuonia gestum bellum incepit; quod per aliquot annos durauit; de quo in descriptione Liuoniae. Anno millesimo sexcentesimo quinto Rex Sigismundum Constantiam, Austriae Archiducem, prioris coniugis (ex qua vnum modo filium, Vladislaum Sigismundum, anno millesimo quingentesimo nonagesimo quinto, nono Iunii die natum, superstitem habebat) sororem matrimonio sibi iunxit. Anno millesimo sexcentesimo sexto inter Regem et Rocossianos turbae in Polonia sunt exortae; de quibus supra; vbi tandem Rex nobilitate superior fuit.

Anno millesimo sexcentesimo nono, vigesimo primo Martii die Regi alter filius, Iohannes Casimirus, qui iam Regnum Polonicum gubernat, natus est. Anno millesimo sexcentesimo decimo Moscouitae Magnum suum Ducem, Basilium Suyskium, Polonis tradiderunt, et Regis Sigismundi filium natu maiorem principem sibi delegerunt; quem autem Rex in Moscouiam mittere dubitauit; quo Moscouitae (timidus et propter eandem sibi innatam timiditatem eo crudelior populus) commoti iterum defecerunt: Poloni vero Smolensçum obsederunt, et alter ille Demetrius, qui se priorem iactabat, et a Moscouitis quamuis vulneratum, viuum tamen euasisse mentiebatur, postquam aliquamdiu Magnum Ducem se gesserat, et contra Moscouitas bellauerat, quibus anno millesimo sexcentesimo octauo, Carolus, nouus Sueciae Rex, sub Ponto della Gardia, viro forti ac bellicoso, copias in auxilium miserat, a satellitibus suis, natione Tartaris, interfectus est. Anno demum millesimo sexcentesimo vndecimo Smolensçum expugnauerunt. Polonicum autem praesidium, thesauro arcis Moscuensis direpto et militibus aliquot ibi relictis, sequente anno in Poloniam rediit, posteaquam a Moschis, vrbem Moscuam tenentibus diu erant obsessi. Anno demum millesimo sexcentesimo duodecimo, sed nimis sero, Rex Sigismundus filium Vladislaum in Moscouiam mittere constituit; interea Moscouitae maiore cum contentione arcem illam oppugnare perrexerunt, vt ex ea discedere Poloni tandem cogerentur; quo facto Moscouitae Michaëlem Fedorovitium, Metropolitae Rostocienses filium, sibi Ducem protinus delegerunt, eaque, quae in arce supererat, corona ornarunt. Eodem anno Moldauia Polonis est detracta. Quapropter anno millesimo sexcentesimo decimo tertio Legatum Constantinopolim miserunt, qui Constantino Mohila, legitimo principe, inde contra pactiones expulso Stephanum Tomszam, Tartarorum auxilio ibi regnare quererentur.

Anno millesimo sexcentesimo decimo sexto primores aliquot Polonici sua sponte Moldauiam sunt adorti; vbi quamuis cum Turcis aliquoties secunda fortuna conflixissent, tandem tamen inferiores discesserunt. Quae inuasio cum Poloniae vniuersae imputaretur, Turcarum Imperator Regi, si arma Polonica Moldauicis rebus se immiscere in posterum non sint desitura, se foedus renunciaturum esse minitatus est. Sequente anno millesimo sexcentesimo decimo septimo Poloni prope oppidulum Bussam, ad eum locum, in quo Tyra et Morachua confluunt, castra posuerunt, vbi summus militiae eorum Imperator, Stanislaus Zolkievius, cum Skindero Bassa, sine Regis et Regni iussu seu consensu, pactum de Moldauia iniit, ne vllus exercitus in terram illam duceretur, qui eam aut Palatinum

tinum a Turcis ei praefectum turbaret. Idem castellum Chocimum, quod Ducis Hieronymi Mohilii, ex antiqua Principum stirpe orti, filiique nuper interfecti, Constantini, haeredes adhuc tenebant, Turcis tradidit, et praesidii ibi collocati, praefectum Nicolaum Iuonium, ab iisdem haeredibus ei datum, cum non statim ipsius iussu inde exiissent, capitis supplicio affecit; tum Bersabeam et Rascouiam, ad magnates Polonicos pertinentes, et prope fluuium Tyram, vnius diei iter a Turcarum arce Techinia sitas, cum Skinderus ille Bassa Cosacorum latebras, et in solo Turcico aedificatas eas esse dixisset, dirui passus est; et ita hac pactione non exiguum Polonis intulit damnum, Palatinorumque Moldauicorum patrocinium subtraxit. Neque minore clade Poloni a Suecis in Liuonia sunt affecti.

Anno millesimo sexcentesimo duodeuigesimo Princeps Polonicus Vladislaus vrbem Moscuam obsedit, et Cosaci Moscouiam deuastarunt. Moschi autem se iurisiurandi ei praestiti religione nunc solutos esse dicebant; quoniam statuto tempore in ipsorum terra non adfuisset, seu conditiones sibi, dum eligeretur, propositas praestare neglexisset; quapropter cum Moschis, seu Moscouitis, quatuordecim annorum et sex mensium inducias pepigit, ea lege, vt Ducatus Seuerienses, Czerniechouienses et Nouogrodenses in Polonorum maneret potestate. Ita Vladislaus anno millesimo sexcentesimo vndenonagesimo, mense Martio, in Poloniam rediit. Anno millesimo sexcentesimo vigesimo inprimis Gaborus Betlemus Turcas contra Polonos, quia Cosaci Imperatori auxilio venerant, sollicitauit. Is, cuius supra facta est mentio, Zolkievius vndeuigesimo Septembris die in Moldauia apud Cicoram cum Skindero Bassa conflixit; qua pugna pars neutra habuit, quod victoria gloriaretur, et Poloni recesserunt. Cum autem milliare tantum Mohilouo regressi in tuto quasi essent, permulti, repentino tumultu in castris exorto, in fugam se coniecerunt. Quod cum Tartari cognossent, actum de Polonis fuit, et supremus militiae ipsorum Imperator Zolkievius, Moldauicum milliare dimidium (quod longitudine Germanicum superat) a fluminis Tyrae ripa exanimis repertus, et eius abscisçum caput Constantinopolim missum est, cum ipse tres et septuaginta annos esset natus. Imperator exercituum inferior, Stanislaus Koniecpolscius Bialogrodum et inde Constantinopolim captiuus ductus est; vbi cum Samuele Korekkio, Luca Zolkiewscio et Georgio Farensbachio, in turri nigra tamdiu in vinculis retentus est; donec anno millesimo sexcentesimo vigesimo tertio octoginta Imperialium millibus, praeter varia et magnifica munera, inter Ministros huius aulae distributa, redimeretur. Anno millesimo sexcentesimo vigesimo primo nouus Polonici exercitus Imperator Carolus Chodkievicius cum Stanislao Lubomirscio iterum copias in Moldauiam contra Turcas eduxit, et castellum, quod antea diximus, Chocimum, ad fluuium Tyram situm, occupauit; quo etiam princeps Vladislaus et Turcarum Imperator, Osmannus, ipsi venerant: Chodkievicius autem in proelio vicit; et Turcae, qui Polonica castra inuaserant, cum iactura sunt repulsi. Poloni tamen commeatus penuria et morbis premi coeperunt: Siquidem ipse Princeps Vladislaus morbo decubuit; et supremus exercituum Dux seu Imperator, Chodkievicius in castello illo Chocimo, cum ad sexaginta annorum aetatem peruenisset, vitam morte mutauit. In cuius locum successit ille, quem supra dixi, Lubomirscius, qui Turcas, cum Polonorum castra iterum adoriri moliti essent, fudit. Iidem Turcae arcem Paniowce frustra tormentis bellicis concusserunt et oppugnarunt; sed irrita fuit ipsorum opera; vnde Osmannus militibus suis ignauiam perpetuo exprobrauit, eoque Ianitzarorum odium in se concitauit; a quibus etiam deinde Constantinopoli iugulatus est. Cum igitur Turcae a castris Polonicis magna cum clade essent reiecti, nono tandem Octobris die pax conciliata, Turcisque Moldauia, et eorum Palatino ibi degenti castellum Chocimum traditum est. Interea Rex Sueciae vrbe Riga potitus est. Vide, quae de illo Turcico bello in annis 1620. et 1621. ex Meterani Conti-

nuatore nostrae prioris Polonicae descriptionis appendici sint inserta. Anno millesimo sexcentesimo vigesimo quinto in Liuonia, et annis sequentibus in Prussia bellum cum Suecis continuatum est. Anno millesimo sexcentesimo vigesimo sexto Stephanus Chmielecius cum Cosacis suis in finibus Rusficis insignem de Tartaris reportauit victoriam. Anno millesimo sexcentesimo vndetrigesimo in Prussia inter Polonos et Suecos sex annorum induciae pactae sunt, quarum finis anno millesimo sexcentesimo trigesimo quinto mense Iunio esse debebat. Eodem illo millesimo sexcentesimo vndetrigesimo anno is, quem modo dixi, Chmieleckius cum Cosacis suis apud Burstinouiam Tartaros iterum vicit: sed sequente anno millesimo sexcentesimo trigesimo vir ille fortis ac bellicosus, Kiouiensis Palatinus vix electus, repentina morte exstinctus est.

Anno millesimo sexcentesimo trigesimo primo, cum Regina Constantia, corpore obesior, festo die Corporis Christi Varsauiae in solenni pompa mille passus amplius in ardente solis aestu pedibus incessisset, maximum sibi calorem contraxit, quem medici imperiti balneis frigidis auxerunt, neque eum identidem crescere senserunt, donec subita morte, quae nocturno tempore ei accidit, tolleretur: siquidem decimo Iulii die eam ministra fidelissima, Vrsula Meyera, cum summo mane, quomodo sua domina dormiret, experiri vellet, mortuam deprehendit. Ita etiam paucis diebus post Dux Georgius Zbaransius, Castellanus Cracouiensis, qui Reginae illi minus fauebat, per quietem nocturnam sine haeredibus repente exspirauit. Hic erat vltimus prosapiae Zbaransianae; quippe qui, licet incontinentius vixerit, (vti Piasecius p. 422. loquitur,) matrimonium abominatus est, neque fratri, vt vxorem duceret, concedere voluit.

Anno millesimo sexcentesimo trigesimo secundo Rex Sigismundus monetae cudendae ius Ordinibus Regni tradidit; quia sub eius imperio numismata adulterina inualuerant. Tum eodem illo anno pridie Calendas Maias, cum sexaginta sex annos vixisset, et quadraginta quinque annos Regno Polonico praefuisset, Varsauiae diem obiit supremum. Filius eius Vladislaus, qui adhuc abfuerat, eum moribundum adueniens deprehendit, qui tamen adhuc coronam Suecicam patris manu capiti suo impositam accepit. Stanislaus a Kobierzycko libr. I. p. 3. et 4. Regem illum leni quidem, sed eo efficacissimo medicamento vsum fuisse scribit, quo Poloniam ad antiquam et veram religionem reduceret; dum munera iis, qui antiquae et a maioribus suis receptae fidei inprimis essent addicti, distribueret, eoque regendi mysterio haereses sine vllo strepitu ab ipso partim oppressas, partim ad pristinam formam redactas esse; et cum sub imperii sui initium maiorem et praecipuam Senatorum Regni partem nouae doctrinae addictos inuenerit, eum morientem duos tantum Palatinos, Calissiensem et Belzensem, qui eam doctrinam profiterentur, inter Senatores illos reliquisse. Huius, vti etiam Regis Stephani, concionator aulicus erat Iesuita Petrus Scarga. Funus regium eo, quod Reges Polonici in coronationis solennitate gestare solent, vestimento indutum et horis pomeridianis in splendidissime exornato oeco palam omnium conspectui exhibitum est. In capite coronam Polonicam, in dextra sceptrum et in sinistra globum Regni gerebat: Suecici autem Regni corona ad latus in puluinari erat posita; et Moscouiticam denique coronam, quam post subiectam sibi Moscouiam ex huius populi thesauro acceperat, testamento in Regni aerario deponi iussit.

In comitiis, quae tum edicebantur, Dux Christophorus Radzivilus, summus exercituum Magni Ducatus Lithuaniae Imperator, quamuis a Pontificia religione alienus, cui omnes alii, qui non Romano-Catholici erant, adhaerescebant, Legatorum prouincialium Marschalcus est optatus. Cum deinde electio esset suscepta, Regis defuncti filius natu maior, iam saepius a nobis commemoratus, Vladislaus, Varsauiae Rex Poloniae est electus; cuius vitam, donec ad dignitatem regiam peruenisset, inprimis Stanislaus ille Kobierzickus, Castellanus Dantiscanus, descripsit.

descripsit. A Moscouitis etiam principem eum delectum esse, iam supra narratum est. Cum enim post crudelissimi illius tyranni, Ioannis Basilii, qui humani generis pestis et pernicies fuerat, eiusque filii, Theodori, mortem Demetrius quidam se alterum huius tyranni filium mentitus, Palatini Sendomirienſis filiam, Marinam, vxorem duxisset, et a Polonis adiutus, vrbem et arcem Moscuam sibi subiecisset; cum deinde, hoc interfecto, in eius locum suffectus Suyscius, quia crudelius se gereret, a Moscouitis Polonorum potestati traditus, et in eorum custodia vita defunctus esset; cum denique postea alius Demetrius, quem nonnulli Iudaeum existimarent, se priorem illum Demetrium esse, et vitae periculum euasisse iactitaret, et Marina illa libidine flagrans ei quoque se adiungeret, et Moscouiae Imperatricem se appellitaret; Moschi, Suyscio illo et impostore Demetrio secundo, superstitibus, Vladislaum Imperatorem sibi delegerunt: vbi Demetrius, cum Calugam confugisset, a Tartarorum, quos mercede sibi conduxerat, Duce, Petro Vrozouo, occisus est. Quo facto Marina illa Donenses seu Moscouiticos Cosacos contra Tartaros emisit. Is, quem paulo ante nominaui, scriptor (Stanislaus Kobierzyckius) res quasdam paulo aliter, atque a nobis factum est, narrat, cum dicit, thesauros et antiquum Ducum Moscouiae fiscum apertum; Regni ornamenta Zolkievio, summo exercituum Polonicorum praefecto, tradita; monetas aureas et argenteas cum recens electi Ducis (Vladislai) nomine cusas; postremo Basilium illum Suyscium ex claustro suo eductum, et cum fratribus suis, Demetrio et Iohanne, Zolkievio traditum, et tum demum praesidium Polonicum in vrbem Moscuam collocatum esse. Cum vero Moschorum ad Sigismundum Poloniae Regem, Legati duriores de religione aliisque de causis attulissent conditiones, et Principem Vladislaum in Moscouia coram adesse postulassent; Rex autem illud negotium in longum distulisset, et filium praesertim ad Moschos se missurum recusasset; tum iis res nouas molientibus, alterum a Zolkievio praesidium in vrbem inductum, et exercitum in arces circa vrbem sitas diuisum; denique vrbem Moscuam a Polonis incensam, eiusque incolas a militibus passim trucidatos esse. Idem libro sexto p. 376. centena fere Moschorum millia, vti ipse in narrationibus de quotidianis horum temporum rebus legerit, si viris foeminae etiam et pueri annumerentur, tunc temporis periisse scribit; quanquam alii numerum in sexaginta millia contrahant. Patriarcham in vincula coniectum, ibique vita defunctum; et interea Smolenſci expugnationem anno millesimo sexcentesimo vndecimo, decimo tertio Iunii die subsecutam esse. Libro septimo idem scriptor, qua ratione Moscouia ad pristinum statum redierit, exponit; cuius restitutionis causae Polonicorum praefectorum discordia, varia militum seditio, et grauis illa fames, fuerint, qua Polonicum praesidium Moscuae sit afflictum, ita, vt cibis foediſſimis, imo cadaueribus humanis eam sedarint, vt idem p. 449. tradit. Vnde etiam factum est, vt anno millesimo sexcentesimo duodecimo certis conditionibus arx Moscouitis traderetur, qui vero contra fidem datam in Polonos crudelissime saeuierunt. Antea Rex Sigismundus thesaurum illum Moscouiticum militibus ad stipendia soluenda concessit. Tum demum palam conspecta est praeda Liuonica; vrbis Nouogardiae Magnae aurum et argentum, a Magno Moscouiae Duce, Basilio, trecentis curribus inde Moscuam quondam deportatum; solido auro conflatae imagines et mensae: magnus vnionum numerus, maiora et minora pocula, et scyphi, cruces aureae gemmis distinctae, monocerotes, et aliae potentissimi illius Regni diuitiae. Quibus tamen milites contenti non fuerunt; sed post vrbis Moscuae iacturam tres Polonorum seditiosorum exercitus Poloniae Regnum oppresserunt; quo Rex permotus anno millesimo sexcentesimo decimo tertio Varsauiae comitia celebrauit, vbi pecuniis collectis factiosi milites sunt sedati. *Vltra viginti milliones, si censum in singula iugera impositum adiicias, accepere pauci seditiosi,* ait ille scriptor, p. 468. Interim Moschi (*quorum fides admodum lubrica* p. 469.)

ab Vladislao defecerunt, aliumque principem, vti iam supra commemorauimus, Michaëlem Fedorouitium, adolescentem quidem illum, sed ex antiqua Ducum Moscouiticorum stirpe ortum vnanimi consensu elegerunt; qui Marinam, cuius saepius facta est mentio, vtriusque Demetrii coniugem, posteaquam Caluga, vna cum filio, Astracanum confugerat, suffocari, filium autem suspendi iussit. *Ita tandem impotens animi, nimiaque libidine dominandi flagrans foemina immoderatae cupidinis luit poenas*, ait idem, p. 470. seq.

Anno millesimo sexcentesimo decimo quinto Moschi Smolenscum obsederunt, sed a Polonis reiecti sunt, qui ipsis bellum indixerunt, cui gerendo anno millesimo sexcentesimo decimo sexto Princeps Vladislaus est praefectus, qui duobus proxime insequentibus annis maxima cum contentione id persecutus est, Moscouiae metropolim quamuis fruſtra, oppugnauit, et in Moscouitarum terram penetrauit altius; qui propterea ad pacem procliuiores inducias, vti iam supra significatum est, ad annum vsque millesimum sexcentesimum trigesimum tertium pepigerunt, et Polonis eas arces et vrbes reliquerunt atque donauerunt, quae sequuntur: Smolenscum, Bialam, Roslauiam, Drohobusium, Sierpierscum, Trubeccum, Nouogardiam Ducatus Seuerienſis, (seu Nouogardiam paruam) cum territoriis, cis et trans fluuium Dziesnam sitis; nec non Czerniechouiam, Monasterscum et Moromscum. Poloni autem Moschis restituerunt, Borissouum, Kosielscum, Mosaiscum, Mescerscum, Viasmam, (quae vrbs inter Smolenscum et Moscuam media sita est) cum terra eo pertinente; sed horum locorum restitutio Starodubo, Poczacouia, Poponagora, Neuela, Siebiezo, Krasno, et Toropecensi Vielisiensique territorio a Moschis erat compensenda. Insignes itaque regiones, vti iam supra ex parte indicauimus, ad Poloniam tunc temporis accesserunt, eiusque fines cum in longitudinem, tum in latitudinem centum milliaria amplius sunt extensi. In his induciis componendis Cosacorum Polonicorum interceſſit opera, eo quod Moscouiticam terram ad fluuium Occam sitam miserrime vexarent, et vrbem Calugam multaque alia loca deuastarent.

Qua ratione postea bellum Turcicum in Moldauia (quam terram Polonorum sepulcrum aliquis appellat, et quam Casparus Gratianus, Graetiae in Stiria, vt fertur, natus, tunc temporis gubernabat; qui etiam ad bellum illud Polonos, sed ipsorum, et eius, quem antea saepe commemorauimus, Ducis supremi, Zolkieuii, (cuius caput postea vidua eius a Turcis redemit, et vna cum corpore in vrbe ab ipso aedificata humauit,) imo et suo (Gratiani) damno incitauit) sit secutum, iam supra expositum est.

Post pacem cum Turcis initam Vladislaus cum patre Rege anno millesimo sexcentesimo vigesimo tertio in Prussiam est profectus, et Golubum ad Regis sororem, Annam, cuius hoc territorium erat, et inde Thorunium peruenit: Bidgosti officinam monetariam Rex conspexit: Osieccum autem et Tauchelum, quorum illud Vladislai, hoc autem Reginae Constantiae erat, diuertit: tum in Polonia maiore Grocholini et Nackeli, a Castellanis harum vrbium, Vagrouetii autem ab Abbate magnifice exceptus est: deinde cum filio Vladislao in eadem Polonia maiore Gnesnam, Posnaniam, Curniccum, Radlinum, Cosminum, Crotosinum, Golichouiam et Calisium, et tum Louitium venerunt; tandemque Varsauiam sunt reuersi.

Anno millesimo sexcentesimo vigesimo quarto Vladislaus ad peregrinas terras visendas Varsauia exiit. Cracouiam igitur cum transiisset, ad locum, Clarum Montem dictum, in Poloniae et Silesiae finibus situm peruenit: vbi Beatae Virginis Mariae imago, a Sancto Luca, vti scriptor ille p. 869. nugatur, depicta, et Constantinopoli in Poloniam allata colitur: vnde per Silesiam transiit, et Viennam petiit: vbi ei Imperator Ferdinandus secundus antiquum domus Austriacae thesaurum, non diuitiis tantum, sed variis naturae, artisque miraculis refertum,

vt

vt idem scriptor p. 871. loquitur, ipse monstrauit. Hinc Princeps Lintium, Salisburgum, Monachium, Augustam Vindelicorum, Thonawerdam, Norimbergam, Wurtzburgum, Hanouiam, Francofurtum, Moguntiam, Baccharacum, Confluentiam, Bonnam, Coloniam, Iuliacum, Aquisgranum, Visetum, Louanium, Bruxellas, Mechlinum, Antuerpiam et Bredam (quam Spinola tunc obsidebat) profectus est; tum Antuerpiam et Bruxellas rediit; deinde Niuellam, Metim, Tabernas Alsaticas, Argentoratum, Molshemium, Schletstadium, Rufacum, Ensisheimum, Brisacum, Basileam, Solothurnum, Lucernam, tum per montem Gothardi Mediolanum, Genuam, Parmam, Mutinam, Vrbinum, Riminum et Romam perrexit. Tum Anconam etiam transiit, et Loretum peruenit, vbi auream Sancti Vladislai imaginem reliquit. Vnde anno millesimo sexcentesimo vigesimo quinto intra sex dies Neapolim profectus est, tum Romam repetiit, vnde vigesimo Ianuarii die egressus Florentiam, Pisam, Liburnum et Venetias inuisit; tum Graetziam in Stiria sitam, et inde Viennam, Nissamque, Silesiae vrbem, petiit, vnde tandem in Poloniam est reuersus. Anno millesimo sexcentesimo trigesimo primo valetudinis curandae ergo Egram, quae Bohemiae est vrbs, se contulit.

Qua ratione moribundus Rex Sigismundus anno millesimo sexcentesimo trigesimo secundo coronam Suecicam ei impositam, iam supra ex Piasecio commemoratum est. Is, quem saepe dico, Kobierzickus de hac re p. 945. ita scribit: *Sigismundus extremo colluctans morbo Varsauiae Vladislaum etsi voce compellare non posset, paterno intuitus oculo, mox gestu, impositaque desuper caput manu, Regni Sueciae verum ac legitimum haeredem ac successorem declarauit, adstante Gregorio Borasio, viro apprime erudito, natione Sueco, inque publicas tabulas eam nuncupationem referente.* Tum Vladislaum illum Poloniae Regem Varsauiae electum, et deinde anno millesimo sexcentesimo trigesimo tertio, sexto Februarii die, Cracouiae coronatum esse, pariter supra a nobis narratum est.

Eodem anno Moscouitae, antequam induciarum tempus prorsus erat finitum, Smolensco obsesso, Lithuanicos fines diripiendo et deuastando crudelissime inuaserunt. Obsessis autem Rex Vladislaus cum Duce Christophoro Radzivilo, supremo exercituum Lithuanicorum Imperatore, et cum Palatino Vilnensi, subsidio venit. Tum per aliquot menses cum Moscouiticis castris, in quibus etiam sex Germanorum millia cum antiquo illo duce, Alexandro Leslaeo erant, negotia habuit. Tandem vero Moschorum Dux, Sehinus, inprimis impulsu Germanorum, qui tectis et ignibus carentes perpetuis dimicationibus penuriaque et inedia (quam Moschi, suo aëri adsueti, et paucis leguminibus, iisque non coctis, contenti, facilius tolerare possunt) paene confecti erant, mense Martio anni proxime sequentis sese dedidit. Ita etiam Poloni ipsi commeatuum penuria grauiter sunt afflicti; cum tamen in hac regione, postquam primum eo venerant, omnium rerum et hominibus et equis ad victum necessariarum magnam repererant copiam. Sed superuacanei calones, quae per aliquot annos alendo exercitui sufficissent, ea paucis diebus consumserunt, neque parum, praesertim pecora, in Lithuaniam deduxerunt. Rex Vladislaus ligneam eamque angustam domunculam subire necesse habuit: milites autem eius in paruis tuguriolis commorati sunt, et plerumque tempestate frigidissima sub dio excubias egerunt; quas Rex nocturno tempore saepius frequentauit. Interea Turcae, quo bellum a Moscouitis auerterent, Podoliam prope Cameneciam inuasere; qui autem a Koniecpolscio in Moldaui sunt repulsi. Eius, quae anno illo millesimo sexcentesimo trigesimo quarto cum Moschis inita est, pacis beneficio amplissimas, in longitudinem per centum, et in latitudinem per quadraginta milliaria Germanica extensas prouincias, quae duocentis abhinc annis a Polonia et Lithuania erant auulsae, Rex maxima cum laude recuperauit; quo anno etiam pax cum Turcarum Imperatore est instaurata, qui per Legatum eius violationem Bassae Abazyo imputauit. Eodem anno circa No-

uembris finem Rex fratrem natu minimum, ab eodem patre genitum, Alexandrum, (*in quo prae caeteris fratribus summa heroicarum virtutum specimina emicabant*; vti Episcopus Piasecius dicit) morte amisit; et haud ita multo post, trigesimo Decembris die, alius etiam Regis frater, Iohannes Albertus, Cardinalis, et Episcopus Cracouiensis, Patauii in Italia ex hac vita decessit. Anno millesimo sexcentesimo trigesimo quinto, duodecimo Septembris die Stumdorfii inter Polonos et Suecos sex et viginti annorum induciae, quae ad annum millesimum sexcentesimum sexagesimum primum, et quidem ad vndecimum Iulii diem durarent, pactae sunt: de quibus Piasecius p. 480. legi potest.

Anno millesimo sexcentesimo trigesimo septimo Rex cum Caecilia Renata, Imperatoris Ferdinandi secundi filia, celebrauit nuptias, quae Varsauiae coronata est; et ex qua anno millesimo sexcentesimo quadragesimo Calendis Aprilibus filium, Sigismundum Casimirum; anno autem millesimo sexcentesimo quadragesimo tertio filiam, quae paulo post defuncta est, suscepit; et tum Regina, cum tertium infantem in vtero gestaret, anno millesimo sexcentesimo quadragesimo quarto, vigesimo quarto Martii die Vilnae in viuis esse desiit. Anno millesimo sexcentesimo quadragesimo secundo Rex sororem, Annam Catharinam, Comiti Palatino, Philippo Wilhelmo, e stirpe Neoburgensi orto, magnis dotibus datis, Varsauiae elocauit; de quo Piasecius p. 504. legendus est.

Anno millesimo sexcentesimo quadragesimo quinto Rex colloquium amicum de religione Thorunii in Prussia instituit, cuius acta typis impressa prostant. Vide etiam Piasecium p. 507. et de iis, quae hoc et tribus sequentibus annis religionis causa in Polonia gesta sint, appendicem prioris nostrae descriptionis Polonicae, alteri eius editioni adiectam: vbi etiam plura alia sunt legenda. Eodem anno millesimo sexcentesimo quadragesimo quinto duo Silesiae Ducatus, Opoliensis et Ratiborienſis in Regis Poloniae potestatem venerunt; de quo idem Episcopus Piasecius est videndus. Anno millesimo sexcentesimo quadragesimo sexto, vndecimo Martii die, Varsauiae ei matrimonio iuncta est Ludovica Maria, Caroli Gonzagae, Ducis Mantuani et Niuernensis filia; quae altera eius coniux, cum qua sterile habuit coniugium, eodem anno decimo quinto Iulii die Cracouiae coronata est. Decimo die Martii eam Georgius, Dux Ossolinius, Cancellarius Regni supremus, Varsauiae, Regis nomine, oratione Latina, quae typis excusa est, excepit. Gal. Gualdus *Hist. part. 3. libr. 9. p. 429.* eius dotem septingentis Coronatorum millibus constitisse scribit. Anno millesimo sexcentesimo quadragesimo septimo, nono Augusti die (secundum fastos nouos) Regis Vladislai filius, quem vnum habebat, dysenteria, et proxime insequente anno, vigesimo Maii die, Rex ipse Meretzii in Lithuania febri ardente, quam imperiti medici male praeparato antimonio et ipsi propinato auxerunt, postquam quinquaginta duos annos, vndecim menses totidemque dies vixerat, vita defuncti sunt.

Tum eodem anno millesimo sexcentesimo duodequinquagesimo, decimo septimo Nouembris die frater eius, natu maior, Iohannes Casimirus, qui anno millesimo sexcentesimo nono, XI (XXI) Martii die, Cracouiae natus erat, Rex Poloniae electus, et sequente anno millesimo sexcentesimo vndequinquagesimo, VII (XVII) Ianuarii die coronatus est; qui a Romano-Catholica religione alienis securitatem iureiurando confirmauit, eosque in iuribus Regni Polonici publice corroborandis pariter atque alios se defensurum esse promisit. Cum enim statim post Regis Vladislai obitum Cosaci et Tartari in Regno Polonico crudelissime saeuirent, Catholici et Euangelici publico pacto inter se inito confoederationem, qua iuncti erant, in posterum ius perpetuum esse, et vim legis Regni habere voluerunt; cuius beneficio Euangelici libera sacrorum exercendorum fruerentur potestate, et templa sua sine vllis interpellationibus retinerent, vti in *Francofurtana Relatione autumnali* anni 1648. p. 48. scriptum est. Anno millesimo sexcentesimo duodequa-

quadragesimo Iohannes Casimirus in Francia detentus et custodiae traditus est; anno autem millesimo sexcentesimo quadragesimo in libertatem restituetus Poloniam repetiit. Tribus annis post Romam se contulit, et Iesuitarum Ordini se adiunxit. Duobus autem probationis annis, quos vocant, praeterlapsis, cum perpetuam professionem in hoc Ordine facere vellet, Pontifex Innocentius decimus illud prohibuit; eumque anno millesimo sexcentesimo quadragesimo sexto in Cardinalium numerum recepit: cui dignitati, pileo Pontifici remisso, paulo ante Regis Vladislai mortem renunciauit. Anno millesimo sexcentesimo vndequinquagesimo, XX (XXX) Maii die, cum defuncti Regis Vladislai, fratris sui, relicta vidua, Ludovica Maria, Varsauiae, in hortulis amoenis regias celebrauit nuptias; quae anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo, XI (XXI) Iulii die, filiam, Mariam Annam Theresiam in sacro baptismo dictam, et anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo secundo IX (XIX) Ianuarii die filium, in lucem edidit; cuius vtriusque vita longaeua non fuit. Quam grauia bella Rex, postquam Regnum nactus erat, primo cum Tartaris et Cosacis, deinde cum Magno Moscouiae Duce, Alexio Michaëlis, et tandem cum Sueciae Rege, Carolo Gustauo gesserit, id vero recenti adhuc viget memoria; de quo Ioachimus Pastorius, de bello *Scythico-Cosacico*, Relationes, et nonnullae aliae narrationes typis excusae, legi possunt; tum infra in locorum descriptione de bellis illis, data occasione, quaedam dicentur. In Lipsiensi Relatione verna de anno 1654. ita narratur: quamuis cum Tartaris pax fuisset inita, ab iis tamen anno illo millesimo sexcentesimo quinquagesimo quarto, mense Februario, ante ipsorum discessum tantam incursionem in Regnum Polonicum esse factam, quanta post hominum memoriam non acciderit: siquidem ducenta fere hominum millia, in quibus multi nobilium in duram seruitutem ab iis abducti existimentur.

Hoc exordium sequitur breuis praecipuarum prouinciarum et locorum in Regno Poloniae et Magno Ducatu Lithuaniae sitorum descriptio.

I. POLONIA MAIOR,

CVM CVIAVIA.

Haec prouincia, occasum versus sita, a meridie Silesiae, ab occasu Marchiae Brandenburgicae et Ducatui Pomeraniae, a septentrione parti Prussiae et Masouiae, a qua per Vistulam separatur, ab ortu autem Poloniae minori est finitima. In octo Palatinatus, Posnanienſem (ad quem etiam Vschouiense territorium refertur) Calissiensem, Lancicienſem, Brestenſem, Iunouladislauienſem, (qui duo Palatinatus Cuiauia vulgo appellantur) Siradienſem, Rauenſem, et territorium Vielunense, diuiditur; vti scriptor ille Polonicus, Simon Starovolscius, in ea, quae anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo sexto typis iterata est, Regni Polonici descriptione tradit; quem Starovolscium maxima ex parte iam sequor; et ex quo prior mea descriptio (quam in posterum breuitatis ergo, literis P. D. citare constitui) p. 5 seq. emendari potest. Ex locis Poloniae maioris notabiliora sunt ea, quae sequuntur.

Boleslauecia, oppidulum, cum arce munitissima, in territorio Vielunensi situm.

Borecum, oppidulum in Palatinatu Calissiensi situm, Mariae Virginis imagine, quam miracula patrare nugantur, famosum.

Breste, Palatinatus Brestensis metropolis, vallo, moenibus et fossa circumdata. Ad hanc Satrapiam seu Palatinatum quatuor pertinent territoria, Brestense, Crusuicienſe, Coualiense et Praedecense.

Bydgostia, vrbs moenibus cincta, in Cuiauia, et quidem in Palatinatu Iunouladislauiensi sita, clarissimum Iesuitarum Collegium habet.

Byki, arx, ad Liberorum Baronum idem nomen gerentium ditionem pertinens, aliquot stadia ab vrbe Petricouia distat.

Calissium, vrbs fluuio Prosnae adiacens inter paludes sita, muro lateribus confecto et turribus cincta, nonnullis monachorum coenobiis et templo Canonico, collegioque Iesuitarum sumtuosissimo floret. Ad huius vrbis Palatinatum sex Castellani, Calissiensis, Gnesnensis, Landensis, Naclensis, Biechouiensis et Camenensis, nec non oppidula, Dobra, Grabouia, Opatouecia, Plesouia et alia pluria pertinent. Calissium situ amoenissimum est. Anno millesimo trecentesimo sexto Vitenes, Lithuaniae Dux hanc vrbem inopinato oppressit et occupauit. Anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo quinto eadem in Suecorum venit potestatem; anno autem proxime insequente, tempore autumnali, quamuis Electoris Brandenburgici milites, qui ibi in praesidio erant collocati, satis fortiter restitisse dicantur, ad legitimum Dominum, Regem Poloniae, rediit.

Chocia, oppidulum in eodem Palatinatu Calissiensi situm, vbi templum Canonicum et primarius Praepositus est.

Colum et Cosminum, eiusdem Palatinatus oppidula. Prioris meminit Piasecius in an. 1590. Anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo quinto Sueci hic locorum Vartam traiecerunt.

Coninum, oppidulum Palatinatus Posnanensis. Anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo quinto Rex Sueciae Ragosnam et Gnesnam venit, suasque copias apud Coninum illud Wittenbergensibus adiunxit.

Costenum, eiusdem Palatinatus Posnanensis oppidulum, nouem milliaria ab eius Metropoli distans, in via, quae Frauenstadium et Glogauiam maiorem ducit, situm: vbi Fridericus, Landgrauius Hassiae, ex linea Cassellana, cum ad affinem suum, Sueciae Regem, iter pararet, anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo quinto, vigesimo quarto Septembris die, (secundum fastos antiquos) ante hoc oppidulum a Praesidio Polonico globo traiectus; et tum eodem anno, 1 (xi) Octobris die oppidum a Suecis vi expugnatum et incensum; sed tamen quia munitum et arce praeditum esse dicitur, ab iis praesidium ei impositum, ipsumque oppidum postea a Polonis rursus diu obsessum est.

Crone, vt Augustinus Limmerus in Relatione Lipsiensi, post festum Michaëlis scripta, in an. 1655. tradit, est oppidulum et Castellum Poloniae maioris, a Suecis captum.

Crotosinum, haud ita procul ab oppidulo Chocia situm horto pulcherrimo (Starovolscii quidem temporibus) ornatum, ad Comitum Rozazouiorum ditionem pertinet.

Crusuicia, vrbs, in Palatinatu Cuiauiae Iunouladislauiensi sita, qui Palatinatus, a lacu Goplo et hac vrbe Crusuicia, ad Vistulam et Pomerelliae fines vsque pertinens, multa quidem, sed ex mero ligno exstructa habet oppida. Extra vrbem Crusuiciam templum est, saxis quadratis constructum, et Sancto Petro dicatum, cum quatuor et viginti Canonicis; et arx lateritia, in insula quadam lacus illius Goplensis aedificata; in qua arce princeps Polonicus, Popielus, a muribus quondam deuoratus est. Vide priorem P. D. p. 23.

Curnicum, oppidulum moenibus cinctum, in Palatinatu Posnanensi. Vide infra Posnaniam.

Dibouia, Gnieucouia, Vratislauia et Solecia, sunt loca Cuiauiae primaria, et quidem in Palatinatu eius Iunouladislauiensi sita.

Drahemium, arx et Starostia, in Poloniae maioris introitu, vt Limmerus tradit, sita, a Suecis anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo quinto praesidio instructa.

Gnesna,

Gnesna, Gnesen seu Gniesen, vrbs Archiepiscopalis, septem milliaria a Posnania distans, de qua in priore P. D. vbi etiam de Sancto Adalberto quaedam dicta sunt; cuius reliquias in loculo argenteo iacentes Poloni adhuc secum habere autumant; quanquam Bohemi contrarium affirmant. Quo autem loculus ille, vti etiam ingens ille thesaurus aureorum, argenteorum et gemmeorum vasorum, in templo huius vrbis primario quondam conspiciendus, tum, cum haec vrbs anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo quinto esset capta, delatus, an mature occultatus sit, de eo in narrationibus, quas ego quidem legi, nihil commemoratum est. Starovolscius thesaurum inaestimabilem eum appellat. Nisi illud incendium, quod anno millesimo sexcentesimo decimo tertio, mense Aprili, totam vrbem vna cum templo illo deleuit, hunc thesaurum, nisi totum, magna tamen ex parte, consumserit. Anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo sexto Gnesna, vt fama perhibet, in Polonorum rediit potestatem. Eodem anno, vigesimo septimo Aprilis die, milliari ab hac vrbe, prope oppidum Clezcum (vbi latus amnis ac meatus esse fertur) acris pugna inter Polonos et Suecos est commissa.

Goluchouia, arx Comitum Lesnensium, in Palatinatu Calissiensi sita.

Gostininum, oppidulum, in Palatinatu Rauensi situm, ex Magno Moscouiae Duce, Suiscio, ex Moscouia captiuo huc adducto, et in arce huius vrbis vsque ad mortem custodito, inclaruit; de quo Magno Duce vide supra in exordio, et infra in Varsauia.

Lencicia, vrbs primaria, et Palatini sedes, ad quam quatuor Castellanatus, Lencicienses, Brezinenses, Inoulodenses et Conarienses, pertinent. Vrbs Lencicia, seu Lanschitz, a nonnullis *Landschutz* et *Londschutz* dicta, ad amnem Bsuram et in paludibus sita, nundinis inclaruit; Canonicorum autem templum satis longe ab vrbe distat. Vide priorem P. D. Quid anno millesimo sexcentesimo sexto huic vrbi acciderit, ex Setho Calvisio (qui fol. 880. *Londschuts* eam vocat) in priore illa nostra descriptione Polonica expositum est. In nouis Coloniae impressis 3 Nouembris, An. 1656. narratum est, Casimirum, Poloniae Regem, eodem anno, secundo Octobris die, ad Lenciciam accessisse, eamque decimo quarto eiusdem mensis die expugnasse; tum eam ab ipso praesidio, quod in arcem confugerit, incensam, eoque incendio, templo et monialium coenobio excepto, totam consumtam esse; tum a Polonicis militibus, Rege inuito, omnes, qui ignem euaserint, inprimis autem Iudaeos, e quibus mille amplius perierint, sine aetatis et sexus discrimine interfectos, neque infanti in vtero materno parcitum esse; eo quod incolae lapidibus in hostes proiiciendis fortissime restiterint; tandem decimo sexto eiusdem mensis die arcem quoque pactis conditionibus se dedidisse.

Lesla, ad flumen Notesium inter Gnesnam et Thorunium sita; vbi anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo sexto, vti in Relatione quadam traditur, Poloni in Iudaeos atrocissime saeuierunt; id quod etiam Plosci et Dobrini factum est, et Znenae viginti amplius Regis Sueciae satellites trucidarunt. In alia Relatione narratur, Polonicum exercitum prope Znenam oppidulum, haud procul a flumine Notesio situm, mense Maio castra habuisse; a Suecis autem mox fugatos esse; et tum Suecos oppidulum Lappeschynum, ac porro Thorunium perrexisse.

Lissa, quae *Polonica* cognominata est, pulchra quondam et incolis repleta vrbs, in Silesia Polonica sita, milliare vnum cum dimidio a finibus Silesicis, et milliare vnum ab oppidulo Storchnesto, totidemque ab oppidulo Schwetzkauia distat; et ad territorium Frauenstadiense pertinet. Quanquam autem haec vrbs vallo erat circumdata et ciuibus abundabat, incolae tamen a Polonis, qui Germanis propter Suecicum bellum infensiores facti erant, metuentes anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo sexto eam ipsi reliquerunt: quo facto Poloni vrbem inuaserunt, pulcherrimas domos exspoliarunt, et omnia in cineres redegerunt. Augustinus Limmerus in Relatione Lipsiensi, nundinis

autumnalibus conscripta, p. 15. tradit, Lissam Polonicam primis initiis pagum tantummodo fuisse, breui autem tempore satis magnam et incolarum plenam vrbem esse factam, eoque multos ex Silesia propter sacrorum emendationem se contulisse. Sed pulchram illam et recens exstructam vrbem anno illo millesimo sexcentesimo quinquagesimo sexto, duodeuigesimo Aprilis die, incendio prorsus esse deletam; primo Senatum discessisse, deinde vniuersam ciuitatem quatuor armatorum virorum millibus constantem esse subsecutam. Deinde alia relatione traditur, ciues illos Lissenses, qui aufugissent, oenopola quodam, qui ciues eius vrbis fuisset, Lucascho, Duce, rursus collectos, parua oppidula, Schwetzcauiam, Schultingheimum et Storchnestum, exspoliasse; quoniam eorum incolae in expilanda et incendenda Lissa (forsitan propter religionis diuersitatem) a Polonorum partibus stetissent, et quae igni superfuissent, ea compilassent.

Louicium, Lowitz, vrbs, quinque milliaria a Raua remota, Archiepiscopi Gnesnensis sedes; cuius arx in mediis paludibus sita est. In hac vrbe templum est Canonicum, et alia templa atque monasteria. Vrbs enim incolis referta est, et celebrioribus nundinis floret. Vide priorem P. D. vbi ex aliorum auctorum scriptis ad Masouiam refertur; cum autem a Starovolscio Poloniae maiori, eiusque Rauensi Palatinatui, adscribatur, eam huc posuimus. Anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo quinto Sueci hoc Louicio capto Varsauiam perrexerunt. Anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo sexto Poloni hanc vrbem inuaserunt, et vel eodem tempore, vel paulo post, tribuni Israëlis legio, quae a Suecis stabat, inopinata clade affecta est.

Medirecium, Meseritz, vrbs, Lusatiae et Marchiae Brandenburgicae vicina, in Palatinatu Posnanienſi sita, Castellanum habet; caeterum maxima ex parte a Germanis habitari dicitur. Vide priorem P. D. Iohannes Demetrius Sulikovius Medzirecium quoddam commemorat, vbi anno millesimo quingentesimo septuagesimo quarto recens electum Poloniae Regem, Henricum, e Francia per Marchium Brandenburgicam profectum, primo aduenisse, et summis cum gaudiis a Polonis exceptum, inde Posnaniam se contulisse dicit. Quod Solikouii Medzirecium, omnibus rebus perpensis, sine dubio, Medirecium nostrum Vartae propinquum, est; pro qua Varta Solikovius Oderam ponit; sed prope illud flumen, quantum equidem noui, Poloni nihil possident. Anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo sexto Sueci, qui Lissa et Frauenstadio emigrauerant, ex *tabularum publicarum* narrationibus, hic loci se rursus coniunxerunt.

Nissauia, vrbs Cuiauiae, circumcirca moenibus cincta, in qua Cuiauia, praeter innumeros lacus, inprimis lacus Goplensis, memoria dignus est, qui quinque milliaria in longitudinem, et dimidium milliare in latitudinem complectitur. Nissauia autem ad Vistulam in Brestensi Palatinatu seu Satrapia sita est; et inde non longe distat Racienſum, cum arce perpulchra, vti etiam Radziciouia et Sluzeuia.

Odolanouia, oppidulum et arx, inter paludes in Palatinatu Calissiensi sita; ad quod territorium etiam Olobocum, ditissimum et pulcherrimum monialium coenobium, in modum castelli constructum, et duo milliaria a Calissio remotum, pertinet.

Pacostia, oppidulum Cuiauiae, in Palatinatu Iunouladislauiensi situm. Haec vrbs, rebus probe consideratis, Cromeri *Pacossum*, de quo in Polonica descriptione priore, et tabularum *Pakosch* esse videtur, de quo in *Relatione* quadam commemorantur ea, quae sequuntur: Anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo sexto Carolum Gustauum Wrangelium, Comitem Salmensem, Praefectum classium Regni Suecici vicarium, summumque exercitus Suecici Imperatorem, decimo tertio Maii die, (ex fastis antiquis) Pysdrae castra habuisse: cum autem ibi, et in tota illa regione Vartae adiacente lues pestifera grassaretur, eundem hinc discessisse, et Mielsinum, Mogilnam et Pakoschum esse profectum, qua in vrbe

vrbe decimo quinto eiusdem mensis die aduenerit; tum Brombergam se contulisse; ibique Polonos, vt arcem eius vrbis, quam tenerent, decimo septimo huius mensis die, sibi traderent, coëgisse. In *Francofurtana Relatione autumnali* anni illius 1656. narratur, Suecos septimo Aprilis die Varsauia egressos in oppidulum Bloniam, octauo Mseonouiam, nono Rauam, decimo ad oppidulum Iezouiam, duodecimo quatuor milliaria vlterius profectos esse, decimo tertio Louicium praeteriisse, tum decimo quarto Clodouam, decimo sexto Wrzesuam, decimo septimo Sobiscirnium, et deinde Pakoschum, sex milliaria a Thorunio remotum, perrexisse, tandemque duodeuigesimo Aprilis die, Thorunium peruenisse.

Petricouia, Peterkau, vrbs elegantis structurae, in Palatinatu Siradiensi sita, et septem milliaria ab vrbe Siradia remota; vbi Regni est Parlamentum, seu Iudicium aulicum, quod tribunal vocant. Vide priorem P. Descriptionem.

Posnania, Posen, Poloniae maioris metropolis, Vartae adiacens; de qua vrbe in priore illa descriptione. Sub gradu longitudinis vndequadragesimo, et latitudinis quinquagesimo secundo sita est. Modicae quidem magnitudinis, sed eximiae pulchritudinis vrbs, vbi olim mercaturae negotium frequentissimum fuit. Amplissimis quoque suburbiis erat ornata, in quibus etiam est templum primarium seu Episcopale, cum Canonicorum domibus, et Episcopi aula, in paludibus sita; haec suburbia in oppiduli modum aedificata, et munitionibus perquam idonea, Valisouiam appellant. In his etiam Gymnasium est Lubranscianum, vbi inprimis Astronomia et Iuris disciplina docetur: in vrbe autem Iesuitarum Collegium floret; et a Dominicanis Theologia traditur. In aliis locis, ad hunc Palatinatum pertinentibus, notanda etiam sunt oppidula, Slupecia, Kcina, Kazimiria, et Nacum, moenibus circumdata. Sed vt ad vrbem Posnaniam redeamus, ex Vratislauia, An. 1656, 3. (secundum fastos nouos) Iunii, scriptum est, a Suecis omnes Iesuitas, monachos et sacrificulos, admodum paucis exceptis, eiectos, et omnia suburbia, templa atque monasteria circumcirca vrbem incendio esse deleta. Haec enim vrbs, vna cum Calissio et Miedzenzia (vti posteriorem locum Limmerus nuncupat) anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo quinto in Suecorum venit potestatem.

Pisdra, seu Pysdry, oppidum eiusdem Palatinatus Posnanienſis; de quo supra in *Pacostia*, et in priore P. D. Vartae adiacet.

Raua, vrbs et sedes Palatini, cui tres Castellani sunt subiecti. Rauae arx est, muris circumdata, in qua plerumque hostes patriae, illustriore quidem stirpe nati, captiui detinentur: vti etiam Iesuitarum Collegium. Praeterea in Palatinatu Rauensi sita sunt: oppidulum Volboria, vbi Episcopi Cuiauiensis aula est, porro Gombinum, Sochaciouia, Gostinium, (de quo supra) Squerneuicia, (vbi Archiepiscopus Gnesnensis palatium habet) Biala, Episcopi Chelmensis ditio, vnde Radzeiouia conspicitur, arx Lencicienſis Palatini, qui inde nomen gerit, pulcherrima, quae Starouolscii aetate amoenissimis hortis, fontibus atque pomariis conspicua fuit. Quod modo dixi oppidulum, Squerneuicia, seu Squiernieuicium, anno millesimo sexcentesimo vigesimo secundo in Archiepiscopi Gnesnensis fuit potestate, vti Stanislaus a Kobierzycko tradit, et fortasse adhuc ad eiusdem ditionem pertinet.

Scodra, locus, quatuor milliaria, a Posnania, ex Augustini Limmeri narratione, remotus, vbi anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo quinto summus exercitus Suecici Imperator, Wittenbergus, castra primaria habuit.

Siradia, Siratz, vrbs praecipua et sedes Palatini, ad Vartam sita. Ad eius Palatinatum pertinent oppidula ea, quae sequuntur: Vidauia, Varta, seu Warta, Pabianice, Lascum, (vbi primarius est Praepositus) et alia plura. Caeterum Siradia arce est instructa. Vide priorem P. D. Anno millesimo ducentesimo nonagesimo haec vrbs a Tartaris miserrime deuastata est.

Sreda, oppidulum, vbi, quemadmodum Andreas Maximilianus Fredro tradit, post Regis Sigismundi Augusti obitum, conuentus a Polonis est habitus.

Stauum, a nonnullis Stauus et Stauisinum dictum, oppidulum, in Palatinatu Calissiensi situm, quod Vitenes, Lithuaniae Dux, anno millesimo trecentesimo sexto praeter opinionem cepit. Anno millesimo trecentesimo trigesimo primo, cum Ordinis Teutonici seu Prussici Equites quam crudelissime in Polonia saeuirent, hic quoque locus incendio conflagrauit.

Strelce, praecipuus Cuiauiae locus, ad Iunouladislauiensem Palatinum pertinens, vbi monialium est coenobium, quo locupletius in tota Polonia maiore non reperias; vti Starouolscius tradit.

Velunia, vrbs, pulchris aedificiis, ex lateribus constructis, templo Canonicorum, et monasteriis aliquot ornata; cuius territorium, in quo oppidulum Boleslauecia continetur, Palatinatui Siradiensi vicinum, Terra Vielunensis, lingua autem Germanica *Wielun* dicitur. Augustinus Limmerus in *Relatione Lipsiensi Vernali* de anno 1656. p. 14. et seqq. et p. 41. scribit, anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo quinto Vieluniae, in vrbe Silesiae finitima, Suecos a Polonis oppressos crudelissime tractatos et interfectos esse; simulque Euangelicos ciues cum vxoribus et liberis innocentibus periisse; arcem vero a Suecis esse conseruatam. Froelichius in *Viatorio* suo, Vieluniam vrbem esse Poloniae munitam tradit, cum arce valida, situm vero eius non addit. In *Francofurtana Relatione autumnali de anno* 1656. Vielunia, fortissimum oppidulum, Czenstochouae propinquum, a Polonis in cineres redactum esse dicitur. In alia Relatione narratur, anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo sexto a Polonis Czenstochowae (de quo oppido infra in Polonia minore) praesidium agentibus oppidulum Vieluniam per proditionem viginti locis simul esse incensum, vt ne vestigium quidem vrbis manserit. Ea autem, quam nunc describimus, Vielunia inter Siradiam et Czenstochowam sita est, neque aliam illa priore Vieluniam in tabulis reperio.

Viasdum, oppidulum, cum arce perpulchra, ad sinistram quasi vrbis Rauae, et in Palatinatu Rauensi situm.

Vladislauia, Wladislaw, vrbs, Vistulae adiacens, Episcoporum Cuiauiae et Pomerelliae, sedes; sed in Brestensi Palatinatu sita. Vide nostram priorem P. D. in litera *W.*

Vnieiouia, vrbs, cum arce elegantis structurae, Vartae propinqua et in Palatinatu Lencicensi sita, vna cum vrbe Piontko ad Archiepiscopi Gnesnensis ditionem pertinet.

Vschohouia, vrbs, quae etiam Vuschoua et a Germanis, Frauenstadium vocatur, in Posnanensi, seu vrbis Posnaniae, Palatinatu sita, ad Polonicam Silesiam pertinens, et duo milliaria a maiore Glogauia remota; de qua Vschohouia in priore P. D. Augustinus Limmerus, anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo sexto, cum Lissae Polonicae pessime saeuiretur, hanc vrbem, armis a ciuibus depositis et Polonis obuiam missis, illaesam esse conseruatam dicit.

Znena, Snena, inter Scharmeuselium et Pacostiam sita, et Archiepiscopo Gnesnensi, Sulikouio (qui *insigne oppidum* eam vocat) narrante, subiecta. Haud ita procul a fluuio Notesio abest, qui in tabulis publicis *die Netze*, et Znena, *Znin* et *Szina*, vti etiam in Relationibus quibusdam, ex illis desumtis, vocatur.

II. POLONIA MINOR.

Haec terra meridiem versus sita, et, praesertim in Hungariae vicinia, montibus repleta, a Vistula perluitur, et Russia, Rolonia maiore, Silesia atque Hungaria cingitur. Plumbum habet et argentum apud Ilcussiam, Slaucouiam, Seueriam ac Nouagoram: aes et aurum apud Nouotargum et in montibus circa Sandecium:

Sandecium: salem metallicum, duritie rupes aequantem, apud Bochnam et Velisca: marmor variorum colorum apud Soleciam: salem petrae apud Visliciam: vitriolum apud Bieciam: cuprum et carbones fossiles apud Tenzinum: chalybem apud Podoleneciam: vulgare autem ferrum et officinas vitriarias apud Olstiniam et alia loca; de quibus infra dicetur. Caeterum Polonia minor in tres Satrapias seu Palatinatus, Cracouiensem, Sandomiriensem et Lublinensem, distribuitur. Praecipua eius loca sunt:

Andreiouia, Andreouum, oppidulum, de quo prior nostra descriptio Polonica legi potest. Anno millesimo sexcentesimo septimo nobilitas Polonica, Regi aduersans, seu Rokossiani, conuentum vniuersalem, duodetrigesimo Martii die in hac vrbe celebrandum, indixerunt. Ita etiam antea anno millesimo quingentesimo septuagesimo sexto, mense Ianuario, Poloni, cum Stephano Batorio facientes, congregationem armatam hic egerunt. Caeterum hoc oppidulum in Palatinatu Cracouiensi situm, Silesiae vicinum est, et haud longe ab Hungariae finibus remotum.

Biecia, vrbs pulchra, loco munito inaedificata, ad quam territorium quoddam pertinet. In Palatinatu Cracouiensi sita est.

Bochnia, vrbs eiusdem Palatinatus Cracouiensis, apud quam, vti supra indicauimus, salisfodina est; et ad cuius dextram Hungariam versus vrbs et arx Dobcicia; et orientem versus Visniciae, Comitis Lubomirscii castellum munitissimum conspicitur. Vide de hac vrbe, quinque milliaria a Cracouia distante, eiusque salisfodina, nostram priorem P. D.

Bozentinum, vrbs satis elegans, muris et vallo circumdata, et ad radicem quasi montis Calui sita, quo monte excelsius in tota Polonia non reperitur. Episcopus Cracouiensis Bozentini plerumque commoratur; qui alias etiam Kielciis, vbi pulchrum Canonicorum templum est, palatium marmoreis lapidibus ornatum habet. Vide P. D.

Cazimiria, vrbs pulcherrimae structurae, ad Vistulam in Palatinatu Lublinensi sita, vbi haud ita longe ante multi mercatores fuerunt. Vide priorem P. D. Hic loci Sueciae Rex flumen illud traiecit, et deinde anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo sexto, octauo Februarii die, cum Polonici exercitus Imperatore, Stephano Czarneckio apud Wlostouitium prospere conflixit.

Christophoria, arx Palatinatus Sendomiriensis; quam anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo sexto tribunus Suecicus, Essenius tenuit. In hac regione elegantes nobilitatis esse arces, in iisque Rzemienium, validissimum, Vieuiorcam, amoenissimam, et Baranouiam, pulcherrimam, has autem omnes a Christophoria superari, Starovolscius scribit. In Francofurtana Relatione autumnali de anno 1656. Baranow seu Baranouia illa, vrbs inter Iaroslauiam et Sendomiriam nominatur; apud quam vigesimo quarto Martii die Rex Sueciae praefectum Polonicum, Sapieham, profligarit. Eadem Relatio vrbem Bielitziam apud Bielauiam Cracouia Iabluncam versus sitam commemorat.

Chroberscum, arx pulchra, quae Starovolscii temporibus ad Marchionis de Miscaw ditionem pertinuit; cuius etiam vrbs Pinczouia cum palatio eius splendidissimo fuit.

Claratumba, seu Mogila, Mogillo, milliare a Cracouia distans, ditissimum, pulcherrimum et munitissimum Cisterciensis Ordinis monasterium et Abbatia. Vti equidem reperi, anno millesimo quadringentesimo septuagesimo tertio igni absumta est.

Corczynum, territorii sui caput, arce, in loco munito inter aquas exstructa, ornatum est.

Cracouia, Cracaw, non minoris tantum, sed totius Poloniae metropolis; cuius Palatinatus seu Satrapia, latissime extenditur, siquidem quatuor magna territoria,

toria, et tres Ducatus, Oluecimensem, Zatoriensem et Seuerinensem, quae Silesiae sunt partes, complectitur. Ad eundem Palatinatum tredecim oppidula patentia, cum arce Lublo seu Lublauia, a Polonis Luboulia dicta, munita illa, perpetuo praesidio instructa, in Comitatu Scepusiensi (quem vulgo *Zips* vocant,) sita, referuntur, quae arx anno millesimo quadringentesimo duodecimo, pignoris loco, pro pecunia mutuo sumta ab Hungaria ad Poloniam venit; de quo in mea Regni Hungariae descriptione plura legi possunt. Terra Cracouiensis Episcopum, Castellanum, (qui omnes Laicos Senatores dignitate antecedens proximum ab Episcopis locum tenet) Palatinum Cracouiae, et quatuor alios Castellanos, Voinicensem, Osuecimensem, Sandecensem et Biecensem, cum aliis magistratibus habet. De huius terrae bonis iam supra quaedam sunt dicta. Praeter ea, quae iam commemorata sunt, et infra commemorabuntur, loca ad hunc Palatinatum pertinent oppidulum Mstouia, Vartae adiacens: ad cuius dextram in siluis rupi praealtae inaedificata est arx Olstima; ad fluuium Pilciam autem sita est Nouopolia cum arce pulcherrima, quae vna cum castello Potoco ad Koniepolsciorum ditionem pertinet. Ab hoc castello Potoco illustris Potociorum prosapia, qui inde in Russiam se contulerunt, cognominata esse dicitur. Occasum versus et milliari ab vrbe Cracouia in alto monte conspicitur monasterium, seu Eremitorium monachorum Camaldulensium, a quo milliaris spatio abest Tinecium, Benedictinorum coenobium, in Vistulae praeterfluentis ripa situm, cuius Abbas quinque vrbes cum centum pagis possidet. Silesicos fines versus proficiscentibus occurrit arx Bobrcensis in Ducatu Osuecimensi sita. In Ducatu Zatoriensi est Palatium Osiecense. In eodem Palatinatu Cracouiensi sunt Tucholia, Zmigrodum, Dumbouecia, Ducla; et septentrionem versus tendentibus obuiam sunt oppidula Opatouecia, Cosicia, Prosouia, Miechouia, (quod cum toto territorio ad Equites Sepulchri Christi pertinet) Scarbimiria, et si qua alia minoris momenti in toto territorio Cracouiensi, sita sint. Sed vt ad vrbem Cracouiam ipsam veniamus, ea sub quadragesimo secundo longitudinis, et quinquagesimo latitudinis gradu, vti Starovolscius refert, sita est. Iuxta se ab australi quidem parte Cazimiriam, a boreali vero Clepardiam habet. Arx regia vero in rupe exstructa et in medio quasi supra Vistulam sita est. Qui thesaurus in arcis seu Sancti Stanislai templo Starovolscii temporibus reseruatus sit, ipse narrat p. 14. In eodem templo sacerdotes per totam noctem canunt. Episcopus eius tredecim vrbium est dominus, et summus Ducatus Seuerinensis princeps; et mille atque vndeuiginti templa sibi subiecta habent, quorum tredecim templa Canonicorum sunt. Capitulum sex et triginta Canonicis constans, cum caeteris inferioris ordinis sacerdotibus, totidem, atque Episcopus ipse, reditibus fruitur. Academia huius vrbis, anno millesimo trecentesimo quadragesimo quarto, decimo septimo Augusti die, instituta vndecim floret Collegiis, quae is, quem toties dico, Starovolscius p. 15. recenset, cum quatuordecim Scholis Grammatices, per vrbem distributis, quae omnes, vti idem tradit, ab vno Praefecto, Magnifico Academiae Rectore gubernantur. In eadem vrbe multa sanctorum corpora monstrant, ea praesertim, quae miracula patrare fingunt, vt Sancti Stanislai, qui huius vrbis Episcopus fuit, S. Prandothae, et S. Ioannis Grothti, in arce, S. Hyacinthi et Iuonis Episcopi, apud Dominicanos, S. Isaiae Confessoris, apud Eremitas S. Augustini, Stanislai Cazimirienſis apud Canonicos Regulares, S. Simonis Lipnicae, apud Minoritas obseruantium, S. Ioannis Cantii Academici in S. Annae templo, et alia plura. In arce Cracouiae literae primariae, sceptra, Coronae thesaurus et alia quae in Regno summi fiunt, custodiuntur: vnde etiam Polonia minor, quoniam sedes regia in ea est, maiorem Poloniam in conuentis publicis ordine antecedit. Si quis plura et vberiora de hac vrbe, (quam Andreas de Pilca Corycinius de ipsius conditore, Gracho, Grachouiam appellat) cognoscere cupit, priorem meam Polonicam

cam descriptionem legat, quae quoniam bis typographico prelo excusa est, ea inde repetere, superuacaneum existimo; vbi etiam, quae memorabilia hic euenerint, sunt narrata. De iis, quae anno millesimo quingentesimo octogesimo ibi acciderint, in appendice etiam secundae editionis nonnulla commemorata sunt. Quapropter nouissimarum tantummodo rerum, quae illic non reperiuntur, quasdam attingam. Anno millesimo quingentesimo octogesimo septimo Maximilianus, Archidux Austriae, a Polonorum altera factione Rex electus, Cracouiam obsedit; de quo supra in exordio. De tumultu contra Euangelicos, in hac vrbe habitantes, anno millesimo quingentesimo nonagesimo primo excitato in illa descriptione nostra, nonnulla quidem iam sunt dicta, sed iis tamen ea possunt addi, quae Episcopus Piasecius Polonicorum Annalium p. 92. scribit: quoniam Regis Sigismundi soror Anna, cum eo ex Suecia profecta, purioribus a Luthero instauratis sacris fuisset addicta, magnam Lutheranorum multitudinem Cracouiam se contulisse, ibique Synagogam instituisse; item et aliam dissentientes sibi in religione; vt ipse loquitur. Has autem Synagogas nocturno tempore a populo dirutas atque combustas, neque ab haereticis restitutas esse. Anno millesimo quingentesimo nonagesimo quinto, nono Iunii die, proxime superior Rex, Vladislaus ibi natus est; sed in ea nocte, quae eius natiuitatem proxime antecessit, praestantissima Regii palatii pars, quae vrbem prospicit, repente conflagrauit; vnde varia de huius infantis regii fortuna exstiterunt iudicia; quas omnium coniecturas veras fuisse, et ipsam illam aduersam sortem arci vtilem fuisse tempus docuit: siquidem Cardinalis, Georgius Radzivilus, Episcopus Cracouiensis, ex Episcopatus sui tunc recens inuentis aurifodinis, quas in campis Kielcensibus habebat, Regi tantum cupri dedit, quantum ad tectum huius arcis incendio deletum instaurandum ei necesse erat: et Rex ipse impensis maioribus illam arcis partem renouauit. Anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo secundo centum septuaginta tria Christianorum, et viginti Iudaeorum millia lue pestifera obiisse, caeterum vero in Polonia vniuersa vno illo anno quadringenta hominum millia gladio et pestilentia periisse Relationes allatae narrant. Anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo quinto Carolus Gustavus, Rex Sueciae, Cracouiam obsedit; decimo sexto Septembris die vrbe Casimiria et suburbio Stradomia, (cuius maximam partem Poloni ipsi vastauerant, et suburbium Clepardiam incenderant) et VIII (XVIII) Octobris die vrbe Cracouia ipsa, pactis conditionibus potitus est; et tum IX (XIX) eiusdem mensis die praesidium Polonicum ex arce discessit; vti in *Francofurtana Relatione verna de anno 1656.* traditur. Augustinus Limmerus autem, suburbium Clepardiam in diuersis locis a Polonis incensam, vrbem Casimiriam, cum suburbio Stradomia decimo sexto Septembris die a Suecicis militibus captam; Stradomiam autem a Polonico Cracouiae praefecto concrematam; tum nono Octobris die Cracouiam pactis conditionibus a Suecis occupatam, et ab iisdem moenia combustorum Cracouiae suburbiorum pleraque dirura esse dicit. Postea Poloni Cracouiam obsidione saepius cinxerunt; et inprimis anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo sexto Regni Polonici Gladifer hunc locum iam tenere sibi visus est; quem autem Suecicus vrbis praefectus pridie Calendas Augustas fudit; de quo impressa quaedam Relatio prostat; in qua tamen Gladiferi illius nomen non reperitur; sed monasterii Liniecii ad Vistulam siti, et arcis Tentichini, ad Marschalcum aulae, Opolinscium, pertinentis, et tria milliaria a Cracouia remotae, mentio fit. Caeterum anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo primo Michaël Zebrzydovius, vnus ex primoribus Palatinatus Cracouiensis, Regni Polonici erat Gladifer, qui fortasse adhuc id munus gerit. Postea Poloni prope hanc vrbem iterum maxima clade sunt affecti.

Czenstochia, Czenstochowa, oppidulum, vbi praestantissima cereuisia coquitur, quae non modo per Poloniam, sed etiam in finitimas Germanorum pro-

uincias diuenditur: monasterium autem extra oppidum in Claro Monte situm, et optime munitum ex B. Mariae Virginis imagine, quam a S. Luca pictum esse ferunt, inclaruit; quapropter multae peregrinationes religiosae eo suscipiuntur; et monasterium Ordinis S. Pauli Eremitae insigni thesauro superbit. In vicinia huius vrbis Dominicanorum sedes est, quae Gidlensis vocatur, pariter imagine quadam B. Virginis, et ea quidem miraculosa, vti iactitant, admodum famosa; vbi etiam paulo ante Carthusianum domicilium exstructum est. Anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo quinto monasterium Czenstocham Sueci obsederunt, sed frigoris acerbitate coacti ab eo destiterunt; ita et anno sequente millesimo sexcentesimo quinquagesimo sexto illud frustra sunt adorti.

Czorsteinium, arx regia, duodecim milliaria a Cracouia distans, in monte excelso, cuius radices fluuius Donaiecius praeterlabitur, sita, vbi anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo primo Napierscius, qui Kostka appellari volebat, Cosacorum auxilio fretus turbas mouit. Ea autem, qua potitus erat, arx Episcopi Cracouiensis industria recuperata, et falsus ille Kostka debito supplicio affectus est.

Inovladia, ad fluuium Pilcam in Palatinatu Sendomirienſi sita, oppidulum, ad quem Palatinatum etiam Dreuicia, forti castello instructa, pertinet.

Ilcussia, vrbs regia, in Palatinatu Cracouiensi sita, vbi plumbi et argenti fodinae sunt, et vbi panis boni saporis cum carne bubula optimae notae reperitur. Vix quinque milliaria a Cracouia, et non longe a Slaucouia distat, in Seuerienſi Ducatu sita, ad Episcopi Cracouiensis ditionem pertinet, et ex argenti fodinis admodum clara est.

Ilza, vrbs pulchra, lateritiis domibus constans, ad eundem Cracouiensem Episcopum, quamuis in Palatinatu Sendomirienſi sita, pertinet, arce valet, et Poloniae vniuersae ollas figulinas, easque elegantissimas, praebet. Huc etiam referenda est Cunouia ex variorum colorum marmoribus admodum celebris.

Lagouia, vrbs eiusdem Palatinatus, Episcopi Cuiauiensis ditioni subiecta, et pariter ollis, quae inde per Poloniam passim diuenduntur, notissima.

Landiscorona, Landscron, arx Palatinatus Cracouiensis, in alta rupe exstructa, quae arx vndique per aliquot milliaria conspici potest, et in cuius territorio mons Caluariae, coenobio monachorum de obseruantia et sacellis seu conclauibus ad preces destinatis, et in modum Hierosolymitanorum sacellorum structis, ornatus cernitur; quapropter etiam multae peregrinationes sacrae eo fiunt. Albertus Laskius, Palatinus Siradiensis, vrbem Landiscoronam, quoniam quatuor tantum milliaria a Cracouia abest, Maximiliano, Archiduci Austriae, conseruare studuit; quam tamen Rex Stephanus ad deditionem coëgit. Piasecius Lanckoronam eam vocat, proximisque Hungariae finibus sitam esse dicit. Anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo quinto, XIX (XXIX) Septembris die fortissimam illam arcem Comes Duglasius cum Suecis suis expugnauit: Proxime autem insequente anno Poloni proditione, vt fama fert, eam recuperarunt.

Lelouia, oppidulum eiusdem Palatinatus Cracouiensis, antiquis moenibus circumdatum; ad quod oppidulum ditio quaedam seu territorium pertinet.

Lezaiscum, oppidulum, extra cuius moenia monasterium est Minoritarum, in quo B. Mariae Virginis imago, miraculis, vt aiunt, clara, reseruatur, in Palatinatu Sendomirienſi situm est.

Lipouecia, oppidulum, cum arce in alto scopulo exstructa, in qua arce Clerici dioeceseos Cracouiensis, si inhoneste se gesserint, custodiuntur.

Lublinum, vrbs clara, et tertii Poloniae minoris Palatinatus caput, cum territorio Lucouiensi ei adiuncto. In hoc Palatinatu bis mille nobilium domus olim fuisse dicuntur; in quo etiam oppida Cazimiria, Opolia, Curouia, Crasnicia, Leuartouia, Vrzendouia, Lenczna, Czemiernicos, et Dominorum Firleiorum arx Dombrouicia. Illa igitur, quam nunc describimus, metropolis, Lublinum, sub quadragesimo

quadragesimo quinto fere longitudinis, et vltra quinquagesimum primum latitudinis gradum sita est, vt Starovolscius scribit. Modicae quidem magnitudinis, sed elegantis est structurae, nullique fere totius Sarmatiae vrbi, neque situs amoenitate, neque coeli salubritate, neque soli fertilitate, cedit; sicut idem Polonicus scriptor tradit. Magnifice exstructa habet templa atque coenobia, templum Canonicum et Iesuitarum Collegium, vti etiam Tribunal regium, seu Parlamentum; et tres mercatus insignes et frequentes quotannis celebrat. De hac vrbe vide plura in priore nostra descriptione Polonica. Anno millesimo sexcentesimo sexto nobilitas Polonica contra Regem et nonnullos Regni Senatores, ab eius partibus stantes conuentum hic loci instituit; cuius exitus qui fuerit, in Polonicis Pauli Piasecii annalibus legi potest. Quae anno millesimo sexcentesimo quadragesimo sexto Lublini (quod quatuor et viginti milliaria a Varsauia distat) Iudaeis acciderint, ea in priori descriptione Polonica sunt relata. Anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo sexto Rex Sueciae hanc vrbem praesidio carentem atque apertam offendit, eique triginta Florenorum millia pro incendio vrbis redimendo imperauit; vti *Francofurtana Relatio Verna* commemorat. Tum eam Rex praesidio muniuit; quo facto Voldemarus, Comes Danicus in eadem vrbe, mense Martio, fato decessit.

Ogrodenecia, arx Cracouiensis Palatinatus, in rupe sita, et Dominis Firleiis subiecta, inter quam arcem et vrbem Seueriam oppidula quaedam minoris momenti interiacent.

Opatouia, vrbs praecipua, in Palatinatu Sendomirienſi sita, et quatuor milliaria ab eius metropoli remota; vbi etiam Viazdensis munitio paulo ante est erecta; vti etiam oppidulum Iedlinsko, gymnasio celeberrimo, et eleganter aedificato templo ornatum.

Osuecimia, vrbs, et locus Ducatus Osuecimensis Silesiae finitimi primarius, inter paludes situs; in Zatorienſi autem Ducatu, qui etiam Cracouia proficiscentibus Silesiam versus situs est, palatium est Osiecense; arx Bobrcensis autem ad Ducatum illum Osuecimensem pertinet.

Pilcia, oppidulum, cum territorio suo Ducis Zbarauii ditioni subiectum, Canonicorum Collegio, et palatio splendido hortisque pulcherrimis, Italico more structis ornatum, in Palatinatu Cracouiensi situm est. In Vicinia eius mons forti castello instructus conspicitur.

Pilsna, oppidulum, et territorii sui caput, in Palatinatu Sendomirienſi situm, pulchro templo et instrumentis musicis, organis vulgo dictis, quam celebratissimis, praeditum. In eadem regione sunt oppidula Sendisouia, Zarnouecia, Socolouia, Praeclauia, et Zaclicynum, pulcherrimo foro ornatum.

Racouia, incolis quondam referta vrbs, et schola Arrianorum praecipua, in Sendomirienſi Palatinatu sita; hi vero Arianni decreto publico inde expulsi, et locus vniuersus Romano-Catholicis est traditus. Vide priorem Poloniae descriptionem.

Radomia, vrbs, et territorii sui ad Sendomirienſem Palatinatum pertinentis caput, vbi Minoritae pulchrum templum habent. Anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo sexto hic locus a supremo copiarum Regis Sueciae Legato, Rutgero de Aschenberg occupatus, et haud procul inde Poloni fusi sunt.

Sandecia, vrbs praecipua Palatinatus Cracouiensis, fluuio Donaiecio adiacens, quae alias circumiacentes vrbes rebus ciuilibus antecellit, mercaturam haud mediocrem exercet, situm amoenissimum habet, et Abbatia monachorum Praemonstratensium temploque Canonicorum ornata est. Haec vrbs Sandeciam veterem milliare propemodum a se remotam prospicit, eandemque Praemonstratensium monialium coenobio, quod totius Poloniae locupletissimum esse dicitur, insignem.

Sborouia, arx antiquae structurae, inter Visliciam atque Cornicium media quasi in Palatinatu Sendomirienſi ſita; circa quam theriotrophea ampliſſima et piſcinae inſignes ſunt conſpicuae.

Sendomiria, vrbs inclyta, et Palatinatus ab ipſa nomen ducentis metropolis, qui Palatinatus auri, argenti, aeris, et lazurii, fodinis apud Kielcios, plumbo autem et argento apud Chenciniam abundat, vbi etiam marmor nigerrimum effoditur; viride autem et rubrum marmor apud Cunouiam, ferrum et chalybs apud Vonchociam, Bodzantinum, Sydloueciam, et alia paſſim loca, inuenitur. Hic Palatinatus late extenditur, octoque territoria, et nouem Regni Senatores, Palatinum Sendomirienſem, et Caſtellanos, Sendomirienſem, Vislicienſem, Radomienſem, Zauichoſtenſem, Zarnouienſem, Malogoſtenſem, Polanecenſem et Cechouienſem complectitur. Praeter loca, quae iam ſupra attigimus ad hunc Palatinatum ea etiam oppidula pertinent, Tarlouium, templo ſuperbiens magnificentiſſimo, Solecia, prope Viſtulam ſita, et ſplendido arce inſtructa, Malogoſtia, arx Vislicenſis, in territorio Stenzicenſi, quod huius Palatinatus additamentum quaſi eſt, ſita: tum oppidula, Oſiecum, Staſouum, Polanecia, Paczanouia, Stobnicia, Oleſnicia, Oſſolinum, et alia plura, ſed haec viliora, exceptis iis, quae poſtea ſequentur, et in quibus primum locum tenet metropolis Sendomiria ipſa, quae in edito ſcopulo ſita, amoeniſſimo proſpectu in Viſtulam gaudet. De hac vrbe vide plura in priore noſtra Polonica deſcriptione. Anno milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo ſexto, vigeſimo Martii die, (ſecundum faſtos antiquos) Poloni vrbem Sendomiriam, anno ſuperiore a Suecis captam, recuperarunt. Sed Suecicus arcis praefectus Ieſuitarum Collegium incendi iuſſit, quo incendio vrbs quoque correpta eſt; poſtea idem praefectus, cum diſceſſum pararet, ardentem funiculum in conclaui arcis ſubterraneo occultauit, quo, cum puluis nitratus eſſet incenſus, millia Polonorum amplius in hac arce perierunt, vti in Relatione quadam typographorum prelo excuſa narratur, vbi etiam Rex Sueciae in eiusdem vrbis regione ad flumen Rudnicum graui a Polonis clade affectus dicitur. Alia relatio ab ipſis Polonis aedificia quaedam arcis eſſe incenſa, et mille atque ducentos propemodum Polonos combuſtos periiſſe tradit, quod etiam *Francofurtana Relatio autumnalis huius anni* p. 17. confirmat; vbi quoque arcis cuiusdam Rudnici, inter Iaroslauiam et Sendomiriam ſiti, apud quam Sendomiriam Sueci iacturam ſatis grauem ſint perpeſſi, (vti et nos ſupra ſignificauimus) fit mentio.

Seueria, vrbs, et Ducatus Seuerienſis, qui ad Cracouienſem Palatinatum refertur, et prope a Sileſia abeſt, metropolis, arce munitiſſima, inſulae lacus cuiusdam latiſſimi inaedificata, floret.

Sialouecia, vrbs Palatinatus Sendomirienſis, cum Comitatu ad Ducem Radzivilum pertinente, pulchris aedificiis eſt exornata.

Slupecia, oppidulum eiusdem Palatinatus Sendomirienſis, ad Montis Calui radices ſitum, Abbati S. Crucis paret. Mons ille in media Polonia minore poſitus monaſterium habet Benedictinorum, a ligno quodam, in quo humani generis Seruatorem pependiſſe, et quod ibi aſſeruari putant, S. Crucis monaſterium dictum. Vide infra Lithuaniae deſcriptionem.

Sulouia, eiusdem Palatinatus oppidulum, cuius Abbas, ad Ciſtercienſium Ordinem pertinens, finitimas quasdam vrbeculas poſſidet.

Sydlouia, oppidulum eiusdem Palatinatus, antiquis moenibus circumdatum et arce communitum.

Tarnouia, vrbs Palatinatus Cracouienſis, Canonicorum habet templum, in quo Comites Tarnouii, et vltimus Dux Oſtrogius, Iohannes, ſepulti ſunt. Extra vrbem in monte edito eſt arx ſplendidiſſima, cum ampliſſimo theriotropheo. Anno milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo ſexto vrbs Tarnouia, octo milliaria a Cracouia remota, a Suecis, vti in *Relatione Francofurtana* commemoratur, oppreſſa eſt.

Tencinum,

Tencinum, arx pulcherrima territorii Cracouienſis, in monte praealto ſita, Comitibus de Tenzyn paret.

Veliſca, vrbs, quae ſalisfodina longe lateque inclaruit; alias etiam Velitzki, Vieliczca et Velicia dicta; de hac vrbe et narratione quadam memorabili, vide priorem noſtram deſcriptionem, vbi plura de eo loco ſunt legenda. Anno milleſimo ſexcenteſimo quadrageſimo quarto, decimo ſexto Decembris die, in iisdem Velicienſibus fodinis (quas Piaſecius p. 505. vnum in Europa naturae miraculum putat) et quidem in foſſis Bonarouianis, vti, idem eas appellat, iterum grauiſſima iactura accidit, dum pabuli equini aliquid per imprudentiam candelae in ima fouea ardenti admotum incenſumque eſt, quo incendium tam terribile exſtiſtit, vt operae ibi fodientes vna cum equis ſuffocarentur. Hoc incendium per totum ſequentem annum milleſimum ſexcenteſimum quadrageſimum quintum et diutius durauit; ita vt propter grauem foetorem atque vaporem ab hoc igni excitatum, cum maximo regiorum prouentuum, quorum plurima pars in huius ſalis pretio conſtat, detrimento, nemo has ſpeluncas intrare poſſet. Num autem poſtea hoc incendium ſit exſtinctum, non reperio; quanquam iisdem fodinis iacturam quandam a Suecicis militibus eſſe illatam tabulae publicae tradunt.

Vislicia, vrbs Palatinatus Sendomirienſis, in mediis paludibus ſita, vbi templum Canonicorum ſaxis quadratis exſtructum conſpicitur, et innumerabilis ſerpentum, aliorumque inſectorum multitudo paſſim reperitur, quae autem, ex ſcripturarum regiſtratarum teſtimonio, Pontificis Romani anathemate percuſſa, incolarum neminem laedunt; vti quidem Simon Starovolſcius in *Polonia* p. 28. ſcribit.

Viſnicia, Wieſniecz, arx Palatinatus Cracouienſis, milliare ab oppidulo Bochna remota; quam Viſniciam anno milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo quinto, vigeſimo primo Septembris die, Rex Sueciae occupauit; vti in *Relatione Francofurtana* narratur, et a *Lipſienſi*, quae *Wieſchnitz* hanc vrbem vocat, confirmatur.

Zieuitium, oppidulum et caſtellum, Sileſiae vicinum, anno milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo ſexto a Suecicis militibus captum, exſpoliatum et nonnullis in locis incenſum; vt in *Francofurtana Relatione autumnali* eiusdem anni narratur; quae Relatio etiam oppidulum Seubuſchum, in regione Cracouienſi Iabluncam verſus ſitum, ab iisdem expilatum et incenſum, a Polonis autem rurſus exſtinctum eſſe tradit. Sed, vt ad Zieuitium redeamus, Epiſcopus Piaſecius p. 368. anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo quarto Conſtantiam, Poloniae Reginam, a Nicolao Komorowſcio Comitatum Zieviecenſem, in longitudinem per decem, et in latitudinem per ſex milliaria Germanica extenſum, inter Sileſiae et Hungariae fines ſitum, Morauiae finitimum, et octo milliaria a Cracouia diſtantem, ſexaginta Polonicorum Florenorum millibus emiſſe ſcribit.

III. LITHVANIA CVM POLESIA, ET PODLASSIA, SEV PODLACHIA, SEV SVBSYLVANIA.

Hunc Magnum Ducatum a confinio Palatinatus Lublinenſis, (qui ad Poloniam minorem pertinet) vſque ad terminos Liuoniae in longitudinem per nonaginta milliaria Germanica, et in latitudinem per quadraginta amplius milliaria extendi, et vulgo in tres Satrapias ſeu Palatinatus (praeter Ruſſiae infra deſcribendae eos, qui huc referuntur, Palatinatus) Vilnenſem, Trocenſem et Breſcianenſem, diuidi, Simon Starovolſcius dicit.

Vilnenſis Palatinatus (pergit idem Starovolſcius) ad Moſcouiam vſque pertinet, et praeter metropolin Vilnam, et vrbes Rudnicum, Lidam, Oſmianam (quae territoriorum ſuorum ſunt capita) et Bierzen, omnia fere oppidula ſunt

lignea. Palatinatus Trocensis terram Grodnensem, quae etiam sibi territorium Volcouiscense adscribit habet subiectam, vrbesque Trocum, Grodnam, et alias complectitur. Palatinatus Brescianensis, Lublinensi vicinus, oppida lignea habet, praecipue Cameneciam, Cobriniam, Ianouiam, (quibus arces impositae sunt) Voiniam, Rososiam, Vlodauam, Bialam, et alia ignobiliora, praeter metropolin Bresciam ipsam. (De qua infra) Pinscensis ampliſſimus districtus, sed siluis nimium inumbratus et paludibus immersus, proprios quamuis magistratus habens, huic tamen Palatinatui adiunctus est. Praecipuus eius locus est vrbs Pinscum. Hactenus Starovolscius. Vide priorem nostram descriptionem Polonicam, et de huius terrae incolis, de illo autem territorio Pinscensi, (alias Podlesia et Polesia dicta) nec non de Podlachia seu Podlassia, (quae inter Masouiam et Lithuaniam sita in rebus ecclesiasticis Episcopo Luceoriensi tota subest; in tria quasi territoria, Drogiczynense, Mielnicense, et Bielscense, a tribus ipsorum locis primariis sic dicta, diuiditur, et vrbes atque oppida, Holevaczen, Surasiam, Visociam, Socalouiam, Bielscum, Augustouiam, Ticoczinum et Knyssinum, continet) In quorum locorum nonnullis etiam de harum terrarum indole quaedam dicuntur.

Frumento praesertim fertilis est Lithuania, cuius quam plurimum ad extraneos etiam diuendere potest. Praecipuus huius terrae fluuius Chronon est, quem Nemenum vocant. Vide *Poloniam defensam contra Ioannem Barclaium.* Cum anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo Albertus Wiiukus Koialouitius, S. I. *Historiam Lithuanorum, antequam fidem Christianam amplexi sunt,* ediderit, quam (non omnibus notam) Casimiro Leoni Sapiehae, Magni Ducatus Lithuaniae Procancellario, Slonimensi, Lubosanensi, Volpensi, etc. Gubernatori dedicauit, ex ea ad vberiorem rerum Lithuanicarum notitiam sequentia huc afferam.

Ille igitur scriptor hanc terram ab Herculis quondam inhabitatam fuisse existimans Lithuaniam lingua vernacula Littuuam seu Littubam appellari tradit, et multa vocabula Latinae originis in Lithuanico sermone inueniri: tum Liuones quoque (Germanicam scilicet linguam non loquentes) seu Lotauos Lithuanicae simili et Latinis atque Graecis vocibus commixta lingua vti, quas voces harum terrarum incolae, primum vt hostes, deinde autem vt amici et socii Romanorum, diu in Italia atque Thracia commorati, cum praedis locupletissimis, ante Italorum (de quibus infra dicetur) in hanc regionem aduentum, domum secum attulerint. Vna cum aliis igitur putat, partem regionis, in qua Heruli, quondam Alani dicti sedem habuerint, illam nimirum, quae Samogitiae propior inter flumina, Nemenum, Viliam seu Neridem et Dunam interiaceat, primo Alaniam, deinde autem Littalaniam et Lithuaniam a principe Littalano, seu Littuone iuniore, (qui sub Imperatore Valentiniano primo vixerit) appellatam esse. Cum enim Alani, Rheni accolae, (hic scriptor ille narrare pergit) a Sicambris repulsi et deleti propemodum essent, Herculorum Dux, vt mature discedendo ipsorum reliquiae conseruarentur, suasit. Cuius consilium secuti fuga quasi in Prussiam se contulerunt, vbi a Prussis lubentissime sunt accepti. Postea tamen inter vtrumque populum matrimoniis contractis auctum, et sine magistratibus viuentem, discordiae contentionesque sunt exortae, donec Veidevutus, ex Alanis, qui postea Lithuani sunt vocati oriundus, primus Prussorum Alanorumque princeps crearetur. Quo vita defuncto, inter filios eius lites sunt excitatae, adeo vt minimus natu, Littalanus, seu Lituo, ex Alanica foemina, caeterorum filiorum nouerca, susceptus, grauissimo bello a fratribus infestaretur: quo ille permotus anno post Christum natum trecentesimo septuagesimo tertio vniuersum Alanorum populum e Prussia eduxit, sedesque antiquas, ab ipso postea id, quod nunc gerunt, nomen sortitas, repetiit. In Samogitia vero, seu Samaita, seu Sudinia, vti etiam in ea Prussiae parte, quam Sambiam vocant, Saimo, Lituonis illius frater, regnauit; cuius regionis gens, in qua ab initio habitauit, perpetuam cum Lithuanis coluit amicitiam.

tiam. Post illud tempus, et, vt vero consentaneum videtur, post nongentesimum demum a nato Christo annum quingenti circiter illustriores Itali sub praefectis, Palaemone, seu P. Libone, ex Columnarum stirpe orto, Iuliano Dorsprungo, Prospero Caesarino Columna, Vrsino et Hectore, Rosis, in mari Balthico in lacum Curonium, et deinde ad Nemeni, seu Chroni, (qui, postquam in Russia, Lithuania et Prussia, quas terras perluit, aliorum fluuiorum vndis admodum creuit, duodecim denique ostiis in mare effunditur) exitum peruenerunt, et in eo vlterius profecti in Samogitiam et Lithuaniam traiecerunt. Num autem ex Italia eiecti, an tempestate eo appulsi sint, an vero quacunque alia causa commoti hoc iter susceperint, incertum est. Hi igitur virtute atque comitate Lithuanos sibi facile conciliarunt, effeceruntque, vt, ipsorum principe defuncto, Palaemonem illum communi consensu in eius locum sufficerent. Hic Palaemon, Lithuaniae et Samogitiae Dux, tres filios, Borcum, Speram et Cunassum, seu Cunam reliquit, e quibus Borcus in principatu gerendo patrem secutus est, quem Borcum Spera, et tum Cunassius, illius fratres, exceperunt. Huic posteriori duo erant filii, quorum senior, Kiernus, anno millesimo quadragesimo Lithuaniae, iunior autem, Gimbutus, Samogitiae princeps, facti sunt. Prior arcem Kiernouiam, primarium quondam Lithuanorum locum, nunc autem, solo nomine relicto, vetustate collapsam, aedificauit. Idem Braslauiam, Russiae vrbem, occupauit, quae deinde in Lithuanorum potestate constanter permansit. Cum autem nullum haberet filium, et ad grandem peruenisset aetatem, anno millesimo vndenonagesimo Zivibundum, adolescentem, ex supra commemorati Iuliani Dorsprungi posteris, adoptauit, eique filiam Posatam, quam vnam habebat, matrimonio iunxit, et dotis loco Lithuaniae Ducatum dedit. Hic Zivibundus, et Montwilo, Samogitiae Dux, Ducatus, Nouogrodiensem, Luceoriensem et Volodimiriensem igni ac ferro deuastarunt; sed a Russis magna clade sunt affecti. Anno millesimo ducentesimo sexto Lithuani a Russis iterum fusi sunt. Deinde Zivibundus, Prussis contra Conradum, Masouiae Ducem, auxilium tulit, qua expeditione Culmigeria Conrado erepta, Masouia, seu Masuria passim deuastata, et praecipua eius vrbs, Plocia, combusta est. Anno millesimo ducentesimo vigesimo primo Zivibundus ex hac vita decessit, relicto filio Kukovoitae, Lithuaniae et Samogitiae Duce; qui filium genuit Vitenem, a quo Lithuaniae vrbs, Vcianum, nomen gerit. Hic cum moreretur, filio, Suintorogo, fere adhuc infanti, Ringoldus, Dux Nouogrodensis, tutor est constitutus. Interim Montwilo, Samogitiae Dux, fato defunctus filium reliquit Erdivilum, qui Lithuanico exercitui, expeditionem in Russiam susceпturo, praefectus vrbem Nouogrodecum condidit, cuius primus Dux factus Nouogrodiam, Brestiam, Grodnam et Subsyluaniam, seu Podlachiam sibi subiecit, Samogitiam vero ei, quem modo diximus Zivibundo concessit. Hic Erdivilus, postquam insignem a Tartaris reportauerat victoriam, anno millesimo ducentesimo vndeuigesimo vitam morte mutauit, relicto filio Michaële, seu Mingailone, principe Nouogrodensi, qui etiam Polocensem Russiae prouinciam Principatui suo adiecit, haeredesque reliquit Skirmundum et Ginvilonem, quorum ille Nouogrodensem, hic autem Polocensem Principatum occupauit. Skirmundus Pinscum et Turouiam Russis extorsit, et noui Tartarorum Principis, Balaklai, Legatos, tributum poscentes, primum quidem splendido conuiuio excepit, tum vero, discessum parantes, nasis et auribus mutilauit, deinde ipsum illum Balaclaium in proelio interfecit, Mozyrum, Starodubum, Czernichouiam, Karaczouiam, totamque Seueriam hostium potestati ereptam sibi subiecit, filiosque Lubartum, Pisimundum et Troynatum, frater autem huius Skirmundi, Ginvilo, Polociae Princeps, Borysum, primum Lithuanicorum Principum Christianorum sacra amplectentem, reliquit. Pisimundo autem et Lubarto in pugna aduersus Tartaros occisis, illorum frater, Troynatus filium Algimundum Nouogrodensi-

bus Ducem praefecit, possessionesque fraternas sibi vindicauit; sed breui post ex hac vita migrauit. Quem Algimundus mox secutus est, Ringoldo illo filio, et Suintorogi tutore, relicto, cum interea Basilius Rechvoldus Polocensem Principatum possideret, cuius filia, Praxedis, vulgo Porosscouia dicta, anno millesimo ducentesimo septuagesimo tertio a Gregorio Pontifice in Sanctorum numerum est relata; filius autem, Hlebus, sine liberis ex hac vita decedens anno millesimo ducentesimo trigesimo quinto perfectam Polocensibus libertatem concessit. Is, quem supra diximus, Ringoldus ex Gimbuto, Lithuaniae Duce, Palaemonis nepote, originem ducens, primus Magnum Lithuaniae Ducem se appellauit, vtriusque Lithuaniae, Samogitiae, Curlandiae, Podlachiae, Nouogrodiae, Mozyriae et Pinsciae seu Polesiae, nec non Seueriae et Czernichouiae possessionem iactitans; quamuis hae prouinciae non omnes ipsi, sed magna ex parte pupillo Suintorogo competerent, qui Suintorogus interea, dum Ringoldus, eiusque haeredes viuerent, paucis contentus esse cogebatur, siquidem Samogitiam tantum, vti iam supra significauimus, gubernandam accepit. Anno millesimo ducentesimo quadragesimo Mendogus filius patri defuncto, Ringoldo, successit, regnandi initium a proximorum consanguineorum caede faciens, quamuis ex fratre nepotibus, Arduido, Vikundo et Cieuciwilone, seu Theophilo, parceret, qui ipsius iussu in bellum profecti res bene gesserunt; quandoquidem Arduidus Druciam et Smolensciae partem, Vikundus Vitepsciam, Theophilus autem Polociam occuparunt. Iidem, quo facilius Christianorum suae potestati subiectorum gratiam sibi conciliarent, eorum religionem sunt amplexi. Vnde bellum exortum, et Polocia, quamuis frustra, a Mendogo illo obsessa est; quapropter Theophilus, ab Archiepiscopo Rigensi, (cuius religioni, relicta Graeca, se dederat) et a Magno Liuoniae Magistro, adiutus Mendogum illum, patruum, bello inuasit; qui propterea anno millesimo ducentesimo quinquagesimo secundo Christianum se professus, cum sexcentis suis illustrioribus sacro baptismatis fonte ablutus, et ea, quam ipsi Pontifex Innocentius quartus miserat, corona ornatus est. Postea vero, salutari religione rursus deserta, Christianorum terras infestauit, et Lublinum, Poloniae vrbem, arcemque Masouiae, Plociam, cum Prussiae oppidulis atque pagis, nuperrime exstructis, deuastauit et combussit; vbi nullus Christianus vitam incolumem abstulit. Haec anno millesimo ducentesimo sexagesimo gesta sunt. Deinde Curlandiam aggressus castellum Karszouinum in Prussiae finibus situm, obsedit; quo facto Curlandi etiam Lithuanorum partes sunt secuti, et is, cui antea paruerant, Magnus Magister in Liuonia turpiter caesus, ipse cum centum et quinquaginta fratribus, seu Equitibus, occubuit. Deinde ea, quam modo dixi, Curlandiae arce, Karszouino, et arce Heisburgo concrematis, exercitus in Samogitiam et Prussiam deductus, et Regiomontium, quod non ita pridem initium ceperat, obsessum quidem, vetum etiam fortiter defensum est. Prussi vero a Christiana religione et Ordine Teutonico rursus defecerunt, et templa diruerunt. Et quamuis Germanicae quaedam copiae Ordini Teutonico auxilio venissent, ille tamen a Prussis est profligatus; et Heilsberga, Creuzburga, Regiomontium atque Bartenasteinium Crucigeris sunt erepta. Anno millesimo ducentesimo sexagesimo secundo Rex Mendogus Masouiam petiit, quae cum magna Cuiauiae parte est deuastata. Proxime insequente anno Parnouiam, Liuoniae vrbem, diruit, et cum hoste apud Dunamundam conflixit. Post hoc tempus autem non diu vixit, sed cum duobus filiis, Ruclio et Repico, in cubili interfectus est; cui, primo pariter, atque vltimo Lithuaniae Regi, sororis filius, Troynatus, Samogitiae Dux, (tertius enim Mendogi filius, Volstinicius, Christianorum sacris addictus, vitam agebat monasticam) successit, qui, idolorum cultor, Masouiam et Liuoniam deuastauit, Theophilumque, cuius supra mentio facta est, ad se inuitatum interemit; sed ipse, postquam nondum integrum annum summae rerum praefuerat, balneum intraturus

intraturus pariter occisus est. In eius locum monachum illum, Volstinicium, Magnum sibi Ducem Lithuani delegerunt, qui patris mortem vindicauit; et Poloniam Masouiamque depopulatus est. Quo Boleslaus Pudicus, Poloniae Princeps, commotus Iatwieczyos seu Iazyges, Lithuanorum socios vna cum ipsorum nomine, vno proelio, funditus fere deleuit. Attamen ex rusticis eorum nonnulli ad Lithuanos, sibi vicinos, confugerunt, alii Christianam religionem amplexi ad Polonos se receperunt; quorum posteriorum terra, Subsyluania seu Podlachia iam dicta, a Polonis, Russis et Lithuanis incolitur. Volstinicius ille anno millesimo ducentesimo sexagesimo sexto in Polonia etiam damno affectus, tandemque, cum ipsum Leo, Volodimiriae Dux ad se inuitasset in Russia per insidias e medio sublatus est. Quoniam igitur tota Palaemonis prosapia cum ipso exspirauerat, ad Iuliani Dorsprungi posteros, nominatim ad Suintorogum illum, Vitenis filium, a tutore Ringoldo suis prouinciis defraudatum, terra Lithuanica rediit; qui Magnus Dux electus, sex et nonaginta annos iam vixerat, et filium, nepotes atque pronepotem adultum habebat. Filius quidem, Giermondus, cum patri succederet, sexaginta fere annos erat natus, qui Volhyniam, prouinciam Russicam, deuastauit, vrbem Gieruatum condidit, in Polonia, Prussia et Liuonia bella gessit, tandemque anno millesimo ducentesimo septuagesimo quinto diem obiit supremum. In eius locum filius natu maior, Giliginus, Magnus Lithuaniae Dux, frater autem, Trabo, Samogitiae Dux, facti sunt. Sed anno millesimo ducentesimo septuagesimo octauo cum Giliginus ille, et intra anni tempus etiam filius eius, Romundus, ex hac vita discessissent, Trabo Magni huius Ducatus administrationem sortitus est; qui autem postea ne annum quidem integrum vixit; vbi in eius locum aut filius, aut nepos, Narimundus, Magnus Dux factus est, qui fratribus sedem in Lithuania constituit, et Prouinciam Podlachiam, anno millesimo ducentesimo octogesimo primo Polonis ereptam, fratri minimo, Troideno, concessit; qui postea cum Narimundo in Lithuania successisset, ab alio fratre, Daumundo, vrbis Polociae potito, per sex Sicarios rusticorum ab eo e balneo egresso aliquid petere volentium personam simulantes baculis occisus est; cui Daumundo autem a Troideni filio, Lauro, simile fatum subeundum fuit. Hunc Laurum postea Ordines Lithuaniae Principem sibi petiurunt, qui autem hos honores deprecatus suasit, vt Vitenem, Troideni Marschalcum, ex Caesarini Columnae, qui, vti supra narrauimus, cum Palaemone ex Italia in Lithuaniam venerat, posteris oriundum, Magnum sibi Ducem crearent; et tum Laurus ille vsque ad vitae finem monachus permansit.

Vitenes igitur, ex Samogitia oriundus, Magnus Dux delectus multa bella in Polonia et Prussia gessit; quamuis nonnulli Principes ex pristinorum Ducum stirpe essent superstites; et in iis nominatim Pelussa, qui in Prussia commorans Magnum se Ducem appellitauit. Hic Pelussa, cum illustrissimos vniuersae Lithuaniae viros ab aliquo Principe ad epulum nuptiale esse inuitatos, audiuisset, cum militibus suis et Equitibus aliquot ab Ordine Teutonico sibi subsidio missis conuiuas sera nocte oppressit, et praeter alios septuaginta e primoribus interfecit, sponsumque cum sponsa et aliis illustrioribus foeminis ac praeda ingenti Regiomontum secum perduxit. Hoc infelici conuiuio omnes propemodum excellentiores Lithuaniae prosapiae partim occisae, partim in captiuitatem abductae sunt et vno eodemque in loco tota fere illa terra est expilata, vnusquisque enim, quo splendidius se gereret, suppellectilia pretiosissima eo secum attulerat. Tum Vitenes quidem vltionem ab Ordine Teutonico haud mediocrem repetiit, vbi Lithuanus quidam, sexum mentitus, ex aliqua naui Prussica, in quam receptus erat, aliorum ope omnes deleuit; et sequentibus temporibus grauia bella in Prussia, Polonia et Liuonia sunt gesta; sed Ordo tamen Teutonicus satis negotii Lithuanis facessiuit, et anno millesimo trecentesimo vndecimo Vitenes iustam

blasphemiae atrociumque facinorum poenam, a Deo immissam, luit; siquidem ipse in Prussia a Crucigeris capite grauiter vulneratus est, copiae vero eius ita caesae sunt, vt ipse cum duobus comitibus aegre euaderet. Anno tamen millesimo trecentesimo decimo quinto Vitenes iterum in Prussiam profectus est, vbi cum parum profecisset, in Lithuaniam reuersus, post duorum et viginti annorum imperium vitam morte mutauit.

Huic successit filius Gediminus, qui anno millesimo trecentesimo decimo sexto Tartarorum auxilio contra Crucigeros vsus est; deinde Russiam inuasit; et post nonnullas victorias ab hostibus reportatas, Volhyniamque sibi subiectam in Seueriam, et anno millesimo trecentesimo vigesimo secundo in Liuoniam expeditionem suscepit. Anno millesimo trecentesimo vigesimo sexto Lithuani Polonis aduersus Waldemarum, Marchionem Brandenburgicum, opem tulerunt; et anno proxime insequente millesimo trecentesimo vigesimo septimo Gedimini filius, Olgerdus, Francofurtum ad Oderam obsedit. Anno millesimo trecentesimo vndetrigesimo idem Gediminus, bello aduersus Ordinem Teutonicum iterato, (qui Ordo tunc temporis sclopetorum recens inuentorum, et Lithuanis adhuc incognitorum opera primus vsus esse dicitur) globo traiectus, in vrbem Vilnam, ab ipso nuper exstructam, reductus, et in campo Suintoroha ethnicorum ritu crematus est. Hunc primo filius natu minimus, Iaunutus in imperio est secutus; vt autem fratres eum expulerant, et Zaslauiensem Ducatum ipsi dederant, in eius locum Olgerdus Magnus Lithuaniae Dux constitutus est; qui anno millesimo trecentesimo trigesimo Prussiam crudeliter deuastauit; deinde cum Tartaris prospere pugnauit, et anno millesimo trecentesimo trigesimo secundo, postquam Moscouitis etiam deuictis, Moscuam vsque peruenerat, cum Duce Demetrio pacem iniit; qui Demetrius, quippe Christianus et sacris Graecis addictus, ouum paschale, variis coloribus distinctum ipsi donauit. Postea Olgerdo cum Prussis et Polonis iterum fuit bellandum; vbi a fratre Kieystuto fideliter est adiutus, qui propterea hostium captiuitatem aliquoties subire necesse habuit.

Haec tot ac tanta bella per totam Olgerdi vitam durauerunt; qui tandem anno millesimo trecentesimo octogesimo primo, postquam filium Iagelonem, sibi carissimum, Magnum Ducem declarauerat, admodum grandaeuus ex hac vita decessit. Reliqui eius filii, ex duabus vxoribus (quarum altera Vliana, Christianae religioni addicta, Ducis Vitepsciorum erat filia) susceptI, fuerunt: I. Volodimirus, Dux Kiouiensis, ex quo Olelko, seu Alexander, Dux Slucensis, cum posteris suis, originem duxit. II. Ioannes Zedzeuitus, Podoliae Dux. III. Simon Languinus, Dux Mscislauiensis. IV. Andreas Wigundus, a quo Duces Trubecenses orti sunt. V. Constantinus, Czernichouiae Dux, a quo Duces Czartorienses ortum traxerunt. VI. Theodorus Lubartus, Sanguszcorum pater, ex quo Duces Kouelscii et Koszyrscii sunt profecti. VII. Skirgello. VIII. Suidrigelo. IX. Korybutus, ex quo Duces Zbarascii et Wisniewiecii genus deducunt. X. Demetrius, Ducum Koreciorum pater. XI. Vigundus, qui sacra Graeca amplexus, Basilius, paulo post autem Romanae ecclesiae dogmata secutus, Alexander vocatus est; et Dux Seueriae atque Kiernouiae fuit. Is autem, quem antea dixi, Kieystutus, sex filios habebat; I. Vitoldum. II. Patricum. III. Totiuilum, seu Theophilum. IV. Sigisdum seu Sigismundum. V. Andream Woydatum seu Harbatum, et VI. Dougothum.

Sed, vt ad recens constitutum Magnum Lithuaniae Ducem, Iagelonem, veniam, ille sororem suam, Mariam, Woidiloni, infimae sortis atque conditionis homini, sed sibi admodum caro, vxorem dedit; id quod Kieystutus ille, optime de tota Lithuania meritus, aegre tulit. Quem igitur Woidilo coram Iagelone ita criminatus est, vt hic ipsi, quamuis patruo, eiusque liberis necem meditaretur; Kieystutus autem consilio eius intellecto, Iagelonem in vincula coniecit, Woidilonem

lonem vero suspendi iussit. Vitoldus autem, Kieystuti filius, constantissimus Iagelonis amicus, patri persuasit, vt Iageloni vitam condonaret, et duos Ducatus, in iisque Vitepscensem, qui ad matrem ipsius pertinuerat, cum omni pecunia magnoque thesauro, a Kieystuto in arce Vilnensi reperto, traderet. Sed Iagelo Kieystutum per dolum in suam redegit potestatem et custodiae inclusit, in quibus fortis ille Princeps iugulatus est; filius eius autem, Vitoldus, fide vxoris Annae, cui cum duabus ancillis ipsum in custodia frequentare licitum erat, ancillae alterius vestibus indutis vespertino tempore custodia liberatus et Kreuo per moenia noctu dimissus est, vbi equum inuenit, quo conscenso in Masouiam, et inde anno millesimo trecentesimo octogesimo tertio in Prussiam aufugit; et deinde a Prussis atque Samogitis adiutus Lithuaniam inuasit. Quare Iagelo in gratiam cum eo rediit, ipsique Grodnam, Volconiscum et Brestiam concessit. Ita pristina inter eos amicitia instaurata est.

Anno millesimo trecentesimo octogesimo quarto Masouiam et Sandomiriam Iagelo inuasit, qua expeditione castellum Zauichostum Radivilii, Lithuanicis equitibus praefecti prudentia igni expugnatum, Polonia minor deuastata, templum montis Calui exspoliatum, et pars S. Crucis inde Vilnam abducta, postea vero restituta est; quoniam, quicunque eam attigerit, damno affectus esse dicitur, vti scriptor ille, ex quo hanc narrationem excerpsimus p. 381. tradit, qui etiam antea p. 342. seq. scribit, cum post mortem Casimiri, Regis Polonorum, Lithuani eandem S. Crucem rapuissent, currum, cui imposita ea fuerit, nullo modo potuisse prouehi; et propterea eam esse remissam. Deinde Iagelo legationem ad recens electam Poloniae reginam Hedwigam misit, qua ipsam matrimonio sibi iungi rogauit. Haec rogatio ipsi quidem displicuit, Polonis autem grata fuit; quanquam et ipsa tandem consensit. Anno igitur millesimo trecentesimo octogesimo sexto Iagelo Cracouiam venit, vbi ab Archiepiscopo Gnesnensi baptizatus, Vladislaus dictus et Rex Poloniae coronatus est. Interim Andreas Vigundus, Regis frater, turbas in Lithuania mouit, et Lukomlam, arcem munitam, cepit; cui Vigundo etiam Druia, Drissa et Polocia se vltro quasi dediderunt; quanquam a Lithuanis Lukomla recuperata, vrbs Mscislauia obsidione liberata, Polocia capta, et Andreas Vigundus, Dux, ad Regem missus, Suentoslaus, Dux Smolenscensis, qui vrbes Vitepsiam et Orszam, quamuis frustra, bello inuaserat, et circumiacentem terram misere vastauerat, confossus, filius eius autem, Georgius, captiuus abductus, et hoc modo Russia vniuersa tranquillata est. Sed Georgio illi, postquam magno Lithuaniae Duci perpetuam fidem iureiurando promiserat, Principatus Smolescensis, quem pater possederat, est restitutus. Deinde Rex Iagelo Vladislaus cum Poloniae Regina Vilnam venit, vbi comitiis celebratis idolorum cultum aboleuit, Episcopatum Vilnae instituit; et ipse in rudi plebe ad religionem Christianam perducenda magnam adhibuit industriam; siquidem totam Lithuaniam visitauit, et populo in vernacula ipsius lingua sacrum codicem exposuit, quoniam eius linguae periti sacerdotes non aderant. Vilnam redux sororem Alexandram Semovito, Masouiae Duci, matrimonio dedit, ex qua ille Cymbarcam, Ernesti, Archiducis Austriae, coniugem, eandemque Imperatoris Friderici matrem, suscepit. Antequam vero Iagelo inde in Poloniam se reciperet, primatum consensu Skirgelonem, siue Skirgailum, fratrem, in sacro baptismo, qui Cracouiae ipsi contigit, Casimirum dictum, Magnum Lithuaniae Ducem loco sui constituit, ita tamen, vt summa in Lithuaniam potestas penes se (Regem Iagelonem) permaneret. Eo autem tempore, quo Iagelo Rex Poloniae factus est, ad Lithuaniam pertinuerunt, Lituania ipsa, tum Samogitia, Polehsia, Podlachia, Vitepsia, Polocia, Smolensia, Mscislauia, Seueria, Kiouia et Volhynia, cum parte Podoliae; vti scriptor ille p. 399. tradit, et ita priori libri sui parte finem imponit. Quae postea in Lithuania euenerint, in altera libri parte se commemoraturum pollicetur,

tur, quae fortasse, quamuis me insció, nunc etiam typis excusa est. Interim de Principibus, Iagelonem secutis, prior nostra descriptio Polonica, si libet, legi potest. Vt tamen pauca quaedam de iis addamus, is, quem modo dixi, Skirgelo Casimirus imperio remotus, et in eius locum Vitoldus ille, Keistuti filius, anno millesimo trecentesimo nonagesimo secundo Magnus Lithuaniae Dux creatus est; quem deinde Regis Iagelonis frater, Suidrigelo, excepit, eoque expulso, Keistuti filius, Sigismundus, et hoc interfecto, Casimirus, saepius commemorati Regis Iagelonis Vladislai filius, deinde eius frater, Alexander, et post hunc alius frater, Sigismundus primus Rex Poloniae, Magno Lithuaniae Ducatui praefuerunt; a cuius temporibus adhuc Lithuania Poloniae perpetuo fuit adiuncta. Iam accedo ad praecipua loca describenda, praeter ea, quae infra in Russiae descriptione commemorabuntur, ad Lithuaniam referri solita; quae sunt:

Augustouia, vrbs Podlachiae, a Sigismundo Augusto, Poloniae Rege, aedificata. Vide priorem descriptionem.

Biala, vrbs Lithuaniae, vbi Duces Radiuilii palatium habent pulcherrimum, gymnasio publico ornata, ad quod omnium disciplinarum doctores a Cracouia sunt vocati.

Bielscum, vrbs Podlachiae, quae, quamuis non nisi ligneis aedificiis constructa, metropolis tamen huius terrae existimatur, ad flumen Bialam sita est.

Bierze, vrbs Lithuaniae, cum arce munitissima, ad Duces Radiuilios pertinens quorum nonnulli vtrique religioni, alii Romano-Catholicae, alii Reformatae, addicti, breue ante tempus fuerunt superstites. Anno millesimo sexcentesimo decimo quarto Matthaeus Raderus Viridarium Sanctorum, a se compositum, Nicolai Christophori Radzivilii, Ducis Olycae et Niesuiesii, Sacri Romani Imperii Principis, Palatini Vilnensis Comitis Szydlowiecensis et Myrensis, Equitis Hierosolymitani, tribus filiis, Ioanni Georgio, Adalberto Vladislao, et Christophoro Nicolao, Radziuilis, dedicauit. Anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo sexto aliquis Ducum Radiuiliorum, qui Supremus Magni Ducatus Lithuaniae Cancellarius fuerat, tempore autumnali Dantisci diem obiit: Bogislaus autem, Radivilius Dux, apud Regis Sueciae et Electoris Brandenburgici copias in Prussia tunc temporis commoratus est. Anno millesimo sexcentesimo vigesimo quinto Rex Sueciae arcem illam munitam Bierzen, Christophori, Ducis Radiuilii, ditioni subiectam, expugnauit, et inde sexaginta tormenta metallica Rigam deportauit, pro qua arce Lithuani, permutatione facta, Laudanum Suecis concesserunt.

Borisouia, Borissow, oppidulum Lithuaniae, ad fluuium Beresinam situm, quod anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo quinto, mense Iulio, Moscouitae per vim expugnauerunt.

Brescia, Brestia, vrbs Lithuaniae, Brescianensis Palatinatus metropolis, cum castello, rupi inaedificato, et inter fluuios, Bugum et Muchauetium, interposito. Extra vrbem regium est palatium recentioris structurae, cum hortis amoenis: in vrbe autem Iesuitarum est Collegium, cum monasteriis nonnullis. Ibidem Iudaeorum Synagoga est, per Europam vniuersam celebratissima, quo ex Italia, Germania, Morauia, et Silesia confluunt, non modo vt literis operam dent, verum etiam vt Rabbini creentur, et domum reuersi Synagogis praeesse possint. Gediminus, Magnus Lithuaniae Dux, Ducem Russiae Luceorienſem, Leone, quiantea Lithuanis, Gedimino illo absente, Brestiam et Drohicium eripuerant, bello inuasit, et anno millesimo trecentesimo vndeuigesimo vtrumque locum recuperauit, vrbemque et terram Luceorienſem cepit. De hac Brescia, Breste seu Brestia Lithuanica vide priorem P. D.

Cauna, vna praecipuarum Lithuaniae vrbium cum castello, a Duce Cunasso, seu Cuna, Palaemonis filio, nomen gerens. Gedimino Duce Prussi arces, Iurburgum et Caunam expugnarunt. Anno millesimo trecentesimo sexagesimo secundo

secundo Equites Ordinis Teutonici, qui tum Prussiam tenebant, hanc Caunam iterum oppugnarunt, arcemque diruerunt; in cuius arcis ardentis ignibus tria Lithuanorum millia, qui ibi praesidium agebant, perierunt: quo facto iidem Equites Pistenam quoque et Vielonam deleuerunt, et proxime insequente anno totam Lithuaniam deuastarunt, ac ne Samogitiae quidem pepercerunt. Anno millesimo trecentesimo septuagesimo sexto, cum totam illam Poloniae regionem, quae inter fluuios, Sanum et Vistulam continetur, intra decem hebdomadas Lithuani depopularentur, interim Crucigeri, Prussiae possessores, magnis et crebris incursionibus Samogitiam Lithuaniamque vexarunt: Cauna vero ab iis tunc temporis frustra obsessa est. Anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo quinto, mense Augusto, Grodnam, Keidamum atque Caunam a Moscouitis captas, omnes illarum regiones misere vastatas, et Caunae omnia templa, praeter vnum, et monialium coenobium quoddam, concremata esse Augustinus Limmerus in Lipsiensi Relatione autumnali eiusdem anni scribit.

Colainum, arx prima Lithuaniae Prussiam versus, ad Nemenum sita, quam anno millesimo ducentesimo nonagesimo Ordo Teutonicus occupauit, qui Ordo sequente etiam anno incursionibus in Lithuaniam factis, eandem arcem deleuit, et arcem Iunigediam expugnauit: Lithuani vero Cuiauiam deuastauerunt, et anno millesimo ducentesimo nonagesimo tertio Scalouitium, Prussiae oppidulum concremarunt, arx vero a Crucigeris est conseruata; qui Crucigeri etiam Mingedinum, Lithuaniae arcem occuparunt; nec non anno sequente oppidulum Romnouen, quod prorsus diruerunt; anno autem millesimo ducentesimo nonagesimo quinto Kimelos, Lithuaniae arcem, ceperunt.

Czernihouia, vrbs Lithuaniae bene munita annis superioribus Cosacorum praesidio firmata, contra quos Cosacos Dux Radivilius prospere bellauit, effecitque, vt illi Lubecza discederent, et Czernoblium ipsi se vltro dederet. Vide Ioachimum Pastorium in bello Scythico-Cosacico.

Grodna, vrbs Lithuaniae praecipua, ad fluuium Crononem seu Nemenum sita, et arce edita, monasteriis aliquot, templo parochiali eleganter structo, atque Iesuitarum Collegio ornata. In magno illo flumine, Nemeno pontem ligneum structurae admodum artificiosae Rex Sigismundus tertius fecit; cui similem per totam Poloniam non reperiri Starovolscius dicit. Anno millesimo ducentesimo octogesimo tertio Ordo Teutonicus, Prussicis gentibus prorsus subactis, Lithuaniam adoriri coepit, terram deuastauit, et arcem Grodnam expugnauit; quam arcem a Lithuanis recuperatam Prussi anno millesimo trecentesimo sexto capere non poterant; quamuis oppidum exspoliatum incenderent. Vide supra Caunam, et priorem nostram Polonicam descriptionem.

Knisinum, Knyssinum, oppidulum Podlachiae, vbi anno millesimo quingentesimo septuagesimo secundo Rex Sigismundus Augustus diem obiit supremum. Vide Polonicam descriptionem priorem.

Merecium, locus Lithuaniae, situ amoenissimus, vbi duo flumina limpidissimae aquae confluunt; quapropter etiam Rex Vladislaus quartus, antequam imperium capessiuisset, maxima cum voluptate ibi versatus est; et tandem anno millesimo sexcentissimo duodequinquagesimo, x (xx) Maji die, in eodem oppidulo, febri et lithiasi mortuus est.

Pinscum, vrbs Lithuaniae, cuius mercatores merces suas in Moscoviam et Germaniam diuendunt; incolarum plerique sacris Graecis addicti sunt, et Episcopum peculiarem habent; quanquam etiam Iesuitarum Collegium ibi est. Proxime superiori Casacico bello haec vrbs incolis frequens, ciuium proditione, vti Pastorius narrat, in Cosacorum venit potestatem, sed a Lithuanis recuperata, et, vt praecipua factiosorum sedes, quo aliis perfidiae punitae exemplum praeberet, igni ac ferro deuastata est.

Rudnicum, Rudnikii, oppidulum Lithuaniae, quatuor milliaria a Vilna remota, et in siluis sita; vbi palatium regium eleganter exstructum, hortus amoenus, et alia ornamenta conspicienda sunt.

Rzeczycza, oppidulum Lithuaniae, situ bono praeditum, quod Cosaci proxime superiori bello, postquam flumen Pripetum traiecerant, adoriri constituerunt; neque tamen fecerunt.

Trocum, Troki, vrbs Lithuaniae, et Palatini sedes, quatuor milliaria a Vilna distans, et in paludibus inaccessis, et acerbissimo frigore non prorsus congelascentibus, sita, arcem habet bene munitam et templum parochiale, in quo Beatae Virginis imago est, quae miracula patrare creditur. Starovolscius imaginem B. Virginis miraculis claram eam vocat. Hanc vrbem anno millesimo trecentesimo vigesimo primo Magnus Dux Gediminus ex Russico bello in Lithuaniam reuersus aedificauit, sedemque suam Kiernovia eo transtulit. Cum deinde inter Magnum Ducem, Iagelonem, eiusque patruum, Kieystutum, simultates essent exortae, Iagelo vrbem Trocum obsedit, eamque vna cum arce in deditionem accepit. Augustinus Limmerus in *Lipsiensi Relatione noui anni 1656.* scribit, Trocum anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo quinto a Moscouitis prorsus dirutum; Merecium, Bresum et Grodnam solo aequata; agros illarum regionum occisis repletos; vxores et ancillas, sicuti pecora, in Moscouiam abductas; Caunamque, templo parochiali, cuius muros destruere non potuerint, excepto, prorsus delatam esse.

Tykoczynum, oppidulum et arx Podlachiae seu Podlassiae, fluuio Nareuo adiacens. Limmerus ille in *Relatione autumnali anni* 1655. Tykoczynum, arcem Podlachiae munitam, a Polonis nouem hebdomadas obsessam, postquam Radzivilii ministri, vna cum praesidio, duas oppugnationes sustinuerint, tertio tandem Iulii die eiusdem anni, per Bogislaum Radzivilium, et exercitus Suecici praefectum, Duglasium, cum ingenti Polonorum iactura, obsidione liberatam esse commemorat. Eandem vrbem Starovolscius palatium inter paludes in loco munito situm appellat: qui etiam quatuor milliaria ab oppido Tycocino Bialostocum, castellum pulcherrimum, templo clarum, et paulo inde longius, ditissimum Rufficorum monachorum, ex S. Basilii Ordine, coenobium, Supraslum, in siluis situm, esse dicit.

Vilna, Wilda, totius Lithuaniae metropolis quam ille, quem in describendo Troco diximus, Gediminus, iuxta amnes Viliam et Vilnam, confluentes vna cum arce et superiore et inferiore, anno millesimo trecentesimo quinto exstruere coepit. Haec vrbs sedes est Episcopi et Palatini. Episcopus Ducem Iuanum se appellat. Primus autem a Iagelone Vladislao Rege in hac vrbe constitutus Episcopus erat Andreas Vasillo, Polonus nobilis. In templo primario integrum S. Casimiri, qui fuit Sigismundi primi, Poloniae Regis, frater, a Pontifice Leone decimo Sanctorum numero insertus, corpus humatum quiescit. Eidem Cazimiro Rex Sigismundus tertius loculum argenteum, tria librarum millia grauem, nec non aram argenteam et sacellum ex optimo marmore conficiendum curauit. Anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo quinto, vndetrigesimo Iulii die, (secundum fastos antiquos) cum hanc vrbem (ex *Francofurtanae Relationis* narratione) Moscouitae cepissent, totum thesaurum, qui in S. Casimiri templo reseruaretur, in ipsorum potestatem venisse, et Vilna quindecim fere hominum millia trucidata esse, is, quem toties dico, Limmerus tradit. Vrbs enim non valida est, et arx regia, superior quidem, vti Starovolscius de sua aetate narrat, praesidio prorsus destituta, eam fortasse ob causam, quod in magna incolarum multitudine satis praesidii esse arbitrarentur, quod hostibus opponerent; siquidem Kialovicius, de quo supra dixi, ad laudes huius vrbis p. 265. hanc etiam addit: *Ipsa incuriosa munitio contemtum hostium spirat.* In eadem vrbe Rex Sigismundus tertius

tertius campanam maximae molis, (Cracouiensis campanae instar, a Rege Sigismundo primo factae, ab eodemque nomen sortitae) Smolensco expugnato conflari iussit, quam quatuor et viginti viri robusti pulsare necesse erat. Idem Rex Iesuitis magnificum templum in medio foro, Italico more structum, sub S. illius Casimiri nomine et patrocinio aedificauit: eorundem autem Iesuitarum Collegium, in platea ad arcem ducente institutum, Pontifex Gregorius decimus tertius, anno millesimo quingentesimo septuagesimo nono, Academiae nomine insigniuit; de quo Albertus ille Coialouicius, S. I. eiusdem Academiae Procancellarius, *in miscellaneis rerum ad statum Ecclesiasticum in Magno Ducatu Lithuaniae pertinentium*, legi potest. In hac Academia Professores sex Theologiam, vnus, siue septimus, linguam Hebraicam, quinque Philosophiam, quatuor vtriusque iuris disciplinam, et septem humaniores literas docent. Reformatam quoque religionem profitentes Gymnasium in hac vrbe quondam habebant; quod ipsis postea vna cum templis, quemadmodum Arrianis Racouiae, ex Comitiorum decreto penitus est ereptum; Graecae autem religioni addictis monasteria sunt relicta. Anno millesimo trecentesimo septuagesimo octauo in Prussorum cum Lithuanis bello vrbs Vilna a Prussis est combusta, duabus tamen illis arcibus et aedificiis nonnullis ciuium opera conseruatis. Anno millesimo quingentesimo septuagesimo primo magna annonae caritate haec vrbs et finitimae regiones vexabantur, vt in vrbe Vilna quindecim, et Moscuae duo hominum millia vna nocte fame periisse narrationes scriptae affirment; in quibus etiam nobilis cuiusdam hominis frumentum in serpentes mutatum esse dicitur; vti inprimis M. Tobias Schmidius in Annalibus Zuiccauiensibus p. 398. tradit. Anno millesimo quingentesimo septuagesimo octauo Rex Stephanus post victoriam a Moscouitis reportatam huc redux a scholae discipulis exceptus est, quos honores vtpote primum libertatis huic scholae a se concessae fructum, triumpho sibi duxit. Quamquam enim Valerianus Vilnensis Episcopus, Iesuitas huc adduxerat, iisque loca, domos atque possessiones concesserat, scholae tamen ipsorum tum quidem neque a Rege confirmatae, neque Academiae nomine honoratae erant; vti Ioannes Demetrius Sulicouius p. 123. scribit. Deinde anno millesimo quingentesimo septuagesimo nono Pontificis confirmatione, vti supra diximus, accedente, mirifica huius scholae fuerunt incrementa. Anno millesimo sexcentesimo decimo tota vrbs conflagrauit, deinde vero eo venustius instaurata et lapideis aedificiis ornata est. Quae anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo quinto huic vrbi acciderit, iam supra commemoratum est; qua iactura pleraque templa absumta esse dicuntur. Plura de hac vrbe (vbi praeclara tormenta et alia instrumenta bellica, aliis multo praestantiora, sunt conflata) vide in priore nostra Polonica descriptione, et de magno tumultu a studiosis hic excitato vide epilogum appendicis, alteri editioni adiectae.

Praeter ea Lithuaniae loca a nobis adhuc descripta aliorum quoque fit mentio, in quibus est Zurouicia, miraculis, vt Pastorius tradit, clara. Porro Camenecia, seu Kaminiecz, oppidulum Podlachiae, de quo in priore descriptione Polonica. Tum Bissena, oppidulum, a Crucigeris Prussiae possessoribus contra Vitenem, Magnum Lithuaniae Ducem, profectis, cum suo ipsorum damno oppugnatum. Quod vtrum in Lithuania, an Samogitia situm sit, non satis compertum habeo.

IV. SAMOGITIA.

Quamuis apud scriptores haec prouincia Lithuaniae descriptionem non statim sequatur; quoniam tamen antea in Lithuanicis rebus exponendis eius saepissime mentio a nobis facta est, et quoniam ea prouincia, quippe a meridie et ortu Lithuaniae, ab occasu autem Prussiae, parti nempe eius Ducali, et a septentrione, Liuoniae finitima, in bello Prussico et Liuonico eadem fere cum Lithuanis fortuna vsa est; quoniam denique ab iisdem saepe, quibus Lithuania, Principibus,

cipibus, aut saltem ex Lithuanicorum Principum stirpe oriundis, gubernata est; propterea hanc prouinciam statim post Lithuaniam hoc loco ponere constituí.

Hanc igitur terram amplam et fertilem, sed siluis totam inumbratam esse, Starouolscius scribit. „Multas habet Praefecturas," (eiusdem Starouolscii verba sunt) „summumque Toparcham, ciuitates tam Regis, quam nobilium complures, „sed penitus omnes ligneas praeter Caunam, ad Crononis seu Nemeni litus sitam, „Collegio Societatis Iesu et monasteriorum celebritate illustrem. Episcopus, „Romanae obedientiae subiectus, Medniciae sedet. Est et Collegium Societatis „Iesu Clericorum, Crosis erectum; et Fratrum S. Francisci de obseruantia ma„gnificentissimum monasterium Cretingae, ad litus maris Balthici, quod terra il„la septentrionem versus tangit, exstructum. Terram ligno tantum proscin„dunt, quae tamen tenax est." Hactenus ille. Vide priorem nostram Polonicam descriptionem.

Praecipua huius terrae nobilitas a Caesarino Columna, qui cum Palaemone et aliis ex Italia in Lithuaniam migrauit, originem ducere existimatur: et peculiaris quaedam natio in ea est Eiragoliorum nomine insignita, ex qua Vitenes, Magnus Lithuaniae Dux, qui ab eodem, quem modo dixi, Columna genus ducit, ortus est. In narrationibus Lithuanicis castellum Onkaimum in hac terra situm, commemoratur, anno millesimo trecentesimo primo a Prussis proditione captum et deletum, deinde a Lithuanis instauratum; sed anno millesimo trecentesimo quarto a Prussis iterum proditione captum, eiusque munitio solo aequata. Caeterum ex Prussia per Samogitiam in Liuoniam iter facturi in locum quendam, a Germanis Heiligenauiam dictum, incidunt, qui Curlandiam a Samogitia separat. Vti e scriptis narrationibus comperi, idoneis portibus, quo naues tuto se recipiant, haec terra caret; sed certi homines sunt constituti, qui exigente necessitate, nauigantibus succurrant.

V. RVSSIA, CVM PODOLIA, VOLHYNIA, POCVCIA ET VCRANIA.

Is, quem saepius commemoraui, Simon Starouolscius in Polonia, patria sua, describenda, dicit, Russiam, prout Regi Poloniae sit subiecta, in longitudinem a regione Pocucensi vsque ad fines Liuoniae, per ducenta circiter milliaria, in latitudinem vero a Polonia minore seu a Lithuania, ortum versus vsque ad vastos Tartarorum campos, seu vsque ad Moscouiam per centum et viginti milliaria, extendi, et diuidi in Russiam albam, quae ad Lithuaniam spectet, et in Russiam rubram, quae proprie dicatur Roxolania, et ad Poloniam pertineat. Tertiam enim Russiae partem, vltra Tanaim et Borysthenis fontes seu originem positam, ab antiquis Russiam nigram, a recentioribus autem vulgo Moscouiam appellari, cum olim Sarmatia Asiatica dicta fuerit; quemadmodum Russia Polonica, cis Borysthenem sita, Sarmatiae Europaeae, et Polonia ipsa Vandaliae nomen proprie gesserit. Caeterum hanc prouinciam, melle admodum abundare, praesertim Podoliam, vbi apes illud ex dictamno et aliis bene olentibus herbis ac floribus colligant.

„Russia rubra" (ita Starouolscius ille pergit) „ab Austro Hungariam, „Moldauiam et Bessarabiam habet: ab Euro Scythiae deserta, et potentissimum „Moscouiae Principem: a septentrione Albam Russiam, Stiro et Pripecio flumi„nibus disiunctam: ab occasu vero minorem Poloniam, Visloca et Vepro fluuiis „diuisam. Complectitur haec Russia rubra amplissimas Satrapias Russiae Palatina„tum inprimis; deinde Podoliae, Volhyniae, Belzae, Braslauiae, Kiouiae, et „terram Chelmensem, Halicienseмque. Russiae Satrapia habet praeter Palati„num Russiae, etiam Castellanos quatuor, Leopoliensem, Praemisliensem, Sa„nocensem et Halicienseм; et ad hunc Palatinatum etiam Episcopus Kiouiensis „pertinet. Primaria vrbs Leopolis est: reliqua oppida praecipua huius districtus „sunt

„sunt Gliniani, Zloczovia, Zboravia, Grodecia, Komarna, Zolkuia et Iauoris„uia. Castellanatus Praemisliensis praeter metropolim Praemisliam castella passim „nobilium munitiora habet, ob frequentes Tartarorum seu Scytharum incursio„nes bene firmata, quae sunt: Bialoboki, Sosnicia, Dambroua, Vherce, Proch„nicum, Lalki; sed quae inter excellit Crasicinum palatium, ad Sanum fluuium. „Oppida vero celebriora huius territorii sunt: Samboria, Fulstinia, Dombromilia, „Visnia, Zidaczouia, Moscisca, Dubiecia, Canczuga, Praeuorscia, Iaroslauia et „Resouia. Castellanatus Sanocensis, montibus Hungariae vicinus est, atque „Transyluaniae, ac ob id totus per colles dispositus, excepto qua Crosnam pro„tenditur. Sanocum huius territorii caput est, in quo etiam sunt oppida, Bro„zouia, Rimanouia, Dinouia, et Lesko, arces habentia. Castellanatus Hali„censis montibus Transyluaniae ab occasu hyberno, et a meridie Moldauiae fa„ginis syluis cinctus est; Tyra fluuio rapidissimo, e montibus Carpathiis orto ver„susque Eurum in mare Euxinum decurrente, per medium quasi hoc territorium „secatur, cuius pars australior, quae trans Tyram est posita, vulgo Pocuce, seu „Pocucia appellatur. Vrbes et oppida praecipua habet, Haliciam, Sniatinum, „(quod proprie est Pocuciae caput) Colomia. Caeterum in Pocucia nobiliora „loca sunt Martinouia, Dolina, Strium, arcem in paludibus sitam habens: cis „fluuium Tyram autem, aut Nestrum est Podocum, arce munita exornatum; „oppidum et arx Monasterzisca, ad Potucios pertinens: tum Vscie, Dobrouoda, „aliaque complura castella; inter quae Buczauia, arce firma conspicua: itemque „Podhaiecia, muro cincta et propugnaculis; atque in vicinia arx Zaualouia, et „tum Brezanum ciuitas.

„II. Sequitur deinde Podolia, vtpote altera Russiae Satrapia, continuis „barbarorum incursionibus et proeliis inprimis famosa; caeterum soli vbertate „fruitur, haberque marmora diuersa atque alabastrum in diuersis locis. Diuidi„tur in tria quodam modo territoria, Camenecense, Tremboulienseet Laticzo„uiense. Praeter metropolim Cameneciam in hoc Palatinatu sunt notanda: „Tremboula, Laticzouia, Husiatinum, Barum, Czartcouia, Ianouia, Zincouia, „Miedzibozia, Iesupolis, Grodecia, Iaclouecia, Satanouia, Zuanecia, Tarno„polia, Kitaigrodum, Dunaigrodum et alia complura oppida, quae singula fere „ob Scytharum seu Tartarorum infestationem et assidua bella non mala permunita „sunt, arcesque firmissimas et incolas bello natos habent. Senatores huius Sa„trapiae sunt tres, qui ad Reipublicae consilium pertinent, Episcopus Camene„censis, Palatinus Podoliae et Castellanus Camenecensis.

„Tertius Russiae rubrae Palatinatus est Braslauiensis, vltra Podoliam, in „confinio Tartarorum positus, egregias et incolis refertas vrbes quam plurimas, „atque arces permunitas habet; quas inter eminent, Morachua, Iarosouia, Zi„tomiria, Sarogrodum, Felstinum, Chmielnicum, vrbs Braslauia ipsa, atque „Vinnicza. Districtus huius Palatinatus sunt duo, Vinnicensis et Zitomirienses.

„Quartus Palatinatus est Kiouiensis, similiter Tartaris vicinus; sed qui „parte ab altera Moschum quoque habet, et quasi per medium maximo fluuiorum, „Borysthene, secatur. Metropolis est Kiouia; reliqua nobiliora oppida sunt; „Caniovia, Circassia, Bohuslauia, Pereslauia, Bialocerqua, Stepanouia, et Fa„stouia, Episcopi Kiouiensis sedes.

„Quintus Palatinatus est Volhyniae, Kiouiae occiduus, qui in duos ma„ximos districtus diuiditur, Cremenecensem et Luceorienseм. Praecipua eius „loca sunt, Luceoria, Volodimiria, Rubesouia, Socalia, Czartoriscum, Oles„cum, Crilouia, (ciuitates egregiae et arcibus munitissimis conspicuae) Brodi, „Olica, Cremenecia, Visniouecia, Zaslauia, Constantinouia, Balsica, Dubna, „Ostrogium, Zbaravia, quaelibet arcem munitissimam et ornatissimam habens, vt„pote singulae vetustissimorum Ducum Russorum sedes primariae et lares.

„Sextus Palatinatus est Belzensis, Leopolienſi distrietui et terrae Chel-„mensi vicinus, et in meditullio quasi Rubrae Russiae positus. Metropolis Belza „inter paludes sita est; diuiditurque hic Palatinatus in quatuor territoria, Belcen-„se, Buscense, Grodlense et Grabouiecense, quorum capita, seu metropoles ar-„ces sibi munitas adiunctas habent.

„Vltimum locum terra Chelmensis tenet; inter Lublinensem Satrapiam „et Lithuaniae confinia posita, Volhyniam versus ortum respicit. Metropolis „Chelma est: reliqua praecipua oppida: Rozana, Vlodauia, Crasnostauia, Za-„mosium, Scebresinum, Turobinum, Tamogrodia, Tomasouia, Ctesouia, „aliaque complura, in quibus etiam Vchania.“ His Palatinatibus recensitis Czer-niechouiensem quoque scriptor ille addit, proprie in Russia Nigra et transBorysthenem situm, quem Rex Vladislaus quartus Moscouitis eripuit, multisque in locis templa ritus Pontificii exstruxit, Nouogrodiaeque Iesuitarum Collegium condidit.

Russiam Rubram apud auctorem illum Russia Alba sequitur, quae, vti iam supra significauimus, ad Lithuaniam refertur. „Haec terra Russia alba dici-„tur,“ (his verbis Starauolscius narrare pergit) „partim, quod incolae eum co-„lorem praeferant; partim, quod niuibus campi cooperti diutius, quam alibi, „durent; tum etiam, quod ibi lupos et vrsos, lepores, vulpes, aliaque, tam do-„mestica, quam siluestria animalia passim alba videre sit.

„Diuiditur haec nobilissima Prouincia in sex maximos Palatinatus quorum „primus populosior caeteris est Nouogrodensis, qui in duos distrietus diuiditur „in Nouogrodensem et Slonimensem: vterque plurima oppida continet et bene „populata, sed praecipua haec sunt: Nouogrodkum, Slonimum, Rozana, Selecia, „Mysza, Lachouicia, (firmissime communita) Nesuicia, Sluckum, et alia.

Secunda Satrapia est Mscislauiensis, Pripetio fluuio a meridie, et Bory-„stheni ab ortu, quasi triangulari forma, adiacens, siluis tota inumbrata et aquis „immersa. Diuiditur in duos districtus ampliſſimos, Mscislauiensem et Modzi-„rensem. Oppida eius praecipua sunt: Cleckum, Ouruckum, Homlia et Criczo-„uia, arcibus pulcherrimis et bene munitis exornata; tum Ostriskum, Mscislauia „ipsa et Modziria.

Tertius Palatinatus est Vitebscensis, sicut et ille superior ad Borysthenem versus Eurum positus; qui itidem in duos districtus bonos diuiditur, Vitebscensem et Braslauiensem; praeterque has duas ciuitates primarias habet, Mohilouiam „vrbem et alia viliora oppida.

„Minscensis Satrapia quartum locum obtinet, ad quam etiam Barisouiense „territorium refertur. Praeter metropoles, Minscum et Barisouiam huc perti-„nent Toloczinum, Smolniany, Coidanouia et Turkum, haud incelebria oppi-„da; reliqua vero ignobiliora, monasteriis tamen et palatiis Magnatum referta.

„Quintum locum occupat Polocensis Satrapia, in qua sunt vrbes: Polo-„ckum, Vsuiatum, Starzicia, Velisia, (caput vnius districtus ad eandem Satrapiam „spectantis) et duae incomparabilis olim Herois Caroli Chodkieuicii munitis-„simae ciuitates, Solouia atque Bychouia.

„Vltima eaque maxima Satrapia est Smolensensis;“ (quae, quanquam nu-per in Moscouitarum incidit potestatem, in posterum tamen Lithuaniae, ad quam proprie pertinet, forsitan rursus adiungi potest) „Ducatum Russiae Seuerien-sem, „terram Czerniechouiensem“ (quae fortasse alia est, atque ea, cuius supra in Rus-„sia rubra mentio facta est) „et distrietum Orsanensem in se complectens. Et Rex „Sigismundus tertius bello cum Moscouitis gesto terram Rumnensem et Sierpi-„ciouiensem ab hoste extorsit, et Smolensensi Satrapiae adiunxit.

„In hoc Palatinatu sunt Dorohobusum, Starodubum et Dombrouna, op-„pidum non contemnendum; sicut et Orsza.“ Et haec quidem ex Starouolscio. Sunt autem, qui eam Prouinciam, quam Russiam Rubram ille vocat, Nigram, Mosco-

Moscouiam vero, Albam Russiam, mutatis inter se nominibus, appellent. Vide, quae in *priore nostra descriptione Polonica* de Russia fuse sunt narrata. Locorum, quae in ea continentur, non pauca iam supra commemorata sunt; praecipua vero nunc sequuntur:

Barisouia, vrbs Russiae Albae, ad fluuium Berezinam sita, cum duabus arcibus, superiore et inferiore.

Barum, vrbs Russiae Rubrae, a Regis Sigismundi primi coniuge, Bona Sforția, condita, et Iesuitarum Collegio ornata. Sub initium imperii Regis Iohannis Casimiri Korecius et Christophorus Przyiemscius (qui etiam peregrinis bellis magnam sibi gloriam comparauit) hanc vrbem, vti etiam Zuechalum et Ostropolin, a Cosacis recuperarunt, multisque eorum millibus occisis, ingenti praeda sunt potiti. Caeterum Barum in ea Russiae parte, quae Podolia vocatur, situm est.

Bialocerqua, firmum oppidulum et castellum Palatinatus Kiouiensis. Ioachimus Pastorius vrbis regiae, Bialacerkiew, seu Albi Fani, mentionem facit, apud quam anno millesimo sexcentesimo duodequinquagesimo Cosacorum praefectum, Chmielnicium, castra posuisse dicit; hanc vrbem eandem Bialocerquam esse puto. Proprie ad Volhyniam vlteriorem, ab aliis Vkrainam, ab aliis Nis dictam, pertinet.

Braslauia, vrbs Russiae Rubrae, Palatinatus Braslauiensis metropolis fluuio Bogo adiacens, a Kierno, Lithuaniae Duce, qui anno millesimo quadragesimo regnare coepit, occupata quondam est.

Brezanum, vrbs Palatinatus Halicienſis, incolis frequens, pulchro templo ornata, et palatio magnifico atque forti instructa.

Brodi, vrbs Voliniae seu Volhyniae, quam Stanislaus Koniecpolscius, Castellanus Cracouiensis, et supremus exercituum Regni Poloniae Imperator, arce, templo Canonicorum et Gymnasio publico ornauit. Haud procul inde palatium Podhorzense, regiis hortis et pulchris aquaeductibus ornatum, conspicitur.

Camenecia, Camenecum, Caminiez seu Kamieniecz, Podolsky, cognominata, quoniam hic locus in Podolia situs est, et inter vrbes huius prouinciae principatum tenet. Haec vrbs eadem cum antiquorum Clepidaua, et a Dacis aedificata esse dicitur. Vide meam priorem Polonicam descriptionem. Quanquam Albertus Koialouicius tradit, cum Olgerdus, Lithuaniae Dux, Tartaros e Podolia eiecisset, eamque terram fratris Coriathi filiis concessisset, firmam illam vrbem, in rupe sitam, et munitionum miraculum merito appellandam, (cuius vallum non ars terra congerenda, sed natura per duram rupem erexerit) a Principibus modo dictis originem habuisse; quam sententiam ex aliorum scriptorum narrationibus se hausisse affirmat. Idem Koialouicius vrbem Braslauiam quoque ad Podoliam refert; cuius terrae praecipuas arces Braslauiam, Smotrycam, Sokolcum, Skalam, id, in quo describendo iam occupamur, Camenecum, et Czeruonogrodecum esse statuit. Anno millesimo sexcentesimo vigesimo primo Turcarum Imperatorem, Osmannum, toto fere cum equitatu et Ianizaris ad Cameneciam vsque peruenisse, et admirandam illam munitionem a proximo monte intuitum interrogasse, quis eam ita communiuisset; et cum Deum hoc fecisse aliquis dixisset, respondisse, expugnandam etiam illam a Deo esse; et sic ipsum inde reuersum castellum Paniowcen tormentis concuti et oppugnari iussisse, Piasecius scribit; quanquam et inde infectis rebus ipsi discedendum fuerit; quapropter exercitui suo identidem ignauiam exprobrauit, eoque Ianizarorum odium sibi contraxit, adeo vt haud ita paulo post Constantinopoli ipsum strangularent. Caeterum vrbs Camenecia vna cum arce munita triginta milliaria maiora a Leopoli Russica ortum hybernum versus remota, et sub vndequinquagesimo longitudinis ac duodequinquagesimo latitudinis gradu sita, duos habet Episcopos, vnum Romanum, alterum Armenium; Armeni in hac vrbe habitantes peculiarem habent magistra-

gistratum, qui ipsorum delicta punit. Ibidem Iesuitarum est Collegium; ea vero, quam supra diximus, arx Paniouce, Potociis subiecta, duo milliaria ab hac vrbe distat. Anno millesimo sexcentesimo trigesimo tertio Turcae incursionem in hanc regionem fecerunt; sed a Koniecpolscio Moldauiam versus sunt repulsi. Anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo primo Cosaci et Tartari, cum antea arcem illam Panouecensem proditione cepissent, cum sua ipsorum iactura hanc vrbem sunt adorti. Vnde *vnicum aduersus Orientis minas propugnaculum* ab aliquo Camenecia appellatur. De hac Cameneciae obsidione a Tartaris et Cosacis susceptа vide Samuelis Butschkyi disputationem *de tranquillitate animi* anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo sexto impressam; ex qua apparet, quomodo Tribunus militum, Iohannes Georgius de Saebisch et Marschwitz et Schmidefeld, Silesus nobilis hanc arcem exiguis copiis aduersus centum et viginti hostium millia defenderit et obtinuerit, vt, cum sexto Iunii die eam adorti essent, vigesimo tertio eiusdem mensis die rursus discedere compellerentur: tum praeter veterem nouam etiam arcem, sed circa fossam tribus in locis valde collapsam, tunc temporis hic fuisse, ex eodem scripto discimus; quae arx sine dubio adhuc superest. Eodem illo anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo primo, mense Decembri omnes fere huius vrbis incolas lue pestifera consumtos esse Relationes tradunt.

Chelma, metropolis terrae Chelmensis ab ipsa sic dictae, qua duos Episcopos, alterum Romanum, alterum Russicum habet; quorum ille Crasnostauiae sedet; hic autem templum et sedem in vrbe Chelma habet; quapropter etiam haec prouincia in duo territoria, Chelmense et Crasnostauiense, diuiditur.

Colomia, vrbs territorii Halicienſis, hominibus non infrequens, vbi multum salis coquitur, et inde per totam Russiam et Lithuaniam diuenditur; quanquam in territorio Praemislienſi, nec non in pagis aliquot prope Haliciam, etiam sal conficitur. Ita quoque iuxta Borysthenem in campis Vcraniae seu vlterioris Podoliae desertis lacus est, cuius aqua serena et calida tempestate in salem durum concrescit, quo vicini vtuntur; vti Starouolscius p. 14. affirmat.

Coidanouia, vrbs Russiae Albae, in Palatinatu Minscensi sita, quae elegantis structurae esse fertur.

Crasnostauia, vrbs terrae Chelmensis, fluuio Vepro adiacens, Episcopi Chelmensis sedes, arx et palatium. Archidux Maximilianus, a nonnullis Poloniae primoribus Rex electus, sed cum exercitu suo a supremo Regni Poloniae Cancellario, Zamoscio, fusus, et captiuus huc adductus, et in arce custoditus est; de quo supra in exordio legi potest. Cum anno millesimo sexcentesimo vndequinquagesimo castra Polonica apud Zbarauiam a Cosacis et Tartaris essent cincta, Rex Iohannes Casimirus ad ea liberanda Lublino profectus duodeuigesimo Iulii die huc, Crasnostauiam, peruenit; vnde Toporouiam, et vicum Bialocaminum; et vlterius decimo tertio Augusti die Seloczouiam, tandemque Zborauiam versus, sex milliaria ab hoste, et vnum circiter milliare cum dimidio a Ieziorna remotam, perrexit.

Cremenecia, vrbs Russiae Rubrae, Cremenecensis territorii caput, arcem in alto scopulo exstructam habet.

Crosna, vrbs elegans in territorio Sanocensi sita, et Iesuitarum Collegio praedita. In hanc vrbem, quippe sibi confinem, Hungari multas merces venales afferunt.

Dubna, vrbs, quae anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo primo ad Dominici, Ducis Zarlauiensis, ditionem pertinuit. Eodem anno Rex Iohannes Casimirus, expeditione aduersus Cosacos susceptа, Vygnancum, locum aquis et pascuis abundantem, et inde Beresteciam, vrbeculam, annis superioribus ad duces Prunscenses pertinentem, tunc autem Comiti Vladislao de Leszno, subiectam,

ctam, et a fluuio Styro vndique circumdatam, peruenit. Vnde ad oppidum Dubnam, quod iam describimus, perrexit. Chmielnicius inter Zbarauiam et Visnoueciam, Princeps autem Tartarorum Lesnouiae, quae vrbs aliquot millia passuum a Berestecia illa distans ad Koniecpolscios pertinet, castra fecerunt. Tum die Petro et Paulo consecrata proelium inter Tartaros et Cosacos est commissum, quo Poloni, trecentis quamuis ipsorum primoribus occisis, tamen superiores discessere. Sed proxime insequente die demum proelium capitale incepit, cui Rex ipse cum Dominico, Ostrogii et Zaslauiae Duce, Ieremia Michaële, Duce Visniouecensi, et aliis duobus Principibus ex stirpe ipsius, Sigismundo Przyemscio, tormentorum bellicorum totius Regni Polonici praefecto, eodemque Notario Campestri, Iacobo Weyhero, Palatino Mariaeburgensi, Libero Barone Silesico, Schafgotschio, Tribuno, Christophoro Hubaldo, Germanicis bellis nobilitato, et Boguslao Radziuilio, interfuit. Verum Tartari magna cum sua ipsorum iactura victi sunt; neque meliore fortuna vsi Dobrucenses et Siliſtrienses Turcae, qui a Chmielnicio (cui, pace superioribus temporibus inita, Czeherinum sedem Rex concessit) excitati Cosacis subsidio venerant. Cosaci, quamuis in suis castris diu restitissent, tandem tamen fuga sibi consulere sunt coacti; vbi ex ipsis et rusticis seditiosis triginta fere millia in paludibus, virgultis atque siluis periisse dicuntur. Ex desertis eorum castris Poloni praeter calones abductos, insignem praedam cum duodeuiginti tormentis bellicis abstulerunt.

Glinianum, vrbs Russiae Rubrae, vbi anno millesimo sexcentesimo duodequinquagesimo exercitus Polonicus, sub Dominico et Nicolao, Ducibus Ostrogienſibus, et Alexandro Koniecpolscio, Regni Vexillifero contra Bogdanum Chmielnicium, se congregauit. Rege Sigismundo Augusto vita defuncto, Russiae et Podoliae se congregauit. Rege Augusto vita defuncto, Russiae et Podoliae Palatini cum Castellanis et vniuersa nobilitate Roxolana hic conuenerunt. Huc etiam anno millesimo sexcentesimo vndequinquagesimo Rex Iohannes Casimirus se contulit. Caeterum haec vrbs vltra Leopolin sita est.

Halicia, Halicz, Russici Regni quondam metropolis, nostra aetate nullum quidem pristinae magnitudinis habet indicium, sed eleganti tamen castello, ad fluuium Tyram sito, instructa est. De hac vrbe vide priorem nostram descriptionem Poloniae. Romanus, Dux Halicienſis et Volodomirienſis, caeteris Russiae Principibus ab ipso partim victis, partim expulsis, totius Russiae Dominus factus est, vnde superbia elatus Polonis bellum intulit, in quo apud Zauichostum, anno millesimo ducentesimo quinto interfectus est. Anno millesimo trecentesimo quinquagesimo tertio Lubartus, Volhyniae Dux, hanc vrbem inopinatam cepit, exspoliatamque incendit.

Iaroslauia, vrbs clara Russiae Rubrae, cuius arcem fluuius Sanus ab oriente tangit. In hac vrbe Iesuitae habent Collegium, et vigiliis diei adscensioni B. Mariae Virginis sacri per totum Regnum notissimus mercatus celebratur, ad quem ex Persia, Constantinopoli, Venetiis, Moscouia et Amstelodamo merces afferuntur et quadraginta fere boum millia, et dimidium equorum venduntur; vti Starouolscius de sua aetate refert. Sic quoque Piasecius medio mense Augusto, mercatum in hac vrbe agi affirmat, qui, si Francofurtanum exceperis, omnium mercatuum Europae sit celeberrimus; cuius assertionis veritas vel inde patet, quod, cum anno millesimo sexcentesimo vigesimo quinto intra horae spatium tota vrbs, non nisi ligneis aedificiis constans, conflagrasset, merces, tunc in cineres redactae, decies millenis millibus, seu decem millionibus Florenorum amplius sunt aestimatae. Verumtamen haec vrbs posthac instaurata, et anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo sexto a Suecis capta est.

Iauorisuia, vrbs aquis tepidis, in pago Sclouia scaturientibus, clara, et in Russiae Rubrae proprie sic dictae Palatinatu sita.

Kiouia, metropolis Palatinatus cognominis ad Russiam Rubram pertinentis, magna illa, et incolis frequens, et quondam Principum Kiouiensium, in totam Russiam, seu Sarmatiam, cum Asiaticam, tum Europaeam, dominatorum sedes, quanquam pristini splendoris, quo ea inclaruit, nihil propemodum, aut saltem oppido paucae reliquiae supersunt. Vide tamen priorem nostram Poloniae descriptionem, vberiorem illam. In hac vrbe Russicus habitat Archiepiscopus, Graecorum totius Regni Episcoporum primarius; siquidem omnes Episcopi, Graecis sacris addicti, ipsius potestati parent. Hic tamen, vt Starouolscius tradit, hac aetate Romano Pontifici obedientiam praestat. Sed praeterea Romanus quoque Episcopus in hac vrbe est. Sunt quoque monachi Ordinis S. Basilii, quorum praefectus centum pagos possidet. Hi monachi vitam degunt asperrimam, et ieiunii tempore in speluncas seu cauernas subterraneas se recipiunt, et in his solitudinibus poenitentiam agunt. Alii cilicio ferreisque catenis induti loca deserta petunt; quid? quod nonnulli in mediam Tartariam ad Euangelii doctrinam ibi praedicandam penetrare non dubitant, vbi multi ipsorum occiduntur. Iidem monachi multa monasteria in Russia habent; quorum tamen nonnulla ad Ecclesiae Romanae communionem se nunc receperunt. Iesuitae etiam Collegium Kiouiae habent. Huius vrbis Palatinatus tam Pontum Euxinum et meridiem, quam occasum et septentrionem, seu Lithuaniae et Russiae Albae fines versus, late extenditur, multaque habet oppidula, hominibus referta et arcibus munita. Anno millesimo trecentesimo vigesimo Gediminus, Lithuaniae Dux, Owniezam, Stanislai, Ducis Kiouiensis, arcem, vt et Zitomirum, occupauit. Quo facto Kiouiam petiit, et cum Olha, Pereslauiensi, Romano, Branscensi, ac Leone, Luceoriensi Duce, conflixit, eosque vicit: deinde cum Stanislaus ille, qui tunc temporis supremus totius Russiae fuerat Princeps, Rezaniam confugisset, vrbem Kiouiam expugnauit. Tum Gediminus a victis Russis Magnus Russiae Dux appellatus est. Idem Volhyniam cum arcibus in Kiouiae vicinia sitis Bialogrodeco, Slepouroto, Kaniouia et Czerkasio cepit: et in Seueriam profectus Branscum et Pereslauiam, territoriorum suorum loca primaria, in suam redegit potestatem. Ita summus Kiouiae Principatus, qui per quadringentos et triginta circiter annos, impari quanquam successu crebrisque mutationibus, durauerat, finem habuit; ideoque grauis inter Polonos et Lithuanos exorta est controuersia. Proxime insequentibus annis Cosaci vrbem Kiouiam sibi subiecerunt; sed Regis Poloniae exercitus eam postea recuperauit. Anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo primo, decimo sexto Augusti die, Duce Radziuilio ibi commorante, ignis exstitit, qui sexaginta domos consumsit; sequente autem die multo terribilius incendium ibi saeuiit, quo praeter aedificia vulgaria, institorumque tabernas, ducenta amplius nobilium palatia, cum Latinorum pariter atque Graecorum templis aliquot conflagrarunt; templum autem primarium cum Dominicanorum monasterio conseruatum est. Ioachimus Pastorius Podlesiam (de qua supra in Lithuania describenda egimus) Volhynienſis et Kiouiensis Palatinatus partem facit, eamque per siluas ad vicinos vsque Lithuanos longe lateque extendi affirmat.

Lancutum, vrbs Palatinatus Praemislienſis, splendide aedificatis templis, magnifico palatio, firmis munitionibus, amoenissimisque hortis, a Stanislao Lubomirscio, Palatino quondam Cracouiensi exornata, in narrationibus publicis vulgo Landhutum, vel Landshutum, in magna autem Lithuaniae tabula chorographica Lanzutum dicitur. Illud igitur Lanzutum quatuor et viginti milliaria vltra Cracouiam situm, et anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo sexto, Februario mense, ab Exercitus Suecici perfecto, Comite Duglasio, vacuum repertum esse, Relatio quaedam tradit.

Leopolis Leoburgum Russicum, et vulgo Lemburgum dictum, Russiae Rubrae metropolis, cuius vberior descriptio in libello nostro de Polonia, prelis typo-

typographicis nuper excuso reperitur. Haec vrbs sub quadragesimo sexto longitudinis et vndequinquagesimo latitudinis gradu sita et bene munita est, Archiepiscopi Romani, duorumque Episcoporum, vnius Armenici, alterius Russici, sedes. Ibidem Iesuitae Collegium, atque Dominicani, Franciscani, Carmelitae, Bernardini, aliique monasteria habent. In Gymnasio autem vrbano Professores Cracouia huc vocati docent. Circa festum S. Agnetis diem nundinae celeberrimae hic aguntur, ad quas ex Hungaria, Turcia, Moldauia, aliisque orbis terrarum partibus, mercatores confluere solent. Thesauros, qui in templis huius vrbis reseruantur, recenset Starouolscius, p. 37. Armeni, quorum lingua communionem quandam cum Turcica habet, cum Catholicis quanquam religione dissentientes, eodem tamen ciuitatis iure, decreti regii beneficio, fruuntur; vti Sulikouius, qui huius vrbis Archiepiscopus fuit, commemorat. Anno millesimo sexcentesimo duodequinquagesimo eadem Chmielnicio, a quo trecentis militum millibus armato oppugnabatur, per aliquot dies fortissime restitit. Arce autem defensorum defectu, ab eo capta, cum ciues militibus non instructi tantis copiis resistere non auderent, et commeatus indies magis magisque in vrbe deficeret, auro et argento ipsum placarunt, vt ab vrbe discederet, et ita vrbs conseruaretur.

Luceoria, vrbs Volhyniae, cuius Episcopus vna cum Capitulo sedem in arce, Russicus autem Episcopus in vrbe habent. Iesuitarum Collegium etiam in arce est.

Miedireczum, vrbs Volhyniae, in territorio Cremenecensi sita, et valde munita, in qua vltimus Dux Ostrogiensis, Iohannes, Franciscanis templum et monasterium, neptis autem eius Iesuitarum Collegium et templum magnificentissimum exstruxit, in quo templo coniugis sui, Caroli Kodkieuicii, ossa sepeliuit.

Minscum, locus Palatinatus Minscensis primarius arcem habet bene munitam in aquis sitam, aliudque praeterea castellum, seu arcem inferiorem. In eadem vrbe Tribunal est, seu iudicium aulicum et prouinciale Russiae Albae, ad Lithuaniam pertinentis. Ita enim institutum est, vt illud iudicium anno vno in Lithuaniae vrbe, Vilna, altero autem anno aut hic (Minsci) aut Nouogrodeci, et quidem vicissim, agatur.

Modziria, seu Modzyrum, vrbs et arx Palatinatus Mscislauiensis, in mediis paludibus sita, ad quam territorium quoddam pertinet. In bello Cosacico nuper gesto, ante pacem Zborouiae (de qua deinceps) cum Chmielnicio initam, Dux Radziuilius exercitum Lithuanicum ad Borysthenem duxit, vbi oppidula, Turouia et Grodecum vltro se ei dediderunt; quapropter ante omnia Mozyrum, castellum, in quo factiosi resistebant, maxima cum contentione inuasit et expugnauit. Vnde Bobroiscum, fluuio Berezinae adiacens, adortus est; quod oppidulum quoque se ei dedidit; oppidum Loiouium autem, ad Borysthenem situm, vna cum arce, Cosaci ipsi incenderunt.

Mohilauia, Mohilow, vrbs magna Russiae Albae, in Vitebscensi Palatinatu sita, mercatoribus abundat; siquidem Moscouitae multas merces venales eo aslerunt. Magnus, qui nunc est, Moscouiae Dux, hanc vrbem occupauit, quae postea anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo quinto, mense Aprili, frustra est obsessa, qua obsidione octo hominum millia amplius foetore, fame et gladio periisse Augustinus Limmerus tradit. Anno tamen millesimo sexcentesimo quinquagesimo sexto, XVIII. (XXVIII.) Iulii die, ex Regio Monte scriptum est, hoc anno Moscouitis Mohilauiam (quam vrbem scriptor ille Regiomontanus ad Russiam Nigram refert) a Cosacis rursus esse ereptam.

Mscislauia, metropolis secundi Russiae Albae Palatinatus, ab ipsa nomen gerentis. Anno millesimo trecentesimo octogesimo sexto Suentoslaus, Dux Smolenscensis, irrita obsidione hanc vrbem adortus vitae iacturam fecit.

Nesuizia, vrbs eiusdem Russiae Albae, ad Lithuaniam pertinentis in Nouogrodensi Palatinatu sita, et Radziuilis Ducibus subiecta. Hic loci Nicolaus Christophorus, Dux Radziuilius, aliquot monasteria magnis impensis, nec non aedificia, pauperum quae essent receptacula, Iesuitarum Collegium cum habitaculis iuuentutis literis operam dantis, vti etiam curiam, et quatuor milliaria ab vrbe arcem Myrhum aedificauit, qua arce in media Sarmatia Polonis Italiam ob oculos posuit.

Nouogrodcum, Nouogrodecum, minus cognominatum, quo a maiori Nouogrodeco, seu Nouogardia, ad Moscouitarum ditionem pertinente, distinguatur. Minus illud Nouogrodecum, in Russia Alba situm, Palatinatus sui metropolis est, vbi alternis vicibus Parlamentum, seu iudicium aulicum vniuersi Magni Ducatus Lithuaniae exercetur. Vide supra Minscum. Aliquot monasteria cum Graecis tum Romanis sacris addictorum, nec non Iesuitarum domicilium habet. Erdiuilus, Lithuaniae Dux, Montiuilonis filius exercitui Lithuanico praefectus, expeditione aduersus Russiam susceptа, ad collem editum accessit, vbi castellum, Nouogrodecum dictum, quondam fuerat, sed a Tartaris combustum; quem locum sedi Principis, et vrbi exstruendae accommodatissimum, Erdiuilus ille muniri iussit, primus Nouogrodensis Dux factus, in cuius potestate Nouogrodia, Brestia, Grodna et Podlachia fuerunt. Vide priorem Descript. Polon. Anno millesimo trecentissimo decimo quarto Crucigeri, Prussiae possessores terram circumiacentem igni ac ferro deuastarunt, ipsamque vrbem exspoliatam combusserunt, arce tamen conseruata.

Olika, vrbs Russiae Rubrae, et quidem in ea parte huius prouinciae, quae Volhynia dicitur, sita, vbi Stanislaus, Radziuilius Dux, Supremus Lithuaniae Cancellarius, eleganti illi vrbi arce validissima, pulcherrimo Canonicorum templo, aureis vasis ornato, et Academia, ac monte pietatis, quem vocant, instituendo, maiorem splendorem attulit. Anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo primo, haec vrbs, ad Supremum Cancellarium, Albertum, Ducem Radziuilium tunc pertinens, a Cosacis frustra obsessa est.

Ostrogium, vrbs eiusdem Volhyniae arce instructa, vbi Duces Ostrogienses quondam habitarunt. Haud procul inde monasterium Dermanum, est, pulcherrimum illud, a Graecis monachis Ordinis S. Basilii, multa bona possidentibus cultum.

Orsza, vrbs Borystheni adiacens, quae semper Polonorum fuit, et Iesuitarum Collegio floret. Anno millesimo trecentesimo octogesimo sexto Suentoslaus, Dux Smolenscensis frustranea obsidione hunc locum adortus est.

Polocia, Polotzum, metropolis Palatinatus Russiae Albae, idem nomen habentis, prope fluuium Dunam sita mercatura celebris et duabus arcibus munita, Russici Archiepiscopi sedes est; vbi S. Iosaphatus, (de quo infra in Vitebsco) quam multa miracula edere nugantur, colitur. Ibidem Iesuitarum est Collegium, et haud procul inde Vsuiatum, vrbs eximia, arce praedita. Anno millesimo quingentesimo septuagesimo nono Calendis Septembribus, Rex Stephanus Polociam pactis conditionibus occupauit, et Collegium illud Iesuitarum ibi condidit; quo tempore etiam totum Polocense territorium, septendecim annos a Moscouitis possessum, ad Polonos rediit.

Praemislia, Przemisl, vrbs Russiae Rubrae, vt Starouolscius dicit; alii vero hanc terram Russiam Nigram appellant. De hac vrbe vide priorem nostram Poloniae descriptionem. Haec vrbs castello rupi inaedificato, superbiens, duorum Episcoporum, Romani et Russici, sedes est. Eadem aliquot monasteria, Iesuitarum Collegium et Palatinum habet, et celebres nundinas agit. Multas nationes Germanicas in Moldauia, circa Kutnariam, et in Russia Polonica, circa Praemisliam et Sanocum inueniri, innumerosque eius regionis pagos a Germanis, in

in bello captis et eo translocatis, qui Germanorum linguam moresque constanter retineant, habitari, Piasecius ad annum 1599. affirmat. Anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo sexto hanc vrbem a Rege Sueciae captam esse tabulae publicae sunt mentitae.

Resouia, vrbs eiusdem Praemisliensis territorii seu Castellanatus, pulchro castello conspicua, monasteriis aliquot praedita, et nundinis, S. Alberti die agi solitis, celebris. Huius quoque vrbis territorium Germani, in bello quodam a Rege Casimiro Magno capti et cum vxoribus atque liberis huc translati, incolunt, qui rem pecuariam et linum, sicuti Starouolscius tradit, maxima cum industria tractant.

Sanocum, metropolis territorii Russiae Rubrae, ab ipsa nomen ducentis. Haec vrbs incolis quanquam parum frequens, arcem tamen habet validam, in rupe super fluuio Sano exstructam; sicut etiam aliae huius territorii vrbes.

Slucum, vrbs Russiae Albae, quae omnium totius Poloniae vrbium maxima esse dicitur; sed non nisi ligneis aedificiis fere constructa, praeter Romano-Catholicorum templa, et Ducis Radiuilii, ad cuius ditionem haec vrbs pertinet, palatium. In Nouogrodensi Palatinatu sita est, vti etiam Rozana, Sapiehis subiecta, et splendidis aedificiis, plateisque pulchris et rectis exornata.

Smolenscum, vrbs insignis, quae, quamuis in Moscouitarum sit potestate, ad Lithuanicam tamen Russiam pertinet; quapropter de ipsa praeter ea, quae in priore nostra descriptione Polonica et in appendice secundae editionis commemorata sunt, hic etiam quaedam sunt dicenda. Haec igitur vrbs ad Borysthenem in loco editiore sita, moenia habet, sex cubitos lata, duas et quinquaginta turres, speculam et arcem in media vrbe in monte altiore sitam, vti etiam quater mille circiter domos, praeter nobilium palatia, et tam Russorum, quam Catholicorum templa atque coenobia, et Iesuitarum Collegium, et Episcopi Russici, in rebus ecclesiasticis Archiepiscopo Polociae subiecti, sedem; vterque autem Starouolscii iam aetate Romanum Pontificem Dominum agnouerunt; Romanum vero Episcopum nuper defunctus Rex Vladislaus quartus hic loci constituit. Et haec quidem e Starouolscio. Paulus Piasecius scribit, Smolenscum Ducatumque Seuerienscm Lithuaniae quondam atque Kiouiae a Moscouitis esse ereptum, anno autem millesimo sexcentesimo vndecimo post duorum fere annorum obsidionem, cum ab octoginta variae conditionis hominum millibus, qui sub obsidionis initium ibi fuissent, octo vix millia essent relicta, a Rege Sigismundo tertio per vim recuperatam. Idem moenia huius vrbis octo cubitos crassa, et ab humo quindecim cubitos saxis excisis, reliquos autem viginti cubitos vsque ad summum, lateribus confecta, et propugnaculis iusto ordine circumdata esse, vallis autem ab extera parte et fossis carere; et ab hac vrbe Varsauiam vsque ducenta et viginti milliaria Polonica numerari affirmat. Cum deinde anno millesimo sexcentesimo decimo quarto (alii decimo septimo) Dux Moscouiae recens electus cum Gustauo Adolpho, Rege Sueciae, pacem iniisset, ipsique loca nonnulla cum quadam pecunia, pro auxilio a Suecis aduersus Polonos quondam praestito, et sumtibus eo impensis dedisset, Smolenscum illud anno millesimo sexcentesimo decimo sexto a Moscouitis rursus, quamuis frustra, obsessum esse; anno autem proxime insequente Principem Polonicum, Vladislaum, expeditione in Moscouiam suscepta, Viozmam vsque, triginta sex milliaria Moschica ab vrbe Moscua distantem, peruenisse, verum hyeme ingruente, nihil amplius profecisse; anno millesimo sexcentesimo trigesimo tertio Smolenscum a Moscouitis iterum obsessum, sed a Polonis liberatum esse. Haec Piasecius refert. Stanislaus a Kobierzycko primarium Ducatus Seuerienscs castellum, Smolenscum, anno millesimo quingentesimo decimo quarto Glinscii proditione a Moschis captum esse tradit. „Cum Rex Sigismundus hunc locum obsideret“ (ita scriptor ille pergit)

„octo domorum millia amplius ibi fuisse dicuntur, quas domos incolae, cum vr„bem difficulter conseruari posse intelligerent, ipsi incenderunt, et in arcem, in „aduersa fluminis ripa sitam, vrbe illam non multo minorem, murisque et duo„dequadraginta turribus seu propugnaculis cinctam se receperunt. Omnes omni„no, qui in arce erant, ducenties mille circiter numerati sunt, in iisque quadra„gesies mille bello gerendo idonei, praeter praesidium, cuius numerus fere non „minor erat. His praefectus est Michaël Borissius Seynius, vir rei militaris peri„tissimus, ex Moscouia oriundus. Viginti circiter menses hanc arcem Rex obsidio„ne cinxit, antequam expugnare posset; a Calendis nempe Octobribus anni mil„lesimi sexcentesimi noni, ad anni vsque millesimi sexcentesimi vndecimi Idus Iu„nias. Qua expugnatione incendium exortum est, quod templum magno the„sauro et ornamento ecclesiastico diues arripuit et consumsit; ita vt intra quatuor „horas haec arx caedibus et murorum ruinis se deletam videret. In captiuis fuit „etiam Sergius Archiepiscopus Smolenscensis, qui ab altari abreptus et vulnere „accepto cruentus ex arce productus est; et praefectus ipse Sehinus in Polono„rum venit potestatem. Caeterum per totum obsidionis tempus ex militibus, „plebe et transfugis, septuaginta millia amplius gladio et morbis, qui atrocissime „ibi saeuierunt, sunt peremta.“ Hactenus Kobierzickius. Postea quidem Mos-couitae hanc arcem expugnare aliquoties ausi sunt; ita vt Continuator Thuani fol. 374. hunc locum ab ipsis recuperatum esse scriberet; praeter ea, quae postea in tabulis publicis ea de re sunt tradita. Veruntamen haec arx vsque ad annum millesimum sexcentesimum quinquagesimum quartum in Polonorum potestate permansit, quo anno iam regnans Magnus Moscouiae Dux, Alexius Michaëlis, seu Michaëlouitius tertio Octobris die, pactis conditionibus eam recuperauit.

Sniatinum, vrbs Russiae Rubrae, in territorio Halicienst sita, et flumini Pruto adiacens, proprie metropolis est Pocuciae, Valachorumque emporium, multos boues, ceram, mel, et equos praestantissimos venales eo afferentium.

Socalia, seu Sokalum, vrbs Volhyniae, B. Virginis Mariae imagine, quae miracula patrare dicitur, clara. Huic imagini custudiendae monachi Franciscani de Obseruantia, hic locorum vulgo Bernardini dicti, sunt constituti, qui in insula quadam fluuii Bugi templum magnificentissimum monasteriumque firmissimum exstruxerunt, illudque templum pulcherrimis picturis, argenteis aureisque vasis et vestibus missaticis, gemmas gerentibus, exornarunt.

Stepanouia, oppidulum Palatinatus Kiouiensis, vallo et fossis artificiose communitum.

Vchanie, in Zamoscii vicinia sita, vbi Nicolaus Danielouitius, Regni Poloniae quondam Thesaurarius, templum splendidissimum aedificauit, pulchro etiam palatio, hortisque amoenis conspicua.

Vinnicza, seu Winnica, vrbs Palatinatus Braslauiensis, nobilium conuentibus et iudiciorum tribunalibus clara, celeberrimo etiam Iesuitarum Collegio ornata. Huc magnum territorium pertinet. Cum anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo summus Cosacorum Dux Chmielnicius, comitiis Varsauiae celebratis, et pace, quae antea cum ipso sancita fuerat, confirmata, sedatus esset, quiete quidem se gessit, sed clandestina tamen consilia cum Turcis, contra Basilium praesertim, Moldauiae Principem, egit, Tartarosque aduersus eundem concitauit; quanquam Turcarum opera, cum Timotheo, ipsius filio, Basilii filia esset promissa, res tandem est composita. Quo facto belli cum Polonis renouandi occasionem identidem quaesiuit, quam etiam post anni millesimi sexcentesimi quinquagesimi primi principium inuenit; cum tribunorum ipsius aliquis, Nieczoius, belli gerendi initium faceret, qui autem in vrbecula Crasna oppugnanda interfectus est: alius autem tribunus, Bohunus, vrbem et arcem illam regiam Vinniczam occupauit; quam tamen postea regii, flumine Boho, seu Bogo traiecto, recuperarunt.

Viteb-

Vitebscum, Witepsky, tertii Russiae Albae Palatinatus, locus quondam primarius. Eius autem incolae cum Archiepiscopum Polocensem, Iosaphatum, qui eos ad concordiam cum ecclesia Romana ineundam hortaretur, interfecissent, ipsa iure ciuitatis amisso in pagum est conuersa; quanquam arx regia cum iurisdictione sua permaneret. Haec vrbs a peculiaribus quondam Ducibus est gubernata, donec cum territorio suo per nuptias ad Olgerdum, Lithuaniae Ducem peruenireț; qui Olgerdus, quo coniugi Vlianae, Christianis sacris addictae, gratificaretur, duo templa Graecam religionem profitentibus ibi exstruxit, cui religioni eius incolae postea constanter adhaeserunt.

Volodimiria, vrbs Volhyniae, Russici Episcopi sedes, cuius dioecesis late patet. Hanc vrbem anno millesimo trecentesimo vndeuigesimo Gediminus, Lithuaniae Dux, obsedit, eius Ducem, qui eam liberare conabatur, occidit, et vrbe, arce, totoque territorio potitus est. Anno autem millesimo trecentesimo quinquagesimo primo Rex Poloniae Casimirus hanc vrbem expugnauit; vbi Kieystutus, Olgerdi illius frater, captus est; qui vero e Polonorum custodia elapsus Volodimiriam recuperauit.

Zamoscium, Zamoscie, vrbs firma Russiae Rubrae, quam supremus Regni Poloniae Cancellarius, Iohannes Zamoscius, paulo post Archiducem Austriae, Maximilianum proelio a se victum in suo solo aedificauit, templumque Canonicorum et Academiam in ea instituit; quibus filii eius, Thomae Zamoscii, eiusdemque supremi Poloniae Cancellarii, vxor, Catharina, Collegium et Seminarium addidit, aucto Professorum et Canonicorum numero. Vberiorem huius loci descriptionem vide in priore nostra Descript. Polon. In vicinia huius vrbis circumcirca egregia oppida, quorum pleraque huc pertinent, sita sunt, vbi belli hortuli, praestantes piscinae, theriotrophea et officinae ferrariae passim reperiuntur. Iohanni illi Zamoscio, coniuge, Duce Radziuilia, vita defuncta, Rex Stephanus fratris sui, Christophori Batorii, filiam, Griselidam, matrimonio dedit; post cuius mortem, anno millesimo quingentesimo nonagesimo secundo Stanislai, Comitis Tarnouiensis, filiam, Barbaram, vxorem duxit, ex quo postremo coniugio filium Thomam suscepit. Anno autem millesimo sexcentesimo quinto, tertio Iunii die, postquam sexaginta tres annos et aliquot dies vixerat, diem obiit supremum; filius autem, Thomas Zamoscius, anno millesimo sexcentesimo duodequadragesimo, postquam tres annos supremi Cancellarii munus gesserat, vitae finem fecit. Quod haeredes reliquerit, non inuenio. Sed tamen anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo primo Iohannem Zamoscium, Praefectum Calussiensem proelio cum Tartaris et Cosacis commisso interfuisse deprehendi. Anno millesimo sexcentesimo duodequinquagesimo Cosacorum illorum supremus Dux, Bogdanus Chmielnicius, castellum Zamoscium inuasit, mensemque amplius vehementissime oppugnauit, sed cum Russica nobilitas eo se recepisset, hyemsque ingrueret, nihil profecit. Anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo sexto hunc locum ab ipso eius domino Regi Sueciae vltro esse traditum tabulae publicae, cum scriptae, tum impressae, vna cum Relatione Lipsiensi tradiderunt. Sed falso. Suecus enim, igneis aliquot globis iniectis, hunc locum protinus reliquisse posthac est affirmatum.

Zbarauia, vrbs et arx munita, quam Starouolscius Volhyniae locis annumerat. Oppidulum vero Zborauiam ad Russiae Rubrae Palatinatum, cuius caput Leopolis est, refert. Anno millesimo sexcentesimo vndequinquagesimo Tartaris et Cosacis Polonica castra apud Zbarasium cingentibus, Rex Casimirus Lublino profectus, Zborauiam seu Zborouiam (quam aliquis vicum appellat) sex circiter milliaria a Zbarasio distantem, peruenit, et cum hostibus conflixit, vt eorum decem fere millia interficerentur, et letaliter vulneratorum nouem millia morerentur. Tum pace conciliata, hostium castra apud Zbarauiam sunt sublata.

Ioachimus Pastorius dicit, Polonicum exercitum prope Zbarasium, oppidulum et castellum, idemque antiquam Ducum Visnioueciorum haereditatem, castra posuisse, quae castra ab ipso Tartarorum Principe et Chmielnicio fuerint circumdata. Principem Visniouecium in Polonicis castris fortiter restitisse: et a Regni Vexillifero, Alexandro Coniecpolscio, crebras excursiones esse factas, ducentosque fere Cosacos a Iesuita Muchauecio, sclopetorum et tormentorum explodendorum peritissimo, ex arcis porta interfectos. Denique tantam famem annonaeque caritatem in Polonicis castris exortam esse, vt, si quis equorum mortuorum, pabuli penuria confectorum, carnibus satiaretur, id in lautitiis poneretur. Porro puluerem nitratum, oppugnatis deficere coepisse. Quinta demum post obsidionem inceptam hebdomade Regem in Russicum oppidulum peruenisse, et cum Tartaris atque Cosacis regia castra adortis conflixisse; deinde literas ad Tartarorum Imperatorem misisse, eiusque responsum accepisse; tum Chmielnicium quoque ad Regem scripsisse, et ita pace constituta, ipsum coram adiisse, hostiumque copiis cum Zborouia, tum Zbarasio abductis, Regem Glinianum reuersum esse, et inde Leopolim perrexisse. Rebus igitur probe consideratis, duo illa loca, Zborouiam et Zbarasium, eodem cum Starouolscii Zborauia et Zbarauia, eumque, qui anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo primo febri ardente exanimatus est, Ieremiam Michaëlem de Koributh, Ducem Visniouecium et Lubnensem, Russiae Palatinatum, Praemislienſemque praefectum, eundem illum, qui Zbarasium possedit, Ducem esse existimo.

Zolkuia, vrbs Russiae Rubrae, et quidem eius Palatinatus, qui proprie ita dicitur, arce pulcherrima, hortis amoenissimis ac templo variis marmoris generibus exornato, superbiens.

Praeter ea, quae adhuc recensui, Russiae loca apud scriptores reperiuntur etiam sequentia: I. Corsum, seu Korsum, oppidulum, anno millesimo quingentesimo octogesimo primo a Rege Stephano exstructum, vbi anno millesimo sexcentesimo duodequinquagesimo Poloni magna a Cosacis clade sunt affecti; prope Borysthenem situm est. II. Lubartoua, Lubartow, oppidulum, incolis frequens, et naturae beneficio munitum, quod in bello Cosacico semetipsum ab hoste defendit. III. Orla, oppidulum Firleianorum. IV. Pauolocia, oppidulum, Iohanni Zamoscio, praefecto Calussienſi, (de quo supra in Zamoscio) subiectum. V. Trilisium, Trilissii, vrbs Russiae, sex milliaria a Kiouia remota, et satis munita, quae anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo primo vigesimo quarto Augusti die, a Polonico Duce, Prisimskio, expugnata et combusta est, vti in Relatione quadam traditur. Hoc oppidulum et castellum a regiis vi expugnatum, nullique neque aetati, neque sexui parcitum, quoniam mulieres quoque oppugnatoribus maxima damna intulerint, totum oppidulum concrematum; et hoc incendio late conspecto, Iocupletem Episcopi Kiouienſis ciuitatem, Chuastouum, eo ita perterritam esse, vt Cosaci, qui eam cepissent vrbem, quamuis resistendo fuissent pares, omnes tamen vna cum ciuibus fuga sibi consulerent, Ioachimus Pastorius tradit. Vrbs illa, Trilissii, seu Tryleſii prope Bialacerkieuam et haud procul a Pawolocz, seu Pauolocia sita est. VI. In Relatione quadam traditur, anno millesimo sexcentesimo vndequinquagesimo castellum praestantissimum, Kudacum, a Cosacis esse expugnatum, quod supremus Exercituum Polonicorum Imperator, Koniecpolskius, nuper vita defunctus, ad fluminis Borysthenis ripam aedificauit, quo Cosacorum ex Borysthene in Pontum Euxinum irruptionem prohiberet, ne Turcis belli causam suppeditarent. Piasecius hoc castellum Hudacum vocat, idque anno millesimo sexcentesimo trigesimo septimo ad Samarae exitum in Borysthenem exstructum esse dicit.

VI. MA-

VI. MASOUIA, MASURIA, CUM TERRA DOBRINENSI.

Masouia in medio fere Poloniae Regno inter Prussiam, Lithuaniam, Russiam atque Poloniam sita est. Huic prouinciae Starouolscius quatuor Satrapias, Plocensem nimirum Palatinatum, Podlachicum, et eum, qui proprie Masouiae seu Masuriae Palatinatus dicitur, atque terram Dobrinensem, tribuit. Alii vero, duos tantum Palatinatus commemorantes, Podlachiam ad Magnum Lithuaniae Ducatum referunt, quos et ego secutus sum. Vide priorem Descriptionem Polonicam. Describendi igitur nobis hic supersunt duo Palatinatus, Plocensis et Masouiensis seu Varsauiensis, cum terra, Dobrinensi, quae inter Cuiauiam et Prussiam sita tria habet territoria, Dobrinense, Ripinense et Libnense, a primariis suis locis sic dicta, extra quae tria oppida nullus celebrior locus est, praeter eum, qui vulgo Skompe dicitur, vbi Minoritae miraculosam, ex ipsorum scilicet opinione, Mariae Virginis imaginem asseruant. Gurzno etiam oppidulum, ad Episcopum Plocensem pertinens (qui Episcopus in tota illa regione iurisdictionem exercet) alicuius momenti est, quippe quod multos pagos sibi subiectos habet. Tres vero Castellanatus, Dobrinensem, Ripinensem et Slonnensem, haec prouincia complectitur.

Inter Vistulam et Prussiam huic Dobrinensi terrae ortum versus situs est Palatinatus Plocensis, qui in quatuor territoria, Plocense, Zaucrense, Mlauense et Stenense, diuiditur. Viliora habet oppida, praeter Sieperciam (vbi Mariae Virginis imago est, quam miracula patrare iactitant) ipsamque vrbem Plosicum, seu Plotzko. In hoc Palatinatu quinque sunt Regni Senatores, Episcopus, Palatinus et Castellanus Plocensis, et duo alii Castellani, Razianzensis atque Siepercensis.

Masouiae Palatinatus peculiarem Episcopum non habet, sed in rebus ecclesiasticis partim Posnanienſi, partim Plocensi, partim Luceorienſi Episcopo est subiectus. Sunt autem in hoc Masouiae Palatinatu, Palatinus Generalis, septemque Castellani, Cyrnensis, Varsauiensis, Vilnensis, Visogradensis Zacrocimensis, Ciechanouiensis et Liuensis; idemque Palatinatus in duodecim territoria, Cyrnense, Visnense, Zembrouiense, Varsauiense, Nurense, Visegrodiense, Zacrocimense, Ciechanouiense, Lomzense, Rozanense, Macouiense et Liuense, distribuitur; quorum loca primaria omnia idem nomen cum territoriis suis gerunt. Praeter ea vero notanda sunt oppida sequentia: Pultouia, seu Pultowsky, vrbs Episcopalis, Czernienscum, Minscum, Varca, Vengrouia, Garuolinia, (quae oppida omnia ob praeclaram cereuisiam sunt celeberrima) Stanislauouia, Brocum, Viscouia, Seroicza et Lomza, vbi etiam Iesuitarum est Collegium. Starouolscii aetate permultae equestris Ordinis familiae in tota Masouia fuerunt, in iisque nominatim antiquissima Valeria ex Romanorum stirpe oriunda, quam coruum in insigni gessisse idem Starouolscius dicit.

Ex iam commemoratis igitur aliisque huius prouinciae locis insigniora sunt ea, quae sequuntur:

Czernienscum, ad Vistulam situm, vbi dies Canonicorum regularium est Abbatia. In tabula quadam locus ille, infra Varsauiam situs Czerwienscum appellatur.

Czyrsco, seu Czersco, supra Varsauiam sita et Vistulae adiacens, ex periculo Friderici, Marchionis Badendurlacensis, quod anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo sexto, mense Martio, ipsi hic subeundum fuit, nota, qui Marchio in arce huius vrbis in propugnaculum quoddam vetustate collapsum, militum Polonicorum vim euasurus, se receperat, qua in arce domum primariam, et templum cum aliis aedificiis circumiacentibus, quibus hostes potuissent vti, concremauit, et cum suis in propugnaculo illo tam diu latuit, donec post hostium discessum Varsauiam, quamuis maximo cum discrimine, se conferre posset; de qua re peculiaris quaedam narratio typographorum prelis excusa prostat.

Dobrinum, Dobrzin, ad eandem Vistulam inter Plociam et Vladislauiam situm, terrae illius Dobrinensis caput; de quo prior nostra P. D. legi potest.

Plocia, Plosçum, Plozko, vrbs ad Vistulam in editiore loco sita. Qua in vrbe Episcopali multa et locupletissima templa sunt, in quibus praesertim templum monialium S. Mariae Magdalenae in suburbio, et Benedictinorum Abbatia in arce, eminent: qua in arce templum Episcopale etiam, magnis diuitiis ornatum, et in eo S. Sigismundi, Regis caput, solido auro inclusum, vnionibusque et lapidibus pretiosis distinctum conspicitur. Huius templi Canonici iisdem fere, quibus Episcopus, fruuntur reditibus; quid? quod ipsorum Praepositus totum possidet territorium, in cuius nobilitatem summum exercet imperium. Plura de hac vrbe vide in priore illa, quam saepius dico, nostra P. D. variis in locis; quemadmodum ex indice patet. Ibidem Iesuitarum est Collegium, et in arce Gymnasium, sub Capituli cura. Plocensi Episcopo oppidulum quoque Gorzno datum est, prope quod anno millesimo sexcentesimo vndetrigesimo, IX. (XIX.) Februarii die, Suecicarum copiarum praefectus, Iohannes Wrangelius, Polonos magna clade affecit.

Pultouia, Pultowsko, vrbs et Episcopi illius Polocensis seu Plocensis consueta sedes, qui Episcopus in hanc vrbem, eiusque territorium perfectam habet potestatem; neque ab eius tribunali ad Regem prouocari potest; sed nobiles ita ei parent, quemadmodum Episcopo Varmiensi Prussiae, et Cracouiensi Ducatus Seueriae nobiles. Haec vrbs lateritiis aedificiis constans arcem habet elegantis structurae, in rupe aedificatam, et in insula quasi fluuii nauigabilis Nareui seu Naruiae, sitam, vbi etiam Canonicorum templum et Iesuitarum est Collegium. Anno millesimo trecentesimo vigesimo quarto Masouia a Lithuanis deuastata, et haec vrbs cum centum et triginta pagis et triginta templis combusta est. Anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo sexto Sueci Pultouiam ceperunt, quam deinde Poloni frustra obsederunt. Haud procul inde vrbs Ciechanow, seu Ciechanouia, quam vna cum vrbe illa Pultouia anno millesimo trecentesimo trigesimo septimo Magnus Lithuaniae Dux, Olgerdus, cepit, a Masuris deinde acie victus. Anno autem millesimo trecentesimo sexagesimo septimo vrbem et arcem Pultouiam Lithuani expugnauerunt et combusserunt; a quibus Lithuanis prouincia Masouia cum terra Dobrinensi multum perpessa est; siquidem anno millesimo ducentesimo octogesimo quinto Lithuani illi a Conrado, Masouiae Duce, in auxilium vocati, Ladislao, Cuiauiae Principi, Gostininum eripuerunt; deinde vero Ducis illius Conradi inimici facti sunt, eique Sochaczouiam et supra descriptam vrbem Plociam extorserunt.

Stezycia, seu Stezycza, supra Varsauiam prope eum locum sita, vbi Veprus in Vistulam effunditur. Hic anno millesimo sexcentesimo sexto et septimo Rokossiani, seu nobiles, qui aduersus Regem Sigismundum seditionem commouerant, bis conuenerunt, Regnique grauamina literis consignata Varsauiam ad Regem miserunt.

Varca, seu Warka, oppidulum, fluuio Pilczae adiacens et praestante cereuisia, quae ibi coquitur, nobilis, septem milliaria a Varsauia distare existimatur. Huc quoque Sueci venerunt, et in hoc bello oppidulum illud concrematum esse Relatio quaedam, anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo sexto impressa affirmat.

Varsauia, Varsouia, Warsou, Warschau, vrbs celebris, vbi a satis longo inde tempore comitia Polonica sunt acta. Vberior eius descriptio in priore nostro libello, est legenda. Proinde hic tantum, quae postea in scriptis de ea reperi, quaeque nuper ibi gesta sunt, narrabo. Dicit autem Starouolscius, hanc vrbem in medio Poloniae Regno sub quadragesimo tertio longitudinis, et quinquagesimo secundo latitudinis gradu sitam, quadraginta milliaria a Cracouia et Posnania

nania distare, amploque et quadrato palatio, a Rege Sigismundo tertio exstructo, et alio extra vrbem Viasdouiae sito, Vistulam prospectante, et inter hortos amoenissimos condito, et magnificis templis ornatam esse, quorum templorum primarium S. Iohanni Baptistae dicatum Canonicos habeat. In suburbio Cracouiensi Viasdouiam versus esse sacellum pulchre structum, in quo Iohannes Demetrius Suiscius Magnus quondam Moscouiae Dux, in custodia defunctus quiescat. In suburbiis complura procerum esse palatia, sed inter quae Regis Vladislai quarti villa interiori elegantia emineat; tum colossus ille, quem Sigismundo patri erexerit. Haec quidem Starouolscius refert. Vbi vero notandum est, haec Stanislaum a Kobierzycko paulo aliter narrare, cum scribat: Basilium Suyscium, (ita enim eum appellat) Magnum quondam Moscouiae Ducem, cum fratribus in arce Gostinensi honesta et liberali custodia asseruatum esse, ibique intra anni spatium moerore confectum, vna cum fratre Demetrio obiisse, quorum funera deinde Varsauiam sint translata. Postea vero Regem Vladislaum quartum foedere et pace perpetua cum Magno Moscouiae Duce inita, Legatis permisisse, vt ea funera in Moscouiam secum abducerent. Porro etiam Adamum Kisielium, Regis Poloniae in Moscouiam missum Legatum, eundemque Castellanum primo, deinde Palatinum Kiouiensem, Graecae religioni addictum, a Rege Vladislao tabulam marmoream cum inscriptione, (Varsauiae adhuc asseruatam) accepisse, quam anno millesimo sexcentesimo quadragesimo septimo Alexio Michaëli, qui patre defuncto imperium Moschicum consecutus esset, cum gratulationibus donaret. Idem scriptor commemorat, a Dolabella, pictore illo artificioso, ex Italia oriundo totam illam historiam, quomodo Rex Sigismundus arcem Smolensçum expugnarit, et summus exercituum Polonicorum Imperator, Zolkieuius, Magnum illum Ducem, Suyscium in comitiis Varsauiensibus Regi tradiderit, in palatio supra laudato pulcherrime esse depictam, Regnique Senatorum, aulicorum et illustriorum virorum effigiem viuam quasi repraesentatam. Annis superioribus pons in Vistula exstructus in operibus Europae maxime mirandis ponebatur qui autem anno millesimo sexcentesimo tertio in iugo quodam nimia glaciei mulitudine iacturam fecit, quae tamen facili negotio resarcinari potuisset, nisi lignum in vsum arcis esset decisum, quasi firmior pons e saxis esset parandus; id quod ad descriptionem nostram priorem est notandum. Est quoque Varsauiae templum *patrum piarum scholarum*, in quo Rex Vladislaus cinerem Sanctorum, Primi et Feliciani, sibi, cum Romae versaretur, a Pontifice, Vrbano octauo, per Cardinalem Barberinum dono datum recondidit; et templum Bernhardinorum in suburbio. Anno millesimo sexcentesimo septimo statim comitiis finitis derepente exortum est incendium, quod magnam vrbis partem consumsit. Anno millesimo sexcentesimo quadragesimo septimo multum detrimenti vnda huic vrbi attulit. Anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo quinto Varsauia sua sponte Regi Sueciae se dedidit, qui Iastowam habitaculum sibi delegit. Et haec quidem statim post Septembris initium euenerunt. Arcem et ciuium, qui aufugerint, domos exspoliatas esse, caeteris autem nihil mali accidisse, et in vrbe occupanda ne vnius quidem militis iacturam factam esse *Francofurtana Relatio verna anno* 1656. tradit. Anno proxime insequente millesimo sexcentesimo quinquagesimo sexto Poloni hanc vrbem obsessam recuperarunt; tum prope ipsam duodeuigesimo Iulii die, (secundum fastos antiquos) et duobus proxime insequentibus, inter vtrumque Regem cruentum proelium est commissum, cui Elector Brandenburgicus coram interfuit; vbi cum Suecici et Brandenburgici superiores discessissent, Varsauia in Suecorum rediit potestatem, qui munitionibus destructis in locum patentem eam mutarunt. Locus, apud quem hoc proelium accidit, in narrationibus, tam scriptis, quam impressis, *Praga*, et *oppidulum ad Vistulam, Varsauiae e regione situm*, appellatur: quod nomen penes nullum scriptorem Polonicum, neque in tabulis chorographicis,

cis, quotquot ego quidem legi et inspexi, in Varsauiae vicinia, sed Powaski, Folwarki et Kamien inuenitur.

VII. POMERELLIA, SEU POMERANIA MINOR.

Haec terra a multis sub Prussiae nomine comprehenditur, eiusque incolae a plerisque Prussi dicuntur; quoniam in moribus legibusque cum illis consentiunt, et non nisi nomine differunt et vtrique fluuio Vistula a se inuicem separantur: quapropter ego quoque in appendice ad eam Typographiae meae Germaniae partem, in qua de Marchia Brandenburgica et Pomerania maiore, ad Imperium Germanicum pertinente, agitur, Pomerelliae etiam loca vna cum Prussicis recensui. Cum autem haec Pomerellia a multis annis inde adhuc ad Poloniae Regnum pertineat; Starouolsciusque et alii sub Pomeraniae Regiae nomine hanc prouinciam peculiariter describant: hic quoque pauca quaedam, ea praesertim, quae in appendice illa iam impressa nondum commemorata sunt, de hoc prouincia tradam.

Ille vero, cuius saepe mentio facta est, scriptor Polonicus, Starouolscius Dantiscum, quippe metropolin, huc refert, totamque prouinciam in septem territoria, Sluchouiense, Tucholiense, Suecense, Dersauiense, Zucouiense, Pudense et Mirachouiense, distribuit; quibus etiam terrae praestantes, Cratna et Cassubia adiungantur, in quarum priore Abbatiam Coronouiensem praepinguem, in altera vero, seu in Cassubia praefecturas aliquot esse dicit. „Huius terrae“ (ita ille pergit) „praecipua loca sunt, Puckum, Sluchouia, Stargardia, Neim„burgum, Meua, Schoinicia et Dersauia, quae arces sibi adiunctas habent, reli„qua non item. Habet Abbatias quoque haec prouincia praediuites, Oliuae et „Pepliniae Cistercienſium, Zarnouieciae ad litus maris, et Zukouiae, seu Zerno„uitii et Suckauiae monialium, et quae vnica tantum huius Ordinis in tota Prus„sia est, prope Dantiscum, Carthusianorum.“ Hactenus Starouolscius. Iam sequuntur praecipua illa loca cum aliis quibusdam, paulo vberius, quam supra a Starouolscio factum est, descripta, quae sunt:

Asterinum, Hammersteinium, oppidulum, quod anno millesimo sexcentesimo vigesimo septimo praesertim innotuit, cum supremus exercituum Polonicorum Imperator, Koniecpolscius duas Suecicas legiones integras ibi caperet, armisque et signis spoliatas dimitteret, praeter ductores ipsos, quos captiuos retinuit; vti Starouolscius narrat.

Bidgostia, Birgastum, arx, de qua Micraelius libr. 2. *Pomer.* p. 277. est legendus. De eadem, vti etiam de nouo oppidulo, Bischmarco vide nouam illam nostram appendicem.

Bitouia, Bitauia, vrbs Cassubiae, quae diu Pomeraniae Ducibus, vt clientela Polonica, fuit subiecta; anno autem millesimo sexcentesimo trigesimo septimo post vltimi Ducis, Bogislai decimi quarti, mortem ad Poloniam rediit. A quo inde tempore multae narrationes hoc de loco ad nos peruenerunt, in quo identidem aut Regis Sueciae, aut Electoris Brandenburgici praesidia fuerunt collocata. Alias etiam Beythau scribitur.

Bromberga, Bromberg, quam Poloni Bedgosky appellare dicuntur, ad fluuium Bro, apud Crone et Verdon in Cuiauiae seu Poloniae maioris finibus sita. Hunc locum anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo quinto Sueci ceperunt; anno autem proxime insequente Poloni oppidum quidem recuperarunt, et cum Germanis ibi commorantibus seuere egerunt; arcem vero Sueci conseruarunt. Postea ex Colbergo 1. (x.) Maii die scriptum est, Brombergam, Nachelum, Suetzam, et alia loca, quibus Poloni essent potiti, a Suecis recuperata omnibusque eorum incolis trucidatis, incensa; et rusticos Polonicos Krzepizum oppugnantes, a Suecico huius loci praesidio pessime exceptos esse. Alia Relatio pridie Calendas Iunias demum Brombergam a Suecis recuperatam esse tradit. Arcem vero

vero eius anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo sexto, duodeuigesimo Maii die, pactis conditionibus Duci Suecico Wrangelio, se dedidisse Limmerus affirmat. Proinde arcem quoque in Polonorum potestatem antea venisse necesse est. Mense Nouembri eiusdem anni Suecici milites hunc locum adhuc tenebant: scriptum vero est, ipsorum Regem, praesidio illo ad se in aciem euocato, Brombergam locum patentem fecisse.

Conicia, Conitz, vrbs, ad eundem fluuium Bro sita, et a Cromero Choinicia dicta. Hunc locum Sueci mature occuparunt; anno autem millesimo sexcentesimo quinquagesimo sexto, sub initium Maii, Poloni hanc vrbem adorti cum nihil profeciſſent, suburbia incendiis miserrime deuastarunt. Hic Iesuitae tunc erant. Sed autumno eiusdem anni millesimi sexcentesimi quinquagesimi sexti Rex Poloniae, Iohannes Casimirus hanc vrbem, in qua Princeps aliquis Anhaltinus praesidia tum agebat, obsedit, et pactis conditionibus recuperauit.

Dantiscum, Dantzig, Gdansko, vrbs longe celeberrima, cuius vberiorem descriptionem in appendice illa nostra, ad eam Topographiae Germaniae partem, in qua de Marchia Brandenburgica et Pomerania agitur, ex parte etiam in *Itinerario* meo *Germanico* reperies; in qua appendice, p. 21. de arce Munda etiam, vel Weixelmunda, milliare infra Dantiscum sita, et ad hanc vrbem pertinente, apud quam arcem Vistula in mare Balthicum effunditur, quaedam legi possunt. Proinde ea tantum, quae alii de hac vrbe scribunt, et quae nuper ipsi euenerunt, adiiciam. Dicit autem Starouolscius hanc vrbem, sub quadragesimo primo longitudinis, et quinquagesimo quarto latitudinis gradu sitam, cum haeretica tota sit, Officialem tamen seu Vicarium Episcopi pati, coram quo omnes haeretici variarum sectarum causas, praesertim in materia matrimonii, disceptent. In ecclesiasticis enim rebus vrbem totam Episcopo Vladislauiensi seu Cuiauiae subesse, qui se etiam Epitcopum Pomeraniae (Pomerelliae) scribat, et in ea non contemnendas possessiones habeat, etiam in suburbanis Gedanensibus, vbi Iesuitae templum et Collegium Dominicani autem, Carmelitae et moniales in vrbe ipsa, sicut et Vicarius ille Episcopi, domicilia habeant. Haec Polonus ille. Piasecius p. 501. Dantiscanos immunitates suas a Regibus Poloniae tantum consecutos esse contendit, et p. 453. anno millesimo sexcentesimo trigesimo secundo ipsorum Legatis concessum esse affirmat, vt, sicuti ciuitatum, Cracouiae et Vilnae, Legatis, ipsis quoque in creando Rege ferre suffragium liceret. Is, qui contra Barclaium scripsit, in *Polonia defensa* sibi esse notum asserit, cum quinque nauium et ratium millia Dantiscum simul appellerent. Anno millesimo trecentesimo sexagesimo primo Lithuani arce huius vrbis per vim potiti sunt. Anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo tertio lues pestifera ita ibi saeuiit, vt circa mensis Septembris finem vna hebdomade sexcenti et quadraginta homines sepelirentur. Anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo quinto et sexto haec vrbs Suecorum timore multis et pulchris aedificiis destructis, fortius est communita. Augustinus Limmerus in diuersis Relationibus tradit, anno illo millesimo sexcentesimo quinquagesimo quinto in munitionibus exteris assidue laboratum, et mense Nouembri in suburbiis, vt Nouogardia, Schladelo et Rosenthalio, quinquaginta amplius aedificia et pulchros hortos diruios esse. Anno proxime insequente in suburbio Episcopali totam plateam, Motlauiam dictam vtrinque ad Schottlandiam vsque, tum totam Schottlandiam ipsam, cum Iesuitarum templo, et postea quoque locum quendam, Petershagen dictum, et in vrbis ditione situm, ea omnia, inquam, incendiis deleta imo caetera etiam suburbia destructa esse atque vastata. Hactenus ille. Ex Hamburgo XXVI Ianuarii die eiusdem anni ita scriptum est: „Ciuitas Dantiscana, suburbiis Schottlandia et Petershagenia in cinerem redactis „nihil quidem amplius incendi curauit, veruntamen in suburbiis, Schidlicio et „Stolzenbergo destruendis strenue laborauit, vnde factum est, vt multa et pul„chra

„chra aedificia cum hortis belliſſimis diruerentur.“ Idem fere in *Francofurtana Relatione verna anni* 1656. commemoratur, p. 76. ſeq. vbi etiam Dantiſcani in Neugardia et Biſchoffsberga deſtruenda perrexiſſe dicuntur. Ita igitur vrbs munita ſe inimicam Suecis geſſit, copias ad Mariaeburgum obſidione liberandum, quamuis nimis ſero, emiſit, monaſterium Oliuam recuperauit, eique impoſitum praeſidium Suecicum in captiuitatem abduxit, et tam hoſtiliter aduerſus Suecos ſe gerendo felices eorum contra Poloniam ſucceſſus non parum impediuit. Sueci autem caſtellum Grebbinum prope vrbem, vna cum aggere aliisque munitionibus finitimis expugnarunt; de quo Relatio quaedam ita narrat: caſtellum et aggerem Grebbinum, in Dantiſci vicinia ſitum menſe Maio in Suecorum veniſſe poteſtatem, vti etiam aggerem apud Stiblum, (ſeu Stubelauiam); Caput Dantiſcanorum, quod vocant ab ipſis vltro relictum eſſe; et Sluthoſium quoque Suecis ſe dediditſe. Limmerus autem ille dicit, decimo tertio Maii die bene munitum illum Dantiſcanorum aggerem prope Stubelauiam a Sueciae Rege vi armorum expugnatum; deinde Suecos totius illius regionis, quam Werder vocant, potitos caſtellum Drebbinum, Caput Statthoſium et alia loca cepiſſe, et Hoefſeti (Houeti aggeris) munitiones auxiſſe. Eodem anno milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo ſexto, v. (xv.) Nouembris die, Rex Poloniae, Iohannes Caſimirus hanc vrbem ingreſſus eſt. De peruetuſta Dantiſcanorum erga Poloniae Reges beneuolentia vide Ioh. Theod. Sprenger. in *Polonia Nov-Antiqua* N. 19.

Derſauia, Dirſchau, a Polonis Tſcozouo, Tiſciouum, et Tizouia dicta, vrbs ad Viſtulam ſita, quam anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo ſexto Rex Sueciae facili negotio cepit, et deinde ſummus exercituum Polonicorum Imperator, Koniecpolſcius, per totam hyemem rurſus obſedit. Circa finem anni milleſimi ſexcenteſimi quinquageſimi quinti Sueci hanc vrbem iterum occuparunt, et adhuc firmo praeſidio communiuerunt.

Fridlandum, oppidulum Pomerelliae, prope Landecum, quod anno milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo ſexto, menſe Nouembri Poloni ipſi ex imprudentia concremaſſe dicuntur.

Heela, oppidulum Caſſubiae, ad mare Balthicum in peninſula ſitum.

Landecum, in Pomerellia et in Schlochauiae vicinia ſitum, quod etiam oppidulum eſſe fertur.

Lauenburgum, vrbs Caſſubiae, vno milliari ab oppidulo Lanzigk remota, quae ſat longum tempus ad Duces Pomeraniae, vt clientela Polonica, pertinuit; anno autem milleſimo ſexcenteſimo trigeſimo ſeptimo poſt vltimi Ducis obitum ad Regnum Polonicum rediit, et nuper a Suecis occupata eſt.

Meua, Meue, Gnieuum, vrbs Pomerelliae, flumini Perſae, quae ibi in Viſtulam effluit, adiacens. A nonnullis Meauia dicitur. Anno milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo quinto Sueci eam ceperunt. Anno milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo ſexto, menſe Aprili Suetzam, Stargardiam, Meuam, Schoeneckium, Nackelium, Tauchelium et Brombergam ad Polonos rediiſſe, Limmerus dicit. Eandem vrbem Mewam anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo ſexto Rex Sueciae proxime ſuperior, Guſtauus Adolphus cepit, annoque ſequente Poloni recuperarunt.

Nakla, Nackelia, Naclum, vrbs et arx valida Pomerelliae, in medio flumine Noteſio exſtructa. Hunc locum Sueci ceperunt; ſed Poloni recuperarunt. Vide Meuam.

Neuburgum, Neuenburgum, Neimburgum, Nouum, eiusdem Pomerelliae vrbs, ad Viſtulam inter Dantiſcum et Thorunium ſita, quam pariter Sueci anno milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo quinto occuparunt.

Oliua, inſigne Ciſtercienſium monaſterium, extra vrbem Dantiſcum ſitum, quod anno milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo quinto Sueci, proxime autem ſequente anno Dantiſcani ceperunt. Pepli-

Peplinia, Poeplin, locuples Ciſtercienſium, ſeu Bernhardinorum in Pomerellia monaſterium, quinque milliaria a Dantiſco remotum.

Puckum, Puskum, Pautzge, oppidulum firmum cum arce validiſſima ad eam maris Balthici partem, quae Pautzgerwick vocatur, in finibus Caſſubiae et Pomeraniae ſitum. Anno milleſimo quingenteſimo nonageſimo quarto Rex Sigismundus tertius cum quatuor et quadraginta nauibus Holmia, Sueciae metropoli, vectus hunc portum intrauit; vnde ad Viſtulae oſtium Dantiſcumque transportatus eſt. Anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo ſexto Rex Sueciae Puſcum in ſuam redegit poteſtatem. Anno autem milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo ſeptimo, circa Martii finem ſummus Polonicarum copiarum praefectus, Koniecpolſcius, Suecicum praeſidium, in arce huius vrbis collocatum ad deditionem coëgit. Anno milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo quinto hunc locum Sueci obſidione diu clauſerunt; ſed propter acriores hyemis impetus recedere, nauesque alio deducere ſunt coacti. Proxime autem inſequente anno parum abfuit, quin conſiliis clandeſtinis vrbs illa munita in ipſorum (Suecorum) poteſtatem veniſſet; ſed Dantiſcani ſatis mature ſe interpoſuerunt, quo Rex Poloniae commotus ciuitati Dantiſcanae Puſcum illud dono dediſſe in ſcriptis narrationibus fertur.

Schoinicia, Schoeneckum, oppidulum et caſtellum, vti Starouolſcius dicit, Pomerelliae, quinque milliaria a Dantiſco remotum. Vide ſupra Meuam.

Sluchouia, Schlochauia, pariter oppidulum et arx Pomerelliae, vti idem ſcriptor tradit. Alii arcem tantummodo commemorant, eamque Mariaeburgo non cedere affirmant. In *Francofurtana Relatione verna, anni* 1656. p. 93. narratur, arcem egregiam, Schlochauiam, bene munitam quamuis, omnibusque rebus neceſſariis large inſtructam, poſt obſidionem tamen quinque dierum pactis conditionibus ad Suecos peruenisſe. Alia Relatio, Schlochauiam, arcem Pomerelliae firmam, cui vrbs quoque ſit adiuncta, anno illo milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo ſexto, Ianuario menſe, a Suecis captam eſſe tradit. Et alia Principem aliquem Anhaltinum circa Octobrem hic et Coniciae imperium habuiſſe dicit, qui vtrumque locum Regi Poloniae pactis conditionibus dediderit. Sed falſo. Poſtea enim demum, Nouembri menſe, hunc locum (Schlochauiam) a Polonis obſideri coeptum eſſe audiuimus.

Stargardia, Stargart, eiusdem Pomerelliae vrbs et arx, ad fluuium Perſam inter Schoiniciam et Meuam ſita, a nonnullisque Starigrodum Latine dicta, quae anno milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo quinto et ſexto nunc a Suecis, nunc a Polonis occupata eſt.

Suecia, Suetza, oppidulum et caſtellum Pomerelliae, ad quod territorium quoddam pertinet, ad Viſtulam et haud ita procul a Sartouitio ſitum. Hoc oppidum anno milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo quinto, menſe Octobri, ope ignis, quem ventus ex aliquot oppiduli incenſis domibus in arcem congeſſerat, et deinde etiam Tauchelium, Coniciam, Neoburgum et Meauiam Sueci occuparunt; vti in Relatione *Lipſienſi noui anni* 1656. ſcriptum eſt. Vide etiam *Francofurtanam Relationem vernam* p. 29. Proxime inſequente anno milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo ſexto Suecicos aliquot milites Sueciae a Polonis interfectos, arcem vero a Suecis conſeruatam eſſe Relatio quaedam typographico prelo excuſa refert.

Tauchelium, oppidulum et caſtellum Pomerelliae cum territorio eo pertinente, ad fluuium Bro ſitum, anno milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo quinto a Suecis captum, poſtea vero a Polonis recuperatum. Et cum anno milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo ſexto, vigeſimo tertio Maii die, hunc locum Sueci, quamuis ſine copiis pedeſtribus adorti eſſent, Praefectus Suecicus, Weiſſenſteinius e turri quadam emiſſo globo vulnere non letali affectus eſt. Tum ſuburbiis incenſis receſſerunt. Anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo tertio hic

locus Constantiae, Poloniae Reginae, erat subiectus, cum eius maritus, Rex Sigismundus, huc peruenit.

Verdon, oppidulum Pomerelliae, prope eum Vistulae locum, vbi cum flumine Bro coniungitur. In Relatione quadam impressa Vordon appellatur, et anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo sexto a Suecis, cum ciues restitissent maxima ex parte in cineres redacta esse dicitur. Id quod vigesimo secundo Iulii die accidisse fertur.

VIII. PRUSSIA.

Cum hanc prouinciam in appendice ad decimam tertiam meae Topographiae Germaniae partem, in qua de Marchia Brandenburgica et Pomerania agitur, anno 1652. Francofurti impressam, descripserim; ea tantum praesertim, quae ex illo inde tempore apud alios de ea legi quaeque nuper ibi gesta sunt, hic commemorabo, adiunctis praecipuorum locorum denominationibus.

Et primo quidem Simon Starouolscius scribit, Prussiam in latitudinem quinquaginta, et in longitudinem circiter sexaginta milliaribus extendi. In Regiam et Ducalem partem diuidi; et Regiam tribus satrapiis, Culmensi, Marieburgensi et Varmiensi, seu Ermelandica esse distinctam. In Culmensi prouincia seu satrapia Michalouiense etiam esse territorium. Varmiensem satrapiam subiectam esse Episcopo et Collegio Canonico. Ad Culmensem prouinciam seu satrapiam pertinere oppida, Brodniciam, Grudentum, Radinum, Golubiam, Rogoznam, Brathianum, Coualiam, Copriuniczam, et Lubauiam, quae omnia fere moenibus cincta sint, et arces validas beneque exaedificatas habeant. Sed primarium locum obtinere Toruniam. Secundae partis satrapiae seu territorii caput esse Marieburgum. Reliqua vero oppida, Stumam, Gnieuum, Nouum, Stargardiam, Ornetam, et praecipue Elbingam. Ex his autem iam recensitis quaedam ad Pomerelliam pertinent; quae supra in terra illa describenda iam attigimus. „Tertiae Satrapiae“ (ita ille pergit) „seu Varmiae (qui Episcopatus est, seu Principatus singularis, habens nobilitatem ab omni regiorum magistratuum iurisdictione exemtam) primaria vrbs est Heilsberga; deinde Brunsberga, Guteſtadia, Allesteinum, Resla, Vormita, Melsacum, Vatemberga, Sebergum et aliae ciuitates, Capitulo subiacentes. Prussi suo plerumque iure vtuntur, quod Culmense vulgo dicunt, exceptis tribus vrbibus, Elbinga, Brunsberga et Frauenberga, apud quas ius Lubeccense viget. In parte Ducali sexaginta amplius vrbes et oppida sunt.“ Et haec quidem Starouolscius.

Hanc vero, cuius modo mentio facta est, partem Ducalem Fridericus Wilhelmus, Brandenburgicus Elector, vt clientelam Regni Poloniae, ad hunc vsque annum millesimum sexcentesimum quinquagesimum sextum possedit, post cuius initium Elector ille Brandenburgicus cum Rege Sueciae, Carolo Gustauo, (qui maximis cum copiis, in quibus et ipsi Quartiani Polonici erant, Prussiam inuasit) pactum iniit, cuius vi ea pars Prussiae, quae ad ipsum pertineret, a Rege Sueciae vt clientela, penderet; de quo pacto illud Instrumentum pacis Regiomonti mense Ianuario sancitum et postea Bartensteinii, quae vrbs in Prussia sita est, confirmatum, et scripta Electoris, quae eadem de causa sunt composita, et typis prostant, legi possunt. Vide etiam Ioh. Theod. Sprengerum *in Polonia Nou-Antiqua* N. 18. quanquam nouas pactiones postea sancitas esse scriptum est, quibus Ducatui Prussiae perfecta libertas concederetur. Paulus Piasecius fol. 4. scribit, anno millesimo sexcentesimo nono et vndecimo a Sigismundo tertio, Polonorum Rege, de clientela Prussica largienda, Electori Brandenburgico, Iohanni Sigismundo, formulam esse praescriptam, cuius haec fuerit sententia, vt in Prussiae Ducatu ipsius (Electoris) tantummodo, fratrumque germanorum, Iohannis Georgii, Ducis Iaegerndorfensis in Silesia, item Ernesti et Christiani Wilhelmi, Archiepiscopi Magdeburgici, filii ex legitimo matrimonio suscepti, succederent, Culmba-

censibus-Anspacensibus, aliisque Francicis Ducibus exclusis, ad quos prius illud Regis Sigismundi primi cum Alberto Anspachio initum pactum haudquaquam pertineat. Vide tamen, quae in contrariam partem Ioh. Limneus, tom. 4. *de Iure publ. Imp. Rom. Germ. a p.* 776. *ad* 813. scribat.

Idem Polonicus Episcopus *fol.* 460. *in anno* 1633. refert, Duces Prussiae iusiurandum Regi coram praestare. Cum autem Rex Vladislaus quartus valetudinis curandae ergo ex medicorum ordinatione ieiunus e lecto surgere et vestes sibi induere non soleret, et missa demum in conclaui ipsius domestico celebrata in hominum conspectum prodiret, neque cum ipso facile colloqui quisquam posset, et ad ipsum in lecto cubantem non nisi artissima familiaritate cum eo coniuncti admitterentur, per quos vel maioris momenti res gererentur: et qui communi ad Regem aditu clauso negotia sibi exsequenda iu suam rem verterent, ita etiam eorum opera Ducem Prussiae per vicarium aliquem Regi iusiurandum praestitisse. Deinde tamen anno millesimo sexcentesimo quadragesimo primo, decimo septimo Octobris die, Elector Brandenburgicus, qui nunc est, ab eodem Rege Vladislao clientelam coram accepit. Quamuis autem Prussiae Duces primi Principes, et post Regem primaria Regno Polonico inserta membra sint habiti, sedem tamen in Regni Senatoribus et suffragii in eligendo Rege ferendi ius nunquam potuerunt consequi. Magnus nobilium est numerus in Prussia, tam Regia, quam Ducali; et in priore Weiheri inprimis clari sunt, ab Ernesto Weihero, tribuno militum, originem ducentes, qui Weiherus sub Regibus, Sigismundo secundo, seu Sigismundo Augusto, et Stephano, legionibus aliquot Germanicis praefuit, et rebus fortiter gestis antiquam nobilitatem magis illustrauit et maiore gloria inter Polonos auxit; tum in Prussia sedem fixit, et foeminam ex perantiqua et admodum generosa Mortescorum stirpe oriundam, vxorem duxit, ex qua filios, Ludouicum, Iohannem, Melchiorem, Demetrium et Martinum suscepit, quorum postremus sub Rege Sigismundo tertio in bello Moscouitico globo transfixus est.

De priscis huius terrae incolis, eorum bellis et quomodo tandem a Germanis sub iugum ea missa sit, et quam grauia deinde bella Ordini Teutonico cum vicinis, praesertim vero cum Polonis et Lithuanis gerenda fuerint, donec Magnum huius Ordinis Magistrum, Albertum, Marchionem Brandenburgicum, Rex ille Poloniae, Sigismundus primus, Prussiae Ducem constitueret; de eo, inquam, Cromerus Hennenbergerus, Chytraeus, Schützius et alii plures legi possunt; e quibus et ego non pauca in meum *Itinerarium Germaniae* et in *Topographiam* supra commemoratam transtuli. Quapropter hic tantummodo ex noui scriptoris, Alberti Koialouicii, *Historia Lithuana, anno* 1650. *typis excusa*, praeter ea, quae iam supra in Lithuania describenda inde excerpsimus, sequentia addemus; Omnibus fere Prussiae nationibus a Crucigeris, seu Ordine Teutonico subiugatis, Nadrouitae ab iisdem acie deuicti, in exilium proficisci, quam seruire maluerunt, quapropter anno millesimo ducentesimo vndeseptuagesimo cum vxoribus et liberis in Lithuaniam confugerunt. Anno proxime insequente propter Prussos Sudauicos Samogitae Prussicam terram deuastarunt; quorum Samogitarum auxilio Sudaui illi nouas turbas mouerunt, et quamuis primum a Crucigeris victi sint, grauissimam tamen postea vindictam ab iis repetiuerunt. Circa annum millesimum ducentesimum septuagesimum nonum vrbes, Lubauia et Culmigeria, a Lithuanis sunt combustae. Anno millesimo ducentesimo octogesimo quinto vermes venenati, cancris aut scorpionibus similes magnam Prussiae, Samogitiae atque Curlandiae cladem intulerunt. Ab iis ictus vltra triduum non vixit, neque vlla medicina sanari potuit. Sequentibus temporibus Vitenes, Lithuaniae Dux, exercitum duplicem aduersus Crucigeros et Dobrinenses produxit,

xit, vrbem Dobrinum incendio deleuit, et Magnus Ordinis Teutonici Magister cum triginta Equitibus in acie cecidit. Anno milleſimo trecenteſimo vndecimo Vitenes Varmiam atrociſſime vaſtauit, et vicos, oppida ac templa combuſſit atque diruit. Anno milleſimo trecenteſimo duodetrigeſimo Gediminus, Lithuaniae Dux, quamuis ethnicus, Ladislao Polonorum Principi, Chriſtianis ſacris addicto, contra Crucigeros opem tulit, Pruſſiamque deuaſtauit; tum Crucigeri, induciis cum Ladislao factis, Lithuaniam Samogitiamque adorti arcem Velonam, ad Nemenum ſitam deleuerunt. Gediminus Velonam obſidione liberaturus, Fridburgum et Beierum oppugnauit, vbi anno milleſimo trecenteſimo vndetrigeſimo globo confixus eſt; cum ſclopetorum vſus tunc primum apud Pruſſos innoteſcere coepiſſet. Anno milleſimo trecenteſimo quadrageſimo ſecundo Pruſſia a Lithuanis miſerrime deuaſtata, anno autem proxime inſequente Lithuania a multis Germaniae Principibus, Hungarorum, Bohemorum atque Danorum auxilio, quamuis cum horum damno, eſt infeſtata. Anno autem milleſimo trecenteſimo quadrageſimo ſexto Pruſſi Samogitiam et Lithuaniam longe lateque dauaſtarunt, Lithuanosque in proelio vicerunt. Duobus annis poſt Lithuania iterum a Pruſſis, Pruſſia vero a Lithuanis et Ruſſis vexata eſt. Anno proximo Lithuani a Pruſſis ſuſi, et duodeuiginti ipſorum millia in acie ſunt interfecta. Anno milleſimo trecenteſimo quinquageſimo quarto, quinto et ſexto, nec non ſexageſimo et ſexageſimo primo bellum inter Lithuanos et Pruſſos identidem continuatum eſt; id quod etiam ſequentibus annis durauit. Anno milleſimo trecenteſimo ſeptuageſimo Lithuani, terram Pruſſicam male cum afflixiſſent, proelio victi ſunt; quanquam Pruſſi Magnum ſuum Magiſtrum cum multis Equitibus tunc perdiderunt. Et ita bellum per longum tempus eſt ductum, donec Lithuania ad Polonos veniſſet, ex quo inde tempore Magni Pruſſiae Magiſtri cum Poloniae Regibus negotia habuerunt; de quibus ii, quorum ſupra mentionem feci, ſcriptores vberius egerunt.

Nunc ad praecipua Pruſſiae loca attingenda me conuerto, quae ſunt:

Allenburgum, oppidulum, inter Gerdauenum er Welauiam ſitum, et tribus fluminibus Ometo, Alla et Schwena, circumdatum.

Allenſteinium, Polonica lingua Olſtineck dictum, oppidulum, anno milleſimo trecenteſimo ſexageſimo ſeptimo conditum arcem habet cum egregia praefectura, quae ſeptuaginta (al. ſeptuaginta ſeptem) lacus, totidemque pagos complecti dicitur. Hic locus ad Canonicos Frauenburgenſes pertinet.

Althauſium, ſeu Starigrodum, arx in monte exſtructa, et prope Culmam ſita.

Angerburgum, oppidulum et Caſtellum Bartoniae, quae ad Ducalem Pruſſiae partem pertinet. Anno milleſimo trecenteſimo ſexageſimo quinto Kieyſtutus Lithuaniae Princeps, hunc locum expugnauit: frater eius autem, Olgerdus, arces, Tilzam et Ragnetam, cum oppidulis nonnullis diruit.

Balga, arx Ducalis ad ſinum, qui *recens* dicitur, inter Heiligpeilium et Brandenburgum ſita.

Bartenium, oppidulum et caſtellum Ducale, in Bartonia ſitum.

Bartenſteinium, oppidulum eiusdem Bartoniae, vnum milliare cum dimidio a Schlippenpeilio remotum, vbi anno milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo ſexto Rex Sueciae cum Electore Brandenburgico per aliquot dies colloquium inſtituit, et pactum firmum cum ipſo iniit.

Brandenburgum, oppidulum apertum, et pulchrum Pruſſiae Ducalis caſtellum, ſinui recenti vicinum et duo milliaria cum dimidio a Regiomonto remotum.

Brauns-

Braunsberga, Brunsberga, vrbs elegans Varmiae, fluuio Paſſergo adiacens, quae munita eſt, et Epiſcopo Varmienſi, ſeu Ermelandiae ſubiecta, Martinus Cromerus, Polonorum hiſtoricus, anno milleſimo quingenteſimo vndenonageſimo vita defunctus hic loci erat Epiſcopus; eosdem honores geſſit Cardinalis Stanislaus Hoſius, qui Ieſuitis Collegium in hac vrbe exſtruxit. Paulus Piaſecius ſcribit, anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo ſexto Regem Sueciae, Guſtauum Adolphum, Pillauiae ab incolis Pruſſiae Ducalis ſine vlla armorum vi exceptum eſſe, qui Rex, Ducis Pruſſiae praeſidio abducto, ſuos milites eo collocaret. Poſtero die eundem Regem naues ſuas bellicas in lacum, *ſinum recentem* dictum, a mari Balthico per inſulam Neringam ſeiunctum, et ex altera parte Epiſcopatum Varmienſem, agrosque Elbingenſes alluentem, deduxiſſe, et in medio illo ancoras poſuiſſe. Octauo Iulii die, exercitu e ſinu illo ad fluminis Paſſeriae ripam educto, protinus Braunsbergam petiiſſe et ſine vllo negotio cepiſſe; deinde ab eodem Frauenbergam, Elbingam, et die tertio Mariaeburgum, praeſidio deſtitutum, nec non Dirſauiam et Meuam eſſe occupata. Paucis vero menſibus ante moenium Braunsbergenſium partem corruiſſe; ſicuti etiam Magdeburgi ante bellum ibi geſtum centum cubiti in altera moenium parte ſunt collapſi. Vide infra Pillauiam.

Lauernicum, oppidulum, ad Dribentzam prope Bretchenium ſitum et Epiſcopo Lobauienſi ſubiectum.

Chriſtburgum, inter Stumam et Salfeldam ſita arx, cui oppidulum adiunctum eſſe fertur. Hunc quoque locum anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo ſexto Sueci expugnarunt.

Cremitenium, paruum Pruſſiae Ducalis oppidum, ad Pregelam ſupra Regiomontum ſitum; vt perhibetur.

Creutzburgum, oppidulum, quod circa annum milleſimum ducenteſimum ſexageſimum primum Pruſſi ſeditioſi Teutonico Ordini extorſerunt. Idem anno milleſimo quadringenteſimo decimo quarto Poloni cum Nidburgo, Hoenſteinio, Alleſteinio, Zirgone, Biſchoffswerdera, Riſemburgo et Gutſtadio in ſuam redegerunt poteſtatem.

Culma, Colmia, Chelmum, Culmigeriae ſeu terrae Culmenſis metropolis, in Regia Pruſſiae parte ad Viſtulam ſita, et quinque milliaria a Thorunio remota; ſed pro magnitudine incolis parum frequens. Epiſcopo paret, (vti Starouolſcius dicit) qui inde nomen habet Templis pulcherrimis et coenobio monialium locupletiſſimo eſt ornata, vbi caſula tota adamantibus maximis pretioſiſſimisque exornata, circumducta autem circumcirca catena aurea, pulcherrimis gemmis diſtincta; vti Starouolſcius ille de ſua aetate loquitur, ignorans, num pretioſa illa caſula in bellis hic permanſerit?

Culmenſee, vrbs, vbi Epiſcopus Culmenſis plerumque commoratur, qui etiam Epiſcopus Lobauienſis, ab vrbe Lobauia, vbi interdum habitat, vocatur.

Domnauia, Dompnauia, oppidulum prouinciae Natangiae, Electori Brandenburgico, vt Pruſſiae Duci, quantum ego quidem noui, parens.

Elbinga, Hockerlandiae caput, vrbs regia, amoena, elegans, recte ordinatis plateis, turribus, nouis vallis et propugnaculis bene inſtructa, et ſitu commerciis maxime idoneo, inter ſinum recentem et lacum Drauſenium ad fluuium Elbingam, praedita, quae ſeculi decimi ſeptimi anno vigeſimo ſexto facile, anno quinquageſimo quinto autem ſua ſponte ſe Suecis dedidit; cuius cauſam Polonicus Epiſcopus, Piaſecius, quodammodo indicat, dum de *anno* 1618. p. 311. ita ſcribit: „Elbinga ciuitas, proſcriptione regia adacta, Eccleſiam parochialem

„ritui catholico restituit; sed alta mente expositа illa offensa, exinde a Rege, et „Regno Poloniae, alienatiori animo esse coepit.“ Cum anno millesimo sexcentesimo trigesimo quinto, induciis inter Polonos et Suecos sancitis, haec vrbs ad Poloniam rediisset, constitutum est, vt ipsa antiquas immunitates cum religione Euangelica conseruaret; maius tamen seu parochiale templum Pontificiis possidendum concederent. Conditiones, quibus anno illo millesimo sexcentesimo quinquagesimo quinto, duodecimo Decembris die, Elbinga Regi Sueciae iam regnanti se dedidit, apud Augustinum Limmerum in *Lipsiensi Relatione paschali, anni 1656.* p. 4. et 5. sunt legendae.

Eylauia, Prussica et Germanica, duae vrbes, prior Natangiae, posterior Pomesaniae, quae vtraque, quantum ego quidem scio, ad Ducalem Prussiam pertinet; circa Eylauiam Prussiçam celebre illud, pulchrum et robustum ornorum lignum gignitur.

Fischhausium, paruum Prussiae Ducalis oppidum, arce instructum, sinui recenti adiacens, et quinque milliaria a Regiomonto remotum:

Frauenberga, Frauenburga, a Cromero Varmia Latine dicta, vrbs parua Hockerlandiae, prope sinum recentem sita, ad Varmiensem, siue Heilsbergensem, Episcopatum pertinet. Templum Cathedrale monti inaedificatum est, in cuius vertice Canonici, e Germanicis atque Polonicis nobilibus delecti, et septuaginta pagos, totidemque piscinas, cum duabus arcibus, possidentes, circumcirca habitant. Anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo sexto Rex Sueciae, Carolus Gustauus, cum regia coniuge, ob aëris salubritatem diu hic egit, cum Mariaeburgi, Elbingae, Thorunii, et in aliis Prussiae locis pestilentia tunc temporis atrocissime saeuiret.

Freystadium, oppidulum Ducale Pomesaniae.

Fridecum, sermone Polonico Wambrisna dictum, oppidulum terrae Culmensis.

Fridlandia, oppidulum Natangiae, et, vti rebus perpensis coniiciendum est; Ducale: vti etiam Gardensee, seu Schlemmo, oppidulum Pomesaniae; et Georgenburgum, arx Nadrauiae, ad Pregelam sita.

Gerdauenium, castellum et oppidulum Ducale Bartoniae.

Gilgenburgum, pariter Ducale, quantum ego quidem noui, oppidulum, a Polonis Dabrowno dictum.

Golba, Golupa, Goluba, arx, cum oppidulo adiuncto, (vt fama est) inter Brodniciam et Thorunium in Regia Prussiae parte sita, vbi Regis Poloniae, Sigismundi tertii, soror, Anna, natione Sueca, cuius hoc territorium fuit, interdum habitauit; et vbi anno millesimo sexcentesimo vigesimo tertio a fratre visitata est. Vide infra Strasburgum, seu Brodniciam.

Goldapum, oppidulum Ducale Sudauiae, fluuio Goldorpio vicinum.

Graudentium, Grudentum, vrbs et arx, ad Vistulam et Ossam in insula quasi sita; caeterum ad terram Culmensem, et Regiam Prussiae partem pertinet, et a Polonis *Grudschanz* vocatur. Haec vrbs anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo quinto, mense Nouembri, Suecos pactis conditionibus excepit, qui apud eam aggerem congesserunt, quem mense adhuc Nouembri anni proxime sequentis praesidio firmatum possederunt.

Gutstadium, oppidulum terrae Glottauiensis, Episcopo Varmiensi seu Heilsbergensi subiectum. Anno millesimo sexcentesimo vigesimo sexto Sueci hunc locum occuparunt, quos vero Poloni rursus eiecerunt.

Heiligen-

Heiligenpeilium, paruum Natangiae oppidum, inter Braunsbergam et Brandenburgum et haud procul a sinu recente situm.

Heilsberga, vrbs et arx, Ermelandici, seu Varmiensis Episcopi sedes, ad fluuium Allam inter Gutstadium et Bartensteinium sita.

Hoensteinium, lingua Polonica Meloelstineck dictum, oppidulum, inter Osterodam et Passenheimium situm.

Hollandia, vrbs Hockerlandiae Ducalis, Elbingam versus. Anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo sexto, duodeuigesimo et vndeuigesimo Iunii die, Rex Sueciae et Elector Brandenburgicus in hac vrbe sermones inter se contulerunt.

Iohannisburgum, a Polonis *Pysch* dictum pariter oppidulum Ducale, cum arce pulchra et firma, in Sudauia situm.

Insterburgum a nonnullis Iusterburgum dictum, oppidulum et castellum prouinciae Nadrauiae, etiam Ducale, cum territorio tredecim milliaria longo et octo milliaria lato, cuius territorii incolae Hennebergeri aetate omnes fere Lithuani, et in iis quindecim sutorum millia amplius fuerunt. Anno millesimo trecentesimo sexagesimo sexto, Prussi Lithuaniam misere vexarunt, Lithuani vero vrbem Insterburgum concremarunt, et territoria, Vilauiense et Tapiauiense, prorsus deuastarunt. Anno millesimo trecentesimo septuagesimo septimo Vitoldus, Principis Lithuanici, Kieystuti, filius, arcem huius vrbis diruit.

Koenigsberga, Regius mons, Regiomontum, Prussiae Ducalis metropolis, et Electoris Brandenburgici, vt Ducis Prussiae, sedes, sub quinquagesimo quarto latitudinis, et quadragesimo tertio longitudinis gradu sita, cuius vberiorem descriptionem in appendice illa ad decimam tertiam meae Topographiae Germaniae partem, fol. 31. et seqq. inuenies. Cui id modo addi velim, quod *fol.* 32. a. in versu quinto legendum sit, *pulchra et profunda cella centum nonaginta nouem pedes longa.* Item quod anno millesimo sexcentesimo vndequinquagesimo e centum studiosis, qui in Communitate, quam vocant, cibarentur, paucos intra dies septuaginta sex mortui sint, vti in sexta parte *Theatri Europaei* narratur. Item, quod eodem anno millesimo sexcentesimo vndequinquagesimo, Calendis Maiis, in hac vrbe M. Vlricus Schoenbergerus, Philosophus et septem linguarum peritus, ex Weydis, vrbe superioris Palatinatus, oriundus, vita defunctus sit, qui, cum duos annos et dimidium natus variolis seu morbillis prorsus excoecatus esset, ita tamen doctrina profecit, vt alios linguis et Philosophia instruere, Collegia Arithmetica instituere, organis et instrumentis cantare, imo instrumenta musica conficere, et tormenta bellica, siphones igniuomos arcusque tractare posset. Anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo tertio ibidem quadringentos et nonaginta homines vna hebdomade pestilentia peremit. Anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo sexto, feriis Pentecostalibus, seditio aduersus Polonos est exorta. Nonnulli in templo Pontificio Polonos vsque ad braccas interiores et foeminas ad indusia vsque exuerunt, catenas et vniones a collis ipsarum detraxerunt, templum exspoliarunt, Clericos verberarunt; praetereaque Polonorum deuersoria inuaserunt, et alia facinora perpetrarunt, quorum seditiosorum nonnulli, Electoris iussu, sunt suspensi. Haud procul a Regiomonto abest pagus exiguus, Rudouia, vbi, quemadmodum M. H. Sebaldus in *Breuiario historico* p. 638. tradit, anno millesimo sexcentesimo decimo quarto sacerdos quidam in calice venam vidit, quae in distribuenda sacra coena sanguinem rubrum ederet. In quem linteum, altari impositum, intinxit, quod, cum rubrum permaneret, Marchionis Iohannis Sigismundi iussu, cum literis publicis Berolinum missum est.

Labiauia, arx, ad fluuium Deme prope lacum Curonensem sita.

Landsberga, oppidulum Natangiae, inter Bartensteinium et Zintenum situm.

Lessenum, lingua Polonica Laszin dictum, oppidulum Pomesaniae, quod vero nunc ad terram Culmensem, et Regiam Prussiae partem refertur.

Leunenburgum, oppidulum prope Bartenium, vbi historia cum nobili illo accidit, de qua in vndeuigesima Tragica historia.

Letzenum, oppidulum et arx Bartoniae.

Libmuhlium, sermone Polonico Milomlin dictum, oppidulum Pomesaniae, inter Morungam et Osterodam in Ducali Prussiae parte situm.

Libna, oppidulum Michelauiae, haud procul a Golupa distat.

Libstadium, oppidulum Hockerlandiae, inter Morungam et Wormditum.

Lickum, oppidulum Sudauiae, Ducale, vbi anno millesimo quingentesimo duodenonogesimo Gymnasium illustre institutum est.

Lobauia, vrbs et arx, vbi Episcopus Culmensis interdum commoratur. Territorium huius vrbis pariter Lobauia dicitur.

Marggrafstadium, seu Marggraboua, noua vrbs Ducalis.

Mariaeburgum, vulgo Margenburgum, Prussiae Regiae metropolis, ad quoddam Vistulae brachium, quod Nogatum seu Negotum dicitur, et in sinum recentem effunditur, sita, et sex milliaria a Dantisco remota. Anno millesimo sexcentesimo duodequinquagesimo cometa hic loci per quatriduum visus est, qui septentrionem versus caudam coniiceret. Anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo primo aqua regionem inter Grudentum et Mariaeburgum, *Werder* dictam, per duo milliaria inundauit, vt et hominibus et pecoribus horrenda clades inferretur. Infra Grudentum quingenti fere homines; infra Mariaeburgum vero et Elbingam in ea, quam modo dixi, regione aliquot millia hominum vndis misere suffocata sunt; imo duo pagi cum domibus, supellectilibus, pecoribus et hominibus ita sunt absorpti, vt ne vestigium quidem pagi domusue alicuius ibi locorum posthac cerneretur. Anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo quinto Sueci hanc vrbem ceperunt, arx vero, in qua Iacobus et Ludouicus Weyheri, cum Libero Barone, Guldensternio praesidium agebant, ad annum vsque millesimum sexcentesimum quinquagesimum sextum, et quidem ad secundum Martii diem, cum restitisset, pactis conditionibus se dedidit; quo facto Ludouicus Weyherus repentina morte sublatus est, quem eundem illum Ludouicum Weyherum, qui anno millesimo sexcentesimo vndetrigesimo cum inspectore suo Patauii commoratus est, esse puto.

Marienwerderum, a Cromero Quizinum dictum, vrbs et arx, cum templo Canonicorum firmo, in Pomesania, ad Nogorum seu Nagotum, vbi cum Lieba coniungitur, sita. Anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo quinto, mense Decembri, hic locus a Suecis captus est.

Melsacum, oppidulum et castellum Episcopatus Varmiensis, ad fluuium Walscham situm.

Memel, Memelburgum, a Curlandis Cleupeda, et a Cromero Troipes dictum, vrbs et arx munitissima, Electori Brandenburgico, vt Prussiae Duci, parens, ad fluuium Tange, qui ibi proxime mare Balthicum in lacum Curonensem effunditur, sita, portu praedita, et sedecim aut duodeuiginti milliaria a Regiomonto Samogitiam, et Curlandiam versus remota. Anno millesimo trecentesimo vigesimo tertio Sambia, prouincia Prussica, a Lithuanis deuastata, et oppidulum illud Memel, seu Memelo, pessime tractatum, arx vero conseruata est.

Morun-

Morunga, oppidulum et castellum Pomesaniae, inter Gutstadium et Salfeldam situm.

Mulhusa, oppidulum Pomesaniae seu Hockerlandiae Ducale, inter Elbingam et Melsacum. In Natangia quoque vrbs est eiusdem nominis.

Neudenburgum, vrbecula prouinciae Gallindiae, cum arce in monte exstructa.

Neumarkt, a Polonis Nowomiasto dictum, oppidulum Prussiae Regiae firmum, fluuio Dribentzae vicinum. Aliud Neumarkt apud Christburgum situm est.

Neuteichium, oppidulum eius regionis, quae magnus Werder dicitur, ad fluuium Schwente situm.

Nordenburgum, oppidulum et arx parua Prussiae Ducalis, cum territorio, eo pertinente.

Oletzko, Olescum, pariter Prussiae Ducalis oppidulum prope Lithuaniae fines situm. Duobus milliaribus inde anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo sexto, vigesimo secundo Octobris die, Suecicae et Brandenburgicae copiae Polonos et Tartaros acie fuderunt, Principemque, Bogislaum, Radziuilium, a Tartaris captum, in libertatem vindicarunt.

Ortelsburgum, arx Ducalis, in Galindia ad fluuium Walpuschum sita, Passenheimio vicina, et lingua Polonica *Schittno* dicta.

Osteroda, oppidulum et castellum, Dribentzae adiacens.

Passenheimium, oppidulum prouinciae Galindiae: ad lacum Schoben situm.

Pillauia, pagus et castellum cum portu longe celeberrimo, ad Electorem Brandenburgicum, vt Prussiae Ducem, pertinente; in quem portum Regiomonto in Pregela fluuio nauigantibus septem milliaria conficienda sunt. De hoc loco, et quomodo succinum seu electrum per totam illam regionem in litore maris Balthici hauriatur, vide vberiorem descriptionem in priore illa appendice nostra ad decimam tertiam *Topographiae Germaniae* partem, vbi etiam narratur, qua ratione anno millesimo sexcentesimo vigesimo sexto Rex Sueciae, Gustauus Adolphus, illud castellum, aggerem, seu propugnaculum ceperit; quae vero Poloni de ea re tradant, supra in Braunsberga sunt legenda. Induciis anno millesimo sexcentesimo trigesimo quinto inter Suecos et Polonos initis, hanc Pillauiam seu Pilauiam quoque Regina Sueciae, Christina, Electori Brandenburgico restituit.

Preuschmarcum, oppidulum et Praefectura, quae maxima ex parte in eo lacu, ex quo Sirguna fluuius oritur, sita est.

Ragnita, seu Rangnitum, propugnaculum seu castellum Schalauniae, vel Schalauoniae insigne, fluuio Memelo adiacens.

Rastenburgum, oppidulum et arx Bartoniae, ad Ducalem Prussiam pertinens.

Redenum, oppidulum et castellum terrae Culmensis inter Grudentum et Fridecum situm, et a Polonis *Radzimi* dictum.

Reinum, a Polonis Torino dictum, arx clara.

Ressela, oppidulum et castellum prope lacum Zain situm.

Risenburgum, Prabutha, vrbecula et arx Pomesaniae, inter Christburgum et Freystadium prope lacus Sargen et Libenitz, et fluuium Liebam sita. Ad eandem Pomesaniam oppidulum etiam Rosenberga pertinet.

Salauia, ad Pregelam, inter Taplaukenium, et Georgenburgum, supra Regiomontum in Nadrauia sita, oppidulum esse fertur.

Salfelda, oppidulum Pomesaniae, ad lacum Mebingum, inter Risenburgum et Morungam situm, et ad ditionem Regiomontanam pertinens.

Schippenpeilium, oppidulum Ducale, inter Bartenium et Bartensteinium situm, et fluuio Alla fere circumdatum; et ex altero latere lacu Zain quoque irrigatum. Anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo sexto, Ianuario mense, Rex Sueciae castra primaria ibi locorum habuit.

Schoensee, Coualouia, oppidulum et arx, cuius in narrationibus passim mentio fit.

Seeburgum, oppidulum et arx, inter Heilsbergam et Wartenburgum.

Sensburgum, oppidulum prouinciae Galindiae, apud lacum Schossam situm, et dimidium milliare a Sesteno seu Schesno remotum.

Soldauia, Polonice Dzialdoff, vrbecula et arx Lubouiae, in Masouiae finibus sita.

Strasburgum, Brodnicia, vrbs et arx terrae Culmensis, ad Dribentzam fluuium sita, quae cum territorio ipsius ad Annam, Principem Suecicam, eandemque Regis Polonorum, Sigismundi tertii, sororem, aliquamdiu pertinuit, quae religioni Euangelicae per Lutherum instauratae constanter adhaerescens anno millesimo sexcentesimo vigesimo quinto, in hac vrbe hanc vitam cum altera illa et coelesti vita permutauit. Huius sepulturam cum frater distulisset, intereaque Sueci hanc vrbem cepissent; et Poloni recuperassent, funus eius per aliquot annos insepultum iacuit, donec nouus Rex Vladislaus, quem vnice adamasset, et qui eam, vt amitam, maximis honoribus prosequi solitus esset, illud splendido apparatu inde Toruniam deductum magnifice structo monumento inferri curaret. Regia illa soror Regis Sigismundi liberalitate Regni Ordinibus assentientibus, duas Praefecturas, Strasburgensem et Golupensem possedit; quas deinde Rex coniugi suae sine Ordinum comprobatione largitus grauissima Equitum opprobria tulit, quoniam hoc modo ad Principem Vladislaum has Praefecturas esse peruenturas putarent. Denique tamen Ordines consenserunt, cum interea anno millesimo sexcentesimo trigesimo primo Vladislao illi quadraginta Florenorum millia a Rege quotannis soluenda constituerentur, quam pecuniam Annae illi e sua re familiari antea dare consueuerat. Anno millesimo ducentesimo nonagesimo octauo, festo S. Michaelis die, Strasburgum a Lithuanis exspoliatum est. Anno millesimo sexcentesimo duodetrigesimo, quinto Octobris die, (ex fastis nouis) Sueci (proditione Montagnii, Gallofranci, praesidio praefecti, et propterea capitis supplicio affecti, vt Piasecius tradit) Strasburgo potiti sunt, quorum Suecorum agmen postremum, sub Baudisio militans, summus copiarum Polonicarum Imperator, Koniecpolscius, apud vrbeculam Osterodam, sex milliaria a Strasburgo remotam, et Prussiae Ducibus subiectam, profligauit, ipsumque Baudisium vulneratum cepit. Anno millesimo sexcentesimo vndetrigesimo vrbem et arcem obsidione, qua a Polonis cingebatur, Suecicus Dux, Iohannes Wrangelius, liberauit, et prope Episcopi Plocensis oppidulum, Gorzno, IX. (XIX.) Februarii die, Polonos vicit. Quo facto Dux Arnhemius e Germania quinque peditum, et duo equitum millia Polonis in auxilium duxit; vnde factum est, vt Rex Sueciae apud Trzcianam vna quidem acie a Polonis vinceretur, et in altera mox subsequente caperetur, qui autem a Germano quodam ipsi cognito liberatus nocte mera Mariaeburgum se recepit; milites autem eius Stumam aufugiendo Polonorum impetum euaserunt; vti is, quem saepius dico, Piasecius scribit; qui etiam, quae deinde vsque ad inducias sex annorum compositas euenerint, refert. Anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo quinto supremus armorum Regni Suecici Praefectus, Comes Steinbockius duodeuigesimo Nouembris die, hanc clauem terrae Prussicae, Strasburgum, (vti Limmerus hunc locum vocat) occupauit.

Stuma,

Stuma, oppidulum et arx, prope Christburgum, et haud ita procul a Mariaeburgo, quam anno millesimo sexcentesimo vigesimo sexto et quinquagesimo sexto Sueci expugnarunt. Id quod exeunte Ianuario factum esse *Relatio Francofurtana* affirmat, quae etiam duo milliaria a Mariaeburgo Stumam abesse dicit.

Tapiauia, pulchra Prussiae Ducalis arx, supra Regiomontum apud Pregelam et Deme, fluuios, sita.

Taplaukenium, pariter arx Ducalis, apud Pregelam, supra Regiomontum, in Nadrauia sita.

Tilsa, seu Tilsitum, oppidulum et arx Schalauoniae, vbi maxima nucum auellanarum copia gignitur.

Tolkemitum, oppidulum Hockerlandiae, ad sinum recentem situm.

Torn, Thorunium, Torunia, vrbs Prussiae Regiae insignis, quatuor et viginti milliaria a Dantisco remota et ad Vistulam sita, cuius descriptionem in appendice illa nostra reperies. Starouolscius dicit, hanc vrbem, sub quadragesimo primo longitudinis et trigesimo secundo latitudinis gradu sitam, nulli ex vrbibus Germaniae pulchritudine, munitione et diuitiis cedere. Plurima ibi templa Catholica esse et Iesuitarum Gymnasium: sed mercatores vti etiam magistratus, plerumque haereticos esse, qui gymnasium et bibliothecam instructissimam habeant, in qua duae Ciceronis epistolae in tabulis cereis scriptae asseruentur. Curiam quoque, in medio foro sitam, esse elegantissimam, qualis nusquam sit videnda, etc. Anno millesimo sexcentesimo vndetrigesimo Sueci hanc vrbem irrita obsidione infestarunt. Anno millesimo sexcentesimo quadragesimo quinto Rex Vladislaus colloquium de religione hic loci instituit. Qua ratione anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo quinto haec vrbs in Suecorum venerit potestatem, de eo Augustinus Limmerus in *Relatione Lipsiensi noui anni* p. 55. ita scribit: „Vigesimo sexto Nouembris die Thorunium, vrbs Prussiae, certis „conditionibus Regi Sueciae se dedidit. Senatus vrbis Regi ante portam vsque „obuius processit, eumque solenni pompa excepit. Gratulatio, quae cum ad„iuncta perpetuae fidei promissione Regi totius Senatus nomine facta est, per di„midiam circiter horam durauit. Tum Regni Cancellarius, Ericus Oxenstir„nius stans eleganti oratione Regi respondit; quo facto Senatores vniuersi Regis „manus sunt osculati. Rege in vrbem ingrediente octoginta tormenta ex vallo „circa vrbem bis sunt explosa. Tum Rex vniuerso Senatu, et nonnullis ciuium „primariorum, qui omnes maximo et splendidissimo comitatu et capitibus denu„datis Regem praeirent, stipatus primum in templum se contulit, vbi sacris, quae „cum instrumentis musicis suauiter sonantibus celebrata sunt, interfuit, et con„cionem attentus audiuit. Sacris peractis, Rex in curiam ductus, et a Senatu „magnificentissime tractatus et muneribus ornatus est, sexque cohortes militum „bene vestitorum dono accepit; per totum illud tempus ciues cum militibus ar„mati constiterunt. Deinde tres legiones Suecicae in vrbem sunt ingressae, et in „portas atque valla dispositae; quibus tribunus supremus Mardofeldius praefectus „est.“ Hactenus Limmerus. Anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo sexto, hebdomade memoriae cruciatuum et mortis Seruatoris nostri sacrata, Iesuitas humaniter ex hac vrbe dimissos esse Relatio quaedam tradit. Eodem anno lues pestifera hic atrocissime saeuiisse dicitur.

Waldauia, supra Regiomontum ad Pregelam sita, Ducale oppidulum esse fertur.

Wartenburgum, oppidulum et arx Galindiae, fluuio Bissae adiacens.

Weissenburgum, a Prussis Walewon dictum, arx Bartoniae.

Welauia, oppidulum, apud Pregelam situm, et haud procul a Tapiauia distans, quod anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo quinto, circa finem

Decembris, a Suecis captum est, cum huius loci possessor, Elector Brandenburgicus, pactum cum ipsorum Rege nondum sanxisset.

Wormditum, Orneta, Vormitha, vrbs et arx Episcopatus Varmiensis, ad fluuium Passergum, inter Gutstadium et Melsacum sita, quae anno millesimo sexcentesimo vigesimo sexto in Suecorum venit potestatem, mox ad Polonos rediit, et anno proximo iterum a Suecis occupata est.

Zintenum, oppidulum Natangiae, ad fluuium Straetge inter Heiligpeilium, et Eylauiam Prussicam situm.

CONCLUSIO.

Praeter eas, quas adhuc descripsimus, prouincias, Liestandiam quoque, seu Liuoniam Poloni sibi tribuunt; quae magna terra est, et ab ortu Moscouiam tangit, a qua per fluuium Neruam tantummodo separatur: a septentrione Regno Sueciae, et Ducatui Finniae, sinu maris Balthici interiecto, vicina est: ab occasu fines Prussiae exigua ex parte attingit: a meridie vero ad Samogitiam et Lithuaniam vsque extenditur; et quemadmodum Starouolscius dicit, in longitudinem nonaginta, et in latitudinem quinquaginta milliaria complectitur: in qua ab initio, antequam Germani eo peruenissent, gens Sarmatica habitasse fertur. Cum autem iam anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo quinto Poloni nihil amplius, quam arcem Dunamundam, cum territorio ipsius, in Liuonia possiderent, cuius etiam iacturam postea fecerunt, hoc loco de Liuonia quaedam commemorare, superuacaneum videtur; praesertim cum is, qui vel me inscio et inuito meam Regni Sueciae descriptionem Latinam fecit, Liuonicam quoque, in meo *Germaniae Itinerario*, et ex parte etiam in altera ad decimam tertiam Topographiae Germaniae partem appendice inueniendam, ei adiunxerit. Veruntamen locorum aliquot rerumque, de quibus ex eo inde tempore legi, et quae interea euenerunt, in libris autem commemoratis frustra quaeruntur, mentionem faciam. Praecipua igitur Liuoniae loca sunt:

Derpt, Derbatum, Torpatum vrbs insignis et vna totius Liuoniae Academia, cum arce admodum valida in colle exstructa, prope Moscouiae fines; vbi anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo quinto Benedictus Skyttius, Liber Baro Duderhófii, Dominus Gronsio, Morby, Skytteholmiae et Sroemsrumi, Eques, Suecici Regni Consiliarius, Praefectus Esthoniae, summus Burggrauius arcis Reualiensis et Wittensteinensis, etc. Academiae illius Cancellarius fuit. Anno millesimo sexcentesimo quarto summus copiarum Polonicarum Praefectus, Carolus Chlodkieuicius, Suecis, postquam eos, Weissensteinium obsidentes, profligauerat, hanc vrbem (Derbatum) eripuit; quam vero Rex Sueciae anno millesimo sexcentesimo vigesimo, quinto recuperauit. Sed tamen supremus Regni Polonici Cancellarius, Iohannes Zamoscius, cum sub Rege Stephano haec vrbs Moscouitis ademta primum ad Polonos veniisset, incolis, Augustanae Confessioni addictis templum, quo sacris ibi fungerentur, reliquit; primarium vero vrbis templum Pontificiis tradidit. Caeterum haec vrbs ad annum vsque millesimum sexcentesimum primum in Polonorum potestate permansit, quo anno Rex Sueciae, Carolus, eam cepit. Cum anno millesimo trecentesimo vigesimo secundo, Crucigeri, Prussiae possessores, et Germani, territoria Samogitiae, Vaikense, Rossianense, Eyragolanense et Clogense, prorsus depopulati, arcem Bistenum vero frustra adorti essent, Gediminus, Lithuaniae Dux, Derbatum illud, quod iam peculiarem habebat Episcopum, aliasque Liuoniae arces, solo aequauit. Anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo sexto hanc vrbem Moscouitae dura obsidione clauserunt, in qua vna cum ciuibus mulieres quoque fortissime restitisse dicuntur, sine dubio duodesexagesimum et septuagesimum primum proxime superioris, saeculi annum respicientes, quibus annis haec vrbs a Moscouitis miserrime

est

tandem sibi tantum arrogauerit, vt gratias ab imagine redemptori suo de iure debitas furtiuis precibus suis gratis praeripere velle praesumpserit. Comparet sibi et ipse aliquem Deum, quem ad libitum imploret, alienis non vtatur. Et obiurgantem non prius obmutuisse gaudebit, quam eum parte valoris rei cum imagine permutatae refusa placauerit. Si vero aliquis Ecclesiae decreto reliquorum communione priuetur, eadem poena sacra eius plectitur icon, e templo enim detracta excommunicato domum suam deferenda retraditur, admittenda rursus cum ipso, si Ecclesiae fuerit reconciliatus. Porro si aliqua ob vetustatem euanidis coloribus cariosa conciderit, eam proiicere, vel comburere religioni sibi ducunt, fluento potius supernatare volunt, quo fors duxerit, appellendam, aut in aliquo coemeterio, quasi iam suo vsui mortuam, sepeliri. Post mortem Helenae Ioannis Moschorum Magni Ducis ex Basilio coeco geniti filiae, et Alexandri Poloniae Regis viduae Moschi anno 1570 obtulerunt Lituanis liberationem Thomae Machienicz apud se iure belli captiui, et quinquaginta eiusdem consortium in redemptionem imaginis Deiparae a Luca (vt Russi aiunt) pictae, quam illa abiens e paterno lararío anno 1494 secum tulerat, quaeque Vilnae deinde in templo Sanctissimae Trinitatis apud monachos Basilianos vnitos diu asseruata fuit. Hospes itaque noster veritus forsan, ne imagines suas male haberet, si inter paganos relinquerentur: neue nos illis inemptas gratias importunis precibus extorqueremus, e cubiculo nostro ablatas in suo interiori abdiderat.

At praeter Diuorum iconas nullas in tota Moschouia videre est imagines. Statuas autem plane nullas, ita vt auorum apud nepotes, saepe et parentum apud filios memoria vna cum eorumdem intereat vita. Nullaque ibi maiorum praeclaris illustrium facinoribus locata in aedium vestibulis cera, aut suspensa e conclauium parietibus imago, quae successorum animos ad virtutem excitet, et ad generosam aemulationem inflammet.

Tertio Nonas Maii nauigare adhuc per sex verstas Ilmenium lacum debuimus, vt ad monasterium Ponadeglie lembos appelleremus. Inde profectioni nostrae sedulo incumbentes Tuuerzackium oppidum post trecentas nemorosi itineris verstas ad IV. Idus Maii venimus. Vbi defectum militum, qui nos exciperent, oppidani lunatis securibus, et sarissis armati supplere debuerunt.

In Vrbem Tuueriam apud Vulgam author inducitur.

Naues ibi denuo conscendimus, et per fluuium Tuuerzam ex liquefactis niuibus tunc aliquomodo nauigabilem prono alueo, quamuis non semel vado inter saxa haerentes, per quatuor viginti verstas flumen Volgam, eoque transmisso vrbem Tuueriam bidui nauigatione inuecti sumus.

Eiusdem fluuii descriptio.

Fluuius Volga, antiquis Rha, Tartaris Edil, natalium suorum paludi Fronouiae in sylua Volkonskia Ducatus Rescouiensis debitor est, sed nominis Lacui Volgo, cui post decursa bis quinque millia passuum aquas suas associat, pinguique foenore ditior inde emergit. Defertur ortum versus per Ducatus Tuueriensem, Iaroslauiensem, Rosthouiensem, Susdaliensem, et inferiorem Nouogrodiensem, perque Regnum Casanense. Quorum dum vrbes Stassecziam, Tuueriam, Vglizam, Mologam, Iaroslauiam, Castromam, Plessam, Iorgowitziam, Balagnam, Nouogrodiam inferiorem, Vasilogrodiam, Kusmademianskiam, Sabakzaram, Koskagam, Swiatkiam, Casanumque praeterfluit, flumina Dubnam, Tutum, Tuuerzam, Cassinum, Danecam, Mologam, Scosnam, Scotoroam, Castromam, Occam, Suram, Iuncam, Vetlugam, Su, et Casanskam absorbet. Indeque reflexo in meridiem cursu per Regnum Astracanense Kamae, Zerdikii, Vtkae, Beitmae, vtriusque siue Atrobae, siue Samarae, Askulae, Syrani, Pantzinae, Zagrae, Ruslanae, Kamuskinkiae, Bollokleae, paruuli ex Tanai riuuli, Komousii, Verouiique vndis immensum auctus, oppidi Samarae ripam, oppidum Tzornogarum, vrbemque Astracanum allnit. Et tandem per sexaginta passuum millia solitario fere pede decurrens, ab aliquot temere aggestae, iunciique, et virgultis obsitae terrae paruulis insulis se interponentibus in plures quasi alueos diuisus, aquas suas per trigesies centenas verstas numquam mutato soli domino deductas Caspio mari

perenni copula, et quidem cum dote, maritat. Etenim ei creditas ſibi a Ruſſis ſuis pretioſas Zobelarum, Martium, Ponticorum murium, Lynciumque pelles ad Tartaros, Armenios, Medos, Parthos, Perſas, Indoſque tranſmittendas defert. Et viciſſim textas apud illos omnigenas ex lana, goſſipio, ſerico, auro, argentoque telas, et periſtromata, ſericum ipſum diuerſis infectum coloribus, pyropos, eranos, et margaritas, rhabarbarum, et, quos Bactriana Niſabur temperat, acinaces recipit, et per onerarias aduerſis ſuo, Occae, et Moſchuae alueis retrogradas in ipſam vſque Moſchouiticae Ruſſiae metropolim inuehit.

Tuueriae nemo ad nos excipiendum comparuit, rarus enim ibi ciuis, et nullus tunc miles erat. Ad XVII. Kalendas Iunias inde diſceſſimus. Attamen ductor noſter, qui eouſque feſtina iuxta inſtantiam noſtram diligentia iter noſtrum promouerat, acceptis a ſuo Tzare literis, per quas iubebatur, nos praeſciſe ad XI. Kalendas Iunii in pagum Zerkiſowam, vigintiquinque ab vrbe Moſchua verſtas diſtantem, introducere, tam lente deinde proceſſit, vt illud ter quinquaginta dumtaxat verſtarum, et quidem breuium, et commodae viae iter per totos ſex integros dies vix emenſus fuerit. Cauſam mandati tribuebat ille benignitati Domini ſui, qui etiamſi de feſtinatione noſtra, eiuſque cauſa per litteras ſuas fuiſſet edoctus, conſulere tamen valetudini noſtrae voluerat, non permittendo, vt vires noſtrae a tam longo, et per ſexcenta incommoda laborioſo itinere fractae ob celeriorem vectationem omnino conciderent. Reapſe autem detinebamur diutius in itinere, vt interim tempus daretur nobilibus ex prouincia ad nos excipiendum euocatis ad praefixum ingreſſui noſtro in vrbem Moſchuam diem Maii vigeſimum quintum eo conueniendi.

Magnus Dux cognatum ſuum Streſchnew caedit.

Dum in hoc pago faſtidioſam duceremus moram, ex audita huius lepidi facti narratione animum parumper recreauimus. Cum immodicus intrinſecus calor Magni Ducis bonae valetudini inſultaret, iuſſit conſuli ſuper ea ſuppreſſo ſtudio patientis nomine medicos ſuos ſigillatim, et ab vnoquoque eorum conſilium ſcripto exigi. Concordi illi ſententia conuenerunt, vt patienti vena aperiretur. Probat Alexius conſilium, et detracta larua eam ſecandam chyrurgo praebet. Poſt emiſſum feliciter ſanguinem adſtantes proceres ad imitationem inuitat. Obſequuntur omnes, licet inuiti, inuitanti Domino, non tam a familiari in aulis adulationis vitio, quam a metu eius contra recuſantes indignationis impulſi. Vnicus Rhodion Mattheowicz Streſchnew Ocolnicius fretus cognatione, qua mediante Eudocia Streſchnowia Alexii genitrice cum contingit, infirmam ſenectam ſuam cauſatus tergiuerſatur. Vnde ille ira percitus, ſiccine (inquit) o vile mancipium, Dominum tuum vilipendis? Numquid in venis tuis ſanguis reſtagnat meo pretioſior? et eouſque tu ſuper aequales, imo et ſuperiores, te effers, vt laudabile eorum alacris obſequentiae exemplum contrario facto tuo damnare praeſumas? Nec plura fatus, os eius inuolat, pugniſque a non impedito per venae ſectionem lacerto multiplicatis eum caedit, et calcibus impetit. At deferueſcente poſtmodum bile, eadem, qua illum pulſauerat, manu charum ſemper Moſchis cataplaſma percuſſionum tumoribus applicuit, munera, ſcilicet, quibus liberaliter eum donauit.

In Nicolai fano ſub tentoriis author pernoctat.

IX. Kalendas Iunias venimus ad Nicolai fanum, decimo a Moſchua lapide, vbi praeparata nobis bina tentoria erant ex mandato Magni Ducis profitentis, ideo ſe hoc iuſſiſſe, qui a reſciuerat, quam illibenter nos ad ruſtica hypocauſta, aeſtatis tempore aeque, ac hyemis, ſemper calentia diuerteremus.

Eo venerunt eadem die miſſi a Magno Duce ſex equi cum aurigis, qui noſtram rhedam traherent, et aliquot gradarii, qui honeſtiores familiae noſtrae veherent. Honore profecto ſupra conſuetum, cum equi ſemel tantum ipſa ingreſſus die ad aliquot ab vrbe paſſus ceteris legatis mitti ad illum vſque diem ſoliti fuerint.

Ingreditur in Vrbem Moſchuam.

Poſtero die circa vndecimam antemeridianam mouimus Moſchuam verſus. Sedebat, quod numquam antea fecerat, nobiſcum in rheda tertium occupans locum ductor noſter. Omnes noſtri familiares equites antecedebant. Rheda noſtra, et impedimenta ſubſequebantur. Stabant bis mille a Moſchua paſſibus in aprico campo ad vtrumque viae marginem in varias ſub quadraginta vexillis diſtributa phalanges peditum ſex, et vlterius eodem ordine vſque ad ſuburbia decem ſub ſignis ſuis equitum millia, tympanis, ac tubis aërem continuo ad reddendos laetitiae ſonos verberantibus. Inter quos cum ad quingentos ab vrbe paſſus proceſſiſſemus, venit ad nos nuncius a Iacobo Simenowicz Walinski ſtolnico (nobili, nempe, Tzareae menſae miniſtrante) et Diako, ſiue ex minoribus Cancellariis vno, Gregorio Carpowſin Bogdanow, deſtinatis a Tzare ad nos excipiendum, et durante noſtra Moſchuae mora nobis de neceſſariis proſpiciendum commiſſariis (priſtauos Moſchi vocant) qui illorum nomine nobis indicauit, aduentaſſe eos cum rheda Magni Ducis. Deſcenderemus itaque ex noſtra, et in illam tranſitum faceremus. Reſpondimus, paratos nos eſſe ad hoc praeſtandum ſtatim, ac videbimus eos, quod eorum muneris eſſet, praeſtitiſſe. Hoc audito confeſtim Iacobus Wibergus interpres illis adiunctus ab equo diſiluit, quem ſecutus fuit illico Diakus, deſcendente eodem tempore etiam primario commiſſario. Nos hanc facilitatem Moſchouitis inſuetam videntes, haud cunctati protinus et ipſi de rheda deſcendimus, ita vt collega meus prior cum poſtremum deſiliente ex commiſſariis eodem tempore, ego autem poſt eos omnes terram premeremus. Ibi procedentes commiſſarii cum interprete nobis obuiam caput priores abſque vllo praeuio pacto vltro humaniter aperuerunt, et ſecundum formam conſuetam nomine ſui Tzaris nos exceperunt. Inde Propraefectus ſtabulo Magni Ducis obtulit nobis per alium interpretem Domini ſui rhedam paratam, ac alios pro noſtris familiaribus equos. In illa poſtquam ambo ſediſſemus, ſederunt etiam primus commiſſarius, itineris noſtri dux, Diakus, et interpres. Cumque paululum lentiſſimo gradu perrexiſſemus, ſubeuntes ſuburbium ſubſiſtere debuimus, donec tam pedites, quam equites in campo diſpoſiti vrbem omnes ingreſſi, et in plateis, qua nobis ad hoſpitium tendentibus tranſeundem erat, denuo ordinati fuiſſent.

De amictu Moſchouitarum.

Quotidianus Moſchouitarum, etiam procerum, amictus rem domeſticam parum imminuit. Strictiſſimae ex vili panno caligae a ſericea parum infra ſuras producta veſte, haecque a ſuperinducta talari toga, aeſtiuo tempore ex Ancirenſi vndulato, hyemali vero ex panno pellibus ſubducto cooperiuntur. Vtraque autem, licet vſu attrita, et ſordidata, nondum tamen eis ſordeſcit adeo, vt deponatur. Si vero exterorum legati Principum excipiendi: ſi publicae prodeant ſupplicationes: ſi nuptiae celebrentur, tunc quicquid ſumptuoſi Attalica operatur textrina, quicquid pretioſi excoriata ſuppeditant animalia, quicquid gemmarum dives profert Oriens, quicquid margaritarum conchae emittunt Erytreae in togis, et manicatis tunicis, quae, cum propter ſuam ſemper conſtantem formam numquam obſoleſcant, longo ad atnepotes vſu tranſmittuntur, in faſtigiatis pileolis, inque vitiolis, vel potius millis, eorum colla cingentibus, vtrumque humerum ponderoſis aureis torquibus decuſſatim onerati vaniſſima pompa ambitioſe oſtentant. Quod ſi alicui res domi anguſta curtam faciat horum ſuppellectilem, huic leuem aliquam commodati vſuram ſoluenti e Tzaris veſtiario iuxta eius qualitatem proſpicitur. Sed caueat is, quicumque fuerit, ne mutuatas veſtes laceret, aut commaculet: neue ex gemmis aliquam ſubtrahat, vel amittat, damnum enim quodcumque cara aeſtimatione rependere, et culpae ſuae, vel negligentiae poenam per fuſtuarium luere debebit.

Comam alunt, ſed non vltra aurium extremitates protenſam, ne barbae, quam multi faciunt, dignitati officiat. Neutram tamen illi tondent, qui a Tzare ad exteras aulas ablegantur, donec reuerſi ab eo admiſſi fuerint.

Equis vtuntur Tartaricis, quorum ſingulis annis Nagaienſes ad quadraginta millia Moſchuam leui pretio vaenum emittunt, qui obeſo ventre, ſtrigoſa cute, pingui collo, graui capite eos intuentibus deſpicatui eſſe deberent, niſi pernicitate, ſummaque laboris, et inediae tolerantia commendarentur. Non deſunt tamen apud primores et Perſici, quibus ornatiſſime phaleratis inſidentes ad publicas ſolen-

nitates et ipſi ſpectaculum exeant. Verum cùm equiſonibus careant, nec equi, nec ſeſſorum omnium quiſquam aut compte, aut docte incedere norunt, praeclare hi actum putantes, ſi illos ad celerrimum curſum ex improuiſo impellant, ac ad inordinatos et omnis artis expertes ſaltus excitent, vt illo motu concuſſae argenteae ex maximis annulis cathenae, quibus quaſi altera habena ornantur, ſuum clangorem edant, et tintinnabula, quibus ſupra vngulas ſtringuntur, ſonitum reddentes fidem faciant, eos eſſe ſonipedes. Hinc itaque in illa trium horarum in ſuburbio taedioſiſſima mora aliquod nobis alleuamentum identidem oriebatur. Etenim valde iucundum nobis erat, ſpectare modo hunc, modo illum ex illuſtrioribus Ruſſica nobilitate mutatis ſubinde tunicis circa rhedam noſtram adequitantem, nulloque nobis honore exhibito, paui ad inſtar, omnem caudae ſuae pompam explicantem, dum veſtem, martium Scythicarum exuuiis ob nigredinem, longitudinem, et denſitatem pilorum pretioſiſſimis ſubductam, per ſeruos ſuos ad vtrumque latus eam inuerſam tanquam paludamentum expandentes nobis oſtentabat; vel ad incomptos ſaltus phaleratum, cathenatum, et tintinnabulis compeditum equum ſuum incitando, per illam motus concuſſionem noſtris eam totam oculis ſtrepitoſe obiectabat.

Hiſce tamen ſpectaculis aſperato interim nubibus coelo violentus deiectus imber interuenit, nobiſque ad hoſpitium properandi neceſſitatem iniunxit. Sed ex templo adeo tranquilla ſerenitas reddita, vt inter innumeram populi multitudinem, et armatas cohortes, tubicinibus noſtris obuio Tzareorum clangori inceſſanter occinentibus, procedentes, tot vtriuſque ſexus ſpectatores in domibus, tabernis, plateis, et compitis, quacumque veheremur, viderimus, vt coniicere licuerit, neminem illa die ſe domi continuiſſe.

Moniales in Moſchouia.

Et profecto crediderim, quod ex ſanctimonialibus nulla, tanta earum erat diſperſa per plateas multitudo. Harum, ſiue virginum, quae rarae: ſiue viduarum, quae plures: ſiue a viris repudiatarum, quae plurimae, frequentiſſima in Moſchouia coenobia ſunt, in quibus tamen parum exacta viget ſanctarum conſtitutionum obſeruantia. Inuerſo ſiquidem ordine ibidem coniugatarum gynecaea, ſi non pudore, at inuiolabilis clauſurae cancellis ſepiuntur. Veſtalium vero clauſtra nullo clathro, repagulo nullo clauduntur. Curioſus itaque ſexus nulla clauſurae lege coercitus homines admittit, et poſtquam antelucanis in choro officiis interfuit, per vrbes paſſim licentioſe vagatur. Cumque nullum habeat, quem timeat, pudoris cuſtodem, honeſtatis monitis aditum ad animum per interpoſitum ſenſum occludens ſeductae voluntati habenas laxat, a qua per inuia, et deuia inconceſſorum aſportatus, tandem in profundam infamiae abyſſum praeceps agitur, vbi reſupinatus probis omnibus ſit offendiculum, et ſacri veli dehoneſtamentum.

Nihil tamen in tanta pompa magnificentius fuit, quam quod ab initio ſuburbii vsque ad hoſpitium noſtrum praecedere immediate noſtram rhedam quamplurimi Duces, et Senatorum filii, omneſque Magni Ducis nobiles a cubiculis cum ipſo eidem gratioſo Duce Georgio Iuanowicz Romodanowski voluerunt. Hi omnes veſtibus amicti ſuperbiſſimis hoſpitii noſtri ingreſſum ſuſpenſo equorum greſſu ſtipantes dixerunt nobis, ſe ex mandato ſui Tzaris in honorem Sacrae Caeſareae Maieſtatis eouſque officio numquam antea vlli Legato exhibito, et quidem libenter, deduxiſſe. Per hoc aperte Magnus Dux per commiſſarios noſtros nobis ſignificari curauit, quod in ſignum fraternae ſuae erga Imperatorem beneuolentiae in nobis honorandis praeterita exempla excedere voluiſſet.

Moſchouitarum aedes.

Aedes nobis pro hoſpitio aſſignatae erant ſatis amplae, et, quod rarum Moſchuae, lateritiae. Ligneas enim Moſchouitae, vt plurimum, habitant. Et cùm ab aliquot annis non pauci Moſchuae, ſiue ad oſtentationem, ſiue vt ſecurius ab incendio ibi frequentiſſimo quieſcant, ex lateribus aedificent; cubicula nihilominus ex abiegnis truncis eorum commiſſuras muſcantes compaginant, dicentes, ineſſe ſemper coemento noxiam bonae valetudini malignitatem. Et iuuet verum fateri. Frigora in hyeme tam acuta ibi vi pollent, vt craſſiſſimos lateritios parietes

tes per aſſociatam humiditatem penetrent, eamque in conclauibus, vbi contrarium elementum non offendit, glacie adſtringendo cruſta illos, vt pluries vidi, niuoſa obducant.

De victu fuit nobis per duodecim ferme noſtrae Moſchuae morae menſes vno ſemper conſtanti tenore perquam abunde prouiſum. Obtulerant quidem nobis a principio commiſſarii noſtri erogationem in ſingulos dies alicuius certae, de qua conueniendum foret, loco cibariorum ad alimoniam noſtram pecuniae; ſed cum anteceſſores noſtri Romanorum Imperatorum miniſtri, et Moſchouitici Viennae hoc numquam ad illud vsque tempus admiſiſſent, noluimus nobis ſucceſſuris reprehendendo auiditatis habendi exemplo praeire, et credidimus, nobis minime licitum, antiquam conſuetudinem ante mutuum Caeſaris Tzariſque conſenſum immutare.

VI. Kal. Iunias indicarunt nobis noſtri commiſſarii, fore, vt ſequenti die coram Magno Duce ſerenos eius oculos intuituri admitteremur. Et ſciſcitati ſunt nomine Cancellarii, an munera ab Imperatore ad Tzarem haberemus? Reſpondimus, hoc non eſſe moris. Habere nos tantummodo propria ſecundum tenuitatem facultatem noſtrarum munuſcula Magno Duci in ſignum noſtrae erga eum venerationis offerenda. Quae ſic expetentibus oſtendimus.

Admiſſionis primae deſcriptio.

Altera die rediit ad nos commiſſarius noſter Diakus monens, vt ad futuram poſt alteram horam noſtrum coram Magno Duce admiſſionem nos pararemus. Circa decimam antemeridianam comparuerunt in atrio noſtrarum aedium poſt rhedam Magni Ducis, et quidem aliam a priori, equi ad vſum familiae noſtrae. Inde ſucceſſerunt noſtri ordinarii commiſſarii, qui in altero ex noſtris conclauibus ſuperinduentes tunicas margaritis, et gemmis ornatas ex veſtiario Magni Ducis ad hunc vſum iuxta morem depromptas nos ad rhedam deduxerunt. In qua poſtquam honoratiora loca nobis vltro aſſignaſſent, ſederunt ambo cum interprete, ſtipantibus eam ab vtroque latere pediſſequis noſtris.

Praecedebant equi ante tubicines, et domeſtici noſtri, quibus ſuccedebant ex ſamulitio noſtro pedites munera portantes, et tandem ſolus equo inſidens, qui nobis ab epiſtolis erat, literas fidei Auguſtiſſimi Imperatoris ad Tzarem nudas eleuato brachio cunctis viſendas geſtans.

Omnes noſtri familiares erant, quomodo et nos, inermes, etenim, cum non liceat cuipiam armato intrare ad Tzarem; ſed arma ad aulae fores deponere quiſque debeat, omnes autem noſtri in eiuſdem conſpectum deſiderarent introduci, maluimus nulla nobiſcum ferre, quam allata deponere.

A noſtro hoſpitio vſque ad aulam Magni Ducis vidimus diſpoſitos in maximo numero pedites ſclopis maioribus bene armatos, et veſtibus, diuerſi quidem quoad diuerſas legiones coloris, ſed vnius quoad ſingularum legionum milites cunctos, pulcherrime amictos.

Depoſiti ad gradus palatii inter quamplurimos Moſchos tribunos militum ibi ſtantes aſcendimus ad aulam primam, vbi obuios habuimus Ducem Andream Iuanowicz Hilkow Stolnikum, et Diakum Theodorum Mihalow, qui per proprium interpretem nobis dixerunt, mandatum ſibi a Magno Duce, vt ibi nos eius nomine exciperent. Peractis gratiis vlterius pergentes, antequam aulam alteram, in qua Magnus Dux erat, ingrederemur, iterum eius nomine nos per alium interpretem exceperunt Dux Baſilius Iuanowicz Hilkow Stolnikus, et Diakus Nikita Walowenim. Denuo igitur gratias egimus, et ad Tzarem intromiſſi fuimus.

Aula erat ſpatioſae ſatis amplitudinis, cui tamen craſſa in medio columna fornicem ſuſtentans valde detrahebat. Parietes antiquis picturis erant obducti, quibus in ſpatio inter feneſtras medio argentea candelabra adhaerebant. Erant in aulae circuitu iisdem parietibus continuo opere affixa ſcamma lignea ſtragula veſte operta, ad quae per quatuor gradus aſcenſus patebat. Ibi a dextro Tzaris latere per totum eius conſpectum vſque ad laeui partem ſedebant inoperto capite in magno numero Boiari, Ocolnicii et Dumni-Duoranini ab arcanis Magni Ducis conſiliis,

nulla nos ſiue intrantes, ſiue exeuntes capitis inclinatione honorare dignati. Ipſe Tzar ſolio inſidens inaurati argenti, non in medio, ſed in angulo aulae laeuo inter duas feneſtras collocato, obſcure viſebatur. Eminebat illud quidem, cum tribus inniteretur gradibus ſuis ſolum aequale cum ſubſelliis ſenatorum calcantibus; ſed operis erat anguſti adeo, et ſitus obſcuritas eius ſplendorem ita obtundebat, vt nullam exprimeret magnificentiam. In eius medio ſupra Tzaris verticem Deiparae Virginis icon pendebat. E regione ſiniſtri lateris aſſurgebat intra feneſtram horologium turris ad inſtar. Intra alteram vero, quae angulum parietis ſui claudebat, pyramis argentea globum aureum ſuſtinens. Superius fornicem verſus duae ſanctorum imagines e parietibus pendulae cultui erant expoſitae. Et in crepidine ſcamni a dextro Tzaris latere aſſurgentis malluuium erat argenteum cum gutturnio, et mantili, quo poſt oſcula a nobis illius dextrae ex more data, eam ab impuris paganorum (vt omnes Latinae eccleſiae homines Moſchi appellant) labiis pollutam lauare, et abſtergere poſſet. Pileolum turbinatum zebellineo ornatum margine, et redimitum corona aurea pretioſiſſimis gemmis interſtincta, quae, quaſi zebellineis inniteretur ſpoliis, in ſummitate verticis deſinebat in crucem, in capite geſtabat. Sceptrum dextra tenebat. Stabat a latere eius dextro Dux Iacobus Kudenietewicz Tzerkaski ex proſapia Tzerkaſſorum ad mare Hircanum, et primus nunc Boiarus. A laeuo ſocer Ilia Danilowicz Miloslawski, itidem Boiarus. Ante thronum vero quatuor ex Ducum filiis in albis indumentis pileati ſecuriferi.

Decem circiter paſſus a Tzare ſtatuerunt nos commiſſarii noſtri. Ibi curuatis decenter ad reuerentiam genibus erga eum more noſtro nos inclinauimus, familia noſtra omni aliquo poſt nos interuallo ſtante. Tunc Dumni-Diakus (ex tribus ſcilicet Magnis Regni Cancellariis vnus) Almaſius Iuanow, qui ſuper ſcamnorum ſolum a parte laeua Magni Ducis in linea nobis aequali ab eo diſtans cum aliis haud paucis ſtabat, dixit ei, aduentaſſe Legatos Magni Romanorum Caeſaris, coramque eo ſtare frontem ſuam percutientes: ſcilicet, phraſi Moſchouitica, eum venerantes. Moſchi enim omnes indifferenter Principem ſuum in genua procumbentes, et ſolum fronte pulſantes venerantur, hancque eandem, quam ſuperioribus exhibent, venerationem ab inferioribus exigunt. Cancellario autem Magnus Dux innuit, vt nobis diceret, proponeremus, quae vellemus.

Hoc audito Collega meus primam propoſitionem ex benigniſſimo Sacrae Caeſareae Maieſtatis mandato nobis verbis conceptis traditam memoriter recitare orſus eſt. Sed abſolutis Imperatoris, et Tzaris titulis interpres interrupit, eos Ruſſico idiomate repetens.

Vix abſoluerat, cum Magnus Dux e ſolio ſurgens percontatus eſt nos, An frater ſuus chariſſimus Romanorum Caeſar Leopoldus bene valeret? et ſtatim reſedit. Reſpondimus, cum Vienna diſcederemus, relictam a nobis Sacram Caeſaream Maieſtatem ſuam proſpera, Dei gratia, valetudine vtentem.

Dixit inde Cancellarius, vt literas fidei Imperatoris Magno Duci praeſentaremus. Quas ego a ſecretario noſtro tunc acceptas comitante Collega ei tradidi, ad ſtationem illico retrocedens. Is autem incontinenti eas Duci Tzerkaskio conſignauit.

Poſtmodum idem Cancellarius nunciauit nobis, quod Magnus Dux faceret nobis gratiam, vt ad oſculandum eius manum aſcenderemus. Dum accedimus, ſceptrum ille in laeuam tranſtulit manum, extenſa ad oſculum dextra, quam idem Tzerkaskius ſua ſuſtentabat, ſocer vero Ilia totus erat attentione, et nutibus, ne aliquis noſtrum eam forſan contra fas impuris ſuis attrectaret.

Hoc peracto indicauit nobis Cancellarius, vt reliquum propoſitionis noſtrae exponeremus. Qua abſoluta dixit, quod Magnus Dux faceret nobis gratiam ſedendi. Statimque allatum nobis ſcamnum oblongum ſine humerorum fulcro (vt plerumque Moſchorum eſt mos) Perſico tapete tectum, vbi conſedimus, vſquequo aliquot ex domeſticis noſtris eius manum fuiſſent deoſculati.

Tunc

Tunc dixit Cancellarius, vt ſurgeremus. Stantes nos interrogauit Magnus Dux, an bene valeremus? Cui iuxta morem reſpondimus, quod gratia Dei, et clementia ſua, bene. Et gratias ei de hac benignitate egimus.

Et dictum nobis denuo, vt ſederemus. Procedenſque a latere Cancellarii Ioannes Mihalowicz Miloslawski Ocolnicius dixit Magno Duci, allata a nobis ei noſtra munera fuiſſe. Quae dum a noſtris famulis ferebantur, moniti a Cancellario ſurreximus, et corporis inclinatione Magnum Ducem ea intuentem vice verbalis oblationis, ſic ferente Moſchorum conſuetudine, reueriti ſumus.

Tandem mandauit ille Cancellario, vt nobis ſignificaret, deputaturum ſe aliquot ex Senatoribus ſuis, cum quibus conferre omnia, quae nobis ſupererant proponenda, poſſemus, et fore, vt illa die cibos ex menſa ſua guſtaremus.

Poſt haec exhibita ei reuerentia abiuimus. Exeuntes nos iidem, qui ingredientes exceperant, nomine Magni Ducis deduxere.

De ingenti Campana.

In arce vidimus ſolum prementem admirandae ex aere Campano magnitudinis machinam, et quod magis mirere, Ruſſici fabri opus. Excedit haec campanam Erphordienſem, imo etiam Peckinenſem in Regno Chinae. Erphordienſis enim altitudo vix ſex digitos ſupra nouem geometricos pedes, orificii diameter vix octo pedes, huius peripheria viginti et nouem, craſſities vero ſex digitos cum dimidio tantum exaequat, et pondus eius libr. 25400 conſtat Peckinenſis tredecim geometricos pedes, tertiamque pedis partem in altum exurgit, in diametro duodenos habet pedes, in peripheria exteriori quadraginta quatuor, et vnicum in craſſitie, pondus autem eius 120000 librarum. At huius noſtrae Ruſſicae altitudo vndeuiginti geometricos pedes extollitur, oris diameter ad duodeuiginti ſe extendit, ambitur autem a quatuor ſupra ſexaginta, craſſities duos aequat, tophalum vero quatuordecim non eſt breuius. Quadringenties et quadragies mille aeris pondo pro eius fuſione liquata quorum ter quadraginta millia in ſcorias deſpumaſſe, creduntur, reliquis in depuratam tantae molis maſſam ſolide concretis. Non tamen de illa hic mihi ſermo eſt, quae dominante Boriſſo Hoduno fuſa, et in ſublimi ſuſpenſa, cum ſolennior aliqua in honorem Dei, eiuſque ſanctorum memoriam dies celebrabatur: vel exterorum Regum oratores excipiebantur, aut in arcem ad Tzarem introducebantur, pulſari olim conſueuerat. Illa enim, quamuis poſtremo hoc vſu per non vſum abrogato, adhuc hodie in ſua turri pendet. Sed de altera anno 1653 Alexio regnante fabrefacta, quae humi adhuc ſtrata architectum expectat, a quo in altum eleuata in ſolennioribus feſtiuitatibus tinnitu ſuo deuotionem excitet Moſchorum, qui eo, tanquam ad Numinis cultum praeciſe neceſſario, carere nullatenus volunt.

Nomine Tzaris exhiberetur authori in eius aedibus ſolenne conuiuium.

Nobis ad hoſpitium priori pompae apparatu reconductis ſuperuenit poſt horam Dux Alexius Iuanowicz Boinoſow Roſthawski Stolnikus, ex antiquis Roſthouiae Ducibus deſcendens, miſſus a Magno Duce, vt eius vice nobis ex Tzarea culina epulum praeberet. Cui ad gradus vſque honoris gratia obuiauimus.

Menſae paratus facilis fuit. Eam ſuper vili mappa ſalinum, bina aceti, et olei vaſcula, vnicum cum furcinula, et cultro in eius ſummitate pro digniori conuiua poſitum cochlear, et quidem omnia ex puro auro, adornauerunt. Mappula nulla appoſita. Illotis manibus menſae accubuimus, vbi placentulae vices orbis, ſiue quadrae, inde exulantis ſupplere debuerunt. Abacum ſcyphi, paterae, et id genus inaurati pocula argenti confuſe onerarunt. Dignioribus nobis attributis locis a ſiniſtris mei fera extra menſam de more anguſtam conuiuator iuxta Moſchorum conſuetudinem ſedebat. Allata ſine temporis interſtitio vna ſimul in patinis argenteis fercula varii generis ad centum quinquaginta. Omnia noſtris oculis expoſita; impoſita autem menſae ſolummodo, quae palatui magis arridebant. Reliqua noſtro peni procuratori ad conſeruandum tradita. Frigefacta quidem omnia erant; ſed aliquot non adeo inſulſe condita, vt aſpernari eas aliquis, niſi delicatulus, deberet. Vini ſublimati, maluatici, Hiſpanici, Gallici, medonum varii generis, et ceruiſiae quadraginta partim argentei, partim ſtannei ſatis ampli

canthari liberaliter praeter morem impleti ſimul quoque allati. Poſt horae quadrantem modiperator noſter iubens nos ſtare, propinauit mihi ex poculo modeſtae capacitatis vino, vt ego data ab eo mihi optione, eo quod mitius eſſet, elegeram, Gallico pleno ſalutem ſui Tzaris eius titulum integre recitans. Quo a me, et reliquis omnibus diſcumbentibus epoto reſedimus. Nec bene quadrans alter elapſus fuerat, cum denuo ille ſurgens, et nos ad ſurgendum inuitans, iterum mihi poculum alterum pro ſalute Imperatoris, cuius etiam titulum plenum ex charta legit, poſt ſe exhauriendum porrexit. Cum ſatisfeciſſemus omnes, iterum accumbentibus vix paruulam temporis moram concedens inuitauit me tertio ad tertium poculum pro ſalute Tzaruli Alexii Magni Ducis filii exſiccandum. Quod ſtantes praeſtitimus omnes. Tunc is, quaſi munere ſuo iam praeclare functus eſſet, abiit donatus a nobis in praemium non prolati diu taedii ex inaurato argento ſcypho minime vulgari.

Author a Tzare ſecundo admittitur.

Die Maii antepenultima annunciauerunt nobis commiſſarii, quod immediate ſecutura denuo coram Magno Duce admittendi eſſemus: et quod interim liceret famulis noſtris, quocumque liberet, ire. Petierunt inſuper nomine Cancellarii copiam noſtrae ad Tzarem factae propoſitionis, quam eis dedimus.

Penultima itaque circa nonam matutinam a noſtris commiſſariis ad Tzarem cum iisdem in omnibus cerimoniis, et apparatu, quibus ad priorem nos deduxerant admiſſionem, ducti, et ab iisdem, qui nos tunc exceperant, excepti fuimus. Magnus Dux tamen in alia paulo anguſtiori aula, et in alio pariter throno, inter duas itidem feneſtras; ſed verſus dextrum aulae angulum, collocato, ſceptro, corona, et Regio amictu conſpicuus viſendum ſe praebuit. Super caput eius ſolio affixa Diuae Virginis icon. A dextris globus aureus pyramidi argenteae incumbens, ibique ſocer Ilia Danilowicz, et a ſiniſtris Ocolnicius Theodorus Mihalowicz Ertiſchew, Supremus Tzareae Aulae Praefectus, et haud infimus Domino gratioſus ſtantes. Conſpectum cuſtodiebant iuxta morem bini, et bini albis amicti veſtibus adoleſcentes Duces lunatis ſecuribus armati. Ad eius laeuam, et oblique parum in conſpectu ſuper ſcamnis in ligneo ſolo per duos tantum gradus eleuato ſedebant ad parietem intecto capite ex Senatoribus haud pauci, e quorum fronte ad dextram ſtabat cum aliis quam plurimis Cancellarius.

Obſeruauimus itaque tunc, et poſtea ex more Moſchouitico angulos reputari pro locis decentioribus. Etenim ſolium Magni Ducis ſemper in angulo vidimus, quod tamen commodiſſime, praeſertim in hac ſecunda Aula, in medio collocari potuiſſet. Et Moſchi Diuorum imagines, quas parum abeſt, quin idolatrentur, et ſemper in quocumque cubiculo habent, in angulis collocant.

Cum Magnum Ducem venerati eſſemus, curauit, nos de ſalute noſtra interrogari. Cui dato iuxta morem reſponſo gratias egimus pro conuiuio nobis tam liberaliter per ſuum commiſſarium exhibito.

Inde dixit Cancellarius, Magnum Ducem curaſſe literas Imperatoris in idioma ſuum transferri, et ab iis percepiſſe, nos ad aliqua bonum publicum concernentia ipſi proponenda fuiſſe ablegatos, et quod ideo nobis fidem adhibere deberet, quod facturus erat. Interim deputaſſe ad audiendum propoſitiones noſtras Ducem Alexium Nikitowicz Trubetzki Boiarum, et Caſani locumtenentem: Ducem Georgium Alexiowicz Dolgoruki Boiarum, et Susdaliae locumtenentem: Bogdanum Mattheowicz Hitrow Ocolnicium, Tzarei armarii cuſtodem, eiuſque Orſzae locumtenentem: et Almaſium Iwanow Dumni-Diakum, ſiue Cancellarium. Poſt hoc allatum nobis ſolitum ſcamnum ad ſedendum, breui tamen vſu, nam iuſſi ſurgere, et ad locum, vbi nos Tzarei deputati opperiebantur, tranſitum facere, ſolito venerationis noſtrae ſigno Magno Duci reuerenter exhibito abiuimus, ab iiſdem Ducibus, ac Diakis, qui nos eius nomine extra aulam exceperant, eodem loco officioſe dimiſſi. Exeuntibus nobis a Tzare Senatores parum aſſurrexere, quibus inclinato capite correſpondimus.

Tranſi-

eſt afflicta. Num autem anno illo milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo ſexto Moſcouitae eam tandem expugnarint, adhuc quidem pro certo nondum affirmari poteſt; Relationibus vel ipſis Rigenſibus, in hac re ſibi repugnantibus.

Dineburgum, Dunaburgum, locus firmus, prope fluuium Dunam, ſeu Duinam, Lithuaniam et Moſcouiam verſus ſitus, quem vnum Liuoniae locum Poloni, vti ſupra ſignificauimus, retinuerant; Moſcouitae autem anno milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo quinto diuturna obſidione eum clauſerunt; donec praefectus Suecicus, Comes de Loewenhaupt, aduenisſet, vbi protinus diſceſſerunt. Verum Polonicus etiam huius vrbis praefectus primum ſe Suecis oppoſuit, quo factum eſt, vt oppidulum et Ieſuitarum Collegium, ab ipſis Polonis incenſum, detrimenta caperet; denique tamen, ſecundo Iulii die, arcem Suecis tradidit, diſcedensque tormenta, et alia inſtrumenta bellica, reliquit. Sequente anno milleſimo ſexcenteſimo quinquageſimo ſexto, Magnus Moſcouiae Dux, Alexius Michaëlouitius, ipſe Dunaburgum aggreſſus eſt, et, Auguſtino Limmero narrante, infra ſeptem horas vi armorum, vti etiam Kakenhuſam, expugnauit. Vtroque in loco omnes homines miſerandum in modum ſunt trucidati, ita vt ne infantibus quidem parceretur. In Relatione quadam, Rigae impreſſa, de vii. (xvii.) Nouembris die anni illius 1656. narratur, Moſcouitarum Principem, cum Rigam proficiſci pararet, Dunaburgum, triginta milliaria a Riga diſtans, et arcem illam firmam Kokenhuſam, duodecim milliaria inde remotam, quamuis cum bis mille militum amplius iactura, expugnaſſe. Cum Liuones Germanicos Lithuani in arce illa exſtruenda prohibere conarentur, anno milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo nono res proelii fortunae eſt credita, in quo proelio Liuones victi Magnum ſuum Magiſtrum cum ſexaginta ſeptem Equitibus amiſere.

Kakenhuſa, ſeu Kokenhuſa, cuius modo mentio facta eſt, Archiepiſcopi Rigenſis quondam ſedes, ad Duinam ſita, circa annum milleſimum ſexcenteſimum primum in Polonorum fuit poteſtate. Cum vero Georgius Farensbachius, cui ſoli Liuoniae Polonicae fines defendendi erant traditi, Eſtoriam inuaſiſſet, Rex Sueciae, Carolus, Parnauiam et alia Liuoniae loca cepit; cuius (Caroli) copias ex parte Farensbachius ille, et inprimis Chriſtophorus Radziuilius, ſpurius eiusdem Regis Caroli filius, apud Kokenhuſam fudit. Rex vero Carolus, viginti militum millibus armatus cum aduentaſſet, omnes Liuoniae vrbes, praeter Rigam, Dunamundam et Kokenhuſam, expugnauit. Eodem tempore horrenda fames hanc terram infeſtauit; cuius alio loco mentionem feci. Sebaldus in *Breuiario hiſtorico, cap.* 6. p. 202. et 203. ſcribit, pauperes, cum pecus lue exanimatum et excoriatum eſſet, de cadauere eius concertaſſe; mortuas ſues, canes et feles comediſſe; imo liberos defunctos a parentibus pro cibo conſumtos, et amicum ab amico interfectum eſſe et deuoratum. Filiolum cuiusdam a vicino, quo pater, ad aliquid inde arceſſendum, ipſum miſiſſet, mactatum; et patrem, cui filiolus diutius abeſſe videretur, cum eodem veniſſet, ab eodem illo vicino arreptum, ſubactum, interfectum, et vna cum filiolo deuoratum eſſe.

Karkus, arx, quam tribunus ille, Georgius Farensbachius, a Poloniae Rege, Stephano, ſibi donatam, quondam poſſedit. Anno milleſimo ducenteſimo nonageſimo octauo Vitenes, Lithuaniae Dux, ab vrbe Riga contra Magnum Liuoniae Magiſtrum in auxilium vocatus, hanc arcem cepit.

Kirchholmia, arx, duo milliaria ſupra Rigam, ad Dunam ſita. Anno milleſimo ſexcenteſimo quinto Suecicarum copiarum praefectus, Comes Mansfeldenſis, Dunamundam, Rigae vicinam, a Lithuanis relictam, occupauit. Deinde Rex Carolus, cum Mansfeldenſi Comite coniunctus, Rigam obſedit, cui ſummus Polonici exercitus Dux, Carolus Chodkieuicius, prope Iskelum, tribus milliaribus a Riga, caſtra appoſuit. Tum Rex Carolus ab obſidenda Riga deſti-

tit, et vigesimo septimo Septembris die in Kirchholmiae viciniam profectus sua e regione Polonicorum castrorum castra constituit: quo facto proelium sunt ingressi, in quo nouem Suecorum millia ceciderunt, praeter eos, qui in fuga a rusticis occisi sunt, aut vulneribus acceptis vitam finierunt. Rex ipse Carolus vulneratus et in fugam coniectus, naues suas aegre attigit, duo Principes Brunsuicenses et Luneburgenses occubuerunt; Comes Mansfeldensis, quamuis vulneratus, euasit, quingenti Sueci capti, castra ipsorum exspoliata, et sexaginta vexilla cum vndecim tormentis bellicis asportata sunt, cum ex Polonis non nisi octoginta perierint, multi autem vulnerati et haud pauci equi globis transfixi sint, vti Episcopus Paulus Piasecius in *Annalibus Polonicis*, fol. 227. affirmat; cui etiam Stanislaus Kobierzickius in Vladislai quarti vita, p. 811. seq. consentit; qui vero addit, Chodkieuicium illum ter mille et trecentis militibus instructum sedecim Germanorum, Francogallorum, Belgarum et Suecorum millia tunc temporis, fudisse, octoginta tantum suorum cum pauculis amisisse, et sexaginta amplius vexilla nactum esse, Parnauiam recuperasse, Rigam, Dunamundam, Derbatum et Vaisensteinium (Weissensteinium) defendisse, Volmariam occupasse, et Suecorum naues in mari incendisse. Eidem Chodkieuicio Romae in hortis Florentinis statuam esse erectam.

Mitauia, vrbs et arx, Iacobi, Ducis Curlandiae et Semigalliae, sedes. Ex Alberti Koialouicii *historia Lithuana* patet, anno millesimo trecentesimo decimo quinto, aut circa illud tempus, Liuones hanc regionem Samogitiae, Curlandiam seu Curoniam nunc dictam, Lithuanis extorsisse. Cum sequentibus temporibus Liuones a Regno Polonico auxilium contra Moscouitas petiissent, Rex Sigismundus Augustus postremum Ordinis Teutonici Magistrum, Gotthardum Kettlerum de Nesselrot, Ducem Curlandiae et Semigalliae constituit, qui anno millesimo quingentesimo octogesimo septimo vita defunctus Wilhelmum et Fridericum filios reliquit, quorum prior, Iacobi illius pater, cum satellites eius anno millesimo sexcentesimo decimo tertio Magnum Noldam, Curlandum nobilem, qui aduersus Ducem turbas mouerat, et Curlandiae nobilitatem contra eum sollicitauerat, Mitauiae interfeciissent, a Rege Sigismundo tertio parte prouinciae sibi competente, priuatus est. Sed frater eius, Fridericus, in Liuonico bello de Polonia bene meritus anno millesimo sexcentesimo trigesimo secundo post Regis illius mortem pro ipso deprecatus est: vbi tandem anno millesimo sexcentesimo vndequadragesimo Rex Vladislaus quartus Ducis illius Wilhelmi filio clientelam dedit, vt Piasecius refert; id quod ad appendicem illam nostram notandum est.

Narua, vrbs insignis et firma, cum adiuncta arce, quam anno millesimo quingentesimo nonagesimo Magnus Moscouiae Dux, Theodorus, post grauem obsidionem, cum multis vrbibus in vicinia eius sitis, cepit, et Suecorum praesidia expulit. Anno autem millesimo quingentesimo nonagesimo nono Sueci Naruam recuperarunt, quam Regis Stephani temporibus Pontus de Guardia, seu de la Gardie, Francogallus, Moscouitis ademerat.

Parnauia, Pernauia, vrbs et arx valida; quam vrbem vna cum portu, solam ex Liuoniae vrbibus Suecorum Regi adhuc parentem, Carolus ille Chodkieuicius, postquam haud exiguam Suecicarum nauium partem, nautarum quorundam Anglicanorum, pecunia ab ipso corruptorum, proditione, combusserat, et reliquas in fugam verterat, vi armorum, Wilhelmo Barberio, Francogallo, suadente, expugnauit. Anno autem millesimo sexcentesimo decimo septimo Georgii Farensbachii Liuonis (cuius etiam supra mentio facta est) calliditate et consilio, ipsa ad Suecos rediit.

Pilte-

Piltenum, Pyltenum, vrbs et Episcopatus Curlandici quondam metropolis, quam anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo quinto Iacobus della Gardie, Comes Leckoënsis in Ducis Curlandiae potestatem redegit; cum ipse Dux Suecorum clientelae se tradidisset, et vrbs illa libertatem affectaret, vti Augustinus Limmerus refert.

Reuel, Reualia, vrbs Hanseatica firma et illustris Estoniae, mari Liuonico vicina, quae circa annum millesimum sexcentesimum primum in Regni Suecici potestatem venit, cui adhuc paret. Quae de huius vrbis cereuisia, contra ea, quae in *Continuatione Itinerarii Germaniae* ex illustris cuiusdam viri, qui plerasque Europae, et nonnullas Asiae et Africae terras inuisit, et anno millesimo quingentesimo octogesimo sexto Reualiae fuit, scriptis commemorata sunt, paulo acerbius quidam dixerit, illis alio loco iam responsum est.

Riga, quondam vrbs Archiepiscopalis, nunc autem Suecica, et Liuoniae metropolis; de qua in illa appendice nostra ad decimam tertiam Topographiae Germaniae partem p. 22. et seqq. vberius agitur; vbi etiam arcis Dunamundae, ad fluminis Dunae seu Duinae ostium et duo milliaria infra Rigam sitae, p. 26. et 27. descriptionem inuenies. Quapropter, solius Starouolscii verba hic adiiciam, qui eam in *Polonia* ita describit: „Riga totius Liuoniae metropolis, quam fluuius Dui„na amplissimus, vna cum arce alluit. Vrbs ipsa muro firmissimo, propugnacu„lisque et turribus densis vndique munita; item vallo inexcusso, tribus ordinibus „tormentorum apto, fossisque duabus ex vtraque parte circumducta, et stipiti„bus acutis circumsepta; instrumentisque insuper bellicis, ac tormentis aeneis, „et commeatu copioso, tum militibus stipendiariis pacis et belli tempore bene „prouisa. Distat duobus milliaribus a mari, naues tamen omnigenae facillime de „mari sub ipsa vrbis moenia deueniunt et redeunt. Vbi vero fluuius mari illabi„tur, est arx Dunamunda inexpugnabilis natura, opportunitateque loci duobus a „Riga milliaribus, vbi naues telonia persoluere coguntur; iterumque excutiuntur „in Blokaus, munitione sita medio loco inter Rigam et Dunamundam.“ De dura illa obsidione, quae anno millesimo sexcentesimo quinquagesimo sexto, a vigesimo tertio Augusti, ad quintum Octobris diem a Magno Moscouiae Duce huic vrbi fuit perferenda, Relationes quaedam cum indice globorum igneorum maioris ponderis et granatorum, quae vocant, durante obsidione in vrbem coniectorum, rerumque memorabilium, quae interim euenerint, et monitorum praecedentium, typis excusae et in vulgus editae legi possunt; in quibus etiam magnae illius inundationis, anno millesimo sexcentesimo vndequinquagesimo hic exortae, mentio fit. Granatorum et globorum ignitorum, quantum quidem circiter numerari potuit, mille octingenti septuaginta quinque fuerunt, quorum singuli centenas sexagenas ternas, centenas septuagenas quinas, imo ducentenas libras graues essent. Globorum maximorum, e tormentis emissorum, quibus propugnacula et aedificia, inprimis autem turris auenaria, sunt concussa et perforata, singuli quadragenas, sexagenas ternas et septuagenas circiter, minimorum autem singuli duodenas, vicenas et tricenas libras pondere aequarunt. Hoc tempore huic vrbi, praeter Comitem, Magnum Gabrielem de la Gardie, Simon Grundelius de Helmfeld supremus belli Dux, erat praefectus. Superioribus temporibus, anno millesimo sexcentesimo decimo septimo haec vrbs Georgio Farensbachio, a quo infestabatur, fortissime restitit, quamuis maximam praediorum iacturam fecerit, vti Piasecius in hoc anno refert, qui etiam p. 347. et 348. narrat, quomodo Rex Sueciae anno millesimo sexcentesimo vigesimo primo hanc vrbem, cum arce illa Dunamunda in suam redegerit potestatem.

Velinum, seu Felinum, vrbecula et arx Estoniae, quam Rex Sueciae, Carolus, occupauit, supremus autem Poloniae Cancellarius Zamoscius oppidulis Anzelmo, Ermezo et Helmeto, et aliquot arcibus expugnatis, anno millesimo sexcentesimo secundo, mense Martio, obsedit. Caeterum Felinum moenibus et fossis circumdatum, fluuio Moldarae, a Moscouiae finibus per multos lacus percurrenti, magnisque fluctibus in mare se effundenti, adiacet. In illa igitur obsidione cum arcis praefectus cecidisset, reliqui Polonis eam tradiderunt.

Weissensteinium, a scriptoribus Polonicis Vaisensteinum dictum, arx Estoniae munitissima, quam, licet ad arcem, in planitie sitam et paludibus circumdatam, praetereaque propugnaculis, moenibus, vallo et fossis bene instructam, difficilis esset aditus, Zamoscius ille anno millesimo sexcentesimo secundo expugnauit. Anno autem millesimo sexcentesimo septimo Rex Sueciae, Carolus, hanc arcem commeatu et armis bene praeditam, paucis vero copiis (siquidem eius praefectus cum trecentis militibus extra eam a Suecis erat captus) instructam deditione recuperauit.

Wenda, Venda, Polonice Kies, vrbs et arx vbi Magnus Magister sedem quondam habuit. Stephanus autem, Rex Poloniae Episcopatum hic instituit, eique Iohannem Demetrium Solikouium praefecit, cui ad Archiepiscopi Leopoliensis honores euecto Alexander Milensius successit. Vrbe autem a Suecis capta, Episcopus cum Iesuitis inde discedere coactus est, ita vt nostra aetate Liuonia Episcopis prorsus destituatur. Iesuitae igitur in Lithuaniam se receperunt; Episcopus autem pingue Cistercienssium monasterium, in Polonia minore situm, a Rege accepit.

Wolmar, Volmaria, vrbecula et arx, ad fluuium Aa supra vrbem illam Wendam sita, quam Rex Stephanus cum aliis bonis ei, quem modo diximus, Episcopatui concessit. Hunc locum anno millesimo sexcentesimo primo supremus Poloniae Cancellarius, Zamoscius cepit, spuriumque Regis Sueciae, Caroli, filium Carolusinum, cum Ponto de la Gardia et primariis ducibus, captiuum in Poloniam misit.

Et haec quoque de Liuonia sufficiant, cuius Praefectus summus his temporibus est Magnus Gabriel de la Gardie, Comes Leckoënsis et Aransborghensis, Liber Baro Eckholmiae, Dominus Habsaliae, Magnushofii et Hoyentorpii, Regiae Maiestatis et Regni Suecici Consiliarius et Thesaurarius, Praefectus Rigae vicarius, rerum militarium in Liuonia, Esthonia et Ingermannia Inspector vicarius in Suecia vero Academiae Vpsaliensis Cancellarius et Gothiae occidentalis atque Daliae Iudex.

FINIS.

INDEX

(o)

INDEX
NOMINVM RERVMQVE
MEMORABILIVM.

Abazyus, Bassa 477
Abbatia, Benedictinorum, ibi S. Sigismundi deauratum asseruatur caput 191
Abies, apibus grata arbor 327
Academia, Cracouiae a Casimiro Magno fundata 174, 340 sq. 486, a Iagellone fundata 107 Culmae 182, Elbingae 183, Leopolis 184, Zamoscii 189, Vilnae 206, 340 sq. 448 Vpsalienſis 536
Academiae, et Vniuersitates in Polonia 12, 19
Achas, 426
Acipenseres, capiuntur in Vkrainia 56
Adalbertus S. docuit Polonos Religionem Christianam 19, fit Archiepiscopus 25, Pragensis Episcopus, palo alligatur et ab Ethnicis septem transfigitur hastis 371, Eius Sepulchrum 24, 169 reliquiae 481
Adamus Bremensis, eius narratio de Nationibus Septentrionalibus 350, 86*)
Admissio, prima Mayerbergii ad Tzarem 389 sq. secunda 392
Adolphus, Imperator 334
Aedes S. Benedicti 18
—— earum in Moschonia descriptio 388, 403 et quomodo sacra in iis habeantur ibid.
Aedificia, exstructa ad tormenta bellica reseruanda a Vladislao Iagello 322
—— Polonica 296, 297
Aegri, sacro oleo inunguntur a Moschis 406
Aerarium publicum Nobiles in captiuitatem redactos, redemit 317
Aesthii, Germanicus Populus 7, olim cum Prussia et Liuonia incoluit Samogitiam 372, Liuoniam 373
Ager semel seminatus duos per annos fert fructus, et aliquando quidem centuplices 10
Agricolae, in Polonia omnibus sunt excluſi ab honoribus 283, inhumaniter tractantur 290, eorum sors melior in Prussia Regia ibid.
—— Lithuanici, misera eorum conditio 307, capitis condemnati, sibi ipsis mortem inferre coguntur 308, Vestes, cibi et tuguria eorum ibid.
—— in Samogitia, eorum Vestes 308, ex rapis conficiunt panem 310
Agtstein, nigrum succini genus 327
Akmacyty, vrbs in Crimea 61
Akroczim, Masouiae Vrbs 190, 191
Alani, gentes 10, 492
Albertius, Syndicus Dantiscanus 330
Albertus, Marchio Brandenburgicus 114, postremus Ordinis Teutonici Magister 181, 523 Primus Prussiae Dux 183, 338, Se Sigismundo I, Regi Polonorum dat in Tutelam 332, bellum cruentum gerit cum Polonis, a quo victus, se submittit 338, Ius ordinis tota in Pomerellia et Prussiae parte cedit 369, illi Fischhusium a Georgio a Polenz traditur 371
—— Imperator 107
—— Austriacus Imperator 334
—— III, Imperator 336 ei praestat fidei Iusiurandum Iohannes a Tiefen, et opem contra Valachos fert 337
Albertus Golimont, Pincerna Lidensis 422
—— Constantius Ciechowicius, Praefectus Osmianensis Mayerbergium Leopoldi Legatum Vilnae introducit in hospitium 447
Albinus adducitur 86(**)
Album militare, in eum quotannis Nobiles a Ducibus inscribuntur 313
Alexander IV, Papa 37, 334
—— Magnus Persepoli animum exuit virilem 323
—— Poloniae Rex 3, 6, 110, 314, ius Archiepiscopo Gnesnensi coronandi Reges datum, confirmat 280, Helena eius vxor non coronatur 282 eius mors 47
—— Sapieha, vigesimus sextus Samogitiae Antistes 372
—— Vitoldus Lithuaniae Dux, Nouogardiam expugnat, eique Simonem Algimundum imponit 417
—— Gosieuius, Collegium Societatis Iesu non Mohiloniae, vt Piasecius scribit, sed Vitepsciae exstruit 446
—— Iaroslai filius, Moschouiae Dux auxiliariis Scytharum armis Plescouiae pristinam reddit libertatem 420
—— Kettlerus, Iacobi filius ad Budam vulneratur, Viennae moritur 355
Alexius, Mihalowicz Tzar, Leopoldus Romanorum Imperator ad hunc mittit legatos 361, contra Polonos mouet arma 367, illi nascitur filius 395 Patri Michaeli succedit 365, 400, qua ex familia ille sit ortus ibid. sq. Morosouio ad instruendum traditur 410, Vxor et liberi eius 411, corporis et animi forma 412, Eius Titulus ibid. cur dicatur Mihalowicz 414, Czernichouiam Polonis contra pactum eripit 425, Polocia potitur 426, insignis eius amor erga Morosouium 431, eius socer 431, ministri et aulici 432 sq. nec Vxor nec filiae visuntur 433, eius promtuaria et reditus 434, mercaturam exercet ibid. eius pedites et equites 435 Seditiosos punit aeream ob Monetam Moschos 434 Dunaburgum aggreditur 533
—— Russus, eius sanctitas 417
Algimundus, Holsatiae Dux, Nouogardiae praeponitur 417
—— Lithuaniae Dux 198, 494
Alla, Prussiae fluuius 181
Allegrettus de Allegrettis, Ferdinandi III, Legatus 367
Allenburg, vrbs in Prussia 45, 524
Allensteinum, Episcopatus Varmiensis Vrbs 183, in Prussia vrbs 45, 522, 524 Polonici sibi vindicant 525
Allium, eius vsus est Polonis acceptum 13
Alma, pagus in Crimea 61
Alsatia, Ordinis Teutonici Balliuiatus 339
Altare, argenteum 20
Althaus, vel Strarigrodum, vrbs in Culmia, 45, 524
Alumen, coquitur Solicii 40
Ambitus, Vrbis Dantisci 328
Amboten, vrbs in Semigallia 46

Ambroua, vrbs 54
Amictus Moſchorum 387
—— Polonorum 295 ſq.
Amor, Polonorum ſuos in Reges 220
—— liberorum erga parentes quomodo contineri poſſit 79
Amurathes, Magnus Turcarum Imperator, eius Verba de Coſacis 316 ab Hungaris exigit tributum 108
Anabapriſtae, decretum Polonicum in eos 4, Polonia excedere coguntur 235
Anarchia, eſt peſtis Reipublicae 218
Ancona, vrbs 477
Andre Oſtro inſula in Vkrainia 59
Andreas, Vngarorum Rex 9
—— Iagellonis frater Liuoniae praeficitur 204, captiuus in Poloniam adducitur 205
—— de Stukland, quartus Ordinis Liuonici Prouincialis Magiſter, Curlandiam Ordini Liuonico reſtituit 351, 421
—— Duodecimus Ordinis Liuonici Magiſter 351
—— Iuanowicz Druk, Dux Kiouienſis, eius filia Zonka, Sophia dicta, Iagelloni nubit 416
—— Demetrowicz a Smoleſcenſibus rebellis arci praeficitur 422
—— Vigundus, Demetrii frater, Starodubum capit 425
Andreouum, oppidum ob Monaſterium Ciſtercienſe praeclarum 14 in Cracouienſi Palatinatu 485
Angerburg, vrbs in Pruſſia 45
Angerburgum, Bartoniae oppidulum 524
Angermunda, Curlandiae vrbs 356
Anima, qua in corporis parte eius ſit ſedes 153
Animus, requiritur maturandam ad victoriam 319, maxima enim multitudo, cui hic deeſt, victoriam potius impedit ibid.
Anna, Catharina, Vladislai ſoror, Wilhelmo elocatur 478
—— Gedimini filia, Caſimiri vxor, reconciliat Polonos Lithuanosque 202
—— Gonzaga poſterior Vladislai IV, vxor 4, 14
—— Gothardi filia, Alberti vxor 41
—— Niuernenſis, Poloniae coronatur in Reginam 22
—— Poloniae et Sueciae Regina 472
—— Regis Sigismundi II, ſoror 4, 116, Cracouiae Synagogam Lutheranam inſtituit 487 e vita decedit 530
Annus et dies, eorum diuiſio in Moſchouia 397
Antiſtites Moſchuae 384
Antrum, grande 20
Antwerpia, vrbs 160, 477
Apes, earum duo reperiuntur in Polonia genera 459
Apparatus Polonorum ſplendidus in Exequiis 299 ſq.
—— aulicus Regum Polonorum 227 et Reginarum 228
—— Primas Regni 227
Appianus, (Petrus) 18
Aqua, ſalubris ad vrbem Iauoriſuiam 343
Aquiſgranum, vrbs 477
Arabat ſeu Crborec, Caſtellum in Crimea 61
Aratrum, ex ligno 7, 192
Arbores, Ebenum aequantes 184, in terra defoſſae, radicibus prorſus carentes colore tam nigrae quam ebenum 342, fructiferae proſperrimo gaudent in Polonia prouentu 297
Archidux, Maximilianus Sigismundi III imperio a Zamoſcio victus 321, ab eius partibus contra Stephanum Batoreum ſterit Dantiſcum 331
Archiepiſcopus Armenorum 232
—— Canterburienſis, Epiſtola ad eum de Imperii Regni Polonici forma 215
—— Gneſnenſis eſt perpetuus Apoſtolicae Sedis Legatus 13 totius Poloniae Supremus eſt Senator 228, 230, 369, 462, aditus ad Regem illi patet 228, auctoritas non multum Regiae cedit 231, poſt Regis obitum ſummam Reipublicae habet poteſtatem 231, 267, 462, 466, 471, eius apparatus 227, Regem electum proclamat 231, interregni tempore, comitiorum indicendorum habet poteſtatem 249 coronationem peragit Regis 279, hoc ius illi adiudicat Caſimirus 280, Rege adhuc viuo aliquid imperii aduerſum imperante ordines in Senatum congregare valet 462
